43
6 E
10

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google



R·P·F· FULGENTIUS CUNILIATI ORDINIS PRÆDICATORUM
pietate ac ſtudiis conſpicuus.

Digitized by Google

UNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS

ACCURATA COMPLEXIO INSTITUENDIS CANDIDATIS ACCOMMODATA,

In qua, graviori præſertim S. THOMÆ auctoritate, atque ſolidiori ratione ducibus quæſtiones omnes, quæ ad rem Moralem pertinent, brevi ac perſpicua methodo reſolvuntur.

A P. F.

FULGENTIO CUNILIATI

ORDINIS PRÆDICATORUM,

CONGREGATIONIS

B. JACOBI SALOMONII,

Exlectore Sacræ Theologiæ Scholaſtico-Dogmaticæ, a pluribus annis Moralis Profeſſore Ordinario in Collegio SS. ROSARII *Venetiarum.*

EDITIO SEXTA VENETA

Cui præter ea, queis in anterioribus Editionibus Opus illuſtratum & auctum fuit, accedunt alia utilia, & præſertim Appendix *de Suſurratione, Deriſione, & Maledictione, ſeu malorum imprecatione.*

PARS PRIMA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS,

APUD THOMAM BETTINELLI.

M D C C L X X.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

INCARNATÆ SAPIENTIÆ

SANCTISSIMÆ VIRGINI MATRI.

OPuſculum, inſtituendis, Juxta Incarnatæ Sapientiæ documenta, Fidelium moribus lucubratum, nulli æquius, quam Tibi, ejuſdem Sapientiæ Genitrici, inſcribendum exiſtimavi; quippe quæ Viatricem agens, eadem ex ore ipſius Præceptoris acceperis; cunctis altius animo Tuo infixeris; aſſidua meditatione contuleris; exemplo fulgentiſſimo excolueris; ut per univerſum diffunderentur orbem exoptaveris; cordi infantilis Eccleſiæ inſtillaveris; atque, ut eiſdem omnes morigerentur gentes, inceſſanter Omnipotentem deprecata fueris. Quidni modo Reginam a dextris Filii adſtantem, & ſuper univerſos Cœlitum Ordines exaltatam, impari ardore flammantem quis ſuſpicetur? ut proinde accepti ſint Tibi eorum labores, qui eadem documenta ab erroribus manifeſtis vindicare, a laxitatibus pernicioſis expurgare, a phariſaico rigore ſeparare, atque primigeniæ eorum ſimplicitati, pietati, veritatique reſtituere conantur; in eo quam maxime contendentes, ut circa plurima, in quibus eorundem documentorum veritas certo interlucere non poteſt, ſaltem id eligant, & ſuadeant, quod propius ad eamdem appropinquat; ut exinde fideles a ſcandalis juxta iter poſitis arceantur, viamque mandatorum greſſu inoffenſo percurrant. Eja ergo, Sapientiæ Sedes, ſimul & Mater, parce auſui, Tibi offerentis opus non Te dignum, ut Tua protectione donetur. Excuſabilis tamen auſus; quandoquidem cum alias opellas meas, ſola Tua Benignitate compulſa, dedignata non fueris; animum addidiſti, ut hoc quoque qualecumque opus, ſolio Tuo provolutus, offerrem; confidens, pari benigno patrocinio donandum: ſupplexque humiliter flagitans, ut quicunque illud lectitaverint, ope Tua interveniente, eum fructum percipiant, qui unicus fuit imbecillis ſcriptoris ſcopus; ut ſcilicet mores proprios componant, atque alienos reforment; necnon ad parendum Divinis Eccleſiæque inſtitutis ardentiori ſtudio inflammentur. Quod ſi cæteris a Tua Miſeratione imploro, mihi profecto primum ab eodem humillime præſtolor.

REverendiſſimi P. F. Antonini Bremond, Ordinis noſtri Generalis Magiſtri mandatis obſequentes, nos infraſcripti Opus attente perlegimus, a R. P. F. Fulgentio Cuniliati, hujuſce noſtræ Congregationis Alumno concinnatum, cui titulus: *Univerſæ Theologiæ Moralis accurata Complexio*. Virum legendo deprehendimus, nec inter eos recenſendum, qui conſuunt pulvillos ſub omni accubitu manus, ut ajebat Propheta, & cervicalia faciunt ſub capite univerſæ ætatis, ad capiendas animas, nec cui, ex oppoſito, ſedes inter illos reponi debeat, qui, ut Evangelii utamur verbis, alligant onera gravia, & importabilia, & ea imponunt in humeros hominum; ſed Theologum potius, per viam, inter laxitatem & rigorem mediam, quæ propius ad veritatem latentem accedit, & tutius ad vitam ducit, pari paſſu incedentem. Hinc ut publici juris fiat; atque in communem Theologiæ Candidatorum, quibus inſcriptum eſt, utilitatem cedat, nil obſtare poſſe cenſebamus.

Ex Collegio noſtro SS. Roſarii Venetiarum
die 9. Julii anno 1750.

Fr. Jo. Baptiſta M. Contarenus S. Theologiæ Profeſſore, & ejuſdem Collegii Rector.

F. Jacobus Ratti Sacr. Theologiæ Profeſſor.

DEmandante Reverendiſſimo P. Fr. Joanne Thoma de Boxadors Ordinis Noſtri Generali Magiſtro, nos infraſcripti Sacræ Theologiæ Profeſſores attente perlegimus ac perpendimus *Animadverſiones ſuper Caſibus, qui plerumque & reſpective ab Ordinariis reſervari conſueverunt in propriis Diœceſibus, propoſitas a P. Fr. Fulgentio Cuniliati Congregationis B. Jacobi Salomonii Sacræ Theologie Profeſſore*, nihilque in eis offendimus Fidei Catholicæ, aut bonis moribus non conſonum; imo piam ſolidamque doctrinam continere deprehendimus; itaut publici juris eas fieri poſſe, merito exiſtimemus.

Datum in præfato Collegio SS. Roſarii Venetiarum
die 30. Martii Anni 1758.

Ego Fr. Euſtachius Maria Armellini Collegii SS. Roſarii Rector, & Theologiæ Profeſſor.

Ego Fr. Amandus Maria Leoni Sac. Theologiæ Profeſſor

AU-

Digitized by Google

AUCTOR
LECTORI BENEVOLO.

EN, tibi, Lector humaniſſime, Epitomem trado Theologiæ meæ Moralis, quam plurium annorum decurſu Auditoribus meis ex obedientia dictavi; & quamquam ipſi illam optaverint ea diffuſione, qua a me initio acceperant, operæ pretium duxi, ut & mihi, & tibi, & illis tædium minuerem, hac brevi methodo poſtremo contractam, publicæ luci exhibere. Si quid utile, tibique placens inveneris, gratias luminum Patri referre memento: ſi autem forte plurima offenderis, quæ diſpliceant; excuſa ſcribentem, amicorum ſtagitationibus ſtimulisque repetitis compulſum; atque contra eorum importunitatem merito jure indignare; qui ſenem prope ſeptuagenarium a gravi debitaque mortis appropinquantis meditatione, ad Theologica Moralia compendifacienda, avocavere. Vale, & ora pro me.

LECTORI TYPOGRAPHUS

IN HUJUS OPERIS EDITIONEM, ANNI MDCCLXIII.

NON eſt, cur diu immoremur in commendanda, laudibuſque extollenda Theologia Morali, quam R. P. F. Fulgentius Cuniliati O. P. (vir pietate, moribus, ac doctrina præclariſſimus) Amicorum flagitationibus, ſtimuliſque repetitis compulſus, ad commune emolumentum, atque utilitatem publici juris fecit, poſtquam plurium luſtrorum ſpatio in Collegio Sanctiſſimi Roſarii Venetiarum ejuſdem Moralis Diſciplinæ Profeſſoris munere perfunctus eſt magno Auditorum concurſu, eorumdemque uberrimo profectu. Nam vel ſolum Ipſius nomen, quod jam ubique celebre evaſit ob alia etiam Opera tum Theologica, tum Aſcetica in lucem emiſſa, exiſtimationem, auctoritatemque ei plurimam conciliare poteſt. Et ſane quo in pretio habitum fuerit ejuſmodi opus, quantaque ejus præſtantia ſit, quiſque facile conjicere valet etiam ex eo quod intra paucos annos tertium illud prælo ſubmittere coacti fuerimus, ut undique exemplaria ipſius enixe poſcentibus obſequi foret in promptu; quamvis cum in prima, tum etiam in altera editione copioſus admodum, ingenſque horum numerus cuſus fuerit, atque impreſſus. In præſentia quoque, iiſdem ferme penitus deſtituti, novam typis noſtris adornare, publicæque committere luci Editionem adigimur, ut plurimorum votis morem gerere, atque obſecundare valeamus. Te autem monere pretium operæ ducimus, humaniſſime Lector, nos nihil eorum prætermiſiſſe, quæ ad ineundam gratiam tuam, & profectum promovendum magis opportuna viſa ſunt. Hanc quippe Tibi exhibemus a mendis, quoad fieri potuit, expurgatam, magnopere illuſtratam, pluribuſque acceſſionibus locupletatam opera, & labore Religioſi viri, qui clariſſimi Auctoris mentem, atque doctrinam optime callet, ob intimam, quam jugiter habuit cum Ipſo, dum viveret, neceſſitudinem, atque familiaritatem. Hic, etſi multis, graviſſimiſque diſtentus occupationibus, curam omnem atque ſtudium impendit in Complexionem hanc excolendam, enucleandam, amplificandamque. Etenim, ut jam indicavimus, nedum a mendis, quæ Amanuenſium præſertim incuria irrepſerant, eam repurgavit, verum etiam quæ animadverſione digna erant, ſedulo notavit; quæ obſcura, & involuta, luculentius expoſuit; quæ demum ſcitu magis & uſibus neceſſaria deſiderabantur, opportunis in locis adjecit; ita tamen, ut puri Compendii, ſicut Auctor ſibi præſtituit, limites minime tranſiliret. Uno verbo nullum non movit lapidem, nihilque intentatum reliquit, ut illam ad majorem perfectionem proveheret, atque ita foret praxi Confeſſariorum, ac difficultatibus dirimendis, extricandiſque conſcientiæ caſibus, qui ſæpe ſæpius occurrunt, utilior, aptior, atque commodior. Quare ſi tanto plauſu Theologia hæc ubi primum typis noſtris vulgata eſt, excepta fuit, in ſpem erigimur majore, aut ſaltem pari aviditate excipiendam nunc eſſe, cum majorem videatur perfectionem adepta. Verum tria adhuc præmonenda ſuperſunt, priuſquam præfari deſinamus, nempe 1. quæ alicujus momenti adjecta ſunt ſive ad illuſtrandum, ſive ad augendum opus, conſueto hoc (☞) ſigno in margine appoſito deſignari, ut ab iis, quæ Auctoris ſunt, diſcernantur; quæ vero levioris momenti inſerta fuere ad implexas præſertim quaſdam periodos explicandas, nullo eſſe peculiari ſigno diſtincta; proinde eum duntaxat deprehendere diſcrimen poſſe, qui recentem hanc cum anterioribus Editionem conferre voluerit. 2. omnia deprompta eſſe atque decerpta ex purioris, ſolidioriſque Theologiæ principiis, ex Angelico Doctore D. Thoma Aquinate, ex noviſſimis Summorum Pontificum Conſtitutionibus, ex Sacrarum Congregationum ſanctionibus, & ex ſelectiſſimis probatiſſimiſque cujuſcumque ætatis Doctoribus. Horum nomina ſemper laudantur, ut ſi quæ obiter, data occaſione, tanguntur plenius, uberiuſque tractata quis legere concupierit, illos valeat adire. Immo propria eorumdem verba plerumque exſcribuntur, ut nullus de ipſorum mente, atque ſententia ambigendi locus remaneat. 3. in omnibus deciſionibus extrema rigoris, & laxitatis declinare ſibi in animo propoſuiſſe qui ad opus hoc manus admovit. Quandoquidem, *cavenda eſt*, inquit S. Bonaventura Lib. 2. Comp. Theolog. verit. cap. 52., *conſcientia nimis larga, & nimis ſtricta. Nam prima generat præſumptionem, ſecunda deſperationem. Item prima dicit ſæpe malum bonum; ſecunda e contra bonum malum. Item prima ſalvat damnandum; ſecunda e contra damnat ſalvandum.* Hæc ſunt, de quibus, humaniſſime Lector, Te præmonere congruum cenſuimus, ut hujus novæ Editionis rationem redderemus, & quid in ea præſtitum ſit, Tibi compertum foret, exploratumque. Vale, & noſtros in favendo, ac promovendo ſanioris ethices ſtudio, quod Clericis, aliiſque viris Deo ſacris apprime neceſſarium eſt, qualeſcumque conatus æqui, bonique facias.

M. C.

Digitized by Google

MONITUM TYPOGRAPHI
IN HUJUS OPERIS EDITIONEM ANNI MDCCLXVII.

QUod ſemper in votis fuit, ut nimirum hæc *Univerſæ Theologiæ Moralis Accurata Complexio* quam ad Candidatos inſtituendos elucubravit, vulgavitque R. P. Fulgentius Cunilia-ti, Vir ſane doctrina, religione, ac pietate eximius; quamque utpote ſanioris Ethices Chriſtianæ principiis innixam, atque dilucida, compendioſa, ac ſimplici methodo, dicendique genere cujuſcumque captui obvio digeſtam pro dignitate commendari non poſſe Sapientum judicio firmatum eſt; numeris omnibus abſoluta ederetur in lucem, tandem aliquando in ſpem erigimur nos obtinuiſſe. Equidem & in poſtrema ejuſdem Operis Editione cura omnis, omniſque adhibita diligentia eſt, ut a mendis omnibus, quæ in priores Editiones irrepſerant, expurgata prodiret: at incuria & oſcitantia eorum qui typis præfuere factum eſt, ut plurimis emendatis, queis antea ſcatebat, novis aliis pluribus, iiſque magni utique momenti erratis fœdaretur; quippe vel integræ quandoque propoſitiones penitus omiſſæ ſunt; aliæ aut depravatæ, aut mutatæ, aut in alienum ſenſum detortæ; plures demum dictiones vel additæ, vel neglectæ, adeo ut textus non raro aut nullum referat ſenſum, aut ſubobſcurum, ac nonnumquam etiam ſententiam reddat Auctoris menti omnino oppoſitam, veritatique contrariam. Quum itaque Exemplarium anno jam fere prorſus diſtractorum defectus novam nunc compellat adornare Editionem (quod opera & ſtudio Religioſi Viri, qui & in priore Editione laborem ſuum contulit, perficiendum curavimus) nihil reliqui fecimus quod ad abſolutam eorum omnium correctionem pertineret; atque ita genuinus, ac legitimus Auctoris ſenſus appareret, lucemque rurſus adſpiceret. Voto res ceſſit, tibique propterea iterum, humaniſſime Lector, ingenti animi noſtri oblectatione hoc ſiſtimus Opus ab innumeris fermeerroribus, iiſque animadverſione digniſſimis expurgatum. Si quæ autem conſiderationem aliquam mereantur, & in præſenti Editione intentam oculorum noſtrorum aciem effugerint (omnia namque declinari vix, ac ne vix quidem poſſe quiſquam intelligit) ad calcem utriuſque Tomi fideliter notata, ac emendata reperies. Inſuper plures ab Auctore allatæ Scriptorum ſententiæ, Doctoriſque præſertim Angelici, quæ mutilæ, obtruncatæ, ideoque ſenſu legitimo deſtitutæ erant, moleſtiſſimo profecto labore, ac tædio cum originalibus collatæ, priſtinæ integritati, ac genuino ſenſui reſtitutæ ſunt: ne quid prætermiſſum foret, quod ad Opus ſua omni perfectione donandum conferre poſſe videretur. Ulterius identidem etiam adjecta ſunt, & ſparſim inſerta nonnulla verba, quæ ad ambiguitatem auferendam, & ad ea quæ erant minus cuique pervia declaranda conducere putabantur; ſemper tamen immutata prorſus, uti par erat, Auctoris ſententia. Plura præterea accedunt in hac noviſſima Editione additamenta ex iiſdem fontibus hauſta, ex quibus excerpta fuere, quæ in anteriore Editione vulgata ſunt; præcipue ex Angelico Doctore, & immortalis memoriæ Pontifice Benedicto XIV. quæ Opus mirifice ornant, illuſtrant, amplificant, pluraque continent, quæ Confeſſarium plane dedecet ignorare. Aliqua vero (quæ quidem pauciora ſunt) in priore Editione adjuncta, quamvis a gravibus Auctoribus mutuata, accuratius ab Editore perpenſa atque diſcuſſa, aut caſtigata fuerunt, aut clarius nitidiuſque propoſita. Quemadmodum autem quæ in præfata Editione addita ſunt, hoc ſigno (☞) indicata fuere, ut ab iis, quæ ſunt Auctoris, diſtinguerentur; ita hujus Editionis acceſſiones hoc alio ſigno (*) notantur, ut cum ab illis, tum ab iſtis diſcerni poſſint. Ne porro nimium Tomi primi moles excreſceret, minuſque alteri coæquaretur, conſultius duximus integrum Tractatum de quinque Præceptis Eccleſiæ in ſecundum Tomum rejicere. Demum (ut nil eorum, quæ ad hanc Editionem undequaque abſolvendam egimus, ſilentio prætereamus) ipſe quoque Alphabeticus Index rerum atque verborum nedum diligentiſſime eſt recognitus, & a mendoſis ac fallacibus citationibus repurgatus; verumetiam in locis pluribus, in quibus mancus apparebat, auctus, atque locupletatus. Hæc ſunt, Humaniſſime Lector, de quibus pro more monitum te volumus, ut tibi omnia innoteſcerent, quæ in hac noviſſima, quam adorti ſumus, Editione præſtitimus; & nullus dubito, quin tibi ut minimum tamquam utilia probanda ſint. Benevolo itaque animo excipe denuo Opus ſpectatiſſimis omnium ordinum viris commendatum, quod intra paucos annos pluries typis editum ſeſe publica exiſtimatione non indignum oſtendit, noſtrumque qualemcumque laborem in eo perficiendo, ornando, & augendo favore tuo, ſingularique tua humanitate complectere. Vale.

L. E.

Digitized by Google

LECTORI TYPOGRAPHUS

IN NOVISSIMAM HUJUS OPERIS EDITIONEM.

TYpis noſtris ſextum hucusque cuſam Univerſæ Theologiæ Moralis accuratam Complexionem ab eximio Viro R. A. P. Fulgentio Cuniliati Ord. Præd. exaratam, & Candidatis inſtituendis accommodatam, Tibi exhibemus, amice Lector. Quid autem præſtitum in ea ſit, Te paucis admonitum eſſe volumus. In primis ſtudium omne, omnemque operam collocavimus, ut Opus a mendis repurgaretur, ac prætermiſimus nihil, quod ad id ratione aliqua conferre poſſet. Tum vero ipſi adjicienda curavimus, quæ adhuc deſiderari in illo animadverteramus, ac præſertim Appendicem de *Suſurratione*, *Deriſione*, *&* *Maledictione*, ſeu *malorum imprecatione*; in qua ſane plura de his promuntur, & exponuntur, quæ ſcitu valde digna, & in praxi ſunt neceſſaria. Quod igitur in hac poſtrema Editione noſtra in tui utilitatem, commodumque ſuſcepimus, Lector humaniſſime, benigne excipe, eoque utere, fruere, & Vale.

INDEX TRACTATUUM, CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.

TRACTATUS PRIMUS.

De Regulis Morum.

CAPUT I. *De Regula interiori, nempe de Conſcientia.* Pag. 1.
§. I. *De Notione Conſcientiæ.* ibid.
§. II. *De Diviſione Conſcientiæ.* ibid.
§. III. *De Conſcientia errante.* 3.
§. IV. *De Conſcientia perplexa.* 6.
§. V. *De Conſcientia dubia.* ibid.
§. VI. *De Conſcientia probabili & probabiliori.* 10.
§. VII. *De Conſcientia ſcrupuloſa.* 23.
CAP. II. *De ſecunda morum regula, & quidem exteriori, nempe de Lege.* 24.
§. I. *De natura Legis, & conditionibus ad eamdem requiſitis.* ibid.
§. II. *De Legum diviſione: & primum de Lege Divina.* 26.
§. III. *De Lege Humana Naturali.* 27.
§. IV. *De Lege humana poſitiva.* 32.
§. V. *De Humanarum Legum obligatione.* ibid.
§. VI. *De materia Humanæ Legi ſubjecta.* 38.
§. VII. *De modo adimplendi legem.* 40.
§. VIII. *De iis, qui Legibus ſubjiciuntur.* 45.
§. IX. *De Ceſſatione Legis, ejuſque abrogatione.* 51.
§. X. *De Interpretatione Legis.* ibid.
§. XI. *De Diſpenſatione Legis.* 53.
§. XII. *De Conſuetudine.* 56.
§. XIII. *De Privilegiis.* 58.

TRACTATUS SECUNDUS.

De Peccatis Generatim.

CAPUT I. *De Natura, Diviſione, Diſtinctione &c. Peccatorum.* 60.
§. I. *De Peccati Natura.* ibid.
§. II. *De Peccatorum Diviſione.* ibid.
§. III. *De Diſtinctione ſpecifica Peccatorum.* 64.
§. IV. *De Diſtinctione numerica Peccatorum.* 67.
§. V. *De Peccato Mortali & Veniali.* 69.
§. VI. *De Peccato Commiſſionis, & Omiſſionis.* 74.
§. VII. *De Peccatis Internis.* 76.
CAPUT II. *De Peccatis, ſeu Vitiis Capitalibus.* 83.
§. I. *De Superbia.* ibid.
§. II. *De Avaritia.* 84.
§. III. *De Luxuria.* ibid.
§. IV. *De Ira.* 92.
§. V. *De Gula.* ibid.
§. VI. *De Invidia.* 93.
§. VII. *De Acedia.* 94.

TRACTATUS TERTIUS.

De actibus Humanis, nec non de Voluntarietate, Involuntarietate, & Moralitate eorumdem.

CAP. I. *De Actibus Humanis.* 95.
§. I. *De Natura, & Multiplicitate Actuum humanorum.* ibid.
CAP. II. *De Humanorum Actuum Voluntarietate, & Involuntarietate.* 96
§. I. *De Voluntario.* ibid.
§. II. *De Cauſis voluntarium tollentibus aut minuentibus, & primo de Violentia.* 97.
§. III. *De Metu.* ibid.
§. IV. *De Concupiſcentia, ſeu vehementi paſſione.* 100.
§. V. *De Ignorantia.* 102.
CAP. III. *De Humanorum Actuum moralitate.* 103.
§. *Unic. De natura & ſpecie Moralitatis.* ib.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI. 108.

TRACTATUS QUARTUS.

De ſpectantibus ad primum Decalogi Præceptum.

CAPUT I. *De pertinentibus ad Fidem Theologalem.* 109.

§. I.

§. I. De Natura, Diviſione, & Subjecto Fidei. ibid.
§. II. De Neceſſitate Fidei circa credenda & ſcienda. 111.
§. III. De Præcepto Actus Fidei eliciendi. 113.
§. IV. De Illicita, aut licita Fidei diſſimulatione. 117.
CAP. II. De Vitiis Fidei oppoſitis generatim. 118.
§. I. De primo vitio Fidei oppoſito, quod eſt Infidelitas; variæque explicantur Infidelitatis ſpecies. ibid.
§. II. De Communicatione cum Infidelibus. 119.
§. III. De Notione Hæreſis, & de vario modo in illam incidendi. 120.
§. IV. De Apoſtaſia. 124.
CAP. III. De Libris prohibitis. ibid.
§. Unic. De Libris Hæreticorum, ac de prohibitione tum ejuſmodi, tum alios libros afficiente. ibid.
CAP. IV. De Spe Theologali Virtute. 128.
§. Unic. De Natura, Subjecto, & Obligatione Spei. ibid.
CAP. V. De Vitiis Spei oppoſitis. 130.
§. Unicus. Recenſentur, & exponuntur vitia Spei oppoſita. ibid.
CAP. VI. De Charitate Theologali Virtute erga Deum. 131.
§. I. De Natura, & Præcepto Charitatis, & primo erga Deum. ibid.
§. II De Neceſſitate Charitatis ad merendum. 133.
CAP. VII. De Vitiis Charitati erga Deum oppoſitis. 134.
§. I. De primo vitio Charitati erga Deum oppoſito, nempe Odio Dei. ibid.
§. II. De altero vitio Charitati Dei oppoſito. 135.
CAP. VIII. De Charitate erga Proximum. ib.
§. I. De obligatione diligendi Proximum. ib.
§. II. De Ordine tenendo in dilectione Proximi. 136.
§. III. De obligatione Charitatis erga inimicos. 139.
§. IV. De modo reconciliationis ineundæ. 141.
§. V. De Correptione fraterna, ſeu de Eleemoſina ſpirituali. 142.
§. VI. De ordine in correptione a Chriſto præſcripto, inter te, & ipſum ſolum. 144.
§. VII. De Eleemoſina corporali. 148.
CAP. IX. De Vitiis Charitati proximi oppoſitis. 155.
§. I. De Diſcordia, & Contentione. ibid.
§. II. De Seditione, & Rixa. ibid.
§. III. De Schiſmate. ibid.
§. IV. De Bello. 156.
§. V. De Duello. 164.
§. VI. De Scandalo. 167.
CAP. X. De Virtute Religionis. 179.
§. I. De Religionis notione, ejuſdemque Actibus. ibid.
§. II. De Voto, cujus natura exponitur. 183.
§. III. De materia Voto idonea. 186.
§. IV. De diviſione Voti, nec non de obligatione ejuſdem. 189.
§. V. De deobligatione a Voto. 192.
CAP. XI. De aſſumptione Divini Nominis in laudem, nempe de Horis Canonicis. 202.
§. I. De Horarum Canonicarum notione, & de Perſonis huic oneri addictis: & primo quoad Chorum. ibid.
§. II. De perſolutione Horarum titulo Beneficii accepti. 204.
§. III. De modo ſervando in recitatione Horarum in Choro. 208.
§. IV. De recitatione privata. 211.
§. V. De cauſis excuſantibus a recitatione Horarum. 217.
§. VI. De reſtitutione a non recitantibus, & non canentibus in Choro, dum tenentur, facienda. 219.
CAP. XII. De Beneficiis Eccleſiaſticis. 225.
§. I. De Beneficii Eccleſiaſtici notione, variaque diviſione. ibid.
§. II. De variis modis conſequendi Beneficia. 226.
§. III. De Subjecto Beneficiorum Eccleſiaſticorum, nec non de conditionibus in eo requiſitis. 229.
§. IV. De obligationibus Nominantium, Præſentantium, Eligentium &c. ad Beneficia. 230.
§. V. De pluralitate Beneficiorum ab eodem Beneficiario poſſeſſorum. 232.
§. VI. De Beneficiariorum obligationibus. 233.
§. VII. De rationibus amittendi Beneficia, & Penſiones. 242.
CAPUT XIII. De Vitiis Religioni oppoſitis, & præcipue de Simonia. 243.
§. I. De Idololatria. ibid.
§. II. De Divinatione. 244.
§. III. De vana obſervantia. 246.
§. IV. De Magia, & Maleficio. ibid.
§. V De Tentatione Dei. 249.
§. VI. De Blaſphemia. ibid.
§. VII. De Sacrilegio. 250.
§. VIII. De Simonia. 253.
§. IX. De materia Simoniæ Juris Divini, & indiſpenſabilis. 255.

§. X.

§. X. *De Simoniæ materia Juris Eccleſiaſtici*. 261.
§. XI. *De eo, quod circa quædam Sacra eſt invendibile, tam de jure Divino, quam de jure Eccleſiaſtico reſpective* ibid.
§. XII. *De variis modis ſimoniacis jure vel Divino, vel Eccleſiaſtico, reſpective, circa Beneficia*. 266.
§. XIII. *De pœnis Eccleſiaſticis Simoniæ crimini illatis*. 275.
§. XIV. *De reſtitutione facienda ob Simoniæ delictum*. 276.

TRACTATUS QUINTUS.

De Spectantibus ad Secundum Decalogi Præceptum.

CAPUT UNICUM. *De Juramento*. 278.
§. I. *De Natura, & Diviſione juramenti: necnon de veritate ad juramentum aſſertorium requiſita*. ibid.
§. II. *De judicio ad licite jurandum requiſito*. 281.
§. III. *De juſtitia in juramento requiſita*. 282.
§. IV. *De obligatione juramenti promiſſorii*. 283.
§. V. *De Juramento ficto, & vi extorto*. 284.
§. VI. *De caſibus, in quibus Juramentum non obſtringit*. 285.
§. VII. *De caſibus, in quibus licet, aut non, petere Juramentum*. 287.
§. VIII. *De modis ſolvendi obligationem Juramenti*. 288.

TRACTATUS SEXTUS.

De ſpectantibus ad Tertium Decalogi Præceptum.

CAPUT I. *De Obſervantia hujus præcepti quoad abſtinentiam ab operibus ſervilibus*. 289.
§. I. *De Poteſtate inſtituendi, & mutandi Feſta*. ibid.
§. II. *De Perſonis, quæ tenentur Feſta ſervare*. 290.
§. III. *De operibus hoc Præcepto vetitis*. 292.
§. IV. *De Cauſis excuſantibus opera ſervilia in Feſto*. 297.
CAP. II. *De Sanctificatione Feſtorum quoad opera pia impoſita*. 299.
§. I. *De obligatione, & modo audiendi Miſſam*. ibid.
§. II. *De cauſis excuſantibus ab auditione Miſſæ*. 305.

TRACTATUS SEPTIMUS.

De ſpectantibus ad quartum Decalogi Præceptum.

CAPUT I. *De obligationibus Liberorum erga Genitores, & iſtorum erga Liberos*. 310.
§. I. *De obligationibus Filiorum erga Parentes*. ibid.
§. II. *De obligationibus Genitorum erga Liberos*. 313.
CAP. II. *De obligationibus aliarum Perſonarum, quibus incumbit reſpective aliorum curam gerere*. 317.
§. I. *De obligationibus Tutorum reſpectu Pupillorum, & Curatorum reſpectu Minorum*. ibid.
§. II. *De obligationibus Patrinorum reſpectu Filiorum Spiritualium*. ibid.
§. III. *De obligationibus Conjunctorum viciſſim*. ibid.
§. IV. *De obligationibus Herorum, & Famulorum viciſſim*. 318.
§. V. *De obligationibus Magiſtrorum, & Diſcipulorum*. 319.

TRACTATUS OCTAVUS.

De ſpectantibus ad quintum Decalogi Præceptum.

CAPUT I. *De Homicidio voluntario directo*. 320.
§. I. *De Notione, & Diviſione Homicidii*. ibid.
§. II. *De occiſione malefactorum, Peccatorum, & Tyrannorum*. ibid.
§. III. *De occiſione Innocentis*. 322.
CAP. II. *De Homicidio indirecto*. 326.
§. I. *De Homicidio patrato in defenſionem propriæ vitæ*. ibid.
§. II. *De Homicidio indirecto ob defenſionem Honoris, Famæ, Pudicitiæ*. 328.
§. III. *De occiſione invaſoris bonorum temporalium*. 330.
§. IV. *De Suicidio, & Mutilatione directis*. 332.
§. V. *De Suicidio indirecto*. 333.
§. VI. *De Homicidio caſuali*. 334.

TRA-

TRACTATUS NONUS.

De ſpectantibus ad Septimum & Decimum Decalogi Præcepta.

CAPUT I. *De Juſtitia.* 336.

§. I. *De Natura, & Diviſione Juſtitiæ.* ib.

CAP. II. *De Jure.* 340.

§. I. *De Notione & diviſione Juris* ibid.

§. II. *De Subjecto Dominii: & primo de Dominio Filiorum.* 341.

§. III. *De Dominio Uxorum.* 343.

§. IV. *De Dominio Mancipiorum* 344.

§. V. *De Objecto, ſeu materia Dominii.* 345.

§. VI. *De variis modis acquirendi juſtum Dominium: & primo per Occupationem.* 346.

§. VII. *De occupatione lignorum, & paſcuorum communium.* 348.

§. VIII. *De modo per occupationem acquirendi Dominium Theſauri ignoti.* 349.

§. IX. *De modo acquirendi Dominium per Inventionem.* 352.

§. X. *De modo acquirendi Dominium per Alluvionem.* 353.

§. XI. *De modis acquirendi Dominium per Specificationem, Acceſſionem, & Commixtionem.* 354.

§. XII. *De modo acquirendi Dominium per Inædificationem, Pictionem, Implantationem, aut Sationem, & Nativitatem.* ibid.

§. XIII. *De modo acquirendi Dominium per Præſcriptionem: ubi de Poſſeſſione, quæ eſt prima conditio ad præſcribendum requiſita; necnon de Uſufructu, & Servitute.* 355.

§. XIV. *De valore Præſcriptionis, & de caſibus a Præſcriptione immunibus.* 356.

§. XV. *De Titulo ad præſcribendum requiſito.* 358.

§. XVI. *De bona fide ad præſcribendum requiſita.* 359.

§. XVII. *De tempore ad præſcribendum requiſito.* 361.

CAP. III. *De Injuſtitia, ſeu Injuria.* 362.

§. *Unicus. De notione Injuſtitiæ, ſeu Injuriæ, ejuſdemque varia diviſione.* ibid.

CAP. IV. *De Reſtitutione generatim.* 363.

§. I. *De notione, & neceſſitate Reſtitutionis.* ibid.

§. II. *De radicibus, ex quibus oritur obligatio reſtituendi.* 364.

§. III. *De qualitate culpæ Theologicæ, ex qua oritur obligatio reſtituendi; & primo de culpæ theologicæ qualitate.* 365.

§. IV. *De obligatione reſtituendi ex culpa juridica.* 367.

CAPUT V. *De Reſtitutione in particulari; & primo circa bona temporalia.* 369.

§. I. *De Furto, & Rapina.* ibid.

§. II. *De occulta Compenſatione.* 372.

§. III. *De neceſſitate licitum reddente ſurripere aliena.* 375.

§. IV. *De eo, quod reſtituendum eſt a poſſeſſore bonæ fidei.* 377.

§. V. *De obligationibus poſſeſſoris dubiæ Fidei.* 379.

§. VI. *De obligationibus poſſeſſoris malæ Fidei.* 380.

§. VII. *De agente aliquid non ex ſe damnum inferens; ex quo tamen ſecutum fuit damnum alteri.* 383.

§. VIII. *De obligationibus impedientium alios a conſecutione bonorum temporalium.* 384.

§. IX. *De mora in reſtituendo.* 386.

§. X. *De acceptis ob motivum peccaminoſum.* 387.

§. XI. *De receptis pro actione alioquin ex debito præſtanda.* 390.

§. XII. *De concauſis damnorum proximi generatim.* 391.

§. XIII. *De Cauſis cooperantibus poſitive ad damnificationem ſingulatim.* 393.

§. XIV. *De tribus aliis cauſis negativis ſingulatim.* 396.

§. XV. *De ordine in reſtitutione ab iſtis concauſis obſervando.* 397.

§. XVI. *De circumſtantiis obſervandis in reſtitutione bonorum temporalium; & primo quoad perſonas, quoad Tempus, & quoad locum.* 399.

§. XVII. *De ordine in reſtitutione bonorum temporalium obſervando.* 403.

§. XVIII. *De motivis excuſantibus a reſtitutione bonorum temporalium; & de reſtitutionis dilatione.* 405.

CAP. VI. *De reſtitutione in particulari; & primo ob damna Honeſtatis.* 408.

§. I. *De obligationibus defloratoris injuſti.* ibid.

§. II. *De reſtitutione propter adulterium* 411.

CAP. VII. *De reſtitutione propter damna civilia Famæ, & Honoris.* 413.

§. I. *De variis modis lædendi famam, & honorem, nonnullæque regulæ proponuntur.* ibid.

§. II. *De qualitate peccati temere dubitandi, ſuſpicandi, opinandi, & judicandi.* 414.

§. III. *De Detractione famæ proximi facta per verba.* 417.

§. IV. *De publicitate criminum excuſante a*

te a detractione gravi. 419.

§. V. *De neceſſitate excuſante detractionem*. 422.

§. VI. *De cuſtodiendo ſigillo naturali & de legentibus alienas Epiſtolas*. ibid.

§. VII. *De audiente detractorem*. 424.

§. VIII. *De obligatione, & modo reſtituendi famam*. 425.

§. IX. *De cauſis excuſantibus a præſata reſtitutione*. 426.

CAP. VIII. *De reſtitutione ob damna vitæ illata*. 428.

§. I. *De reſtitutione ob damna illata vitæ & corpori*. ibid.

§. II. *De cauſis excuſantibus a reſtitutione propter homicidium, vulnerationem &c.* 431.

TRACTATUS DECIMUS.

De Contractibus in genere, & in ſpecie.

CAP. I. *De Contractibus generatim*. 432.

§. I. *De natura, & multiplicitate Contractus*. ibid.

§. II. *De voluntate, & qualitate aſſenſus requiſiti ad contrahendum*. 434.

§. III. *De materia, & obligatione contractus, necnon de perſona ad contrahendum idonea*. 437.

§. IV. *De Solemnitatibus quorundam Contractuum a jure præſcriptis*. 438.

CAP. II. *De Contractibus in ſpecie, & primo de promiſſionis contractu*. 439.

§. I. *De Promiſſione liberali, ejuſque affectionibus*. ibid.

§. II. *De ceſſatione obligationis in promiſſione, necnon de Irritatione ejuſdem*. 441

CAP. III. *De Contractu Donationis*. ibid.

§. I. *De Natura, Varietate, & Valore Donationis*. ibid.

§. II. *De Donatore, & Donatario, præcipue Conjugibus*. 443.

§. III. *De Donationibus Genitorum, & Filiorum*. 445.

§. IV. *De Donationis materia*. 446.

§. V. *De revocatione Donationis*. 447.

CAP. III. *De Contractu Teſtamenti*. 449.

§. I. *De natura & diviſione Teſtamenti*. ib.

§. II. *De obligatione Teſtamenti*. 450.

§. III. *De Codicillo, & Legato*. 453.

§. IV. *De Perſonis Inſtitutoris, & Hæredis*. 455.

§. V. *De Conſiliario Teſtatoris*. 458.

§. VI. *De executore Teſtamenti*. ibid.

§. VII. *De Commiſſario Teſtamenti*. 459.

§. VIII. *De Renunciatione, & Ceſſatione hæreditatis*. 460.

CAP. IV. *De Contractu Mutui, & de Uſura*. ibid.

§. I. *De natura mutui, & de obligationibus hujus contractus*. ibid.

§. II. *De Titulis exigendi in mutuo aliquid ſupra ſortem*. 462.

§. III. *De Uſuræ natura & diviſione*. 465.

§. IV. *De Uſura recti manifeſta*. 467.

§. V. *De Uſura palliata*. 468.

§. VI. *De Montibus Pietatis*. 470.

§. VII. *De petendo mutuo ab Uſurario, & de aliis modis cooperandi eidem*. ib.

§. VIII. *De reſtitutione Uſurarum facienda*. 471.

§. IX. *De Pœnis Uſurariorum*. 472.

CAP. V. *De Contractu Societatis*. 475.

§. I. *De Natura, & obligationibus Societatis*. ibid.

§. II. *De Contractu trium contractuum*. 476

CAP. VI. *De Contractu Cambii*. 479.

§. I. *De natura, diviſione, & juſtitia Cambii*. ibid.

§. II. *De Cambio manuali, ſeu minuto*. 481.

§. III. *De Cambio locali, ſeu per litteras*. 482.

CAP. VII. *De Contractu Cenſus*. 484.

§. I. *De natura & varietate Cenſuum*. ib.

§. II. *De Juſtitia naturali Cenſuum realium*. 485.

§. III. *De Juſtitia naturali Cenſus perſonalis*. 486.

§. IV. *De nonnullis difficultatibus, quæ paſſim occurrunt circa Cenſus*. 488.

§. V. *De Cenſu, ſpectato jure Eccleſiaſtico*. 489.

CAP. VIII. *De Contractu Venditionis, & Emptionis*. 490.

§. I. *Differitur de natura, & perfectione hujus Contractus*. ibid.

§. II. *De materia vendibili, necnon de perſona ad vendendum habili*. 492.

§. III. *De Perſonis, quibus vetitum eſt negotiari*. ibid.

§. IV. *De juſto rerum pretio*. 495.

§. V. *De pretio taxato ex Monopolio*. 499.

§. VI. *De obligationibus Venditoris*. 502.

§. VII. *De obligationibus Emptoris*. 504.

§. VIII. *De fructibus, & periculis rei venditæ*. 505.

§. IX. *De pactis Venditioni, & Emptioni adjectis, necnon de debito pro Evictione*. 506.

§. X. *De Commiſſario Venditoris, & Emptoris*. 509.

CAP. IX. *De Contractu Locationis, & Conductionis*. 510.

§. I. De

§. I. De natura hujus Contractus. ibid.
§. II. De diſſolutione Locationis, ejuſque prorogatione. 511.
§. III. De Demiſſione, Augmento, & Diminutione Penſionis pro re locata. 512.
§. IV. De nonnullis obligationibus Locatoris, & Conductoris. 514.
CAP. X. De Contractibus Emphytheuſis, & Feudi. 516.
§. I. De natura, & obligationibus Emphyteuſis. ibid.
§. II. De Feudo, quatenus ſpectat ad forum morale. 517.
CAP. XI. De Contractibus Ludi, & Sortis. 518.
§. I. De notione Ludi liciti, & de Ludi materia. ibid.
§. II. De Locis Ludodicatis, & de Perſonis Ludo operam dantibus. ibid.
§. III. De modis ludendi illicitis. 520.
§. IV. De reſtitutione facienda ab injuſte ludente. 522.
§. V. De ſpectantibus ad Contractum Sortis. ibid.
CAP. XII. De Contractibus Sponſionis, & Aſſecurationis. 524.
§. I. De ſpectantibus ad Sponſionem. ibid.
§. II. De ſpectantibus ad Aſſecurationem. 526.
CAP. XIII. De contractibus Fidejuſſionis, pignoris, & Hypothecæ. 527.
§. I. De ſpectantibus ad Fidejuſſorem. ibid.
§. II. De notione, & diviſione Pignoris, & Hypothecæ. 528.
§. III. De obligationibus Oppignorantis, & Hypothecantis. ibid.
§. IV. De obligationibus creditoris, cui datum eſt pignus, vel facta Hypotheca. 529.
CAP. XIV. De Contractibus Depoſiti, & exinde Sequeſtri, Commodati, Precarii, & Mandati. 530.
§. I. De ſpectantibus ad contractus depoſiti, & Sequeſtri. ibid.
§. II. De ſpectantibus ad Contractus Commodati, & Precarii. 532.
§. III. De Contractu Mandati. 533.

TRACTATUS UNDECIMUS.

In octavum Decalogi Præceptum.

CAPUT UNICUM. De obligationibus Perſonarum ad legale judicium requiſitarum. 534.
§. I. De ſpectantibus ad perſonam Judicis. ibid.
§. II. De ſpectantibus ad accuſatorem. 537.
§. III. De ſpectantibus ad Reum. 539.
§. IV. De ſpectantibus ad Teſtes. 542.
§. V. De ſpectantibus ad Advocatum, atque ad alios miniſtros. 546.

TRA-

TRACTATUS PRIMUS DE REGULIS MORUM.

CAPUT PRIMUM.

De Regula interiori nempe de Conſcientia.

§. I. *De Notione Conſcientiæ.*

Quid ſit Conſcientia.

I. CUM mores proprie dicantur humani juxta S. Ambroſii obſervationem in præf. in Luc.; morum nomine actiones ſignificantur, quæ ab homine, humano, deliberatoque modo operante, proficiſcuntur. Harum duæ ſunt regulæ, interior una, altera exterior; prima eſt Conſcientia hominis deliberate operantis; ſecunda eſt Lex, hominis deliberate operantis exterior directrix.

II. Nemo ambigit, primam, univerſalemque morum regulam eſſe legem æternam, Divinam ſcilicet mentem, omnis rectitudinis indefectibile exemplar; & quemadmodum ex conformitate ad hanc regulam, cunctarum creaturæ operationum rectitudo comprobatur; ita ex deficientia ab eadem, omnis inordinatio. Hanc æternam legem in unoquoque homine in hunc mundum moraliter veniente ab omnipotenti manu ſignatam fuiſſe, teſtis eſt Regius Propheta, ipſaque in rationis uſu effulget, quatenus rectum ab obliquo, juſtum a pravo, bonum a malo diſcernitur. Erit igitur lex æterna prima quidem morum regula, ſed remota: propior autem, eſt lumen rationis; at nondum proxima interior hominis: quippe quod lumen rationis cognoſcat quidem per habitum ſyndereſis veritates, ex quibus inferatur quid agendum ſit, quid rejiciendum; attamen niſi quodam ſyllogiſmo practico hæ veritates conſtruantur, in cujus conſequenia, quid reapſe agendum ſit, concludatur, nunquam habebitur regula proxima humanarum operationum directrix; deducta autem conſequentia, nihil deerit, quominus immediata, & omnino proxima habeatur humanæ operationis regula: v. g. Dum quis tentatur ad furtum, nulla docente dialectica, temporis inſtanti, hunc format ſyllogiſmum practicum: malum & peccatum non eſt committendum; nunc furari eſt peccatum: ergo nunc furtum non eſt perpetrandum; hæc conſequentia eſt regula interior proxima, retrahens a furto: & ecce regula, de qua in præſentiarum dicturi ſumus, nempe Conſcientia; quæ propterea definitur, juxta ea, quæ tradit S. Th. 1. p. q. 79. a. 13. dictamen actuale rationis practicæ, oſtendens quid hic, & nunc agendum ſit, vel omittendum.

§. II. *De Diviſione Conſcientiæ.*

Diviſio Conſcientiæ reſpective ad tempus.

I. EX his, Conſcientia primo dividitur, reſpective ad tempus, in Antecedentem, & conſequentem. Antecedens dictat quid agendum ſit, antequam agatur, & de hac diſſerimus in præſenti: Conſequens dictat quid egimus, ex qua conſolamur, aut triſtamur: & de hac modo nil ad nos.

Diviſio Conſc-

II. Reſpective ad vinculum, dividitur

entiæ reſpective ad vinculum.

Conſcientia in Præcipientem, quando dictat aliquid agendum ſub præcepto: in Conſulentem, quando dictat aliquid agendum ex conſilio, & in Permittentem, quando dictat aliquid neque prohiberi, neque præcipi, ſed permitti.

Diviſio Conſcientiæ reſpective ad objectum.

III. Reſpective ad objectum, dividitur in Rectam, & Erroneam: Recta dictat aliquid licitum aut illicitum, quod reapſe tale eſt: Erronea dictat aliquid licitum, vel illicitum, quod revera tale non eſt. Subdividitur in erroneam invincibiliter, & in erroneam vincibiliter: prima eſt illa, cujus error nulla morali diligentia tolli potuit, & idcirco culpa vacat: ſecunda illa eſt, cujus error morali diligentia tolli potuit, & debuit; & idcirco culpabilis eſt. Erronea vincibiliter ſubdividitur in Errantem ex ignorantia craſſa, aut ſupina, & in Errantem ex ignorantia affectata: prima procedit ex notabili negligentia addiſcendi ea, quæ quis ſcire tenetur; ita ut nullam, aut fere nullam diligentiam adhibuerit: ſecunda, quando quis data opera ignorat ea, quæ ſcire tenetur, vel ob tædium in addiſcendo; vel quia ex arrogantia renuit ab aliis edoceri; vel ne compellatur reſipiſcere, vel ne, peccando, conſcientiæ ſtimulum patiatur; ita ut dubia, quæ ſibi prudenter creantur, neque ſtudio, neque conſilio, ſed ſolo genio, & proprio judicio reſolvere eligat.

Diviſio Conſcientiæ reſpectu ad actum.

IV. Reſpective ad actum, dividitur Conſcientia in Certam, Perplexam, Dubiam, Probabilem, Probabiliorem, Scrupuloſam. Certa dictat aliquid agendum, vel omittendum abſque ulla formidine; & hujuſmodi eſſe poteſt tam conſcientia recta, quam errans. Perplexa dictat peccatum in utroque extremo, nempe ſive agatur, ſive non. Dubia ſeu dubio affecta ſuſpenſionem judicii importat inter utrumque extremum neutri parti aſſentiendo, aut diſſentiendo. Si autem in alterutram partem propendeat, nondum tamen aſſentiendo, dicetur ſuſpicio; ſi vero propendeat, etiam aſſenſum cum magna formidine præbendo, erit Opinio. Probabilis dictat ex gravi fundamento aliquid agendum, vel omittendum, tamen cum rationabili formidine de oppoſito. Probabilior dictat id, quod ſibi videtur eſſe rationi magis conforme, relicto eo, quod ſibi apparet minus conforme; videlicet quæ, quando verum manifeſte haberi non poteſt, dictat, illud eſſe eligendum, quod magis ad verum accedere ſibi ſuadet, eo prætermiſſo, quod longius a vero diſtare ſibi videtur, quamvis cum aliqua formidine. Scrupuloſa denique illa eſt, quæ dictat unum extremum, ſed formidat, & angitur ex levibus motivis, illud ſequendo.

Obſervatio prima.

V. Non itaque confundas Conſcientiam ſcrupuloſam cum Opinante; iſta namque formidat ex gravi motivo; illa vero ex levi: neque Dubiam cum Suſpicioſa; illa enim in nullam partem inclinat, ſed hæret inter utramque; iſta vero propendit potius ad unam, quam ad alteram, quamvis nulli aſſentiatur.

Obſervatio altera.

VI. Similiter neque confundas Conſcientiam Veram cum Recta; non enim ſemper in idem coincidunt; cum aliquando eveniat, veram eſſe, ſed non Rectam; ut cum Judex verum malefactorem punit, non habitis requiſitis probationibus; eſt Conſcientia vera, quia reapſe objecto conformis, ſed non Recta, immo mala, quia præterit Ordinem juris, qui obſervandus erat.

Obligatio Conſcientiæ.

VII. Cum autem rectitudo conſcientiæ (quæ eſt, ut indicavi rectitudo intellectus practice dictantis quid agendum ſit) *accipiatur*, juxta S. Th. 1. 2. q. 57. a. 5. ad 3. *per conformitatem ad appetitum rectum*, quæ appetitus rectitudo deſumitur *ex intentione debiti finis*, ut explicat idem S. Doctor q. 19. a. 3. ad 2. hinc ſequitur, quod Conſcientia Recta præcipiens (nam de conſulente modo non loquimur) obligat ita, ut qui contra illam agit, peccet graviter, vel leviter pro ratione materiæ, juxta illud celebre D. Pauli Rom. 14. *Quod non eſt ex fide peccatum eſt*; quæ verba, poſt communem Patrum intelligentiam, ita exponit S. Doctor q. 17. de Veritate a. 3. *Vult Apoſtolus, ut nihil dicam vel cogitem, nihil agam, niſi ſecundum conſcientiam*. Siquidem ageretur contra immediatam rectitudinis regulam, quæ, ut indicavimus, participatio quædam eſt ſupremæ, Divinæque Regulæ totius honeſtatis.

Operans ex Conſcientia dictante eſſe malum in confuſo.

VIII. Quid dicendum, ſi quis ageret contra Conſcientiam Rectam, dictantem: quod talis actio ſit peccatum in genere tantum, & in confuſo? Probabilior, cum Vaſquez diſp. 59. c. 3. aliiſque multis, reſpondet, quod ita agens lethaliter peccaret: qui enim vult malum, ignorando ipſius gravitatem, vult illud tale quale eſt; non enim excludit ab eodem gravita-

tem

tem, ſit inſit; ſi enim excluderet, jam receditur a caſu propoſito; igitur vult illam malitiam, qualis eſt: ergo eſt diſpoſitus animo illam volendi tametſi gravem.

Ad hanc declarandam Auctoris Doctrinam hæc adjicere præſtat. Qui agit contra conſcientiam dictantem aliquid eſſe peccatum generatim, non determinando utrum ſit veniale an mortale, vel apprehendit illud ſaltem confuſe velut aliquid grave malum, & tunc dubio procul peccatum mortale committit; vel tanquam leve tantum, & tunc veniale duntaxat peccatum perpetrat; niſi tamen gravioris peccati periculum appareat. Si quis vero inter agendum ſit ita conſtitutus, ut abſolute velit agere, ſive de gravi agatur, ſive non, lethaliter delinquit. Si autem ſit ita diſpoſitus, ſicut quilibet probus, & integræ ſeu bene moratæ conſcientiæ cenſeri debet, ut ſi dubium proprie tale occurreret, quod poſſet eſſe mortale id, quod agit, nequaquam illud committere vellet, excuſatur a lethali, quia ex illa diſpoſitione habituali præſumitur illud, quod agit, non apprehendere practice ut lethale. Vide Sylvium *in* 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. *q.* 3. *concl.* 3. Carolum Renatum Billuart. *Tom.* 4. *Diſſert.* 5. *art.* 3. & P. Paulum a Lugduno *Tract.* 1. *Diſſert.* 4. *de Conſcient. quæſt.* 2. *quær.* 2.

§. III. *De Conſcientia Errante.*

Operans ex Conſcientia Errante.

I. Contra Conſcientiam nedum invincibiliter, ſed etiam vincibiliter errantem agere non licet, ut docet S. Th. 1. 2. q. 19. art. 5. quia voluntas tenetur ſequi ductum rationis, quid ſit agendum, dictantis; quocunque igitur modo erret ratio dictans, non licebit voluntati contra dictamen agere. Etenim quando voluntas peccat, non ſe conformando Conſcientiæ rectæ, non ideo peccat, quia diſſentiat a Conſcientia recta, ſed quia diſſentit a Conſcientia, & operatur *non ex fide*, ut ajebat Paulus; quocunque ergo modo erret ratio dictans, numquam licebit operari contra dictamen. Nec inde ſequitur, quod Conſcientia obligaret contra legem Dei; id namque verum non eſt, quando lex cognoſcitur, quando autem ignoratur, obligat contra hanc legem Dei ignoratam, & obedit legi Dei cognitæ, & præcipienti, numquam eſſe agendum contra Conſcientiam. Neque opponas, quod ſequens dictamen Conſcientiæ vincibiliter errantis inveniretur in peccandi neceſſitate; cum peccet tam ſequendo illam, quia error eſt vincibilis, quam contra illam agendo, quia non licet contra Conſcientiam agere. Reſpondetur enim concedendo, quod peccet neceſſario, non neceſſitate abſoluta, ſed ex ſuppoſitione, & per accidens, ratione Conſcientiæ vincibilis: ab hac itaque neceſſitate ſe liberare, in ſui arbitrio eſt, excutiendo negligentiam, & torporem in addiſcendis his, quæ ſcire tenetur; & exinde diſpellat ignorantiam vincibilem, & culpabilem.

Diverſus obligandi modus Conſcient. Errantis.

II. Diverſimode igitur obligat ad agendum Conſcientia errans invincibiliter, ab errante vincibiliter: prima enim obſtringit, ut ipſi obediatur; cum error, quia invincibilis, expelli nequiverit: at ſecunda obligat primo ad errorem diſpellendum, qui, utpote vincibilis, expelli debet, & poteſt, adhibito ſtudio, conſilio &c. ex ſuppoſitione autem quod non diſpellatur, obligat per accidens, ut ubi quoque obediatur, ob hactenus dicta. Hinc apparet gravius peccare, attento peccandi modo, qui agit contra Conſcientiam vincibiliter errantem, quam qui illam ſequitur; eo quod agens contra illam, magis voluntarie peccet; illam autem ſequendo, minus voluntarie: cum ignorantia non affectata ſemper voluntarium minuat, ex D. Thoma. Si autem attendatur non ad peccandi modum, ſed ad gravitatem materiæ, quandoque erit gravius peccatum illam ſequi, quam contra illam ire; eo quia obligatio Conſcientiæ eadem eſt ac obligatio præcepti apprehenſi, & putati, quandoque autem levius eſt præceptum putatum, quam præceptum de ſequenda Conſcientia: v. g. dum quis putat ſe teneri ad Sacrum audiendum potius quam ad aſſiſtendum extreme indigenti ſuo ſubſidio; igitur contra Conſcientiam aſſiſtens huic indigenti minus peccabit, quam ſequendo illam, illum dimittendo.

Obſervandum.

III. Tu forte inferes, & quidem male: igitur ſi Conſcientia Erronea dictet: v.g. eſſe dumtaxat veniale jurare falſum in aliqua neceſſitate, jurans falſum in neceſſitate, peccabit ſolum venialiter. Id male deducis, ſi Conſcientia Erronea ſit vincibilis; & jurans ille adhuc peccabit mortaliter; eo quod error Conſcientiæ, quia vincibilis, ſit volitus in negligentia non addiſcendi illa, quæ errans vincibi-

Digitized by Google

ſiter ſcire tenetur : ſi autem Conſcientia Erronea eſſet invincibilis, bene deducis; quia inculpabiliter putat, eſſe tantum veniale.

Agens contra Conſcientiam Errantem ex impotentia phyſica.

IV. Si interroges : peccabit igitur lethaliter ille, qui ex Conſcientia vincibiliter errante putat, ſe teneri ad opus, quod phyſice exequi non poteſt; v. g. audire Sacrum, dum eſt carceri mancipatus? Reſpondeo, non peccare lethaliter omittendo Sacrum; quandoquidem omiſſio non eſt voluntaria, neque dictamen illud erroneum eſt cauſa peccati; eo quod non applicetur ad omiſſionem Sacri, quæ omiſſio non procedit a voluntate eligente diſcordare a dictamine Conſcientiæ, ſed ab impedimentis extrinſecis, quæ non ſubſunt liberæ diſpoſitioni omittentis; & propterea dictamen illud dicitur falſum ſpeculative, non practice, quia non influens in omiſſionem Miſſæ.

Quomodo agendum contra conſcientiam erroneam.

V. Laborans Conſcientia Errante vincibiliter, non poteſt licite contra illam agere, niſi inducatur motivo aliquo urgentiori, elidente motivum, a quo fuit error inductus : ſi enim, nullo adhibito motivo, illam deponat, temere agit, ut patet : ſi autem utatur motivo aut inferiori, aut æquali, adhuc agendo temere agit, quia motivum minus urgens non elidit motivum, ex quo inductus fuit error; motivum autem æquale inducit dubium; agere autem cum Conſcientia practice dubia, eſt, ut videbimus, male agere; eo quod agens ſe exponat peccandi periculo: debebit igitur motivum errorem diſpellens, eſſe validius. Diligentia porro adhibenda ad errorem vincibilem deponendum, debebit eſſe talis, quæ cenſeatur prudenter ſufficiens, attenta conditione perſonæ, & qualitate materiæ : quapropter major diligentia requiritur in viro, qui aut ſtudere, aut circumire poteſt ad inveniendos conſiliarios, quam in fœmina; major in fœmina annoſa, quam in adoleſcentula, quam in moniali &c. Major item requiritur diligentia, dum agitur circa materiam in damnum tertii reſultantem, quam circa materiam ſpectantem ad ſolum operantem &c.

Operans ex Conſcientia erronea vincibili ſemper male agit;

IV. Ex dictis inferas, nunquam fieri poſſe, ut agens ex Conſcientia Erronea vincibili, bene agat: eo quod operetur ex radice culpabili; quia error vincibilis & debuit & potuit tolli. Agens autem ex Conſcientia Erronea invincibili, probabilius nobis videtur, quod poſſit bene, honeſte, & prudenter agere, & ſi adſint requiſita, etiam meritorie. Tum quia operatur prudenter, alioquin error eſſet vincibilis, & non invincibilis; quandoquidem agit eo modo, quo prudentia dictat, in talibus circumſtantiis agendum eſſe : actio autem prudens eſt bona; & ſi dirigatur in Deum ab habente gratiam, etiam eſt meritoria. Do exempla : Paulus falſis chyrographis ſe manifeſtat creditorem Petri, quam falſitatem Petrus elidere non potuit; debitum, invincibiliter putatum verum, ſolvit Petrus; & hic non erit actus juſtitiæ? Cœlius erogat eleemoſinam pauperi prudenter habito tali, cum alioquin ſit occultiſſimus & egregius ſimulator; & Cælius non eliciet actum miſericordiæ? & alia ſexcenta : poſito item quod hæ actiones dirigantur ad Deum in ſtatu gratiæ; non erunt meritoriæ? Præterea ſi præfati contrarium agant, Petrus nolit ſolvere debitum, Cælius neget eleemoſinam, quam poteſt, & Conſcientia dictat erogandam; imprudenter agunt, & male; cur igitur ſolvendo, & erogando non agent prudenter, honeſte, & meritorie? Actio illa, juxta omnes Divi Thomæ aſſeclas, (nam contra nonnullos eorum modo loquimur) nequit eſſe indifferens in individuo: igitur formaliter aut bona, aut mala: mala neutiquam, ut nemo non videt; ergo bona; ergo illius virtutis, cujus eſt actus. Demum, juxta doctrinam S. Th. (quam ſuſtinemus in Tract. 8. cap. 1. §. 3. nu. 3. & 4.) Judex, qui nullo modo ſe ſubtrahere poteſt a proferenda ſententia, tenetur ſub gravi illam proferre contra illum, qui juridice probatus fuit reus capitis, & quem notitia privata certiſſime novit eſſe innocentem, ad hoc ut eliciat actum juſtitiæ vindicativæ: & hoc non aliunde, niſi quia prudentia dictat, ita eſſe agendum, ob graviſſima motiva, quæ loco citato afferuntur; cum alioquin mors innocentis non ſit objectum memoratæ juſtitiæ: & exinde clarius inferatur, quomodo objectum Prudentiæ ſit verum, quoad ſui materialitatem, contingens; quamvis formaliter in eſſe prudentialis, ſemper ſit verum.

agens autem ex erronea invincibili poteſt bene, & honeſte agere.

Reſolvitur Objectio.

VII. Ne autem illaqueeris ratione ab adverſariis objecta, nempe quod virtus nunquam prætergrediatur propria confinia, propriamque materiam; diſtinguas neceſſe eſt inter virtutes afficientes intellectum ſeu rationem ſpeculativam, & virtutes afficientes rationem practicam, ſeu intellectum pra-

Digitized by Google

practicum, aut appetitum: illarum objectum, ſeu materia, eſt veritas ſpeculativa, quæ aut talis eſt, aut non; & propterea ſi objectum tale non ſit, veritas profecto haberi non poteſt; & hæ nunquam prætergrediuntur materiam propriam; quia illam poſtulant ut revera eſt in ſe. At virtus afficiens rationem practicam, qualis eſt Prudentia, necnon virtutes affectivæ, quæ in objectum tendunt a Prudentia propoſitum, tendunt quidem in verum, ſed in verum practicum, quod tale eſt formaliter, quamvis aliquando materialiter & in ſe tale non ſit. Quando enim circumſtantiæ diligenter examinatæ valent inducere ad prudenter judicandum, quod certo moraliter adſit objectum virtutis, adeſt quantum ſufficit ad terminandum actum virtutis moralis; quia ſubeſt judicio prudentiæ, quæ eſt recta ratio agibilium: & quia non raro evenire poteſt, quod objectum materialiter revera non adſit, quod tamen adeſſe poſt mature perpenſas rei circumſtantias, prudentia dictet: idcirco virtus exit quidem confinia propriæ materiæ materialiter talis, ſed non exit confinia materiæ formaliter talis; quia materia formaliter talis harum virtutum, non eſt niſi materia a prudentia judicata talis: unde veritas, quæ eſt Prudentiæ objectum, non eſt ſicut veritas ſpeculativa, quæ aut eſt, aut non eſt in ſe talis; ſed eſt veritas exequenda, & practica, ſeu quodammodo contingens in ſe, & materialiter; quamvis ſemper talis formaliter, quia a circumſtantiis mature perpenſis manifeſtatur talis, ut explicui in duobus exemplis allatis. Et quemadmodum in caſu, quo objectum virtutis revera adſit, puta verus pauper reſpectu miſericordiæ, ſi circumſtantiæ mature examinatæ illum talem non oſtendant, imprudenter eleemoſina erogatur; ita quando objectum revera non adeſt, ſi a circumſtantiis perpenſis tale demonſtretur, prudenter eleemoſina erogatur, ac proinde actus veræ miſericordiæ elicitur.

Excuſari a peccato qui opus aliquod intrinſecus, ſeu ex objecto & natura ſua malum peragit, exiſtimans ex conſcientia invincibiliter erronea eſſe bonum, puta qui contractum init revera uſurarium, quem ex conſcientia invincibiliter erronea juſtum credit, fatentur omnes, idque clarum eſt, compertumque ex propoſitione ab Alexandro VIII. proſcripta, quæ eſt ſecunda inter eas, quas damnavit die 7. Decembris 1690. At difficultas excitatur, & ſub examen inducitur a Theologis, num hic non ſolum ſit a culpa immunis, verum etiam opus bonum exerceat, & mereatur. Circa hoc magna fervet inter illos diſceptatio, ac in duas oppoſitas abeunt ipſi opiniones. Plures, quibus etiam nonnulli D. Thomæ diſcipuli adhærent, partem ajentem propugnant, aſſeruntque eum, qui opus aliquod intrinſece malum perpetrat, putans ex conſcientia invincibiliter erronea eſſe bonum, non modo culpæ expertem eſſe, ſed & actum virtutis exercere, & mereri, ſi cæteræ non deſint requiſitæ ad meritum conditiones. *Quare ſi hac conſcientia*, inquit Thomas Sanchez *de Præcept. Decal. Tom.1. Lib. 1. cap. 11. n. 17. quis judicet ſe ad mentiendum teneri, ut proximo ſubveniat, mentiri tunc erit actus bonus virtutis miſericordiæ*. Alii vero non pauci, & quidem magni nominis partem negantem ſuſtinent, ſentiuntque, eum utique formalis malitiæ reum non eſſe, qui opus aliquod natura ſua malum efficit, autumans ex conſcientia invincibiliter erronea, illud eſſe bonum; at ipſum actum virtutis edere & mereri, ſeu opus conficere bonitate & merito præditum, inficiantur. Et huic ſententiæ utroque pollice ſubſcribendum cenſemus, utpote quæ menti D. Thomæ omnino conſona nobis apparet. Quippe S. D. 1. 2. *q.* 19. *art.*3. *&* 4. docet, voluntatis bonitatem non ſolum a ratione, ſed etiam, imo multo magis ex æterna lege pendere; ideoque ſi actio æternæ legi contraria ſit, etiamſi rationi erranti ſit conſentanea, bonam eſſe non poſſe. *Et art. 6. ad 1.* hæc habet: *Dicendum quod ſicut Dion. dicit in 4. c. de Div. nom. Bonum cauſatur ex integra cauſa; malum autem ex ſingularibus defectibus; & ideo ad hoc quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, ſufficit ſive quod ſecundum ſuam naturam ſit malum, ſive quod apprehendatur ut malum; ſed ad hoc quod ſit bonum, requiritur quod utroque modo ſit bonum.* Hæc ſane verba decretoria ſunt, ſi attento animo & præjudiciis vacuo perpendantur. Quare immerito adverſæ opinionis Patroni S. Thomam ſibi favere arbitrantur, cum a nobis ſtare ex adductis textibus, aliiſque, quos ad prolixitatem vitandam prætermittimus, palam ſit ac evidens. Neque hinc ullum præjudicium ſubit ſententia aſſerens non dari opus indifferens in individuo. Nam qui ſuſtinent non dari opus indifferens in individuo, ſer-

ſermonem habent de opere deliberato, cujuſmodi profecto non eſt opus a conſcientia invincibiliter erronea directum. Qui hac de re plenius inſtrui cupit conſulat Chriſtophorum a S. Joſeph. de Regulis Morum *Quæſt. IV. Art. XII.* Em. Gotti *Tom. I. in I. 2. Quæſt. 4. Dub. 4. §. 2.* & patrem Danielem Concina, *Tom. 2. Lib. 2. De Conſcient. Diſſert. I. cap. 5.* qui aliis pluribus validiſſimis argumentis eamdem ſententiam confirmant, ac contrariam opinationem a fundamentis evertunt.

§. IV. *De Conſcientia Perplexa.*

Quid agendum ab habente Conſcientiam perplexam vincibiliter?

I. CUM Conſcientia perplexa illa ſit, quæ peccatum tibi dictat quamlibet partem eligas, ſive agas, ſive ab agendo abſtineas; idcirco ſi perplexitas ſit vincibilis, teneris diligentia uti ad perplexitatem deponendam quandoquidem teneris peccatum vitare, cui illidis, ductus neceſſitate ſaltem virtualiter volita in ſua cauſa, quæ eſt ignorantia vincibilis.

Qui ab habente illam invincibiliter?

II. Si perplexitas ſit ex ignorantia invincibili, & nequeas actionem ſuſpendere, aut illam differre, donec conſilium petas, tunc teneris eligere, id quod tibi coram Deo videtur minus malum; quia reapſe facis quantum potes in tali neceſſitate, nec peccas. Si vero ex utraque parte æquale malum appareat, & neceſſitas agere compellat, tunc, ut coram Deo te a peccato immunem reddas, eam partem eligas, quæ minus ſenſualitati favet; aliter convinceretis, te omnem diligentiam non præſtitiſſe.

Qui conſcientia perplexa invincibili laborat, utique, ſi eam deponere nequeat, peccatum vitat eligendo quod eſt minus malum, ſeu quod ſibi minus malum apparet. At quid dicendum, ſi eligat id quod apparet majus malum? In tali caſu peccat ille ſecundum quantitatem exceſſus, quia hunc exceſſum libere eligit. Sic P. Antoine Tract. *de conſcient. cap. I. q. 4.* qui ſubdit, quod ſi utraque pars appareat æque mala non peccat qui alterutram eligit, quia caret libertate ad peccandum, ut ei peccatum imputari queat. Optime tamen monet Auctor, quod tunc unuſquiſque debeat eligere eam partem, quæ minus ſenſualitati favet, ut coram Deo ſe reddat a peccato immunem.

§. V. *De Conſcientia Dubia.*

Quid ſit Conſcientia Dubia?

I. CONſcientiam Dubiam, ſeu dubitationem tunc evenire *proprie, & ſtricte, quando rationes ſunt æque ponderantes ad utramque partem æqualiter, aut quaſi æqualiter moventes*, ait S. Antoninus I. p. tit. 3. cap. 10. §. 10. Idque egregie multo ante explicaverat S. Th. 3. Metaph. cap. I. *Dubitatio de aliqua re hoc modo ſe habet ad mentem, ſicut vinculum corporale ad corpus, & eundem effectum demonſtrat .... Inquantum aliquis dubitat, intantum patitur aliquid ſimile iis, qui ſunt ſtricte ligati. Sicut enim qui habet pedes ligatos non poteſt in anteriora procedere ſecundum viam corporalem; ita ille, qui dubitat, quaſi habens mentem ligatam, non poteſt ad anteriora procedere ſecundum viam ſpeculationis.*

An poſſit eligere quid libuerit?

II. Conſcientia igitur moraliter, & prudenter dubia illa eſt, quæ pro utroque extremo rationes invenit ita æquales, aut quaſi æquales, ut hærere compellatur, neque ex vi rationum poſſit alterutrum eligere; ac proinde ſe eligat, eliget ex ſola affectione ad alterum extremum, & non ex vi majoris rationis in extremo illo refulgentis; eliget ergo temere, & imprudenter, quia electio, quæ ratione non ducitur, ab imprudentia & temeritate vacare non poteſt.

Deceptio nonnullorum circa hæc.

III. Ex his evincas primo, deceptionem illorum, qui dubium eſſe dicunt, quando pro utroque extremo vel nullæ rationes occurrant, vel ſolummodo leves: etenim quando nullæ rationes occurrunt, non eſt dubium, ſed mera neſcientia & ignorantia; quando autem rationes ſunt dumtaxat leves, dubium inde exortum non poteſt dici morale, rationabile, & prudens; intellectui enim prudenti leves rationes vim facere nequeunt, quippe quæ non fundatæ; ac proinde ſunt a prudentia deſpiciendæ, ut etiam docuit Philoſophus lib. 2. Elenc. cap. 7. *Deſpiciendæ ſunt omnes rationes leves; vel quia non habent rem, de qua dubitetur, vel cauſam dubitandi*. Dubium igitur morale, & prudens ortum trahere debet ab aliqua ratione non levi, ſed probabili, cum debeat eſſe *vinculum ad mentem, ſicut vinculum corporale ad corpus*, ut audiſti ex S. Thoma.

Quomodo explicandum dubium Poſitivum, & negativum?

IV. Evincas ſecundo, quomodo explicanda ſit prima dubii diviſio in Poſitivum, & Negativum, dicendo cohærenter ad modo tradita, quod dubium Poſitivum prudens, & morale, ſit actus poſitivus mentis inclinantis, & aſſenſum languidum præſtantis ad unum extremum, cum formidine magna de extremo oppoſito: Negativum autem ſit ſuſpenſio omnis actus, ſeu incli-

na-

nationis mentalis, propter æqualem vim menti factam ab æquilibrio rationum. Et hinc inferas, decipi plurimos, definientes dubium Poſitivum, quod habet rationem levem, & non gravem dubitandi; Negativum autem, quod nullam habet: ex dictis namque conſtat, quod ubi nulla eſt ratio, non ſit dubium, ſed neſcientia; & ubi eſt ratio levis, non ſit dubium morale, & prudens: & proinde contemnendum. Evincas tertio, dubium Poſitivum proprie non differre ab opinione, niſi forte in gradu aliquo majoris adhæſionis; ſicut ab ipſa differt dubium negativum.

Doctor Angelicus D. Thomas *q. 14. de Verit. art. 1.* hæc habet: *Intellectus noſter poſſibilis reſpectu partium contradictionis ſe habet diverſimode. Quandoque enim non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud vel propter defectum moventium, ſicut in problematibus, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem. Et iſta eſt dubitantis diſpoſitio, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.* Hactenus S. Thomas. Itaque intellectus noſtri facultas, quæ ad aſſenſum vel diſſenſum præſtandum argumentorum pondere trahitur, anceps, & ſuſpenſa omnino remanet, nec in unam potius quam in aliam partem inclinatur, ſeu non uni potius parti quam alteri aſſenſum vel diſſenſum præbet, cum æqualia utrinque ipſi proponuntur argumenta, eo ferme pacto, quo ſi utrique libræ lanci æquale imponatur pondus, libra omnino quieſcit, & immota conſiſtit, nec in unam potius quam in aliam partem deflectit. Nec hanc intellectus noſtri fluctuationem, ſeu ſuſpenſionem tollit aliqua levis ratiuncula, quæ contemnenda eſt. Quare dubium poſitivum juxta D. Thomam eſt ſuſpenſio aſſenſus & diſſenſus inter utramque partem ob æqualia rationum momenta, quæ pro utraque parte intellectui ſeſe offerunt; & ſecundum hanc rationem vocari & dubium negativum poteſt, quatenus intellectus aſſenſum negat. Hæc ſane nitida eſt ac legitima dubii poſitivi notio, quam præbet Angelicus, quamque Theologi communiter amplectuntur. Vel ipſemet Auctor eam adoptavit §. ſecundo; nam num. IV. dubiæ conſcientiæ definitionem tradens ait quod dubia conſcientia ſuſpenſionem actus importat: & hoc idem repetit num. V.

Hinc dum ſponte fluunt non levis momenti. 1. Dubium poſitivum ab opinione diſcriminari. Siquidem per opinionem aſſenſus uni parti præſtatur, in dubio vero mens anceps hæret, & ſuſpenſa manet inter aſſenſum & diſſenſum. 2. Conſcientiam dubiam non eſſe proprie conſcientiam; etenim dubium non eſt dictamen ſeu judicium practicum, ſed ſuſpenſio judicii circa bonitatem, & malitiam actus.

V. Progrediamur modo ad alias dubii diviſiones, nempe ſecundo in Speculativum, & Practicum: primum evenit, quando dubitatur in ordine ad aliquid cognoſcendum, vel etiam operandum abſolute, non tamen in ordine ad hic & nunc dirigendam operationem; & idcirco vocari ſolet ſpeculative practicum. Secundum, quo quis dubitat in ordine ad operationem hic & nunc exercendam; & ideo vocitari ſolet & practice practicum. Quid ſpeculativum, & practicum.

VI. Dividitur præterea in dubium Juris, & Facti: primum verſatur circa id, quod poteſt inducere obligationem; puta dubium an extet lex, an contractus ſit validus, an adſit poteſtas legitima &c. Secundum verſatur circa factum; utrum factum fuerit; puta an legem impleverim, an voto ſatisfecerim, an contractum obſervaverim, an poteſtati obtemperaverim &c. Dubium igitur facti eſt dubitare de facto ipſo, ex ſe ſolo conſiderato; ſi enim conſideretur quatenus fundat obligationem conſequentem, evadit dubium juris: puta, an horas omiſerim, ut inde teneat Beneficiarius reſtituere: an aſſenſum matrimonio dederim, ut inde tenear debitum reddere &c. Quid Juris, & facti.

VII. Regula ex probatis doctoribus ad Conſcientiam dubiam recte dirigendam, eſt; quod qui prudenter dubitat ſive dubio poſitivo, ſive negativo ſupra explicatis, an actio liceat, vel non, & priuſquam ratione aliqua prudente dubium deponat, operatur; peccat peccato illius ſpeciei, de qua dubitat. Tum quia ſe exponit ſcienter, & deliberate evidenti periculo peccandi tali peccato; quandoquidem non magis dubitat, actionem eſſe illicitam, quam licitam. Tum quia facto ſuo parvipendit Divinam legem, eliciendo actionem, propter quam dubitat Divinam legem lædendam: quapropter debet ab agendo abſtinere, donec, ut dixi, ratione prudenti dubium deponat. Id noverant etiam ipſi Philoſophi Gentiles, quorum unum percelebrem audire ſufficiat Tullium lib. 1. de Officiis: *Bene præcipiunt,* Modus dirigendi conſcientiam dubiam.

ſapiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum ſit, an iniquum. Si vero ita dubitans agere compellatur aliqua neceſſitate; tenetur ſecuriorem partem eligere, ideſt partem non commodo, ſed legi faventem, ob rationem datam, ne ſe periculo peccandi committat.

Explicatur melius, ut probatur ex Patribus.

VIII. Neque in operantis optione ſtat, eligere partem quam maluerit, aut genio, & commodo faventem, niſi hæc ſit a peccati periculo remotior; quia, ut dictum eſt, Deum offendendi periculo ſe exponeret. Neque electio voluntatis in æquilibrio rationum valet honeſtatem majorem in partem quam elegerit refundere; nam ut electio ſit prudens, debet eſſe rationabilis; rationabilis autem non eſt, quæ ratione non ducitur; at non ducitur ratione, ubi æqualitas invenitur rationum pro utraque parte; & proinde electio nequit non eſſe mere arbitraria, atque temeraria, quippequæ peccandi periculo operantem exponat. Ita docuerunt omnes Patres; unum ſufficiat afferre Auguſtinum lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 3. *graviter peccaret, qui in rebus ad ſalutem pertinentibus, vel eo ſolo* (nota bene) *vel eo ſolo, quod certis incerta præponeret*; qui autem in rationum æquilibrio non eligit partem ſecuriorem, ſed illam potius, quæ affectioni, & commodo favet, in rebus ad ſalutem ſpectantibus, certis incerta præponit; igitur &c. Ab aliis Patribus afferendis nos levat eruditiſſimus ille ſimul, & exactiſſimus Eccleſiaſticæ Antiquitatis explorator Joannes Morinus, qui in lib. 1. de Pœnit. cap. 5. n. 10. ita teſtatur: *In eo ſtudio Sancti noſtri, mille & centum annorum ſpatio*, (qui decurrerant ante ſcholaſticam methodum docendi) *ſe tantum exercuerunt, ut Sacerdotes docerent, ... in caſu dubio, ſecuriorem partem ſemper eſſe eligendam*.

Probatur ex Sacris Canonibus.

IX. Similiter docuere Sacri Canones in hoc documento perpetui: *In dubiis ſemitam eligendam eſſe tutiorem*: ita in cap. *Dominus* de ſecundis nuptiis: & in cap. *ad audientiam* de homicidio: & in cap. *Significaſti*, & in cap. *petitio*, in cap. *inquiſitione* de Sent. excom. & multis aliis in locis.

Probatur ex Theologis.

X. Ita quoque docuere Theologi omnes uſque ad inſignis Theologi Gabrielis Vaſquezii tempora; (cujus verba referemus) eos recenſeo, ſervata temporum ſerie, atque loca tantum indico, ut qui voluerit, legat: Guillelmus Pariſienſis in lib. de collat. Benefic. Alexander de Ales in ſumma p. 2. q. 112. de ignorantia caſu 8. S. Th. quodlibeto 8. a. 13. & alibi. S. Bonaventura lib. 2. de perfect. religioſa cap. 12. Scotus q. 2. prologi circa finem; Joannes de Friburgo in ſumma lib. 3. tit. 34. q. 79. Joannes Gerſonius in regulis moralibus; S. Antoninus 1. p. ſumm. tit. 3. cap. 10. §. 10. & 3. p. tit. 5. cap. 2. §. 9. Angelus a Clavaſio in ſumm. verbo opinio: Major in prolog. 4. ſentent. ad confirmat. 4. argumenti contra 6. Concluſ. Cordubenſis lib. 2. de ignor. quæſt. 3. aſſert. 3. Panormitanus ad cap. *Juvenis* de Sponſalibus; Adrianus quodlib. 3. q. 2. puncti 3. Sylveſter verbo dubium num. 4. Conradus q. 100. de contractibus; Navarrus in Manuali cap. 27. n. 193. & 284. & in cap. *Si quis autem* de Pœnit. d. 7. num. 50. addit; *eam eſſe aſſertionem D. Thomæ, & omnium conſenſu approbatam*; & alii multi, qui quamvis doctiſſimi, relatis cedunt auctoritate, & fama. Audiamus modo doctiſſimum Vaſquez in primam ſecundæ diſp. 65. cap. 3. profitentem: *exiſtimo, abſque controverſia eſſe debere, quoties dubitatur, an ſit lex aliqua, an non: & ſolum agitur de periculo peccandi, eligendam eſſe partem tutiorem .... Sane in hoc caſu nullum ex Scriptoribus ſcholaſticis inveni, qui oppoſitum afferat*: Si igitur non licet in æquilibrio rationum, dubiam mentem relinquente, eligere quam partem libuerit, ſed tenemur ſecuriorem; multo minus licebit eligere partem minoribus momentis fultam, minuſque probabilem. Sed de hoc in paragrapho ſequenti.

Vera intelligentia illius axiomatis, quod in dubiis melior ſit conditio poſſidentis.

XI. Neque opponas illud axioma, a lege poſitiva humana invectum in materia juſtitiæ circa res temporales, quod *in dubiis melior ſit conditio poſſidentis*: igitur in dubio æquilibrii rationum melior erit conditio hominis poſſidentis ſuam libertatem; & inde facultatem habentis eligendi quod ſuæ favet libertati contra Legem etiam Divinam. Reſpondetur enim, & quidem vere, laudatum principium vim habere in ſola materia juſtitiæ, quoties agitur de dubio juſtæ poſſeſſionis alicujus rei; quando enim ſunt motiva prudenter dubitandi, ſit ne ager v. g. Petri poſſidentis, an Pauli contendentis; & dubium nequeat ratione ulla purificari, nec rationes Pauli vincant rationes Petri, ſed æqua-

qualem gradum ſervent; in eo caſu lex poſitiva humana decrevit, ut in tali dubio melior ſit conditio Petri poſſidentis; & jure merito; nam ipſa poſſeſſio agri, ut ſupponitur, bona fide cœpta, & continuata (ante præſcriptionis tempus, quod in caſu nondum ſupponitur advenifſe) eſt titulus, quo caret Paulus; & qui præbet fundamentum judicandi, quod rite cæpta fuerit agri poſſeſſio; nam ſi difficultatem involviſſet, ſtatim menti aut Petri, aut Pauli, aut alicujus, qui negotium geſſit, ſe objeciſſet; cum autem tunc non ſe objecerit; & alioquin Petrus agrum bona fide poſſidere cæperit, & aliquo tempore bona fide perſeveraverit, habet eo ipſo titulum priorem titulo Pauli, qui titulus eſt ipſa poſſeſſio, ut ager jure poſitivo Petro adjudicetur.

Male transfertur a materia juſtitiæ ad alias materias.

XII. Obſerva igitur quanta veritatis jactura hoc principium ad ſolam juſtitiæ materiam ab humano jure reſtrictum, transferri velit a multis ad materiam juris naturalis, Divini, & Eccleſiæ; ita ut valere contendant in dubiis contra leges Decalogi, Divinas poſitivas, & Eccleſiaſticas; atque dum agitur, an in dubiis ſpoliari debeat homo libertate eligendi quod vult, an lex Decalogi divina, & Eccleſiaſtica ſua auctoritate privari, iſtæ potius cedere homini debeant, non homo iſtis. Et hoc modo principium, ſola humana auctoritate invectum pro pacifica poſſeſſione rerum temporalium hominis contra hominem, detorquetur, perperamque uſurpatur, ut valeat etiam in caſu dubii poſſeſſionis hominis contra Deum, quod profecto nunquam ſuſpicari poteſt, humanam poteſtatem tali ſanctione attentare voluiſſe.

Accuratius declaratur.

XIII. Sed ut manibus tangas falſitatem adeo injuſtæ uſurpationis: quæro, quænam eſt antiquior & devinctior poſſeſſio, illa quam habet homo ſuæ libertatis, an illa, quam habet Deus, & Eccleſia ſupra hominis Chriſtiani libertatem? ne mireris, quæſitum extremorum adeo inæqualium me tibi proponere: reſpondebis ne unquam, quod antiquior ſit hominis fidelis propriæ libertatis poſſeſſio, quam Dei, & Eccleſiæ libertatis ejuſdem hominis; cum hic libertatem una cum eſſe a Deo ſupremo Domino receperit, ſibi ſemper ſubmittendam, eamdemque in Baptiſmate juramento tradiderit Eccleſiæ regendam? Si igitur longe antiquior, juſtior, obligantior eſt Dei, & Eccleſiæ poſſeſſio in hominis fidelis libertatem, quam poſſeſſio ipſiuſmet hominis in eamdem; dato etiam, quod perperam trahi & raptari velit dictum principium ad materias juris Divini, & Eccleſiæ, debebit cedere poſſeſſio hominis poſſeſſioni Dei, & Eccleſiæ, & proinde in caſu dubio, in quo aut debeat cedere homo ſuæ libertati, ſuoque commodo, aut violari jus Divinum, & Eccleſiæ, hoc jus præferendum erit juri hominis, & homo tenebitur ſecuriorem partem eligere, ne Deo aut Eccleſiæ injuriam irroget.

* Nemini difficultatem faceſſere debet quod aſſerit S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib. 7. cap. 11. n. 2.* nimirum quod *ubi Doctorum magna diſcrepantia eſt, integrum erit eam ſententiam amplecti, quæ magis arriſerit.* Nam gemina reſponſio in promptu eſt, ut opportune obſervat eximius Theologus Minorita Conventualis, qui poſtremo Theologiam Moralem P. Antoine eruditis notis locupletavit *not. 1. ad q. 4. cap. 2. de Conſcient. in reſp. ad 6.* Primo Alphabeticus Index illius operis a privatis hominibus confectus hanc utique generalem, & indefinitam continet propoſitionem. At in Pontificio textu ſingulari tantum caſui aptatur, in quo ambigitur, num *fiat reus violati ſtatuti ſynodalis* ille Parochus, qui viaticum denegavit homini incidenti in lethalem morbum ipſo ſumptæ communionis die, ut legenti integrum contextum clarius patebit. Secundo etiam ſi Pontifex generatim id ediceret de quibuſvis moralibus controverſiis, adhuc nihil exinde contra nos extunderetur. Tunc ſi quidem credere par eſſet, eam dari optionem hac ſolum lege, ſanioribus morum Regulis, ipſique Juri Pontificio plane conformi: nempe quod quis juxta eam opinionem, quam pro arbitrio ex pluribus amplectitur, poſſit prudenter formare conſcientiam ſuam; vel quia magis tutam eſſe videt, vel ſaltem quia reliquis veroſimiliorem apprehendit mente ſua. Nam juxta variam hominum indolem ac diſpoſitionem evenire facile poteſt, ut perſpecto Doctorum circa rem aliquam diſſidio, unus hinc *inducatur in dubitationem*, ſicque ea manente *ſe committat periculo, & peccet* juxta alterutram partem agendo; alter vero *in nullam dubitationem adducatur, & ſic non committat ſe diſcrimini*,

mini, *nec peccet*, quemadmodum docet (*quodl. 8. q. 6. a. 13.*) Angelicus Magiſter.

Ceterum ejuſdem S. P. mens comperta eſt atque explorata ex iis, quæ habet in ſua Epiſtola Encyclica ad omnes Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ſuper præparationem ad Jubilæum poſtremi anni Sancti data *die 26. Junii* 1749. Quippe inter varia ſaluberrima monita illud præcipue Confeſſariis inculcavit quod ſpectat ad delectum Scriptorum, & opinionum Moralium in rebus ambiguis conſcientiam, forumque Sacramentale concernentibus: *Cum Confeſſarius*, ait, *in dubiis quæſtionibus, aut de iis, quarum notitia caret, evolvere libros coactus ſit, nihil novi pronunciabimus, ſi dixerimus in tanta Scriptorum multitudine, reperiri illos, qui opinantur, ſcribuntque juxta modum ab evangelica ſimplicitate, & Patrum doctrina prorſus alienum*. Tum relatis hanc ad rem verbis Prædeceſſoris ſui Alexandri VII. *Cum plures opiniones chriſtianæ diſciplinæ relaxativas & animarum perniciem inferentes &c.* ſubdit: *Verum prætermiſſis implicatiſſimis quæſtionibus, quæ excitari de Scriptorum authoritate, eorumque doctrinis poſſent, ſat nobis erit Confeſſarium monere, ne in dubiis controverſis propriæ adhæreſcat opinioni, ſed antequam deliberet evolvat non unum, ſed plures libros: inter iſtos conſulat præſtantiores: poſtea illam amplectatur ſententiam, cui magis ſuffragari rationem, & auctoritatem favere cognoverit. Ita docuimus in noſtra epiſtola encyclica de Uſuris.* Vix pervenit ad aures noſtras §. 8. (data *die 1. Nov.* 1745.) *Idipſum nunc in memoriam revocamus. Noſtra quippe ſententia coerceri intra fœnoris confinia non debet; ſed ad ea omnia extendi, quæ ad forum ſacramentale, & conſcientiarum regimen attinent*. Hæc S. P. *in Epiſt. cit. n. 21.* prout illa italico ſermone ad Epiſcopos per Italiam tranſmiſſa fuit, hic latine reddita. Extat *in Append. ad Tom. 3. Bullarii* ejuſdem Pontificis *num. 2.*

§. VI. *De conſcientia Probabili, & Probabiliori.*

Quid conſcientia probabilis, et Probabilior?

I. Conſcientia Probabilis illa eſt, quæ ex gravi aliquo fundamento, habente magnam vim trahendi ad aſſenſum, actionem probabiliter judicat licitam, aut illicitam, tamen cum formidine non levi partis oppoſitæ: Probabilior illa eſt, quæ nititur motivo notabiliter firmiori ſuo oppoſito, & propterea vel nullam omnino, vel modiciſſimam formidinem relinquit; & ſi hanc relinquat, illam relinquit non comparative ad probabilem, ſed comparative ad verum attingendum, quod cum clare non illuceat, aliquam videtur ſemper formidinem relinquere an revera attingatur.

Diſtinctio Probabilioris a Tutiori, & rigoroſa.

II. Et hic ſtatim nota, quomodo idem non ſit, opinionem aliquam eſſe probabiliorem, & eſſe tutiorem; & propterea ſolemnem impoſturam eſſe a nonnullis impactam Probabilioriſmo, ut contra ipſum invidiam, & odium augeant, dum illum appellant Rigoriſmum. Quis enim ignorat, multas eſſe opiniones probabiliores, quæ nullatenus ſunt tutiores, neque rigoroſiores? Tutior eſt, quæ integram omnino Miſſam aſſerit, eſſe diebus feſtivis audiendam ſub peccati mortalis reatu, non tamen eſt probabilior. Tutior, quæ jubet præmittendam eſt Sacramento Pœnitentiæ contritionem undequaque perfectam; neutiquam probabilior; & aliæ centenæ. Probabilior igitur illa eſt, quæ rationibus notabiliter firmioribus nititur ſupra mere Probabilem. Tutior, ſeu rigoroſa illa eſt, quæ magis recedit a peccandi periculo, tametſi rationibus firmioribus non nitatur. Quando igitur audis Probabilioriſtas velut Rigoriſtas traduci, deride calumniam, & quidem non a piaculo immunem; quippe quæ aperto mendacio detrahere velit honori Probabilioriſmi, opinioniſque rationabilioris, quam, falſum eſt, ſemper eſſe tutiorem, niſi quando tutior ſimul eſt rationabilior; & tunc non meretur rigoroſa appellari, ſed veritati conformior & rationabilior.

Abuſus gravis multorum inſequendis opinionibus.

III. Cum igitur Opinio probabilis illa ſit, quæ gravi nititur fundamento, quod viro illam admittenti innoteſcat; inferas, quam imprudenter, & culpabiliter agant illi, quibus ſufficit ſcire, quod extent nonnulli opinionem aliquam docentes, ut eam expanſis ulnis amplectantur, quin alia prorſus cura ſollicitentur, examinandi quo fundamento innitatur. Hujuſmodi enim homines non operantur ex opinione probabili, quippe quibus non innoteſcit grave ne, an leve ſit fundamentum, quo nititur; non enim ſufficit, etiam juxta Probabiliſtas, ad prudenter agendum, ut opinio ſit probabiliter probabilis, ſed requiritur quod ſit certe ta-
lis;

lis; certe autem talis haberi non poteſt ab ignorante qualitatem fundamenti, quo nititur. Similiter neque ſufficit ſcire, opinionem illam ab aliquibus propugnatam, non eſſe a S. Sede confixam. Hic, inquam, modus ſe gerendi in opinionum delectu, ut imprudens, & culpabilis ab ipſis quoque Probabiliſtis reprehenditur; immo reprobatus habetur in theſibus a SS. Pontificibus Alexandro VII., & Innocentio XI. damnatis. Ille quippe hanc proſcripſit, quæ eſt in ordine 27. inter eas, quas damnavit *die 24. Septembris 1665. Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet eſſe rejectam a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.* Iſte vero hanc aliam confixit, quæ eſt in ordine 3. inter eas, quas cenſuris notavit *die 2. Martii 1679. Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Hæc autem idcirco indicare, & monere volui, quia non ſemel ex ore nonnullorum Eccleſiaſticorum ita fieri propriis auribus audivi.

Quid probabilitas intrinſeca, quid extrinſeca? IV. Occaſione autem hujus theſis, nota, probabilitatem intrinſecam deſumi a pondere rationis, & probationum; extrinſecam vero ab auctoritate Doctorum illam ſuſtinentium. Et circa hanc nota iterum, quod non tam deſumatur ex numero, quam ex qualitate Doctorum: quis enim ambigat, auctoritatem S. Thomæ, S. Raymundi, S. Antonini, S. Bonaventuræ, S. Caroli Borromæi, & ſimilium longe pluris faciendam eſſe auctoritate multorum illis non æquabilium; quandoquidem præter eminentem, qua floruere, doctrinam, inſigni quoque Sanctitate, quæ promeretur lumen diſcernendi rectum a pravo, lucem a tenebris, rejicienda ab aſſerendis, donati fuere? Similiter inter alios Theologos illi anteferrendi ſunt, qui res, ſuper quibus reſpective reſolvunt, ab imis uſque fundamentis examinarunt, momenta hinc inde perpenderunt, objectaque ſolide enodarunt; quemadmodum fuere Doctiſſimi Cajetanus, Sotus, Medina, Vaſquez, Suarez, aliique hujuſmodi; ſint, inquam, iſti anteferendi pluribus aliis, qui vel nullo, vel levi tantum rerum examine contenti, opiniones pro genio factionis, cui ſe adſcripſere, adoptant.

Quid probabilioritas? V. Simili modo Probabilior opinio ab intrinſeco dicitur illa, quæ ſolidioribus notabiliter fundamentis nititur, quam altera; ab extrinſeco autem talis appellabitur, quæ a Doctoribus celebrioribus, juxta diſcretionem modo traditam, ſuſtinetur.

Quid Probabilitas Objectiva, et Subjectiva. VI. Probabilitas autem, ſicut & Probabilioritas dividi poteſt in Objectivam, & Subjectivam; Objectiva illa vocari ſolet, quæ eſt gravi reapſe fundamento munita, ſi ſit probabilitas; vel revera notabiliter graviori, ſi ſit probabilioritas. Subjectiva illa eſt, quæ viro fundamenta mature conſideranti talis reſpective eſſe videtur; & ſi revera talia habeat fundamenta, erit probabilitas, vel probabilioritas objectiva ſimul & ſubjectiva, ſin autem, erit ſubjectiva tantum, non objectiva.

Aperitur ſtatus Quæſtionis, & præmittuntur certa. VII. Quæſtio itaque graviſſimi momenti excitatur, an licitum ſit ſequi opinionem vere probabilem in concurſu probabilioris cognitæ ut talis; ita ut inculpate agat, qui ſecundum probabilem operatur, probabiliori prætermiſſa? Antequam autem huic quæſito reſpondeam, præmitto, modo apud omnes certum eſſe, id non licere, quoties agitur de valore cujuſcumque Sacramenti; nam Innocentius XI. hanc theſim primo loco damnavit: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.* Inſuper eſt indubitabile, nulli Judici licitum eſſe judicare ſecundum opinionem minus probabilem, relicta probabiliore. Etenim ſimiliter laudatus Innocentius ſecundo loco ſequentem theſim damnavit: *Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Præterea non licet agere ſecundum opinionem probabilem, qualibet probabilitate fultam; dummodo a probabilitatis finibus non exeatur. Quandoquidem idem Pontifex tertio loco damnavit theſim ſequentem, etiam ſupra relatam: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Denique illicite agit, & inexcuſabiliter infidelis non credens, ductus opinione minus probabili; quoniam idem Pontifex quarto loco damnavit ſequentem theſim, quæ intollera-

bili

Digitized by Google

bili impudentia ita aſſerebat. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*; mirum, quouſque Probabiliſtæ vim probabilitatis impulerint!

VIII. Hæc ſunt certa, & ab omnibus Theologis tenenda; nempe illicitum eſſe amplecti opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris in caſibus modo recenſitis. Videndum itaque ſupereſt, an id liceat in aliis caſibus ad Conſcientiam, atque æternam animæ ſalutem pertinentibus: an ſcilicet qui videt, opinionem aſſerentem v. g. licitum eſſe talem contractum, talem actum, eſſe tantum probabilem, & gravi fundamento innixam, & ſimul videt, opinionem aſſerentem illum contractum, illum actum illicitum, eſſe probabiliorem, & notabiliter graviori fundamento innixam, prudenter, & licite agat, ſi ſequatur probabilem, relicta probabiliori a ſe cognita ut tali?

Illicite agit qui relicta probabiliori cognita, eligit probabilem.

IX. Dico igitur cum omnibus Theologis, qui uſque ad annum 1577. ſcripſerunt, illicite ſe gerere illum, qui poſtpoſita notabiliter probabiliori, amplectitur minus probabilem. Epocham iſtam notavi, quia primus docens, licitum uſum minus probabilis in concurſu probabilioris, fuit, alioquin inſignis Theologus, Bartholomæus de Medina in volumine parvo ab ipſo edito circa dictum annum; neque ante ipſum ullus invenitur, qui ita docuerit: & quamvis deinde multos obtinuerit ſectatores, eamdem opinionem ſuſtinentes, nihilominus inveniuntur potius id feciſſe ſpeculative, quam practice; nam plerumque definierunt ſuas aſſertiones pro praxi juxta probabiliorem, ut videre eſt præcipue in Doctiſſimo Suarez.

Inficiantur plures Bartholomæum Medinam Auctorem fuiſſe probabiliſtici ſyſtematis, prout a ſuis Patronis propugnatur. Lege P. Danielem Concina *Theol. Chriſt. Tom. II. Lib. III. Diſſert. II. Cap. I. n. VI. & in Hiſt. Probabil. & Rigor.* italica lingua exarata *Diſſert. I. cap. II. n. IV.*

Probatur ex Scripturis Sacris veteris Teſtamenti.

X. Aſſertionem poſitam aliquot ſelectis oſtendo Scripturæ teſtimoniis, multis aliis tranſmiſſis. Deuteronomii cap. 17. juſſerat Deus per Moyſem: *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris .... inter cauſam, & cauſam .... & judicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge .... venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis .... judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint.* En propoſita quæſtio noſtra inter cauſam, & cauſam, dum variæ ſunt doctorum opiniones; nec docuit Deus, eligendam, quæ favet proprio commodo, ſed juſſit conſilium a ſupremis judicibus petendum, & quærendam ab eiſdem judicii veritatem quantum fieri poteſt: atqui cognoſcens probabiliorem in concurſu probabilis, ſi hanc eligit, illa ſepoſita, non quærit judicii veritatem: etenim, quando certo verum haberi non poteſt, (quod dum cognoſcitur, nemo ambigit eſſe tenendum) quid ſupereſt, niſi ut quod magis ad verum appropinquat amplectamur? Sed qui, electa probabili, in concurſu probabilioris, eligit quod minus ad verum appropinquat, & poſtponit quod magis ad verum accedit: igitur non quærit ſincero corde veritatem, ſed commodum. Quid namque ſignificat minus probabile, niſi quod minus ad verum ignotum, & obſcurum prudenter putatur appropriare? & quid ſignificat probabilius, niſi quod ad idem verum ignotum, & obſcurum magis accedere prudenter exiſtimatur? Item Eccleſiaſtici 37. docemur a Spiritu Sancto: *Ante omnia, verbum verax præcedat te, & ante omnem actum, conſilium ſtabile*: atqui ille, qui eligit probabilem in concurſu probabilioris, non quærit verbum verax, cum deliberate eligat id, quod minus ad verum accedere fatetur: neque vere vult, conſilium ſtabile præcedere actiones ſuas, cum deliberate velit, & eligat conſilium minus ſtabile, minuſque probabile; igitur male eligit, & peccat.

XI. Afferamus textum, multis aliis omiſſis, Novi Teſtamenti, nempe Doctoris Gentium D. Pauli ad Epheſ. cap. 5. ſcribentis: *Videte, Fratres, quomodo caute ambuletis .... intelligentes quæ ſit voluntas Dei*; & ad Philip. 4. *Quæcumque ſunt vera cogitate.* Tenetur ergo omnis Chriſti cultor, præcipue quando agitur de Chriſti violanda lege, caute ambulare, nec non, quando voluntas Dei manifeſte perſpecta haberi non poteſt, inveſtigare quid propius ad illam accedat; & ſimiliter quando indubitanter veritas haberi non poteſt, cogitare, quæ ad illam magis accedunt: atqui ille, qui relicta opinio- Probatur ex Novo.

ne

Digitized by Google

ne rationabiliori, fundatiori, & probabiliori, eligit ſua ſponte minus rationabilem, fundatam, minuſque probabilem, ſincere non quærit intelligere, quæ ſit voluntas Dei, neque ſincere cogitat, quæ ſunt vera: cum reſpuat id, quod etiam in conſcientia ſua magis ad verum appropinquat: igitur agit contra doctrinam Apoſtoli.

XII. Neque reponas, ex his inferri, quod nedum probabiliora, ſed etiam tutiora ſequi debeamus; id namque perperam infers, cum ut monuimus, tutiora multoties non ſint vero propinquiora, neque voluntati Dei proximiora, eo quod ipſe velit, ut rationabile ſit obſequium noſtrum; ac proinde, quæ fundatiori ratione ſunt innixa, non quæ abſolute meliora ſunt amplectamur ex præcepto, bene autem ex conſilio; de quo in præſentiarum non eſt ſermo. Neque iterum dicas: etiam probabiliorem eſſe fallibilem; quod concedo: at concedere etiam tu teneris, probabilem eſſe magis fallibilem: quomodo igitur ſincere affirmare poteris, te quærere veritatem, eligendo data opera magis fallibilem, poſt cognitam minus fallibilem?

Probatur auctoritate Patrum.

XIII. Probemus modo aſſertionem poſitam aliquibus SS. Patrum teſtimoniis; pluribus prætermiſſis, quæ ab auctoribus noſtræ partis afferuntur. Tres dumtaxat ſeligo: Nazianzenum, Chryſoſtomum, Auguſtinum. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 27. *At pleriſque ſecus videtur, inquies: quid vero mea intereſt, qui rei veritatem magis curo? Hoc enim vel me condemnaverit, vel abſolverit; hoc miſerum vel beatum reddiderit*: Igitur non eſt attendendum quid a pleriſque dicatur, niſi dicta momentis firmioribus illi demonſtrent: atqui oppoſito modo ſe gerit, qui, contentus de multitudinis voce, de dictorum majori veritate non curat; quippe qui propinquiora veritati deliberate rejicit, ut ea amplectatur, quæ minus ad veritatem accedunt; igitur ſibi vaticinetur, an ſit condemnandus, vel abſolvendus, reddendus miſer, vel beatus. Chryſoſtomus Hom. 44. in Matth. interrogat quærentes veritatem: *Si veſtimentum empturus, unum giras negotiatorem, & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris, ... ab illo comparas; an non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere ubi ſincera veritas Chriſti venditatur, & ubi corrupta; & veriorem eligere, pluſquam veſtimentum?* Atqui hanc ſtudioſam curam non adhibet pro inquirenda doctrina Chriſti ad mores ſpectante, qui notam rationabiliorem abjicit, ut minus rationabilem amplectatur; nec *veriorem* eligit, qui minus veram, rejecta magis ad verum accedente, adoptat: igitur reprobatur a Chryſoſtomo. S. Auguſtinus Lib. 1. contra Accademicos cap. 4. *Quiſquis minus inſtanter, quam oportet, veritatem quærit; is ad finem hominis non pervenit: quiſquis autem tantum, quantum homo poteſt, ac debet, dat operam inveniendæ veritati, etiamſi non inveniat, beatus eſt*, ſeu eximitur a peccato, *totum enim facit, quod ut faciat ita, natus eſt*. Quomodo igitur dicendus erit dare operam, quantum poteſt, veritati inquirendæ, qui aſſecuta opinione, qua putat, ſe magis ad verum accedere, eamdem reſpuit, ut alteram, quam cenſet minus ad verum appropinquantem, ſibi eligat? Præterea de quonam evidentius verificabitur, *minus inſtanter, quam oportet*, (quippe quod agatur de offeſa Dei incurrenda) *veritatem inquirere*, quam de illo, qui ſuaſus, opinionem unam longe propinquiorem eſſe veritati, & alteram a veritate longinquiorem; illa rejecta, iſtam ſequi decernit? Si ergo, qui ita ſe gerit, Auguſtini judicio *finem hominis*, nempe Beatitudinem *non aſſequitur*, viderint Probabiliſtæ ſuas aliorumque Conſcientias dirigentes præfato modo. Hæc ſunt adeo perſpicua, ut dumtaxat nolens ea videre non poſſit.

Probatur auctoritate S. Thomæ

XIV. Poſt auditos Sanctos Patres, æquum eſt audire etiam Angelicum Præceptorem, quippequi ex Patribus ſuam hauſerit Doctrinam, & quidem ex S. Auguſtino præcipue, ut propterea communi elogio jure merito Auguſtinus Contractus appellatus fuerit. Relictis pariter hujus Theologiæ Principis multis textibus, unum tantummodo ſeligo ex Quodlibeto 8. quæſt. 6. art. 13. cui titulus: *Utrum quando ſunt diverſæ opiniones de aliquo facto, ille, qui ſequitur minus tutam, peccet?* & affert in exemplum quæſtionem celebrem de pluralitate ſimultanea Præbendarum retinendarum: & poſtquam propoſuit argumenta tam pro parte affirmante, quam pro parte negante; ita reſolvit quæſitum: *Dicendum quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur* (idest ducitur, & ligatur) *uno modo, faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur, alio modo, faciendo contra Conſcientiam, etſi non ſit contra legem; ut ſi* Con-

Digitized by Google

Conſcientia dictet alicui, quod levare feſtucam de terra ſit peccatum mortale. Ex Conſcientia autem quis obligatur ad peccatum, ſive habeat certam fidem de contrario ejus, quod agit, ſive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione: illud autem, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundum Conſcientiam: & ſimiliter quod eſt contra Conſcientiam, eſt malum, quamvis non ſit contra legem: quod autem nec contra Conſcientiam, neque contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum. Dicendum eſt ergo, quod quando duæ ſunt opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram eſſe veram, alteram falſam, aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, habendo plures Præbendas, facit contra veram opinionem, & ſic cum faciat contra legem Dei, non excuſatur a peccato, (ob ignorantiam vincibilem) *quamvis non faciat contra Conſcientiam; ſic enim contra legem Dei facit: aut illa opinio non eſt vera, ſed magis* (eſt vera) *contraria, quam iſte ſequitur, ita quod liceat habere plures Præbendas: & tunc diſtinguendum eſt; quia aut talis habet Conſcientiam de contrario* (nempe non licere habere plures Præbendas) *& ſic iterum peccat*; (agendo contra Conſcientiam) *aut non habet Conſcientiam de contrario, ſed certitudinem: ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum; & ſic, ſi manente tali dubitatione, plures Præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic proculdubio peccat, utpote magis amans Beneficium temporale, quam propriam ſalutem; aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat.*

H.Illuciniatio recentiorum. XV. Ex his Angelici Doctoris verbis duo elicere debes, primum, grandem multorum recentiorum deceptionem, contendentium non poſſe dari actionem contra legem, quæ non ſit contra Conſcientiam; cum oppoſitum manifeſte tradatur a D. Thoma, & quidem jure merito, cum fideles adulti plura neceſſario ſcire teneantur, & poſſint, quorum ignorantia non poteſt non eſſe vincibilis & culpabilis; unde ſequitur quod revera peccent contra legem; quamvis non contra Conſcientiam vincibiliter talia ignorantem. Secundum eſt, quod, juxta S. Thomam, ut quis in opinionum controverſia ſine peccato ſe gerat, debeat illam opinionem eligere, quæ illius Conſcientiam a prudenti dubitatione purificet: quomodo autem fieri poterit, ut omnis prudens dubitatio ab illo diſpellatur, qui in opinionum æquilibrio non eligit id, quod tutius eſt, cum ipſummet rationum æquilibrium mentem ambigentem teneat; &, a fortiori, qui in opinionum notabili inæqualitate, minus probabilem eligit, relicta probabiliore? Quis non perſpiciat, niſi ſit mentis præoccupatæ, quod quis, ita eligendo, non ſequitur rationem, ſed commodum? nam in æquilibrio fundamentorum, niſi tutius eligatur, eligitur, non quod rationabilius eſt, ſed quod commodius: & a fortiori id committitur in electione opinionis minus rationabilis, & fundatæ, contra magis rationabilem, & fundatam.

XVI. Dices, dubietatem rejici a voluntate, hoc ipſo, quod mens ſuadeatur, ſibi licere eam eligere, quæ magis placet. Occurritur objectioni. Reſpondeo; vel quis eligit, ductus majori ratione, quam in tali opinione perſpicit, vel non? ſi majori ductus ratione, quam perſpicit, id eſt quod aſſerimus eſſe faciendum: ſi non, igitur eligit imprudenter; imprudens namque, & culpabilis eſt electio, quæ ratione non ducitur, ſed ſolo affectu ad eam partem, quæ commodior evadit, cum periculo Divinæ offenſæ; ac proinde irrationabilis eſt præfata ſuaſio, ſibi licere electionem cujuslibet partis. Immo cum intellectus ſit potentia neceſſaria, & compellatur vel dubitare in æquilibrio, vel formidinem augere in minori probabilitate, contrapoſita majori probabilitati cognitæ; impoſſibile eſt, quod ſolo voluntatis imperio aut dubietas, aut formido prudenter tollatur; ac proinde *cum ſe periculo committat, proculdubio peccabit*, ut verbis Angelici concludam.

XVII. Supereſt tandem, ut aſſertio noſtra rationibus oſtendatur, quarum præcipuæ dudum indicatæ fuere: paucas ſeligo, eaſdemque firmiſſimas. Probatur rationibus. Prima ſit, & jam ſuperius indicata: Non poteſt quis dici ſincerus veritatis amator, neque prudens elector, qui, quando non poteſt aſſequi id quod eſt certe verum, (iſtud enim certo cognitum, a cunctis eſt tenendum juxta omnes) non conatur aſſequi, & eligere id, quod cognoſcit magis ad verum accedere, ſed eligit id, quod cognoſcit minus ad verum propinquare: atqui eligens probabilem, relicta notabiliter probabiliori cognita, ita operatur; ergo non eſt ſincerus veritatis amator, neque prudens elector. Major eſt per ſe nota; quomodo enim

enim dicetur quis ſincerus modeſtiæ amator, qui in re obſcura, an ad modeſtiam ſpectet, eligit id, quod minus ad modeſtiam accedit, relicto eo, quod cognoſcit magis ad modeſtiam appropinquare? Sicuti ab oppoſito, quomodo dicetur quis ſincere odio habere avaritiam, qui in re obſcura, an ad avaritiam pro pendat, eligit id, quod minus ab avaritia elongat, relicto eo, quod novit magis ab avaritia recedere? Minor patet ex ipſis terminis; quid aliud enim eſt eligere minus probabilem in concurſu notabiliter probabilioris, niſi eligere id, quod minoribus fundamentis munitur, relicto eo, quod majoribus fundamentis firmatur, & per conſequens eligere id, quod minus ad verum accedit, eo prætermiſſo, quod noſcitur magis ad verum appropinquare? Conſequentia autem eſt in forma: ergo ita ſe gerens, neque eſt ſincerus veritatis amator, neque prudens elector, neque veraciter Deo cum Regio Pſalte poteſt dicere; *Viam veritatis elegi; judicia tua non ſum oblitus.*

Oppoſitio. XVIII. Oppones, etiam eligentem minus probabilem, eligere verum practicum, quamvis minus ſplendens, quemadmodum ait P. Paulus Segneri in prima epiſtola, ſive alius quiſque nominis venerandi uſurpator: datur aurum notæ & qualitatis purioris, & ſplendidioris: & aurum notæ & gradus inferioris; tamen inæqualitas gradus non tollit, quin utrumque ſit aurum, & in vera ſpecie auri: ita quamvis probabilior affirmans ſit veritatis lucidioris, etiam minus probabilis negans, veritate pollet, quamvis gradus inferioris: & etiam iſtam eligens viam veritatis eligit.

Diſſolvitur. XIX. Reſpondeo grandem contineri in hac oppoſitione deceptionem, falſoque omnino inniti præſuppoſito. Nam neque probabilior affirmans, neque minus probabilis negans, ſunt opiniones certo veræ; quandoquidem de ea re, quæ certo vera eſt, nullus datur diſceptandi locus; ſed unuſquiſque tenetur illam admittere; idque ex eo manifeſte conſtat, quod de re certo vera nequeat excitari contentio partium, quarum una affirmet, altera negat; immo pars negans, ut aperte falſa redarguitur; quandoquidem vero non niſi falſum opponitur. Conſtat igitur, quod neque probabilior, & a fortiori neque minus probabilis ſint certo veræ; ac proinde cum de materia, circa quam verſantur, certo verum haberi non poſſit, diſceptandi datur aditus eo fine, ut, dum certo verum haberi nequeat, illud ſaltem eligatur, quod magis ad verum accedit; & ita ſe gerit, qui probabiliori, ſecus, qui minus probabili oppoſitæ ſubſcribit. Et hinc apparet fallax ſimilitudo de auro inæqualis gradus, & qualitatis; quandoquidem certum eſt, utrumque eſſe verum aurum, atque in ſpecie veri auri, unde ſive unum eligatur, ſive aliud, certum eſt, eligi verum aurum: non ita in opinionibus probabiliori, & minus probabili oppoſita, quæ ambæ neque ſunt, neque eſſe poſſunt certo veræ, alioquin ſequeretur quod duæ contradictoriæ eſſent ſimul veræ, quod eſt inauditum, neceſſe eſt igitur alterutram eſſe falſam; & cum nequeat certe dignoſci quænam falſa ſit, illud ſupereſt, ut quis prudenter eligat, & in falſam non impingat, quod illam eligat, quam magis ad verum appropinquare comperit. Cum itaque neutra ſit certo vera, falſum eſt, quod eligens alterutram eligat verum, ſive ſpeculativum, ſive practicum; cum ut dixi, ignoretur quænam earum ſit certe vera etiam practice; in tali igitur obſcuritate ſincerus veritatis amator illam eligere debet, quæ magis ad verum practicum appropinquat; hujuſmodi autem eſt, quæ potiori, & firmiori fulcitur ratione.

XX. Inſtauro reſponſionem hanc exemplo: quomodo fieri poteſt, ut utraque ſit practice vera, dum ſunt ad invicem contradictoriæ? Ratio practici quid aliud dicit vero niſi ut quod alioquin non cognoſcitur certo verum, prudenter habeatur ut tale in praxi? ita eſt, dicunt adverſarii: at quomodo fieri poteſt, ut judicans prudenter veram illam, quæ eſt longe probabilior; judicet prudenter ſimul veram alteram, quæ contradictorie huic opponitur, & eſt minus probabilis? quænam mens, quæve Conſcientia poteſt, ex merito alicujus actionis, eamdem prudenter, & practice judicare ſimul licitam, & illicitam, niſi ex mera affectione voluntatis, & propenſione genii? Si enim ex merito, probabilius judicatur prudenter, & practice actio aliqua illicita; quomodo juxta minus probabilem poterit prudenter, & practice judicari licita? non ex ratione & fundamentis, eo quod fundamenta illam probant probabilius practice il- Explicatur magis data reſponſio.

illicitam : igitur ex arbitrio & genio judicatur licita : quomodo autem judicium ex genio proficiſcens, & non ex ratione, poterit dici prudens, dum ſimul minori nititur fundamento, ſeu fundamento minus notabiliter ad verum accedente?

Altera oppoſitio refellitur.

XXI. Dicitur prudens, reſpondent adverſarii, judicio quodam reflexo Conſcientiam inſtruente, quod qui ex motivo probabili agit, prudenter operatur. Verum in hoc reſponſo Probabiliſtis ſolemni, quis non animadvertat vitium petitionis principii, videlicet adducendi pro ratione idipſum, de quo eſt controverſia? Nonne tota diſceptatio eo devolvitur, an qui operatur juxta minus probabilem, rejecta probabiliori cognita, licite & prudenter operetur? Ad quid ergo pro reſponſione & pro ratione afferre, quod licite, & prudenter agat, qui operatur ex minus probabili, cum hoc ſit reapſe id de quo diſquiritur?

XXII. Reponunt Probabiliſtæ dicendo, judicium reflexum conſcientiam inſtruens non fundari dumtaxat in eo, de quo eſt quæſtio, ſed fundari in eo, quod plurimi Doctores, & Sapientes idem affirment, videlicet prudenter, & licite agere, qui ſecundum minus probabilem agit, dummodo revera probabilis ſit.

Solus Auctorum numerus modice ad veritatem confluit.

XXIII. At miſerandum plane præſidium affert multitudo, ſi armis rationum ſit deſtituta. Quid prodeſſe poteſt Conſcientiæ, ſcire, plurimos ita aſſerere, dum ſimul ſcit omnes eſſe deceptos? nonne plurimi illi, quippequi factionis probabiliſticæ, ſuſtinent, licitum eſſe ſequi id, quod minus ad verum accedit, eo rejecto quod magis norunt ad verum accedere? En igitur quomodo auctoritas iſta plurimorum remeat ad petitionem principii, & tanquam certum velit obtrudere id, de quo tota eſt controverſia: ita autem procedere, nonne eſt deceptio, tum reſpectu methodi diſputandi, tum reſpectu meriti diſputationis? Reſpectu quidem methodi diſputandi, quia ab illis omnibus aſſeritur pro ratione, & fundamento id, de quo diſceptatur, quæ eſt fallacia logicalis notiſſima petitionis principii: reſpectu autem meriti diſputationis, quia jam probavimus invictis argumentis, imprudenter agere, nec ſincerum veritatis quæſitorem eſſe illum, qui, dum verum certum haberi non poteſt, (cui omnes parte tenentur) eligit id, quod putat minus ad verum approinquare, eo rejecto, quod ſibi videtur notabilius ad verum accedere. Quid igitur ſubſidii præſtare poteſt numerus Auctorum, qui luce meridiana probantur decepti circa punctum, de quo eſt diſquiſitio?

Ortus Probabiliſmi, epocha. Probabilioriſmi ætas longe antiquior & majori auctoritate fulgens.

XXIV. Neque tamen ſuſpiceris, nos idcirco de numero fautorum parum eſſe ſollicitos, quia factio noſtra commilitonum agmine deſtituta ſit: eorumdem multitudinem volo audias ex ipſorum Probabiliſtarum ſincera confeſſione. Jam indicavi num. 9. hujus paragraphi, quemadmodum ſcriptores omnes, qui uſque ad annum 1577. rei morali operam dedere, probabiliorem tenendam perpetuo docuerint, dum dicta epocha in lucem prodivit primus Medinæ liber Probabiliſmi adinventoris, ut omnes jam norunt. Audias modo celebriorum, & antiquiorum Probabiliſtarum candidam confeſſionem; & primo Ludovici Lopez, qui præfati Medinæ Synchronus fuit, ſex dumtaxat annis a Medinæ obitu ſui Inſtructorii ſcriptor, nempe anno 1583. in cujus parte 1. cap. 20. fatetur: *Scio, communem eſſe ſententiam Soti, Cordubæ, Cajetani, Conradi & Navari* (Theologorum primi ſubſelii) *non ſatis eſſe probabilem opinionem ſequi, ſed probabiliorem eſſe tenendam*. Secundo, celeberrimi Gabrielis Vaſquez, qui tom. 1. in primam ſecundæ diſp. 62. cap. 2. n. 14. citans pro ſua ſolum Medinam; cum in cap. 1. pro noſtra attuliſſet S. Thomam, Henricum Gandavenſem, Cajetanum, Armillam; & cap. 2. n. 7. S. Antoninum, Cordubam, Adrianum, Conradum, Sotum, & Majorem concludens *pro eadem Navarrum fuiſſe, cæteroſque Summiſtas*. Tertio Leonardi Leſſii itidem doctiſſimi, qui 1. 2. q. 19. a. 6. dub. 7. fatetur, quod *multi Doctores videntur exiſtimare, ſemper ſequendam eſſe ſententiam probabiliorem .... quam ſequitur Angelus, Sylveſter, Adrianus, Navarrus, Cajetanus*: & deinde pro ſua n. 45. citat ſolum, unicumque Medinam. Quarto Peſantii, qui q. 19. a. 6. diſp. 2. n. 1. ingenue profitetur, *Agelum, Tabienam, Roſellam, Sylveſtrum, Navarrum docere, probabiliorem eſſe ſequendam, idem quoque docere videtur S. Antoninus: & tandem omnes affirmant, tutiorem partem eſſe ſequendam, quamvis contingat, plures opiniones eſſe æque probabiles*: & ipſe pro ſua q. 18. a. 6. unicum citat ſolumque Medinam. Quinto Grego-

rius

rius Martinez in 1. 2. q. 19. a. 6. dub. 2. affirmans, *Cajetanum*, *Armillam*, *Sylveſtrum*, *Navarrum*, *Henricum*, *& canoniſtas communiter negare quod licitum ſit ex duabus opinionibus æque probabilibus eligere quam malueris*; a fortiori ergo etiam minus probabilem. Sexto Franciſcus Amicus tom. 3. diſp. 15. n. 75. teſtatur, *omnes fere antiquos Theologos negare, licitum eſſe operari ſecundum ſententiam minus tutam, & ſimul minus probabilem; ſemperque ad licite operandum ex ſententia minus tuta exigere, ut illa ſit probabilior*: & ſimiliter fatentur etiam alii. En igitur ex ſincera Probabiliſtarum confeſſione, omnes Canoniſtas, omneſque Theologos, qui Probabiliſmi ortum præceſſere, noſtram docuiſſe. Quis igitur gravamen recenſendi tot propugnatorum nomina ſibi aſſumere volet?

Probabiliſmi impugnatores Purpurati.

XXV. Et ne putes, quod, invaleſcente Probabiliſmo, defecerit Probabilioriſtarum agmen; plurimos extitiſſe ſcias, nedum doctrina ſummos, ſed & pietate inſignes, qui probabiliſmum conſtanter impugnarunt: & ii ſunt eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus in epiſtola ad Epiſcopum Theanenſem nepotem ſuum; Cardinalis Sforzia Pallavicinus, ut conſtat ex epiſtola cujuſdam Patris Nicolai ſub die 29. Martii 1692. relata a Gonzalez diſſert. 13. cap. 1. §. 11. Cardinalis Joannes Bona de Vita Chriſtiana p. 2. §. 49. Cardinalis de Aguirre in præfatione ad tomos Conciliorum Hiſpaniæ, ubi Probabiliſmum ſolemniter abjurat, necnon motiva, quæ ad abjurandum induxerunt, longo ſermone deſcribit. Cardinalis de Lauræa tom. 2. in 3. ſentent. diſp. 11. a. 4. Cardinalis Sfondratus in diſp. juridica de lege in præſumpt. fundata pag. 15. Cardinalis Grimaldus Archiepiſcopus Aquenſis, & Cardinalis Le Camus Epiſcopus Gratianopolitanus; quorum ſuaſu Illuſtriſſimus Genetus Epiſcopus Vaſionenſis in ſua Theologia Morali Probabiliſmum acriter impugnat. Cardinalis Forbinius de Janſon in ſua cenſura ſub die 9. Maji 1659. Cardinalis Sandoval, qui tres ſpectabiliſſimæ vitæ & præſtantiſſimæ doctrinæ Epiſcopos Bernardum Horinvercs Epiſcopum Calaguiritanum, Joannem Palafox Epiſcopum Oxomenſem, & Ludovicum Creſpinum Epiſcopum Placentinum excitavit, ut implacabile bellum Probabiliſmo inferrent. Præter recenſitos

Doctores ex Societate Jeſu.

Eminentiſſimos ac Doctiſſimos Cardinales, plurimi item alii contra probabiliſmum congreſſi ſunt, quorum omnium nomina referre moleſtum ſimul & inutile eſt: ſatis erit præcipuos indicare; & quidem ex inclita Societate Jeſu, præter allatos Eminentiſſimos Purpuratos Bellarminum, & Pallavicinum, ſunt Paulus Comitolus lib. 5. Reſp. moral. q. 5. Michael Elizalde ſub nomine Antonii Celladei in integro opere de recta morali, Ignatius de Camargo p. 1. lib. 1. per totum; Thyrſus Gonzalez ejuſdem Societatis Præpoſitus Generalis in ſuo peregregio Opere inſcripto *Fundamenta Theologiæ Moralis*, quos noviſſime imitati ſunt perdocti P. Gabriel Antoine in ſua Theologia Morali, & P. Gibertus. Ex familia autem noſtra juſſu Reverendiſſimi Magiſtri Generalis Joannis Baptiſtæ de Marinis, excitati a Summo Pontifice Alexandro VII. ut ex noſtro Ordine quoſdam induceret ad ſigna cum Probabiliſmo conferenda; cum non pauci hanc provinciam ſuſceperint, præcipui fuere Julius Mercorus Mantuæ Inquiſitor, Vincentius Baronius, Joannes Baptiſta Gonet, Vincentius Contenſonius, Seraphinus Picinardus, Petrus Labath; & deinceps plures alii. Ex extraneis vero quamplurimi ex utroque Clero numerantur, quorum præcipui ſunt Antonius Merenda in integro volumine contra Probabiliſmum anno 1655. Andreas Blanchus ſub nomine Candidi Philaleti in tractatu de opinionum praxi, Proſper Fagnanus ad caput *ne innitaris* &c. Chriſtianus Lupus in diſſert. de opinione probabili, Franciſcus Genetus ſupra laudatus tom. 1. cap. 32. Andreas Junius in ſuo volumine de Conſcientia, Stephanus Gradius diſput. de opinione probabili, Daniel Epiſcopus Petrocorenſis tom. 1. Theologiæ Moralis lib. 2. cap. 4. Franciſcus Palanicus tractatu de Conſcientia, Pontas tom. 2. ſui dictionarii verbo opinio, aliique multi.

Alii Scriptores.

XXVI. Compertum itaque habeas, ſententiam noſtram graviſſima auctoritate, & longe numeroſiori multitudine Scriptorum muniri, ſi antiquos ante Medinæ Epocham comprehendas, quam oppoſita gaudeat ſententia. Sed præterea noveris, nos de eorum auctoritate non eſſe ſollicitos, qui, ut ſuam probent opinionem, decipiuntur fallacia petitionis principii, idque præſupponunt tanquam certum, ſuper quo tota circumducitur controverſia, a qua fallaci methodo abhorrent noſtri omnes; qui, ut ſuam probent, invictis omnino

utuntur argumentis, quæ jam legiſti, & adhuc leges.

Objectio reſolvitur.

XXVII. Reſpondebis, (& hoc eſt præcipuum adverſæ opinionis fundamentum) quod opinio, quam docent plures docti, pii, & prudentes viri, ſi adoptetur, innoxie adoptatur: atqui poſſe eligi probabilem in concurſu probabilioris, docent plures viri docti, prudentes, & pii, igitur innoxie adoptabitur. Reſpondetur, facillime evertendo fundamentum allatum; & diſtinguendo majorem: innoxie adoptatur, ſi non extet alia opinio contraria, quæ a pluribus viris æque doctis, piis, & prudentibus, necnon firmioribus momentis munita ſuſtineatur, concedo; ſi extet, nego majorem; & diſtinguo minorem: & alias extant viri &c. ſolidioribus rationibus docentes oppoſitam, concedo; non extant, nego minorem, & conſequentiam. Vera itaque eſt major illa abſtrahendo a concurſu: at in concurſu, ſtatim exurgit debitum examinandi motiva utriuſque opinionis; & cum certe verum haberi non poſſit, illa ex duabus adverſantibus eligenda eſt, quæ magis ad verum accedere comperitur; hæc autem illa eſt, quæ probabilior judicatur.

Probatur ex theſi ſecunda ab Innocentio XI. confixa.

XXVIII. Probatur item aſſertio poſita alio argumento ex theſi ab Innocentio XI. ſecundo loco damnata, & ſupra relata num. 7. in qua dicebatur, poſſe Judicem judicare juxta minus probabilem. Itaque indubitabile remanet, quod non poteſt Judex cauſæ temporalis bonorumque temporalium licite judicare juxta minus probabilem, ita definiente S. Sede; igitur neque juxta minus probabilem judicare licite poterit Judex in cauſa ſalutis, animæ, bonorumque æternorum. Hæc conſequentia adeo videtur eſſe perſpicua, ut ſtatim ac oculum mentis offendit, illum percellat, ut ab evadenda ejus vi omnem aditum præcluſum inveniat. Nam ſi attendatur ad cauſæ gravitatem, & meritum, quis ambigat, ſine comparatione majorem eſſe cauſam æternæ ſalutis, Mundi etiam univerſi facta collatione? Si ergo Judex temporalis, ne ſe exponat periculo damnum irrogandi tertiæ perſonæ in bonis temporalibus, tenetur ſub mortali judicare ſecundum probabiliorem; a fortiori ad id tenebitur Confeſſarius Judex in cauſa Conſcientiæ, ne ſe exponat periculo damnum irreparabile irrogandi animabus proximi in ſummo æternæ ſalutis negotio.

Una reſponſio adverſariorum retunditur.

XXIX. Reſpondebis, ad id teneri Judicem temporalem ex tacito cum Republica contractu, dum Judicis munus aſſumpſit, nempe judicandi ſecundum ea, quæ probabiliora apparent. Et ego repono, Confeſſarium quoque hujuſmodi conventionem habere cum Chriſto, dum miniſterium aſſumit animas ſuo Sanguine redemptas judicandi, & dirigendi; ut eas videlicet dirigat juxta probabiliora, quæ a periculo errandi a recta ſalutis ſemita magis arcent. Neque hinc ſequitur, quod ſemper tutiora, & ſecuriora ſuggerere teneretur; nam, ut pluries dixi, non pauca tutiora inveniuntur, quæ ſunt minus rationabilia, minus ad verum appropinquantia, minuſque fundata, & propterea non ſemper tutiora ſuggerere debet, ſed rationabiliora, quæ ſcilicet magis & Legi, & rationi conformantur, quandoquidem neque Deus ſuis legibus, neque Eccleſia ſuis ſub gravi obligantibus, velint fideles conſtringere, niſi ad ea in obſcuris ſectanda, quæ lumini rationis a fide illuſtratæ, & intentioni legum magis convenire repererint, quamvis minus ſint tuta.

Altera ſimiliter rejicitur.

XXX. Reſpondebis iterum, Confeſſarium ſequentem minus probabilem in negotio animæ & æternæ Salutis, ſe dirigere reflexionibus eidem ſuadentibus, quod ita ſibi agere liceat. Et ego repono: omnes illas reflexiones quotquot a ſuis adinventoribus excogitari potuerunt, non valuiſſe, quominus Judex temporalis ſubtrahatur a fulgure S. Sedis, & illicite agat, ſi juxta minus probabilem in cauſa temporali judicet; quomodo igitur ſubtrahere valebunt reflexiones illæ Confeſſarium judicem animæ in cauſa æternæ ſalutis, ſi judicet juxta minus probabilem? Quid ad hæc reſponderi poteſt quod ſolidum ſit? Quandoquidem omnia motiva, quæ afferri poſſunt, ut juſta comprobetur damnatio indicatæ theſis de judice temporali, incomparabiliter fortius concludent contra Judicem animæ in cauſa ſalutis. Sicut ergo omnes reflexiones inutiles fuere, ut excuſaretur Judex temporalis ab illicite agendo, dum judicat juxta minus probabilem; ita, & eo urgentius, inutiles cenſendæ erunt, ut excuſetur Confeſſarius ab illicite agendo, judicans juxta minus probabilem in cauſa animæ. Hoc argumentum adeo eſt evidens; & decretorium, ut plures non deſint, qui affirment, fuiſſe a fortiori in præfata theſi virtualiter & implicite confixam

fixam

fixam propoſitionem, quod in cauſa ſpirituali Conſcientiæ, & ſalutis animæ poſſit Judex Confeſſarius reſolvere juxta minus probabilem contra probabiliorem ſibi notam.

Probatur ultimo. XXXI. Probatur tandem aſſertio alia ratione validiſſima. Ut homo prudenter ſe gerat in obſcuris, & incertis, debet ita ſe gerere, ut in caſu, quo forte erret, poſſit rationabiliter errorem ſuum excuſare, & probare juſtam ſuam excuſationem, bonamque fidem in agendo: hæc propoſitio patet ex terminis apud prudentes omnes; atqui ille, qui eligit pro dirigenda conſcientia minus probabilem, relicta probabiliori ſibi nota, ſi erret, non poteſt ſui erroris juſtam excuſationem afferre; quandoquidem noverat, quod agere juxta probabiliorem eſſet rationi conformius, magiſque ad veritatem accedens; igitur caret juſta excuſatione, & bona fide in eligendo; dum propria ipſi Conſcientia demonſtrabat, quod agere alio modo eſſet Legi, & Veritati conformius. Quo etenim jure poterit deceptus Chriſto Judici reſpondere: putabam me innocenter verum eligere; dum Chriſtus ei reponere poteſt: nonne tua tibi Conſcientia demonſtrabat, longe conformiorem veritati fuiſſe opinionem, quam reijciebas? Proderit ne, ſe recipere ad reflexiones inſubſiſtentes? Quandoquidem cum nunquam efficere poſſint, ut id, quod creditur magis ad verum accedens, rationabiliter repellatur, ut id eligatur, quod minus ad verum approqinquare apparet; nunquam ſubminiſtrare poterunt juſtam defenſionem ab exprobratione Judicis Jeſu Chriſti: & idcirco fere communiter probabiliſtæ docent, in puncto mortis probabiliorem ſequendam: cur ergo non tempore vitæ? nonne eadem eſt anima? eadem æternitas? idem periculum? Neque tandem dicas, ad prudenter agendum pro anima, ſufficere quod opinio probabilis non poſſit ut determinate falſa demonſtrari. Reſpondeo enim, quod de opinione cognita falſa non eſt quæſtio; ſed dumtaxat quæritur, an poſito quod certo vera nequeat haberi, (ad quam omnes tenentur) ſufficiat eam eligere, quæ cognoſcitur ad verum minus accedere, relicta illa, quæ magis accedere noſcitur; quod illicitum ſit, convincunt hactenus allata momenta: unde quamvis nequeat probabilis convinci certo falſa, convincitur tamen longius a vero diſtare, & propius ad falſum accedere, quod ſufficit, ut operantem condemnet reum imprudentiæ, veritatis non ſincerum amatorem, & inexcuſabilem apud Judicem Chriſtum in caſu, quo erret; a quibus notis vacat, qui eligit eam, quam videt magis ad verum appropinquare. Et hæc dixiſſe ſufficiat pro hac fundamentali totius Theologiæ moralis diſputatione, cujus fuſiorem diſcuſſionem ſi optes videre, legas doctiſſimum P. Thyrſum Gonzalez, inſignem Societatis Jeſu Præpoſitum Generalem, Stephanum Gradium doctiſſimum Bibliothecæ Vaticanæ olim Præfectum; Proſperum Fagnanum doctiſſimum Sacrarum Congregationum Almæ Urbis miniſtrum, atque per multos annos Sacræ Congregationis Concilii Secretarium in locis ſupra citatis, P. Michaelem Elizalde, præſtantem dictæ Societatis Theologum, necnon Patrem Fratrem Danielem Concina recentiſſimum hujus noſtræ opinionis propugnatorem.

De hac ipſa re nuperrime ſcripſit R. P. F. Joannes Vincentius Patuzzi O. P. egregium ſane Opus, cui titulus: *Della regola proſſima delle umane azioni &c.* ubi plurimis, validiſſimiſque argumentis probabiliſticum ſyſtema plane contrivit: quod quidem opus ab eo italice lucrubratum, paulo poſt ab alio Scriptore in latinum idioma converſum eſt. Deinde compendium ejuſdem Operis lingua pariter italica exaratum, Venetiis, Neapoli, ac Mediolani cuſum eſt; immo paucis ab hinc menſibus latine verſum & publica luce donatum.

Præter relatas ab Auctore in hoc §. damnatas olim a Summis Pontificibus circa probabiliſmum propoſitiones, aliæ poſt ejus obitum Decreto S. Rom. & Univ. Inquiſitionis a S. S. D. N. CLEMENTE PAPA XIII. feliciter regnante confirmato fuere proſcriptæ, quas hoc loci una cum illo exſcribere, & ob oculos ponere abs re non erit. Hinc enim magis, magiſque exploratum fiet quantum Eccleſia a probabiliſmi doctrina abhorreat.

Digitized by Google

DECRETUM.

S. ROM. ET UNIV. INQUISITIONIS *confirmatum* a SS. D. N. CLEMENTE PAPA XIII., *quo prohibentur Theſes circa probabiliſmum expoſitæ publicæ diſputationi anno præterito* 1760. *Aviſii in Diœceſi Tridentina.*

Feria v. die 26. Februarii 1761.

PEr ſuas litteras ad Congregationem S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis, labente ſuperiori anno datas, dolenter nimium conqueſtus eſt Antonius Ceſchi Tridentinæ Eccleſiæ Canonicus Decanus, Theſes quaſdam de Probabiliſmo a Parocho Aviſienſi Diæceſis Tridentinæ in Ædibus canonicalibus jam pridem propugnatas, poſtmodum ſine nota loci, & Auctoris obſcuro prælo fuiſſe cuſas, & vulgatas non ſine Religionis detrimento, & bonorum offenſione, præſertim Eccleſiaſticorum, quorum pars eſt ſuo regimini, & vigilantiæ concredita. Poſtulante itaque eodem Decano congruum adhiberi remedium ingruenti malo, ne latius ſerpat, Theologicæ cenſuræ de more ſubjectæ fuerunt prædictæ Theſes unico contentæ ſolio impreſſo, cujus tenor ita ſe habet.

PROBABILISMUS.

Publicæ Diſputationi Ven. Clero Aviſienſi exercitii gratia expoſitus contra Probabilioriſmum ſtricte talem ut pote *negotium perambulans in tenebris.*

Pro die 10. Junii 1760. In Ædibus Canonicalibus Aviſii.

Utinam obſervaremus mandata domini certa! Quid nobis tanta ſolicitudo de dubiis? Celeberrimus P. Conſt. Roncaglia l. 2. c. 3.

I.

Probabiliſmus noſter verſatur circa hæc tria.

Licet ſequi probabiliorem pro libertate, relicta minus probabili pro Lege.

Licet ſequi æque probabilem pro libertate, relicta æque probabili pro Lege.

Licet ſequi minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro Lege.

EX IIS,

Deducuntur ſequentia Paradoxa.

II.

Uſus Probabiliſmi maxime tutus: uſus Probabilioriſmi maxime periculoſus.

III.

Uſus genuini Probabiliſmi minime in laxitatem degenerare poteſt: Uſus Probabilioriſmi ſtricte talis in Rigoriſmum excurrere debet.

IV.

Probabilioriſtas qua tales, qui ex conſilio probabiliora ſequuntur, laudabiliſſime operari affirmamus.

V.

Probabilioriſtis ſtricte talibus, qui ex præcepto, quod numquam clare probant, ſeipſos & alios ad probabiliora impellunt, merito Rigoriſtarum nomen imponimus.

VI.

Qui nullatenus ad chriſtianam perfectionem tendere poſſunt niſi ſequendo probabiliſſima.

VII.

Abuſus Probabilioriſmi ſtricte talis non ſolum licentiæ frænum, ſed licentiæ calcar eſt; quod Gallorum teſtimonio comprobamus.

VIII.

Genuinus itaque noſter Probabiliſmus, qui nec morum corruptelam inducit, nec a S. Sede umquam male fuit notatus, origine ſua Thomiſticus, progreſſu ætatis Jeſuiticus, ut pote a quo arctatus, emendatus, & contra Janſenianos furores propugnatus fuit.

IX.

Qui ergo habitat in adjutorio fundatiſſimi Probabiliſmi, ſub plurimorum ex omnibus Orbis Chriſtiani nationibus præſtantiſſimorum Theologorum protectione commorabitur ſecurus.

Ex Hiſtoria Critica.

X.

Hinc ſine ulla laxiſmi nota Benigniſſimum etiam vocamus, ſed legitimum, quem ſuadent utraque Lex Cæſarea, & Pontificia; ſed Dominicanum, quem illuſtris Dominicanorum Ordo jam a primis tempori-

poribus eſt amplexus: ſed Pium, qui Chriſtianam pietatem fovet; ſed Thomiſticum, quem S. Thomas in amoribus habuit, qui ducentas & plures opiniones libertati faventes in ſuis ſententiarum Libris docet; ſed Chriſtianum, qui Chriſto Domino ſumme familiaris fuit.

O. A. M. D. & V. G.

Pro coronide. Probabiliſmus noſter ſtans pro libertate, eſt notabiliter probabilior ipſo Probabilioriſmo ſtante pro Lege.

Cum vero Theſes hujuſmodi notæque Theologice expenſæ fuerint in Congregatione generali habita in Palatio Apoſtolico Quirinali coram Sanctiſſ. Domino noſtro CLEMENTE PAPA XIII. Sanctitas ſua auditis Eminentiſſimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatorum ſuffragiis, folium prædictum, & Theſes in illo expoſitas prohibendas ac damnandas eſſe cenſuit, prout præſenti Decreto damnat, & prohibet tanquam continentia propoſitiones, quarum aliquæ ſunt reſpective falſæ, temerariæ, & piarum aurium offenſivæ. Illam vero excerptam a numero 10. nempe probabiliſmum, *qui Chriſto Domino ſumme familiaris fuit*, proſcribendam uti erroneam, & hæreſi proximam.

Præfatum itaque folium ſive Theſes, ut ſupra exſcriptas ſic damnatas, & prohibitas Santiſſimus Dominus noſter vetat, ne quis cujuſque ſtatus & conditionis ullo modo ſub quocunque prætextu quovis idiomate imprimere, ac imprimi facere, vel tranſcribere, aut jam impreſſum, ſive impreſſas apud ſe retinere, & legere, ſive privatim, ſive publice propugnare audeat, ſed illud, vel illas Ordinariis locorum, vel hæreticæ pravitatis inquiſitoribus tradere & conſignare teneatur ſub pænis in Indice librorum prohibitorum contentis.

Benedictus Veterani
Aſſeſſor.

Num autem ex harum propoſitionum damnatione Probabiliſmus uſquequaque proſcriptus cenſeri debeat, ut nonnulli opinantur, aliorum eſto judicium. Hoc unum certum eſt, compertumque, Eccleſiam ſemper probabiliſmi doctrinam improbaſſe, quod ſatis eſſe deberet, ut unuſquiſque ab ea ulterius propugnanda deſiſteret. Lege Decretum Alexandri VII. evulgatum die 24. Septembris anni 1665., nec non duo Decreta Ven. Innocentii XI. alterum 1679. ad univerſalem Eccleſiam directum: alterum 1680. ad Generalem Societatis Jeſu datum, in quo perſpicue declarat, ſe Probabiliſmum deteſtari.

Ex iis autem, quæ tum in hoc, cum in præcedenti §. ab Auctore tradita ſunt

Colligendum 1. eſt cum P. Fr. Thoma Du Jardin *Parte Prima de Officio Sacerdotis qua Judicis Sect.* 1. §. 3. illicite impendi abſolutionem iis, qui a confeſſario moniti nolunt in praxi recedere a ſententiis laxis & practice improbabilibus, quales ſunt non ſolum omnes illæ, quas ſancta Sedes tanquam falſas, aut in praxi pernicioſas damnavit, & quæ communi Theologorum calculo ut tales habentur, ſed etiam omnes opiniones minus probabiles faventes libertati adverſus legem naturalem, divinam, vel humanam, pro qua ſtat opinio manifeſte probabilior. „ Ratio eſt quia hu-
„ juſmodi pænitentium diſpoſitio pluſquam
„ ſuſpecta, & dubia eſſe debet Confeſſario,
„ eo ipſo quod in animo habere pergant
„ tales in praxi ſequi opiniones, quæ pro-
„ bata Theologorum ſententia non ſunt
„ tutæ morum regulæ. “

Colligendum 2. non poſſe etiam Confeſſarium ob eamdem rationem abſolvere pœnitentem, qui ſequitur in praxi opinionem faventem libertati, quæ ipſi apparet æque probabilis ac opinio contradictoria favens legi, niſi ab illius praxi velit recedere.

Quæres. „ Quid ſi pœnitens dicat, opi-
„ nionem faventem libertati, variantibus
„ Doctorum ſententiis, apparere ſibi pro-
„ babiliorem, imo abſolute veram; cum
„ tamen confeſſario hæc appareat minus
„ probabilis: poteritne abſolvi, ſi ab ejus
„ ſequela nolit deſiſtere?

„ Reſp. negative, ſaltem per ſe loquen-
„ do. Ratio eſt, inquit præcitatus Auctor,
„ quia licet Confeſſarius debeat credere
„ pœnitenti in iis, quæ ad eum, ut pœ-
„ nitens eſt, attinent; nempe in quæſtio-
„ ne facti, an commiſerit, vel non com-
„ miſerit talia vel talia crimina, cum his
„ vel cum illis circumſtantiis, non tamen
„ debet credere pœnitenti in iis, quæ ad
„ ipſum, ut pœnitens eſt, non attinent,

„ nempe in quæſtione juris, an ſcilicet ta-
„ lis actio ſit vel non ſit peccatum mor-
„ tale; an detur vel non detur obligatio
„ reſtituendi: ſed potius ipſe pœnitens in
„ iis debet credere Confeſſario, judicium-
„ que ſuum ſubmittere judicio Confeſſarii,
„ ad quem præcipue ſpectat harum rerum
„ cognitio, ne cogamur admittere hoc in-
„ conveniens, quod Judex, Doctor, ac
„ Medicus, quorum partes in ſacro tri-
„ bunali ſuſtinet Confeſſarius, proprio ju-
„ dicio relicto, judicium rei, diſcipuli,
„ ac infirmi, ſequi teneantur.

„ Dixi: ſaltem per ſe loquendo; quia
„ ſi pœnitens foret vir timoratus, & valde
„ doctus, aſſereretque, ſententiam faven-
„ tem libertati poſt diligentem veritatis
„ inquiſitionem citra omnem paſſionem a
„ ſe judicari judicio non fluctuante abſo-
„ lute veram, non apparet, cur talis pœ-
„ nitens judicium ſuum ſubmittere deberet
„ judicio Confeſſarii, niſi agatur de inju-
„ ria tertii, valore Sacramenti, aut tranſ-
„ greſſione legis naturalis. Tunc enim, va-
„ riantibus Doctorum ſententiis, ample-
„ ctenda eſt pars tutior: " Sic quidem il-
le. Lege etiam quæ ad rem hanc docet Auctor *Tract. 14. cap. 4. de Sacramento Pœnitentiæ* §. 7. *n.* 13.

* Lubet paucis perſtringere, atque ſummatim ob oculos ponere totam de probabilitatis uſu doctrinam juxta ſanam, ac ſolidam graviorum Theologorum ſententiam; ſicque aliqua etiam obiter indicare, quæ ab Auctore ſunt omnino prætermiſſa. Itaque *opinio probabilis* bifariam ſpectari poteſt, nempe *ſolitarie*, ſive extra concurſum cum alia propoſitione oppoſita, & *conjunctim*, ſeu in concurſu cum propoſitione oppoſita. Si opinio probabilis ſpectetur primo modo, videlicet *ſolitarie*, ſeu extra concurſum &c. poſito quod ſit *vere & unice probabilis* ſive faveat legi, ſive etiam faveat libertati, valet eſſe norma operandi, cum nimirum aſſequi nequimus id, quod eſt certo & evidenter verum, quia hoc in profundo deliteſcit. Si vero ſpectetur ſecundo modo, ſcilicet *conjunctim* ſeu in concurſu &c. tunc vel duæ opiniones probabiles ex adverſo concurrentes ſunt æqualibus aut ferme æqualibus fultæ argumentis, & ita morali ſenſu *æqualiter* aut quaſi *æqualiter* probabiles; & in tali caſu ſolam opinionem *tutiorem*, quæ favet legi, adſtringimur amplecti, ſi neceſſitas immineat agendi: vel ambæ opiniones gradibus probabilitatis inter ſe diſcriminantur, & tum ſi tutior, quæ favet legi, ſit probabilior; & minus tuta, quæ favet libertati, ſit minus probabilis, tenemur illam ſectari, & iſtam deſerere: ſi vero omnibus rite perpenſis, *probabilior notabiliter* appareat quæ favet libertati ſeu *minus tuta: & minus probabilis* quæ favet legi ſeu *tutior*, licitum erit illam ſequi, & iſtam relinquere. Conſulto dicimus, ſi probabilior *notabiliter* appareat; neque enim licitum eſt ſequi opinionem minus tutam, quæ apparet dumtaxat paulo probabilior tutiore. Quoniam in moralibus parum pro nihilo reputatur; & exiguus probabilitatis exceſſus non fundat certitudinem moralem, nec excludit formidinem rationabilem erroris, nec proinde tollit periculum probabile peccandi. Legatur Petrus Collet *Inſtit. Theol. tom. 2. tract. de Conſcientia cap. 5. concl. 3. & 4.* ubi rem hanc mature expendit, ac luculenter exponit.

Hæc tamen poſtrema aſſertio quod nimirum liceat amplecti opinionem minus tutam, ſeu ſtantem pro libertate in concurſu opinionis tutioris, ſeu ſtantis pro præcepto, ſi illa ſit hac notabiliter probabilior, patitur exceptionem 1. ubi agitur de procuranda ſanitate corporis, de victoria ſive in bello ſive in judicio, de vitando damno proximi, quod cavere tenemur ex juſtitia vel caritate &c. 2. ubi agitur de iis, quæ ſunt de neceſſitate medii ad ſalutem, vel quæ requiruntur ad validam adminiſtrationem, & ſuſceptionem Sacramentorum; in his namque adſtringimur ſequi tutiorem partem, ut fuſe explicat, atque oſtendit P. Antoine *tract. de Conſcient. cap. 4. in reſp. ad q. 4.* Et iſtud tamen non ſine aliqua moderatione intelligendum videtur, ut ſcite animadvertit perdoctus Theologus Minorita Conventualis qui nuperrime Theologiam Moralem ejuſdem P. Antoine copioſis acceſſionibus illuſtravit *not. 1. ad q. 1. præcit. cap.* " Etenim ſi opinio, *ait i-*
„ *pſe*, quæ dicitur probabilior, ſed mi-
„ nus tuta, veri ſpecie nimium quan-
„ tum excedat alteram oppoſitam tu-
„ tiorem; ita quidem, ut hæc cum il-
„ la comparata detegatur prudenti judi-
„ cio ferme improbabilis, in tali caſu
„ fas erit, etiam in prædictis materiis
„ exceptis, *probabiliori* adhærere opinio-
„ ni,

„ni, relicta tutiore. Quippe propoſitio illa: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore* ab Innocentio XI. Vener. Pontif. potiſſime *reprobata fuit propter ſuam illimitatam amplitudinem*; uti palam teſtatur in ſuis Commentariis Theologicis unus ex Qualificatoribus ſelectis ad examinandas propoſitiones ab eodem Antiſtite confixas. Hinc etc. cum opinio defendens neceſſarium in Sacramento Pœnitentiæ dolorem perfectum, ſive per ſe juſtificantem, nunc fere exciderit ea probabilitate, quam ex plurium Doctorum ſuffragio olim habebat uſque ad Scoti circiter ætatem; ſapientum judicio extra culpam erit quiſquis modo contrariam opinionem, tametſi minus tutam, in praxi ſectabitur, contentus ſolo dolore imperfecto, qui *attritionis* dicitur: quæcumque ſit genuina hujuſce doloris eſſentia, quod impræſentiarum expendere non vacat.“ Conſule etiam P. Danielem Concina *præcit. tom. 2. Apparatus &c. lib. 3. diſſert. 5. c. 5.* §. 4. ubi punctum hocce accurato examini ſubjicit, atque in bono lumine collocat.

§. VII. *De Conſcientia Scrupuloſa.*

Quid Conſcientia Scrupuloſa, & quænam cauſæ, nec non quænam regulæ ad eam dirigendam.

I. CONſcientia Scrupuloſa eſt opinio ob motiva levia, & frivola, formidans de peccato, ubi non eſt; ut exinde excitetur in animo anxietas & inquietudo. Decem Regulas tradunt Auctores, ut fructuoſe ſcrupuloſa Conſcientia dirigatur. Prima, ut pius, prudens, & ſapiens director ſcrupuloſum adigat ad ſibi fideliter parendum; obedientiam ſimplicem, & cæcam ſuadendo; & præcipue caveat a reddenda ſcrupuloſo ratione documentorum illi datorum. Secunda, ut cauſas, quoad fieri poteſt, ſcrupulorum pœnitentis exploret; quarum quædam ſunt intrinſecæ naturales, nempe temperies melancholica, indoles timida, mentis debilitas: quædam ſunt intrinſecæ vitioſæ, nempe ignorantia, ſuperbia, obſtinatio, inconſtantia, puſillanimitas: quædam ſunt extrinſecæ, nempe Dæmonis inſtigatio, & cum ſcrupuloſis converſatio. Explorata autem cauſa, ei apponat remedia reſpective requiſita. Tertia regula eſt, tradere ſcrupuloſo regulas quaſdam generales, unde prohibeatur ipſi frequens ad directorem acceſſus, ſed perſiſtat in regulis acceptis exequendis. Quarta, ut doceat, pœnitentem, nulli ſcrupulo, cognito tali, unquam cedere, ſed juxta regulas traditas illum contemnere, & contra illum agere. Quinta, ſi pœnitens ſit timoratæ Conſcientiæ, prohibeat longum examen ejuſdem, præſcribatque mediocre, immo quandoque leviſſimum. Sexta, repetitionem Confeſſionum generalium regulariter interdicat, nam ſemel una facta cum ſufficienti diligentia, & poſt permiſſa illa diſcreta ſupplementa confeſſionis peccatorum vel inadvertenter in generali confeſſione oblitorum, vel ex ignorantia non expoſitorum, quando animadvertit, ſatis fuiſſe ſuppletum, & exinde eidem anxietatem, & indevotionem creari; prohibeat, ne in poſterum aliquid dicat, ſed tantummodo ut a Deo veniam humiliter petat. Septima, ſi ſcrupulis nimium vexetur circa aliquam obligationem juris non naturalis, re mature perpenſa, aut commutationem, aut diſpenſationem illi obtineat, prout in Domino expedire videbitur. Octava, ad Sacramentorum piam frequentiam ſollicitet. Nona, ne auſterum ſe præbeat afflicto; eſſet enim eidem addere afflictionem, ſi dum ad remedium accedit, novam afflictionem ſubire compelleretur; & ſi quandoque cum illo ſevere tractare opus fuerit, id agat tamen, quin confidentiæ aditum tollat, quem ſemper chriſtiana charitas apertum eſſe poſtulat. Decima, caveat, ne nimis laxando, conſcientiam pie timoratam exuat, nimiſque liberam aſſumat, & ne fruſtra fatigetur in procurando, ut minus quam fieri poteſt, damnis a ſcrupulis profluentibus ſcrupuloſus obnoxius fiat.

Scrupulorum damna.

II. Si autem ſciſciteris; quænam ſint iſthæc damna; ſex experimento eſſe deprehenduntur. Primum eſt jugis animi perturbatio, & afflictio. Secundum, offendicula opponere animæ progreſſui: Tertium, præcludere aditum conſolationibus Spiritus Sancti, quibus dilatatum cor, viam mandatorum facilius, & promptius currat: Quartum, generare ariditatem Spiritus, atque animam afflictione pertæſam ab oratione removere, gravia & importabilia reddendo omnia pietatis ac devotionis opera, ita ut vel omittantur, vel multis defectibus conſperſa perficiantur: Quintum, terere multum temporis in

ſcrupulis revolvendis, ſpeculandis, recoquendis: unde ſcrupuloſus ad actiones a ſtatu ſuo requiſitas cum magno Familiæ, Religionis, miniſterii detrimento, vel animo non attendat, vel eaſdem dimidiate perficiat: Sextum, exponi non raro magno periculo vel inſaniendi, vel in varia lethalia prolabendi, ſive impudicitiæ, ſive deſperationis, ſive blaſphemiæ; anima enim jugi afflictione confecta, omnique Divina unctione, ob ſui indocibilitatem privata, facile trahi poteſt, aut ad levamen ſibi illecebris carnalibus procurandum; aut ad lamentationes blaſphemas contra Deum, quem tanquam tyrannum veretur, proferendas; aut ad omnia fræna, ſibi indiſcrete impoſita, ita excutienda, ut a profunda deſperationis abyſſo abſorpta, difficultatibus, quæ pro æterna vita comparanda ſuperandæ occurrunt, turpiter cedat, & in cunctorum lacunam vitiorum demergatur.

Scrupulorum remedia. III. Poſt audita ſcrupulorum damna, audiantur etiam remedia. Primum eſt humilis ad Deum ſupplicatio, frequenſque uſus jaculatoriarum confidentiæ in ipſum, ad obtinendam Conſcientiæ tranquillitatem: cum tamen expectanda non ſint a Deo miracula, & ſcrupuloſus non ſanetur, niſi remedio ſimplicis & humilis obedientiæ; idcirco ſecundum remedium eſt, ſine quo nihil omnino proderunt alia quæcunque, ſimplex & cæca obedientia docto, pio, & prudenti Confeſſario. Tertium abſtinere a peccatis certo talibus, nedum lethalibus ut ſupponitur, ſed & venialibus, quoad fieri poterit. Quartum, obſervare & imitari vitam proborum hominum ejuſdem ſtatus vitæ, non ſcrupuloſorum. Quintum, fugere otium, ita ut Dæmon ſcrupuloſum ſemper occupatum inveniat. Sextum, ſtatim ac ſcrupulus menti ſe offert, ab eo mentem avertere, alioque convertere. Septimum, agere contra ſcrupulos, deponendo prius omnem dubitationem, juxta regulas a directore præſcriptas. Octavum tandem, procurare, ut radix ſcrupulorum evellatur; ſi nempe ſit melancholia, animum levando moderatis & honeſtis ſolatiis; ſi ſuperbia, ſe humiliando; ſi obſtinatio, ſeipſum abnegando; ſi ignorantia, inſtructionem procurando; ſi timiditas, in Deo confidendo; ſi Dæmonis inſtigatio, eum repellendo affectuoſis Dei invocationibus, a quo tandem cuncta in neceſſitatibus noſtris levamina ſunt expectanda. Ad cujus majorem gloriam huic primo capiti finem impono.

CAPUT II.

De Secunda morum regula, & quidem exteriori, nempe de Lege.

§. I. *De natura Legis, & conditionibus ad eamdem requiſitis.*

I. Lex ex D. Thoma 1. 2. q. 90. a. 4. *eſt quædam ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam Communitatis gerit, promulgata.* Dicitur *ordinatio rationis*, quia Legem ferre eſt actus intellectus practici, ordinare namque eſt actus facultatis videntis & dirigentis humanas actiones. Quamvis autem etiam voluntas ad condendam legem, ut vim obligandi obtineat, concurrere debeat; tanquam cauſa extrinſeca concurrit, non tanquam cauſa formalis legem conſtituens: quapropter etiam obligatio ipſa, quoad gradum obligationis, ab intellectu menſuram ſuſcipit: quandoquidem, ut ait S. Doctor loco citato, ad 3. voluntas obligandi debeat eſſe *aliqua ratione regulata, & hoc modo intelligitur, quod voluntas Principis habet vigorem legis, alioquin voluntas Principis eſſet magis iniquitas, quam Lex.* Traditur & explicatur natura Legis.

II. Dicitur *ad bonum commune*, quod legum omnium debet eſſe ſcopus, & per hoc Legislator differt a Tyranno, ille enim ad bonum commune inſpicit: hic vero ad commodum proprium. Atque exinde præterea lex differt a præcepto; hoc namque uni, vel aliquibus imponitur; & quidem præſentibus, ſeu ſaltem exiſtentibus; atque præcipientis morte exſpirat: illa autem toti Communitati imponitur; futuros etiam comprehendit; neque obitu Legislatoris occumbit. Scopus Legis.

* Quod lex ad bonum commune ſemper ordinetur perſpicue demonſtrat D. Thomas *loc. citato art. 2.* cujus verba ſubtranſcribere: *Dicendum*, ait, *quod lex pertinet ad id, quod eſt principium humanorum actuum, ex eo quod eſt regula & menſura. Sicut autem ratio eſt principium humanorum actuum; ita etiam in ipſa ratione eſt aliquid, quod eſt principium reſpectu omnium aliorum: unde ad hoc oportet quod principaliter & maxime pertineat lex. Primum autem principium in operativis, quorum eſt ratio*

tio practica , eſt finis ultimus . Eſt autem ultimus finis humanæ vitæ fælicitas , vel beatitudo ... unde oportet quod lex maxime reſpiciat ordinem , qui eſt in beatitudine . Rurſus cum omnis pars ordinetur ad totum , ſicut imperfectum ad perfectum : unus autem homo eſt pars communitatis perfectæ : neceſſe eſt , quod lex proprie reſpiciat ordinem ad felicitatem communem ... In quolibet autem genere id , quod maxime dicitur , eſt principium aliorum ; & alia dicuntur ſecundum ordinem ad ipſum : ſicut ignis , qui eſt maxime calidus , eſt cauſa caliditatis in corporibus mixtis , quæ intantum dicuntur calida , in quantum participant de igne : unde oportet quod cum lex maxime dicatur ſecundum ordinem ad bonum commune , quod quodcumque aliud præceptum de particulari opere non habeat rationem legis niſi ſecundum ordinem ad bonum commune ; & ideo omnis lex ad bonum commune ordinatur .

Quinam poſſint condere legem ?

III. Dicitur *ab eo , qui curam Communitatis gerit* : quia requirit in legiſlatore poteſtatem juriſdictionis , qua præſit perfectæ Communitati : unde omnes illi , qui juriſdictione pollent , & perfectæ Communitati præſunt , poſſunt in ordine ad eamdem leges ferre : hinc Pontifex , Concilia Generalia , Provincialia , Diœceſana , Epiſcopi , Generales Ordinum Regularium , Comitia Generalia poſſunt leges Eccleſiaſticas reſpective condere . Ita laici , qui nemini civiliter ſubſunt in hoc mundo , & civili juriſdictione gaudent , perfectæque Communitati præſunt , leges civiles , & quidem locales , condere poſſunt , tales ſunt Imperatores , Reges , Principes Supremi , Reſpublicæ independentes , Civitates liberæ . Hinc defectu præſidentiæ veræ & perfectæ Communitatis , neque Provinciales , neque Priores locales leges Eccleſiaſticas : ſicuti neque Patresfamilias leges condere queunt ; quamvis vera præcepta , etiam ſub mortali obligantia , juxta gravitatem rei , ſtatuere poſſint .

* Ad ea confirmanda quæ docet Auctor *num. præced.* juvat ſubjicere quæ habet D. Thomas *præcitatæ quæſtionis art. 2. Primo in corp. Dicendum* , inquit , *quod lex proprie & principaliter reſpicit ordinem ad bonum commune : ordinare autem aliquid in bonum commune eſt vel totius multitudinis , vel alicujus gerentis vicem totius multitudinis , & ideo condere legem vel pertinet ad totam multitudinem , vel pertinet ad perſonam publicam , quæ totius multitudinis curam habet ; quia & in omnibus aliis ordinare in finem eſt ejus , cujus eſt proprius ille finis . Secundo in reſp. ad 2.* animadvertit , *quod perſona privata non poteſt inducere efficaciter ad virtutem ; poteſt enim ſolum movere , ſed ſi ſua motio non recipiatur non habet vim coactivam , quam debet habere lex ad hoc quod efficaciter inducat ad virtutem ... hanc autem virtutem coactivam habet multitudo , vel perſona publica , ad quam pertinet pœnas infligere ... & ideo ſolius ejus eſt legem facere . Tertio* demum *in reſp. ad 3. obſervat , quod ſicut homo eſt pars domus , ita domus eſt pars civitatis : civitas autem eſt communitas perfecta ... & ideo ſicut bonum unius hominis non eſt ultimus finis ; ſed ad commune bonum ordinatur : ita etiam & bonum unius domus ordinatur ad bonum unius civitatis , quæ eſt communitas perfecta . Unde ille , qui gubernat aliquam familiam poteſt quidem facere aliqua præcepta , vel ſtatuta ; non tamen quæ proprie habeant rationem legis* . Hactenus S. D. Quæ quidem traditam ab Auctore doctrinam confirmant atque illuſtrant .

IV. Dicitur *promulgata* , quia , ut ait S. Doctor loc. cit. a. 4. *Lex imponitur aliis per modum regulæ & menſuræ : regula autem & menſura imponitur per hoc , quod applicatur iis , qui regulantur & menſurantur : unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat , quod eſt proprium legis , oportet , quod applicetur hominibus , qui ſecundum eam regulari debent : talis autem applicatio fit per hoc , quod in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione : unde promulgatio ipſa neceſſaria eſt ad hoc , quod lex habeat ſuam virtutem .*

Requirit promulgationem .

V. Quomodo autem fieri poſſit , ut illi , qui publicationi legis non interfuerunt , lege teneantur , explicat S. Doctor loc. cit. a. 4. *Illi , coram quibus lex non promulgatur , obligantur ad legem obſervandam , in quantum ad eorum notitiam devenit per alios vel devenire poteſt , promulgatione facta .* Legis igitur violatores non ſunt illi , quibus nondum lex innotuit . Si autem data opera , & dolosa arte illius notitiam declinare ſtudeant ; jam ſunt violatores culpabiles in volita cauſa ignorantiæ ; cum fraus adhibita ipſis ſuffragari non debeat . Porro actus legis ſunt , præcipere , prohibere , punire , & , ut multis placet , permittere , quod quidem verum eſt , quando permiſſio eſt poſitiva , ſeu

Quomodo afficiat abſentes a loco , in quo promulgatur ?

Actus legis quinam ?

quæ-

quædam diſpenſatio, non autem quando eſt mera præteritio.

§. II. *De legum Diviſione; & primum de Lege Divina.*

Diviſio legis in Divinam & Humanam. Divinæ in Æternam, & Temporalem.

I. LEx primo dividitur in Divinam & Humanam: Divina eſt a Deo, Humana eſt ab homine. Divina ſubdividitur in Æternam, & Temporalem; Naturalem, & Poſitivam. Lex æterna, juxta S. Thom. 1. 2. q. 93. a. 1. *eſt ratio Divinæ Sapientiæ, ſecundum quod eſt directiva omnium actuum, & motionum*; quam patet ex terminis eſſe æternam. Sequitur S. Doctor. a. 2. *legem æternam nemo poteſt cognoſcere ſecundum quod eſt in ſe ipſa, niſi ſolus Deus, & Beati, qui Deum per eſſentiam vident: ſed omnis creatura rationalis ipſam cognoſcit ſecundum aliquam irradiationem vel majorem, vel minorem: omnis enim cognitio veritatis eſt quædam irradiatio & participatio legis æternæ.... Veritatem autem omnes aliqualiter cognoſcunt, ad minus quantum ad principia communia legis naturalis: in aliis autem, quidam plus, & quidam minus participant cognitione veritatis; & ſecundum hoc etiam plus vel minus cognoſcunt legem æternam*. Qui igitur agunt juxta dictamen rectæ rationis, obediunt legi æternæ: ſecus vero qui contra. A lege æterna omnes leges derivantur: *omnes enim leges inquantum participant de recta ratione, in tantum derivantur a lege æterna*, ait S. Doctor a. 3. cum enim ſola lex æterna ſit lex per eſſentiam, & quæcumque aliæ ſunt tales per participationem: ab illa neceſſe eſt eas derivari: & propterea Proverb. 8. dicitur: *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*. Triplici autem modo derivantur a lege æterna: nempe tanquam a primo exemplari; ſecundo, tanquam a primo efficiente, a quo eſt omnis legislatorum poteſtas; tertio, tanquam a primo irradiante, in quantum lex æterna, mediante lumine rationis naturalis, vel lumine fidei, jubet, vel approbat, ut leges condantur, juxta diverſitatem temporum, locorum, & perſonarum. Lex Divina Temporalis, ſive temporaria, eſt lex a Deo inſtituta non ut ſemper, ſed ut determinato tempore duret, v. g. lex Circumciſionis, quæ durare debebat uſque ad inſtitutionem Baptiſmi.

Lex Æterna coincidit cum naturali in Deo.

II. Lex Divina naturalis, prout eſt in Deo, coincidit cum lege æterna, quatenus ſcilicet ſignificat ipſam convenientiam, aut diſconvenientiam extremorum ad invicem, aut ab invicem, circa veritates mere naturales practicas: puta adulterium eſſe malum, Parentes eſſe honorandos &c. Eapropter lex Divina dictans, & jubens ea, quæ per rationem naturalem cognoſci poſſunt agenda vel fugienda, eſt naturalis. Lex Divina poſitiva eſt illa, quæ ex Dei beneplacito inſtituitur, ut ab hominibus obſervetur, prout ipſe Deus libere diſpoſuerit. v. g. lex ſuſcipiendi Sacramenta &c. Lex Divina poſitiva dividitur in Veterem & Novam: Vetus eſt illa, quæ a Deo data eſt Moyſi, continens præcepta Judicialia, & Cæremonialia; nam illa, quæ continet Decalogum, eſt moralis, & naturalis: Nova eſt illa, quæ a Chriſto fuit inſtituta, & per Apoſtolos promulgata.

Quid divina poſitiva?

Ejus diviſio.

* D. Thomas 1. 2. q. 91. art. 4. luculenter oſtendit, quod præter legem naturalem omnibus hominibus inſitam, & legem humanam, neceſſarium fuit ad directionem humanæ vitæ habere legem divinam propter quatuor rationes: *Primo quidem*, ait, *quia per legem dirigitur homo ad actus proprios in ordine ad ultimum finem. Et ſi quidem homo ordinaretur tantum ad finem, qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, non oporteret quod homo haberet aliquid directivum ex parte rationis ſupra legem naturalem, & legem humanitus poſitam, quæ ab ea derivatur. Sed quia homo ordinatur ad finem beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ.... ideo neceſſarium fuit, ut ſupra legem naturalem & humanam dirigetur etiam ad ſuum finem lege divinitus data. Secundo, quia propter incertitudinem humani judicii, præcipue de rebus contingentibus & particularibus, contingit de actibus humanis diverſorum diverſa eſſe judicia, ex quibus etiam diverſæ & contrariæ leges procedunt. Ut ergo homo abſque omni dubitatione ſcire poſſit quid ei ſit agendum, & quid vitandum; neceſſarium fuit ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua conſtat, quod non poteſt errare. Tertio, quia de his poteſt homo legem facere, de quibus poteſt judicare: judicium autem hominis non poteſt eſſe de interioribus motibus, qui latent, ſed ſolum de exterioribus actibus, qui apparent; & tamen ad perfectionem virtutis requiritur,*

tur, quod in utriſque actibus homo rectus exiſtat: & ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare ſufficienter interiores actus: ſed neceſſarium fuit, quod ad hoc ſuperveniret lex divina. Quarto quia ..... lex humana non poteſt *omnia, quæ male fiunt, punire, vel prohibere; quia dum auferre vellet omnia mala, ſequeretur, quod etiam multa bona tollerentur, & impediretur utilitas boni communis, quod eſt neceſſarium ad converſationem humanam. Ut ergo nullum malum improhibitum, & impunitum remaneat, neceſſarium fuit ſupervenire legem divinam, per quam omnia peccata prohiberentur. Et iſtæ quatuor cauſæ, ſubdit, tanguntur in Pſalm.* 118. *ubi dicitur*: Lex Domini immaculata, *ideſt nullam peccati turpitudinem permittens*; convertens animas, *quia non ſolum exteriores actus, ſed etiam interiores dirigit*; teſtimonium Domini fidele, *propter certitudinem veritatis, & rectitudinis*; ſapientiam præſtans parvulis, *inquantum ordinat hominem* ad ſupernaturalem *finem, & divinum*. Quatuor hæc rationum momenta, ut animadvertit P. Daniel Concina *tom.* 6. *lib.* 1. *diſſert.* 2. *cap.* 2. *num.* 7. ab imis convellunt ſiſtema Pufendorfii, Thomaſii, & aliorum Lutheranorum, qui pueriliter jactant ſeſe juris naturalis ſcientiam inſtauraſſe.

§. III. *De Lege humana naturali.*

Diviſio legis humanæ in Naturalem, & Poſitivam.

I. LEx humana primo dividitur in Naturalem, & Poſitivam, de qua in §. ſequenti: lex humana naturalis, de qua in præſenti, eſt participatio legis æternæ naturalis in Deo exiſtentis, quatenus videlicet Deus impreſſit in humana mente lumen, quo cognoſcerentur extrema illa ſuperius indicata inter ſe invicem aut convenire, aut diſconvenire: puta convenientiam horum: Deus eſt colendus, Parentes honorandi: ſicut diſconvenientiam iſtorum: innocens non eſt occidendus, aliena uxor non eſt violanda &c.: dicitur autem humana, quia homini a Deo in ſui productione impreſſa; & dicitur naturalis, non quia ſolis viribus naturalibus obſervari poſſit, (de quo plurima Theologi ſcholæ in tractatu de Gratia) ſed quia verſatur circa veritates practicas naturales lumine naturali cognoſcibiles: unde egregie S. Ambroſius Epiſt. 41. novæ editionis dicit, quod *illam Deus Creator infundit ſingulorum pectoribus* .... *ea igitur lex non ſcribitur, ſed innaſcitur; nec aliqua percipitur lectione, ſed profluo quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur*. Lex naturalis dicitur promulgari *hoc ipſo quod Deus eam mentibus hominum inſeruit naturaliter cognoſcendam*, ait S. Doctor 1. 2. q. 91. art. 4. ad 1. Id autem intelligas de promulgatione habituali; nam actualis legis naturalis promulgatio evenit, quando quis a Deo cognitionem accipit dictantem, quid juxta rationem naturalem ſit vel fugiendum, vel amplectendum.

Quid ſit lex naturalis in homine?

II. Ex his cum eodem S. Doctore q. 94. a. 1. inferas, legem naturalem neque eſſe ipſam naturam rationalem, neque intellectum; quandoquidem dicitur impreſſa, & inſerta mentibus, quod, ut eſt manifeſtum, neque de natura rationali; neque de potentia intellectiva verificari poteſt. Multo minus dici poteſt habitus, quia habitus eſt ille, quo quis operatur, & non id, quod ipſe operatur; lex autem naturalis non eſt id, quo homo operatur, *ſed eſt aliquid per rationem conſtitutum*, ait S. Doctor, ſeu definitum, aut dictatum: unde eſt actuale judicium, ſeu dictamen rationis practicæ; quandoquidem omnis lex ſit enunciatio quædam, ac proinde non habitus, ſed actus.

Diſtinguitur a ſynderesi.

III. *I*nferas præterea cum S. Doctore ad 2. quod lex naturalis diſtinguitur a ſynderesi, quæ eſt habitus primorum principiorum practicorum, ideſt inclinans ad aſſentiendum dictis principiis: lex autem naturalis eſt actus quidam enuncians, quid ſit agendum, ut modo diximus.

Diſtinguitur a conſcientia.

IV. Inferas item, legem naturalem diſtingui a Conſcientia: quia, ut diximus in capite præcedenti, Conſcientia eſt dictamen dictans in particulari, quid ſit hic & nunc agendum; lex autem naturalis eſt dictamen generale de eo, quod agendum, vel omittendum ſit: puta, Deum eſſe abſolute colendum, Parentes honore habendos &c. Conſcientia autem dictat hic & nunc eſſe Deum colendum, Parentes hic & nunc honorandos &c.

Quot præceptorum naturalium ordines?

V. Notandum cum D. Thoma loco citato q. 94. a. 2. legem naturalem plura continere præcepta, quæ tamen ad unum tandem reducuntur, tanquam ad primum, illudque eſt: *bonum eſt ſequendum, malum eſt vitandum*, & ſuper hoc cætera omnia fundantur. Varietas autem præceptorum legis naturæ attenditur primo per ordinem ad rationem, ſeu intellectum; quandoqui-

dem

Digitized by Google

dem omnia illa ſequenda vel vitanda ad naturæ legem pertineant, quæ ratio, ſeu intellectus practicus naturaliter concipir ſequenda eſſe, vel vitanda: ſecundo per ordinem ad inclinationem hominis naturalem, cum omnia illa pertineant ad legem naturalem, ad quæ amplectenda, vel ad quæ ſugienda homo, ut rationalis, naturalem habet inclinationem. Diverſitas præceptorum legis naturalis per ordinem ad intellectum talis eſt, quod quædam ſunt per ſe nota omnibus: puta Deus eſſe colendus: quædam ſunt nota meliore intellectu donantis, v. g. quod reſtitutio non ſit differenda, cum fieri poteſt; quod depoſitum ſit reddendum, niſi aliud obſtet &c. Diverſitas præceptorum legis naturalis per ordinem ad inclinationem hominis naturalem talis eſt, quod quædam ſunt, quæ homini conveniunt ſicut aliis quibuſcunque rebus, puta conſervatio proprii eſſe; & hinc, cibum eſſe ſumendum, eſſe dormiendum &c. quædam ſunt, quæ conveniunt homini una cum aliis animalibus, v. g. conſervare ſpeciem; & hinc inclinari ad Matrimonium, ad prolem alendam &c. quædam conveniunt homini ſpecifice, ſed ut ratione pollenti; v. g. vivendum eſſe ſecundum regulam rationis, nemini innocenti eſſe nocendum, non adulterandum &c.

Obſervatio.

VI. Valde tamen notandum eſt, quod ut præcepta legis naturæ per ordinem ad inclinationem hominis habeant vim obligandi, non ſatis ſit, ut res, ad quam eſt inclinatio, ſit abſolute, & in ſe bona, ſed requiritur præterea, quod ſit aliquo modo neceſſaria; alioquin ſequerentur gravia inconvenientia, nempe cadere ſub legis naturalis præcepto quidquid commodum affert naturæ, quod, ut patet, non eſt dicendum; quia multoties natura inclinat ad cibum, potum, & ad alia multa, quæ utpote non neceſſaria, immo nociva, ſunt dimittenda; idcirco inclinatio ad bonum, aliquo modo a ratione judicatum neceſſarium indicat obligationem legis naturæ ad illud procurandum.

Triplex genus eorum, quæ ſpectant ad legem naturalem.

VII. Si quæras, an ad legem naturalem pertineant ea ſolum præcepta, quæ ſunt principia moralia, an etiam concluſiones ex illis deductæ? Dicendum, quod pertineant, tam præcepta, quæ ſunt principia, quam concluſiones a principiis immediate deductæ; necnon etiam aliæ concluſiones ab immediate deductis profluentes. Quod ut faciliſſus percipias, obſerva, tria eſſe genera eorum, quæ pertinent ad legem naturalem: primum illa præcepta complectitur, quæ ſunt cæterorum prima, & univerſaliſſima moralitatis; iſthæc ſunt, *bonum eſt faciendum; malum eſt fugiendum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Secundum complectitur quædam alia præcepta ex dictis principiis immediate deducta, ſed magis determinata; tamen adhuc per ſe nota; talia ſunt: *Deus eſt colendus: innocenti non eſt nocendum; juſtitia eſt ſervanda &c.* Tertium complectitur quædam alia præcepta deducta tanquam concluſiones ex indicatis principiis; quæ concluſiones, quamvis aliquo diſcurſu indigeant, hic facillimus tamen & obvius eſt: & hujuſmodi ſunt aliqua præcepta Decalogi: nam quædam illorum pertinent ad ſecundum ex indicatis generibus; talia ſunt: *non licet fornicari; non licet falſum jurare &c.* Ratio autem horum omnium eſt, quia omnia præfata præcepta jubent ea, quæ ſunt per ſe bona, & vetant ea, quæ ſuut per ſe mala: ergo non ſunt præcepta juris poſitivi, cujus vi, mala ſunt talia, quia prohibita, non quia per ſe talia; igitur erunt juris naturalis; cum non detur medium inter hæc duo jura. Neque quidquam obeſt, quod aliqua dictorum præceptorum inferantur per diſcurſum; eo quod vis obligatoria non habetur ex modo ſive diſcurſivo, ſive non diſcurſivo præcepta illa attingendi; ſed ex dictamine rationis præſcribentis vel exequenda eſſe, quæ per ſe bona ſunt, vel fugienda, quæ per ſe mala; ita innuente S. Thoma q. 94. a. 2. *omnia illa facienda vel vitanda pertinent ad præcepta legis naturæ, quæ ratio practica apprehendit eſſe bona humana.*

Omnes actus virtutum naturalium pertinent ad legem naturalem.

VIII. Ex hactenus dictis inſeras cum eodem S. Doctore a. 3. omnes actus virtutum naturalium, (quales ſunt Cardinales, & ſub illis contentæ) in quantum ſunt virtuoſi, eſſe de lege naturali, *quia ad legem naturæ pertinet omne id, ad quod homo inclinatur ſecundum ſuam naturam, & formam, ... unde cum anima rationalis ſit propria forma hominis, naturalis inclinatio ineſt cuilibet homini ad hoc, quod agat ſecundum rationem, & hoc eſt agere ſecundum virtutem; .... dictat enim hoc naturaliter*

cui-

cuique propria ratio, ut virtuoſe agat. Sed ſi loquamur de actibus virtuoſis ſecundum ſeipſos, prout ſcilicet in propriis ſpeciebus conſiderantur, ſic non omnes actus virtuoſi ſunt de lege naturæ; multa enim ſecundum virtutem fiunt, ad quæ natura non primo inclinat, ſed per rationis inquiſitionem ea homines adinvenerunt quaſi utilia ad bene vivendum. Ubi nota, quod ly *non primo* idem ſignificat, ac non ante multam inquiſitionem diſcurſus; cum hujuſmodi virtutum praxis non ſit concluſio neceſſariam habens connexionem cum principiis juris naturæ, ſed multam prærequirant conſiderationem ob circumſtantias locorum, & perſonarum. Hinc virtutes, quæ ſunt de mero conſilio non dicuntur de lege naturæ, & niſi inquantum reſpiciunt dictamen rectæ rationis, & quidem præmiſſa multa & prudenti conſideratione.

Lex naturalis quomodo dicatur aut non dicatur communis apud omnes homines?

IX. *Lex naturalis, quantum ad prima principia communia, eadem eſt apud omnes, & ſecundum rectitudinem, & ſecundum notitiam, ſed quantum ad quædam propria, quæ ſint quaſi concluſiones principiorum communium, eſt eadem apud omnes, ut in pluribus, & ſecundum rectitudinem, & ſecundum notitiam; ſed ut in paucioribus poteſt deficere, & quantum ad rectitudinem propter aliqua particularia impedimenta, & etiam quantum ad notitiam; & hoc, quia aliqui habent depravatam rationem ex paſſione, ſeu ex mala conſuetudine, ſeu ex mala habitudine naturæ*, ait S. Doctor a. 4. Hinc apparet, quod, quo remotiores ſunt deductiones a primis principiis practicis, quamvis ſint deductiones ſpectantes ad jus naturale, puta reddendi depoſitum, abſtinendi a tali contractu, &c. poteſt ex indicatis cauſis circa illas contingere deceptio: quod manifeſtum fit in tanta diverſitate opinionum, etiam apud Doctores, circa veritates juris naturæ in materia juſtitiæ, religionis naturalis, debiti erga Parentes &c. Cum autem abduci a veritate contingat, ut dixit S. Doctor, *vel ex paſſione, vel ex mala conſuetudine, vel ex mala habitudine naturæ*; longe magis ſibi metuendum eſt illis, qui ſibi eligunt, ſequendas opiniones, quas norunt eſſe minus probabiles, & rationabiles in concurſu probabiliorum, & rationabiliorum ipſis notarum, quam illis, qui probabiliores, rationique conformiores amplecti ſemper ſolent; iſti namque minus ſuſpecti habentur, an eorum mens aut paſſione, aut mala conſuetudine, aut mala naturæ habitudine decipiatur: cum illam ſubjiciant rationi firmiori, atque ad verum propinquiori.

Quomodo lex naturalis ſit aut non ſit immutabilis?

X. Lex naturalis ex D. Thoma a. 5. quoad principia, & prima præcepta eſt immutabilis, loquendo de mutatione proprie accepta, quæ conſiſtit in eo, quod evadat inutilis, inhoneſta, abrogabilis vel a ſuperiore vel a contraria conſuetudine; quia non jubet niſi per ſe bonum, nec vetat niſi per ſe malum: unde a Deo abrogari non poteſt, cum Deus nequeat non velle bonum, & non prohibere malum: neque conſuetudine ulla abrogari poteſt, cum neque Deus, ut dixi, illam abrogare queat. Quapropter fieri non poteſt, ut quod eſt de jure naturæ, tale amplius non ſit, & deſierit obligare, eo quod habeat veritatem omnino neceſſariam. Loquendo autem de præceptis ſecundariis; etiam quoad hæc, ait S. Doctor legem naturalem plerumque immutabilem eſſe; in aliquo tamen particulari mutari poteſt ob circumſtantias, & cauſas impedientes illius obſervantiam. Si vero ſermo ſit de mutatione improprie accepta, in quantum ſcilicet aliquid mutari dicitur, ſi ei addatur aliquid, quod antea non habebat; ſic lex naturalis mutari poteſt; ita enim revera per leges Divinas, aut etiam humanas aliquid additum fuit alicui contractui, actioni &c. ut valorem habeat, quod a lege naturæ non præcipiebatur. Id patet in multis præceptis judicialibus, & cæremonialibus veteris Teſtamenti ſuperadditis præceptis naturalibus, ſicut & in novo reſpectu legum circa ſacramenta; necnon in variis legibus Eccleſiaſticis, & Civilibus reſpectu quarumdam actionum, quæ, ut valorem habeant, requirunt aliquas conditiones, ſolemnitates, &c. a præfatis legibus ſancitas, cum antea jure naturæ ſine conditionibus valorem haberent.

Quomodo a Deo diſpenſabilis.

XI. Hinc deducas, a lege naturali neque a Deo quemquam proprie diſpenſari poſſe, immutata videlicet remanente materia, immutatiſque circumſtantiis; quia id repugnat infinitæ ſanctitati, ſapientiæ, & immutabilitati Divinæ, quæ concedere non poteſt, ut aliquando agatur licite id, quod eſt per ſe malum; & diſpenſare, ne agatur illud bonum, cujus omiſſio dedecet rationem.

Explicantur

XII. Propterea omnia juſſa omniaque indulta, quæ in Veteri Pagina leguntur

a Deo

facta veteris Teſtamenti. a Deo facta vel conceſſa circa id, quod videtur eſſe contra legem naturalem; revera tale non fuit, ob mutationem quæ contigit in materia præcepta: Et ita Deus juſſit Abrahamo immolationem filii innocentis ſibi offerendam, tamquam ſupremo vitæ & necis Domino; in quo caſu nedum eſt injuſta, ſed valde religioſa. Similiter indulſit polygamiam ſimultaneam ob multiplicationem faciliorem populi fidelis, ex quo erat Meſſias proditurus; tum etiam quia non obeſt primario fini Matrimonii, qui eſt ſobolis procreatio; atque circa æqualitatem juris, quo conjuges reciproce gaudent in corpus alterius, ut ſupremus omnium jurium creaturarum Dominus diſpenſavit, concedendo uxoribus in corpus ejuſdem viri dominium partiale, ſufficiens tamen ad ſatisfaciendum juri, quo dependenter a Deo ſupremo omnium jurium Domino, ſingulæ uxores in viri corpus gaudere poterant. Ita conceſſit Deus Judæis diſſolutionem Matrimonii, ex ſuprema, qua pollet auctoritate ſuper cuncta creata, diſſolvendo vinculum, & remittendo utrumque conjugem priori libertati, nemini irrogando injuriam. Quod autem juſſerit Oſeæ accipere uxorem *fornicariam*, & generari ſibi *filios fornicationum*; non propterea juſſit, ut cum illa fornicaretur, ſed ut veram uxorem cognoſceret, quæ antea fuiſſet fornicaria; unde filii ex Oſea & ipſa nati, fornicationum filii nuncupantur, non quia non eſſent legitimi, & conjugales, ſed deſumpta denominatione ex vita anteacta matris fornicariæ; juxta expoſitionem SS. Patrum: & ſic dicendum de aliis, quæ adduci poſſent.

Libellum repudii permiſſum Judæis fuiſſe liquido conſtat, ex *cap.* 24. *Deuter.* Ejus formam ex Vatablo, aliiſque exhibet Cornelius a Lapide in eundem locum. Celebris autem inter Doctores controverſia eſt, quæ ipſos diſtrahit in varias partes, num videlicet Judæorum repudium licitum fuerit, & an poſt datum libellum repudii validum potuerit matrimonium contrahi.

Scotus, Durandus, Paludanus, Abulenſis, Petrus Soto, Bellarminus, Pontius, Cornelius a Lapide, aliique plures, quibus nuperrime adſtipulati ſunt Honoratus Tournely de Sacramento Matrimonii *q.* 5. *art.* 2. ejus Continuator Petrus Collet de Matrim. *cap.* 5. *art.* 3. *ſect.* 3. aſſerunt, Deo diſpenſante, quamvis ad cordis duritiem, licuiſſe Judæis repudium, & abrogato per ipſum priori vinculo conjugali, conceſſam exhinc liberam ad alia vota tranſeundi facultatem.

Ex adverſo D. Bonaventura, Eſtius, & Sylvius, in quorum ſententiam magis propendit P. Daniel Concina *lib.* 2. *de Matrim. Differt.* 1. *cap.* 8. §. 3. ſuſtinent, Judæis fuiſſe repudium permiſſum non ut quidpiam a peccato immune, ſed ut minus malum ad majora mala præcavenda, nempe uxoricidium vel aſperas tractationes; adeoque minime diſſolutum fuiſſe per tale repudium prioris matrimonii nexum.

Cardinalis Cajetanus *in cap.* 19. *Matth.* veluti media via incedit: ſentit quippe, malam quidem fuiſſe repudii praxim, ſed eo ſolum gradu, qui, diſpenſante Deo, venialem culpam non excederet.

Adeo ambagibus circumſepta eſt iſthæc difficultas, ut D. Thomas, qui eam *in Suppl. q.* 67. quatuor articulis examini ſubjicit, utramque ex duabus relatis primitus opinionibus problematice defendat, utriuſque ſolvens argumenta, neutramque definiens.

Probabilior tamen ſententia videtur, quæ ſtatuit, repudium fuiſſe permiſſum non tanquam rem licitam & culpæ expertem, ſed tanquam minus malum ad majora mala vitanda, atque adeo minime per illud diſſolutum fuiſſe vinculum conjugale, tum quia hæc conformior apparet verbis Chriſti *Matthæi* 19.; tum quia pro ea ſteterunt præcipui Eccleſiæ Patres præſertim Hieronymus *lib.* 1. *in cap.* 5. *Matth.*, & *lib.* 3. *c.* 19. Auguſtinus *lib. de bono conjugii c.* 8. & 18., *lib.* 2. *de Serm. Dom. in Monte c.* 14., *lib.* 19. *contra Fauſtum c.* 26. & alibi paſſim, & Chryſoſtomus *Hom.* 17. *in Matth.* tum demum, quia eam communius ſuſtineri aſſerit D. Thomas præcitatæ *q. art.* 3., & in ipſam tandem eundem S. D. conceſſiſſe, pluribus adductis textibus, evincit clariſſimus Sylvius. Lege ipſum eodem loco *art.* 3. & 4., ac etiam Eminent. Gotti *Quæſt.* 5. *de Matrimonii indiſſolubilitate Dub.* 2. §. 2. & 3., ubi utramque poſitionis partem validis argumentis oſtendunt, ac inſuper quæ in oppoſitum afferuntur nullius eſſe momenti evincunt.

* Hæc hic addenda cenſuimus occaſione eorum, quæ circa hanc difficultatem docet Auctor *num. præced.* qui tamen *tom.* 2. *tract.* 14. *cap.* 7. §. 9. *n.* 1. eam iterum excitans, nihil definit, ſed ſolum indicat quæ habet D. Thomas *l. cit.*

XIII.

Quomodo ſit indelebilis ab humana mente?

XIII. Ex dictis inferas item cum S. Doctore a. 6. legem naturalem, quoad principia, & præcepta prima non poſſe ab humanis mentibus obliterari; aliquando tamen deletur quoad applicationem principii ad particulare operabile ob impedimenta malarum conſuetudinum ab homine poſita. Quantum autem ad præcepta ſecundaria poſſe legem naturalem, vi præfatarum conſuetudinum, penitus deleri: quæ pravæ conſuetudines, ait S. Doctor, ſe habent reſpectu operabilium, ſicut errores reſpectu ſpeculabilium, & ſicut error obliterat veritates etiam primarias, quamvis non prima omnino principia; ita conſuetudines pravæ delent præcepta naturæ ſecundaria: *Sicut apud quoſdam*, ait S. Doct. *non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam*, ut ait Apoſtolus, Romanorum 1.

An poſſit invinci-biliter ignorari?

XIV. Ex dictis inferas demum, primo, quod circa prima juris naturalis præcepta nequeat dari ignorantia invincibilis; audiſti enim ex D. Thoma, quod dicta præcepta non poſſunt ab humanis cordibus deleri, & S. Auguſtinus concione 25. in Pſalmum 11. docet quod *nullus finitur ea ignorare*. Secundo, quod lex naturalis, quantum ad præcepta ſecundaria proxime a primis deducta; puta non furandi, non adulterandi, non fornicandi &c. non poſſit invincibiliter ignorari, ac proinde quod ignorantia præceptorum Decalogi nequeat eſſe excuſabilis; nam audiſti ex S. Doctore, quod hujuſmodi ignorantia generetur ex pravis conſuetudinibus, aliiſque vitioſis impedimentis ab homine appoſitis, quæ impedimenta poteſt homo & tenetur non ponere; ac proinde ſi ignoret illa præcepta, ignorantia reputatur volita in ſua cauſa culpabili, nempe in præfatis pravis conſuetudinibus talem ignorantiam generantibus quæ impediat deinde notitiam illorum præceptorum; ſi enim non appoſuiſſet homo talia impedimenta, lumen accepiſſet ad præcepta illa cognoſcenda: unde in diſputatis q. 3. de malo a. 7. ait: *Deus, quantum in ſe eſt, omnibus ſe communicat, pro captu eorum; unde quod res aliqua a participatione bonitatis ipſius deficiat, eſt ex hoc, quod in ipſa invenitur aliquod impedimentum participationis Divinæ*. Circa præcepta autem a præfatis primis remota, & nonniſi operoſo diſcurſu deducta, dari poſſe ignorantiam invincibilem, non inficiamur; quia non omnes adulti ſatis idonei ſunt ad operoſum diſcurſum impendendum, ut deducant veritates ex laudatis primis præceptis remote profluentes, vel ob defectum ſcientiæ, quæ eorum ſtatui non congruit, vel propter hebetudinem mentis, vel ob alia capita, quæ ignorantiam excuſabilem reddere poſſunt.

Objectio reſolvitur.

XV. Si objicias, non eſſe peccatum, niſi voluntarium; atqui ignorantia juris naturæ dictorum præceptorum efficit actum non eſſe voluntarium: cum ad peccatum voluntarium requiratur cognitio malitiæ quæ non adeſt, ubi eſt ignorantia; igitur erit ignorantia inculpabilis: in cujus confirmationem S. Thomas q. 3. de malo a. 8. ait: *cum aliquis neſcit, fornicationem eſſe peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, ſed non voluntarie facit peccatum*. Reſpondetur concedendo, quod ignorantia efficiat peccatum non eſſe voluntarium directe; negando, quod efficiat non eſſe voluntarium indirecte: profecto operans actionem malam immediate contra præceptum Decalogi, ignorando ejus malitiam, nequit dici, quod directe velit illam malitiam, quam ignorat; poteſt tamen verificari, quod illam velit indirecte, quatenus directe voluit cauſam illius ignorantiæ, aut voluntarie omittendo inſtructiones ſuo ſtatui debitas & neceſſarias, aut prorumpendo in alia peccata voluntaria, quæ divinum lumen impediunt, ut dictum fuit; & proinde omiſſio addiſcendi, cum ſit mala, efficit, ut ea, quæ talem omiſſionem directe volitam conſequuntur, ſit indirecte, virtualiter, & conſecutive volita in cauſa culpabili; & idem dicas de peccatis & conſuetudinibus voluntariis lumini Divino oppoſitis; unde ſicut homo oculis voluntarie velatis incedens, vult in ſua cauſa quidquid mali inde ſequi natum eſt, ait Cajetanus in 1. 2. q. 76. ſuper art. 3 in caſu noſtro. Ad confirmationem ex D. Thoma petitam dico S. Doctorem verbis illis dumtaxat intendiſſe, quod quidem non voluntarie, formaliter, & directe faciat peccatum, ſicut voluntarie, formaliter & directe facit fornicationem, quam noverat, attamen fornicantem illum committere voluntarie, virtualiter, & indirecte peccatum voluntarietate volita in ſua cauſa culpabili, nempe in ignorantia culpabiliter volita: quæ explicatio nobis ab ipſo S. Doctore ſuggeritur 1. 2. q. 19. a. 6. *Si ratio errans dictat, quod homo teneatur ad uxorem alterius*

acce-

accedere, *voluntas concordans huic rationi erranti eſt mala* (nota bene) *eo quod error iſte provenit ex ignorantia legis Dei*, *quam ſcire tenetur*. En igitur ex S. Doctore voluntarietas indirecta peccati in cauſa culpabili, ſeu in ignorantia invincibili volita.

§. IV. *De Lege Humana Poſitiva*.

Quid ſit Jus Gentium, quid Civile?

I. Lex humana juxta D. Th. 1. 2. q. 95. a. 4. primo dividitur in Jus Gentium, & Jus Civile. Jus Gentium derivatur ex lege naturæ, ſicut concluſiones derivantur ex principiis v. g. juſtæ venditiones, emptiones, & alia hujuſmodi, ſine quibus homines ad invicem convivere non poſſunt, quod nempe convivere eſt de lege naturæ, cum homo ſit naturaliter animal ſociale. Et circa hoc nota ex Sylvio ibidem, quod verba illa, nempe Jus Gentium derivari ex jure naturæ ſicut concluſiones ex principiis, intelligenda ſunt non de concluſionibus neceſſariis, & ab acceptatione hominum independentibus, ſed concluſionibus probabilibus, & ab humana acceptatione dependentibus, ut vim obligandi habeant: & proinde exemplum a S. Thoma allatum de venditionibus &c., quamvis ſit de jure naturæ æquitas earum; non tamen eſt de jure naturæ quod exerceantur inter homines diverſarum nationum. Jus igitur Gentium proprie acceptum, non a natura, ſed ex communi hominum conſenſu inductum dicitur: & hoc modo de Jure Gentium eſſe dicuntur bonorum proprietas, ac diviſio; legatorum ſecuritas, & admiſſio, ſervitus, manumiſſio, ideſt datio libertatis, & alia hujuſmodi.

Quomodo civile procedat a Jure naturali.

II. Jus Civile, juxta eumdem S. Doctorem ibidem, illud eſt, quod derivatur a lege naturæ per modum reſtrictionis, & determinationis, prout qualibet civitas aliquid ſibi tenendum determinat ex quo apparet ejus diſtinctio a Jure Gentium, quod hoc communi hominum conſenſu inſtitutum cognoſcitur; Jus autem Civile particularium Principum, Regnorum, Provinciarum auctoritate, & aſſenſu eſt firmatum.

Lex Eccleſiaſtica, & Civilis.

III. Hinc lex humana poſitiva dividitur in Civilem, & Eccleſiaſticam, ſeu Canonicam; prima eſt, quæ poteſtate Sæculari conditur ad communem tranquillitatem, communeque bonum ſubditorum: ſecunda, quæ a poteſtate Eccleſiaſtica ſtatuitur ad animarum ſalutem facilius obtinendam.

Legis humanæ conditiones.

IV. Legis humanæ cujuſcunque conditiones recenſet D. Thomas ex S. Iſidoro 1. 2. q. 95. art. 3. & ſunt: Quod religioni congruat, inquantum ſcilicet eſt proportionata legi divinæ. Quod diſciplinæ conveniat, inquantum ſcilicet eſt proportionata legi naturæ. Quod ſaluti proficiat, inquantum ſcilicet eſt proportionata utilitati humanæ: & ad hæc tria omnes aliæ conditiones reducuntur.

Quotuplex Eccleſiaſtica?

V. Lex Eccleſiaſtica, ſeu Jus Canonicum duplex eſt, aliud ſcriptum; aliud non ſcriptum, ſeu Traditum: Scriptum aſſurgit ex Sacris Canonibus, decretiſque Conciliorum Generalium, Nationalium, Provincialium, Diœceſanorum, & quam maxime ex Decretis, Conſtitutionibus, & Reſponſis Romanorum Pontificum. Non ſcriptum, ſed Traditum conſiſtit in Traditionibus, conſuetudinibuſque Eccleſiaſticis: Traditionum autem nomine hic non ſignificantur Divinæ, quæ Jus Divinum attinent, ſed illæ tantum, quæ ab Apoſtolis, eorumdemque ſucceſſoribus ortum duxerunt, vivaque voce, quin ab eorum auctoribus ſcriberentur, ſerie temporum non interrupta, ad nos uſque pervenere.

§. V. *De Humanarum Legum obligatione*.

Leges Humanæ obligant in Conſcientia.

I. Legiſlator humanus, generatim loquendo, poteſtatem habet condendi leges obligantes in Conſcientiæ foro etiam ſub gravi. Ratio S. Thomæ 1. 2. q. 96. articulis 5. & 6. ita contrahitur. Qui in re gravi violat jus alterius, peccat graviter; deobediens autem Legiſlatori in gravi, violat in re gravi jus alterius; etenim eo ipſo quod Legiſlator eſt legitimus ſuperior, habet jus ut ipſi obediatur in re honeſta, quando intendit obligare ſub gravi, quemadmodum intendit in legibus præcipientibus res graves; quandoquidem tale jus eſt eſſentiale gradui & poteſtati legitimi ſuperioris; deobediens igitur graviter peccat. Et profecto, niſi leges præceptivæ hac vi pollerent obligandi in conſcientia, quot tranſgreſſionibus ampla vorago non aperiretur? & ita quomodo finis a lege intentus obtineri poſſet? Plurimi ſunt Sacræ Scripturæ textus, qui hanc aſſertionem comprobant, tum reſpectu poteſtatis Eccleſiaſticæ, tum reſpectu Laicalis; ſufficiat pro Eccleſiaſtica audire Chriſtum Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit*, *ſit tibi ſicut Ethnicus*, *& publicanus*: & Lucæ 10. *Qui vos audit*, *me audit*; *& qui vos ſpernit*,

me

me ſpernit: & Paulum 2. Theſſal. 3. *Si quis non obedit verbo noſtro, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo.* Pro poteſtate autem laicali, ſufficiat audire eundem Paulum Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit .... Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter Conſcientiam.* Et ad Titum 3. *Admone illos, & Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire &c.*

Quando dignoſcantur obligare ſub gravi?

II. Si quæras, unde dignoſci queat humanam legem ſub mortali obligare? Reſpondeo, id primum evinci ex gravitate materiæ in ſe, vel reſpectu finis intenti. Secundo, ex Doctorum ſententia ita affirmantium, vel ex communi populi ſenſu ita prudenter judicantis. Tertio, ex gravitate pœnæ tranſgreſſoribus injunctæ, puta ſi lex Eccleſiaſtica feratur ſub pœna excommunicationis, ſuſpenſionis, Interdicti, Irregularitatis; aut ſub obteſtatione divini Judicii, ſub indignatione Divina &c. Si lex ſit Civilis, ſub pœna mortis, mutilationis, exilii, privationis aut omnium, aut majoris partis bonorum, dignitatum, officiorum, triremis, diuturni carceris &c. Quarto, ſi juſſio ſit facta in virtute Sanctæ obedientiæ; aut in virtute Spiritus Sancti, aut ſub formali præcepto: aut legislator ita ſe exprimat: *Præcipimus: & præcipiendo mandamus, obligamus, inhibemus, interdicimus: aut teneatur: non liceat; neceſſe eſt &c.*; & materia ſit notabilis: & iſtæ vocantur leges præceptivæ.

Legum pœnalium diſtinctio.

III. Circa obligationem legum pœnalium, prius eſt diſtinguendum; quædam enim ſunt mere pœnales, quæ videlicet pœnam ſtatuunt contra talia vel talia facientes; aliæ ſunt pœnales mixtæ, quæ nempe aliquid jubendo, pœnam ſimul tranſgreſſoribus decernunt. Et circa illas, jam patet, quod obligent ſub culpa, ratione præcepti in eis contenti, cui idcirco pœnam adjungunt, ut declaretur major præcepti firmitas, & urgentior obligatio.

An obligent in Conſcientia?

IV. Circa tranſgreſſionem mere pœnalium, probabilior, & S. Thomæ conformior eſt opinio, etiam iſtas obligare ſub culpa lethali, ſi materia, & pœna ſint notabiles, quam ſequuntur ex ejus diſcipulis Sylveſter verbo inobedientia, Sotus lib. 1. de juſtitia q. 6. articulis 4. & 5. Bartholomæus Medina 1. 2. q. 96. a. 4.; ex extraneis Azorius, Aragonius, & alii plures. Ratio eſt, quia, ex S. Thoma, non excipiuntur niſi leges injuſtæ, ut ipſis innoxie non obediatur. Præterea tranſgreſſio harum legum eſt proculdubio inobedientia, quæ ſemper eſt peccatum. Si dicas; inobedientiam in eo conſiſtere, ſi quis nolit ſubire pœnam taxatam, non vero operando actum pœna mulctatum. Reſpondeo, in primis legem pœnalem obligare ſub culpa gravi ad pœnam ſubeundam ex conceſſis. Secundo, pœna actui taxata declarat virtuale præceptum, niſi expreſſe declaretur non extare præceptum; ideo enim pœna actui vetito adjungitur, ut ſubditi ſollicitiores reddantur ad parendum; prudentis namque legislatoris non eſt, pœnam gravem infligere actui, qui gravem tranſgreſſionem non involvat.

Quot peccata committit, illas tranſgrediens. Inferuntur nonnulla.

V. Hinc inferas primo, violatorem hujuſmodi legum peccare graviter, nedum contra obedientiam, ex juſtitia legali debitam, verum etiam contra charitatem erga ſeipſum, & ſuos, ſi quos habeat; nam ſolvendo pœnam gravem, ut tenetur; & ſibi, & illis grave damnum affert. Inferas ſecundo, leges pœnales fraudatoribus vectigalium, gabellarum &c. impoſitas, obligare in conſcientia; tum quia plerumque ſunt mixtæ præcepto, & pœna; tum quia defraudant Principem ſubſidiis ſibi neceſſariis ad multa regiminis onera ſuſtinenda. Inferas tertio; quod ſi revera extaret conſuetudo jam præſcripta, quod lex aliqua pœnalis ad pœnam tantummodo obligaret, & non ad culpam; tunc quamvis non peccaretur faciendo actum vetitum, peccaretur graviter contra charitatem ſibi & familiæ debitam; quia etiam juxta adverſarios, teneretur violator in conſcientia ſubire pœnam, alioquin gravem, a lege taxatam, nec non ſibi, & Familiæ graviter nocentem.

Quid de lege pœnali disjunctive loquente?

VI. Si legislator in lege alternative, ſeu disjunctive loqueretur, dicendo v. g. nemo aſportet frumenta extra Dominium; vel ſi aſportaverit, ſolvat mille aureos: tunc aſportando non peccaret, teneretur tamen in conſcientia ſub gravi aureos ſolvere. Ratio patet, quia lex obligat ad alterutrum; igitur, uno omiſſo, alterum ſubſiſtit, cui obedientia debetur. Incurrendo autem obligationem pœnæ ſolvendæ, graviter peccare poteſt violator contra charitatem, ſi ſolutio pœnæ grave eſſet allatura damnum aut ſibi, aut familiæ.

Neminem fugit aliam eſſe legem pure præceptivam ſeu prohibitivam, aliam pure pœnalem, & aliam mixtam. Lex pure præceptiva ſeu prohibitiva eſt qua aliquid jubetur fieri vel omitti nullam de pœna in

tranſgreſſores mentionem faciendo, cujuſmodi eſt lex quæ ſimpliciter præcipit Miſſam diebus feſtis audiri, vel quæ ſimpliciter arma geſtare vetat. Lex pure pœnalis eſt quæ pœnam ſtatuit in eos, qui aliquid fecerint vel omiſerint, neque tamen præcipit illud fieri vel omitti. Sicut ſi lex dicat, qui frumentum e Patria evexerit, ſolvat centum nummos argenteos. Lex demum mixta eſt quæ præcipit aliquid fieri vel omitti, ac inſuper pœnam apponit in tranſgreſſores; eamque vel copulative, ut cum dicitur nemo pecuniam efferat extra Regnum, & qui extulerit, ſolvat centum, vel disjunctive, ut ſi dicatur, nullus vinum e regno evehat, vel ſi evexerit pendat centum,

Omnis lex pure præceptiva ſeu prohibitiva obligat ad culpam, hoc eſt ſub reatu culpæ, ut compertum eſt.

Probabilius eſt etiam ſicuti & Auctor exiſtimat omnem legem pure pœnalem, ſi ſit vera lex, obligare ad culpam; ac per conſequens non dari aliquas leges humanas veram ac proprie dictam legis rationem habentes, quæ non obligent ad culpam.

Hoc tamen intelligendum eſt niſi conſtet aliam eſſe mentem Legislatoris, ut Cl. Sylvius obſervat. Si enim conſtet quod nullo modo velit obligare ad culpam, ad eam non obligabit, quia talis ejus conſtitutio non erit vera lex, cum nihil jubeat, neque prohibeat. Quare quarundam Religionum ſtatuta, quæ etiam juxta D. Thomam *1. 2. q. 186. art 9. ad 1.* ad nullam obligant culpam, ſed pœnam duntaxat ſtatuunt, non ſunt vere leges, ſed ordinationes, & directiones monentes, ac hortantes, quid fieri deceat; non tamen præcipientes, ut ſic fiat: cujuſmodi etiam ſtatuta reperiuntur in quibuſdam Oppidis & in aliis Communitatibus.

Tandem omnis lex pœnalis mixta obligat ad culpam; ea quidem quæ copulative datur ſimpliciter & abſolute obligat ſub reatu culpæ ad faciendum id quod jubet, vel ad omittendum id quod prohibet; ea vero quæ disjunctive ponitur, etſi non ſimpliciter obliget ad faciendum vel omittendum actum lege expreſſum, ſub reatu tamen culpæ obligat vel ad eum faciendum, vel ad ſubeundam pœnam appoſitam, adeo ut ſi illum velit facere, & pœnam ſubire, non ſit peccaturus; ſi autem neque eum facere velit, neque penam ſubire, vere coram Deo peccaturus ſit. Utramque hujus aſſertionis partem fuſo calamo evincit laudatus Cl. Sylvius *in 1. 2. q. 96.* art. 4. *Q.* 8., & exinde caſus plures reſolvit. Ex ipſo pauca hæc hauſta ſunt, utpote quæ ad ea declaranda quæ numeris præcedentibus exhibet A. N. apprime deſerviunt.

* Animadvertendum autem occurrit leges vectigalium, quæ plerumque ſunt pure pœnales in foro interiori conſcientias ſubditorum obligare etiam in ſententia illorum, qui aſſerunt quaſdam eſſe leges pure pœnales, quæ in foro interiori conſcientiam non obligant. Prædictæ quippe leges, ajunt ipſi, rem ſtatuunt lege naturali & divina debitam, quia nempe tenentur ſubditi ad regiam Principum dignitatem ſuſtentandam neceſſaria ſuppeditare. Legatur Nicolaus l'Hermenier *Summæ Theologicæ ad uſum Scholæ accommodatæ tom. 5. tract. de Legibus, de Lege humana.*

VII. Probabilius videtur, poſſe legislatorem in materia gravi obligare ſolum ſub veniali, (dummodo lex non ſit communi bono neceſſaria; quia tunc non poſſet inducere obligationem ſolummodo levem). Ratio deducitur ex D. Thoma ſæpius docente actiones agentium liberorum non ſe extendere ultra intentionem eorumdem; cum igitur lex ponatur a libera & juſta voluntate legislatoris, poterit eidem addere quam obligationem voluerit. Id patet in Statutis multorum Ordinum Regularium, quibus imponuntur res graves, etiam ſub nulla culpa theologica, & dumtaxat ſub ſola pœna levi taxata, vel taxanda: tales ſunt perpetua a carnibus abſtinentia in Religione noſtra, jejunia ſeptem menſium, ſurgere media nocte ad Deo vacandum &c. Non poteſt autem legislator rei undique levi adnectere obligationem gravem; quia in hoc evidenter apparet abuſus ſuæ poteſtatis in deſtructionem conſcientiæ ſubditorum; qui abuſus non apparet in primo caſu; immo elucet in eo remiſſio poteſtatis in ædificationem. Materia gravis poteſt ſub levi juberi, non autem e contra.

VIII Sciſcitaberis, qualiter ſe gerere debeat reus violatæ legis in luenda pœna? Reſponſioni præmitto primo, quaſdam pœnas dici latas, quaſdam ferendas: primæ incurruntur ipſo facto, perpetrata culpa, quæ pœna ab ipſamet lege peccanti infligitur; ſecundæ ſtatuuntur reo inferendæ per Judicem. Secundo, duplicem eſſe Judicis ſententiam; aliam condemnatoriam, qua reus ad ſtatutam pœnam condemnatur; aliam declaratoriam, qua declaratur reus revera talis, quapropter pœnæ ſtatim ſubditur, quam luere tenetur. Tertio, Quot ſint modi, quibus pœna infertur a lege.

quaſ-

quaſdam pœnas dici activas, quæ actionem Rei requirunt, puta ſolvere mulctam, carcerem ingredi &c. quaſdam dici paſſivas, quæ nullam actionem Rei poſtulant; tales ſunt cenſuræ, irregularitas, privatio vocis &c.; quaſdam dici privativas, quæ tollunt jus, aut facultatem; puta irritatio actus, contractus, &c. inhabilitas ad id faciendum &c. Item, ut certum præſuppono, quippe quod communiter admiſſum, quod quando lex trangreſſori imponit pœnam, vel a Judice ferendam, vel poſt ſententiam declaratoriam, reus non teneatur pœnam ſubire, niſi poſt ſententiam latam, aut poſt factam delicti declarationem a Judice: id patet ex tenore legis.

Quomodo ſe gerere debeat reus in luenda pœna?

IX. Reſpondeo nunc quæſito propoſito, dicendo in primis; juxta communem, reum non teneri ad ſubeundam pœnam ipſo facto latam, ſi pœna poſtulet actionem rei contra ſeipſum, ſi pœna ſit valde dura, difficilis, & affligens; puta exulare, confiſcatio bonorum, privatio Beneficii, aut dignitatis juſte poſſeſſorum. Ratio eſt, quia communis conſuetudo ita interpretatur hujuſmodi leges; quæ quamvis expreſſiones contineant, *ipſo jure, ipſo facto &c.* nihilominus congruenter explicantur, quod ut effectum obtineant, non requiratur quidem alia ſententia condemnatoria, ſed requiratur ſententia declaratoria perpetrati criminis, neque obligare videntur ad actus humanitati nimis repugnantes, quod homo ipſo facto agat in ſeipſum. Idque confirmatur ex cap. 19. de Hæreticis in 6., ubi contra ipſos licet ſtatuatur ſententia confiſcationis ipſo jure, ipſo facto, nihilominus additur, ne executioni mandetur, niſi poſtquam a Judice competente fuerit ſuper præfato delicto ſententia promulgata. Nota, quod ſi in lege extarent verba quæ fortius ſignificarent, v. g. *nulla præmiſſa monitione, ante omnem declarationem, ante ſententiæ promulgationem &c.* ſit dignitate, officio, Beneficio privatus; tunc non eſſet expectanda ſententia declaratoria, ſed ſtatim pœnam ſubire compelleretur. Conſulto dixeram, ſi pœna ſit valde gravis; nam ſi talis non ſit, v. g. non grandis ſumma pecuniaria, jejunium aliquot dierum, precum recitatio ad plures dies &c. neque in his caſibus expectanda eſt ſententia declaratoria; hæc enim non ſunt valde difficilia ad exequendum in ſe ipſum. Reſpondeo ſecundo, quod quando pœnæ ſunt paſſivæ, vel privativæ, ſi ipſo facto inferantur a lege, ſtatim eiſdem ſubjiciatur tranſgreſſor: ita communis: talis namque eſt praxis & conſuetudo; quandoquidem legiſlator poteſtatem habet pœnas etiam illo modo infligendi, quas ſe ita inflixiſſe, verbis manifeſtis declarat.

Leges humanæ quando obligent & quando non cum damno gravi?

X. Humanæ leges plerumque non obligant ad ſui obſervantiam cum damno vitæ, famæ, aut altero gravi admodum, & notabili, ut communis docet; quia in dictis caſibus obligatio excederet moralem hominis poſſibilitatem, rationabilemque conſuetudinem. Nam in dictis caſibus cedunt leges Divinæ poſitivæ, & etiam aliquando lex naturalis: ſiquidem Chriſtus Matth. 12. approbavit factum Davidis, 1. Regum 12. qui, ne inedia cum ſuis conficeretur, comedit panes propoſitionis, quibus jure Divino poſitivo veſci non licebat, niſi ſolis ſacerdotibus. Ita reddere commodatum eſt de jure naturali, ſicut & ſolutio debiti, quæ tamen non obligant, quoties fieri nequeat ullo modo abſque vitæ, aut famæ periculo: niſi tamen commodator, aut creditor in æquali eſſet neceſſitate: & ſic in aliis centenis caſibus. Dixi plerumque; quia aliquando poſſunt obligare etiam cum vitæ periculo, nempe ſi violatio vergeret aut in contemptum fidei, aut Religionis Catholicæ, aut poteſtatis Eccleſiaſticæ, aut in damnum Reipublicæ, aut in grave ſcandalum; tunc enim, non præceptum humanum poſitivum, ſed jus naturale ſtricte obſtringeret, ad hæc mala impedienda, etiam cum vitæ diſpendio. Quando igitur lex humana jubet, vel vetat aliquid tanti momenti, ut prudentum judicio preponderare cenſeatur vitæ, &c. ſubditorum, tunc cum quovis periculo eſt obſervanda; ſecus quando prudentes judicant non præponderare.

* Leges humanæ non ſolum per accidens aliquando obſervari debent cum quovis damno temporali etiam vitæ, nempe quando omitti nequeunt ſine contemptu legitimæ poteſtatis, vel Religionis, aut ſcandalo gravi; verum etiam quandoque per ſe obligant cum eodem periculo, & damno etiam vitæ, ut docent communiter Theologi, & præſertim P. Antoine *tract. de legibus cap. 2. in reſp. 3. ad q. 5.* Quia in quavis communitate perfecta, eſt tota poteſtas ad ſuam conſervationem & ad bonum commune neceſſaria. Nam Deus, ut author naturæ, cujuſlibet communitatis civilis gubernationi ac communi bono, & Chriſtus Eccleſiæ bono, ac recto regimini ſufficientiſſime providit. Ergo in quavis com-

munitate perfecta eſt poteſtas præcipiendi actus ad ſuam conſervationem & bonum commune neceſſarios, quamvis annexum habeant vitæ periculum; cum aliunde æquum ſit pro totius ſalute partem periculo objicere. Sic Epiſcopus poteſt obligare Vicarium, mortuo Parocho ad non deſerendum Parochianos tempore peſtis; Dux milites ad ſervandam ſtationem, vel irruendum in hoſtes cum certo mortis periculo &c.

Leges autem humanæ tunc maxime per ſe obligant cum periculo vitæ, quando tale periculum per ſe actui præcepto conjunctum eſt. Sed tunc ad juſtitiam legis requiritur, ut res præcepta ſit gravis, & neceſſaria ad conſervationem vel bonum ſtatum Reipublicæ. Nam Reſpublica non habet dominium, ſed ſolum convenientem uſum vitæ civium.

Aliquando parendum legibus injuſtis.

XI. Hinc ſequitur, legibus humanis, etiam manifeſte injuſtis, aliquando parendum eſſe, dummodo non jubeant quid Divinis legibus repugnans: ita docet S. Thomas 1. 2. q. 96. a. 4. *Tales leges non obligant in foro Conſcientiæ, niſi forte ob vitandam ſcandalum, vel turbationem* (nempe publicæ tranquillitatis) *propter quod etiam homo juri ſuo cedere debet, ſecundum illud Matth. 5. qui angariaverit te mille paſſus, vade cum eo alia duo, & qui abſtulerit tibi tunicam, da ei & pallium.*

Non obedire legi ex contemptu, ſemper letale.

XII. Non obedire obligationi cujus libet etiam leviſſimæ legis ex contemptu, ſemper eſt lethale, juxta omnes. Animadvertas autem ex D. Thoma 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3. quod tunc contemnit aliquis, vel tranſgreditur ex contemptu, *Quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis, vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam.* Ratio autem cur ſit mortale ex eo liquet, quod contemptus etiam leviſſimæ legis ſemper redundat in gravem legiſlatoris injuriam; cum contemnere, ſit pro nihilo ducere, quod ſemper eſt grave illi, qui deſpicitur.

Ut clarius intelligatur quando quis revera legem tranſgrediatur ex contemptu, & num ſemper quis tranſgrediendo legem ex contemptu lethaliter delinquat; non inutile erit quæ in rem hanc habet Cl. Sylvius in 1. 2. *q. 96. art. 4. quær. 3. concl.* 1. hic adnectere. Doctrinam, quam exhibet propriis ipſius verbis tranſcribere lubet. „ Cenſetur autem, *ait*, aliquis revera ex „ contemptu legem tranſgredi, non quando ex malitia, vel ex ira, vel ex aliqua „ alia paſſione ipſam violat, quamvis fre„ quenter ex eadem vel ſimili cauſa, vel „ etiam ſine cauſa, & conſuetudine illam „ violaret; ſed quando legiſlatorem, ejuſ„ que legem aſpernatur vel omnino recu„ ſans ei ſubjici, vel ex eo quod indigne„ tur ſe illi eſſe ſubjectum, directe volens „ facere id, quod eſt prohibitum, aut o„ mittere id quod eſt præceptum, ideo „ quia prohibitum eſt vel præceptum; aut „ ideo quia per hunc (qui tamen eſt legiti„ mus ejus ſuperior) præceptum vel prohi„ bitum eſt. Vid. in 2. 2. q. 186. art. 9.

„ Si quæras, *ſubdit ipſe*, utrum uni„ verſaliter verum ſit, quod tranſgreſſio „ legis ex contemptu ſit peccatum morta„ le, etiam in materia levi. Reſp. eſſe, „ ſi loquamur de contemptu qui ſimpli„ citer, & abſolute eſt contemptus, iſque „ plene deliberatus; alioquin tranſgredi le„ gem ex contemptu, poteſt ex duobus ca„ ſibus eſſe peccatum veniale: nimirum „ aut ex imperfectione actus non plene de„ liberati, aut ex levitate materiæ, ac „ contemptus, quamvis ſit plene delibera„ tus, non ſit tamen contemptus ſimpli„ citer, ſed ſecundum quid.

„ Contemptus ſimpliciter eſt, quando „ vel poteſtas legiſlatoris ſimpliciter, & „ ex toto contemnitur, vel in totum reſ„ puitur ei ſeu ordinationi ejus lubens, de „ quo proinde contemptu loquitur Cajet. „ ſcribens quod dicere verbum otioſum ex „ contemptu eſt peccatum mortale; immo „ nolle ſequi conſilia Chriſti (puta nolle „ ingredi Religionem ex contemptu conſi„ lii Chriſti) eſt peccatum mortale; hoc „ enim, inquit, nihil aliud eſt, quam nol„ le ſubjici Chriſti conſiliis ut conſiliis.

„ Eſt autem contemptus ſecundum quid „ quando non abſolute contemnitur legiſ„ lator, ſed ſolum una aliqua ejus lex par„ ticularis, idque ideo, quia res, quam „ jubet, levis eſt, ac parvi momenti; ita „ ut qui legem illam violat, non recu„ ſet abſolute ſubjici legiſlatori vel ejus „ legi, ſed tantum in hac levi materia „. Hæc ille; quæ, utpote perſpicua, expoſitione, & additione non indigent.

Diſtinctio legum, quæ fundantur in præſumptione.

XIII. Circa obligationem legum, quæ fundantur in præſumptione, occurrit obſervandum, aliam eſſe præſumptionem juris, quæ etiam vocatur communis periculi; aliam eſſe præſumptionem facti, quia præſumitur factum aliquod in particulari jam exiſtens, aut præteritum; ad differentiam præſumptionis juris qua præſumitur poten-

tia

Digitized by Google

tia de facili ad actum reducibilis; & hinc fit, quod quædam leges fundentur in præſumptione facti, & quædam in præſumptione juris, ſeu periculi: iſtæ non fundantur in indiciis, ſed in judicio moraliter certo, quod ex tali vel tali actione, quamvis forte non in omni caſu particulari, tamen plerumque grave malum ſequatur: unde legislator in his legibus ferendis non præſumit ullum factum, ſed tantummodo periculum, quod in talibus actionibus exercendis plerumque immiſcetur gravis mali, quod per legem, quam fert, vult a ſuis ſubditis arcere; & idcirco illam actionem vetat, plerumque graviter periculoſam. Leges autem, quæ fundantur in præſumptione facti, ſunt quæ ex conjecturis, & conſideratione circumſtantiarum pro hoc, vel illo caſu aliquid præcipiunt, aut vetant; quapropter videntur procedere ſub conditione, quod ſi vel factum extet, vel talis circumſtantia facti, lex liget; ſin minus, non liget. His neceſſario prænotatis.

Qualiter obligent leges fundatæ in præſumptione facti?

XIV. Leges fundatæ in præſumptione facti non obligant in conſcientia, niſi factum extet: ita communis; quia ceſſante veritate facti, aut circumſtantia a lege inſpecta, ceſſat motivum legis; quandoquidem ſit lex, ut indicavi, conditionata, quæ non obligat, niſi extante conditione. *Hinc* inferas, quod mulier, quæ ſcit invalide ſe contraxiſſe cum viro, non tenetur parere Epiſcopo, etiam ſub excommunicatione præcipienti, ut debitum reddat; quia juſſio præſumit factum, nempe validum Matrimonium, quod non eſt; ſed potius tenetur vitam amittere, quam fornicari cum viro, qui non eſt maritus: & ſi excommunicetur, ſuſtineat humiliter cenſuram, ſed debitum non reddat, etiamſi prævideat ſe igne conſumptam iri: procuret tamen illuminare Epiſcopum de errore facti: & ex hoc conſimilia ſolvas.

Qualiter obligent fundatæ in præſumptione juris.

XV. Leges fundatæ in præſumptione juris, ſeu periculi, obligant ad ſui obedientiam, etiam in caſu, quo reſpectu alicujus particularis ceſſet periculum: ita fere communis. Quia etiam in dicto caſu ſubſiſtit motivum legis præcipuum; eo quod, quamvis per accidens non extet periculum in hoc caſu particulari, adhuc plerumque ſubſiſtit, per ſe ex natura talis actionis: igitur ejuſdem actionis prohibitio redundat in commune bonum; & propterea etiam illa perſona particularis, in qua per accidens ceſſat periculum, tenebitur legi, adhuc illam obſtringenti; quia lex illa obſtrin-

gere non ceſſat, cum non reſpiciat ad particulares caſus accidentales, ſed ad id, quod plerumque oritur ex natura talis actionis: quandoquidem bonum commune poſtulat, ut, etiam ceſſante per accidens in particulari perſona periculo, adhuc lex illam obliget; aliter omnes facile præſumerent reſpectu ſui ceſſare periculum, cum ingenti Communitatis damno, quia reapſe periculum non ceſſat.

Dantur duo exempla.

XVI. Hinc lex vetans Matrimonia clandeſtina, adhuc reſpectu omnium perſonarum (ubi eſt acceptata) ſubſiſtit, neminemque particularem excipit, quamvis reſpectu ipſius nulla ſubſint pericula, propter quæ lata fuit; & non alia ratione, niſi quia adhuc pericula plerumque ſubſiſtunt. Similiter lex vetans lectionem talium librorum, ob pericula &c.; ſubſiſtit, neque excipit illum, reſpectu cujus talia pericula ceſſant, quia revera plerumque pericula extant; & proinde bonum commune requirit, ut etiam in caſibus illis particularibus obliget, ne præſumptione cæterorum, obligatio legis juſtiſſimæ omnino evaneſcat: ex his duobus exemplis alia reſolvas.

Tenentur ſubditi acceptare legem a Principe latam.

XVII. An autem, ut leges humanæ vim obligandi habeant, ſubditorum acceptatio requiratur? Reſponſioni eſt præmittendum tanquam indubitabile, peccare ſubditos ſine juſta cauſa non acceptantes legem latam a publica poteſtate, ita docente Alexandro Papa VII.; qui theſim oppoſitum affirmantem n. 18. damnavit, in qua dicebatur: *Populus non peccat, etiam ſi abſque ulla cauſa non recipiat legem a Principe promulgatam*. Hoc itaque præſuppoſito, examinandum ſupereſt, an etiam ſi illicite rejiciatur lex, hæc obligare nequeat, niſi acceptetur a ſubditis? Nonnulli dicunt cum Navarro, & Valentia, non obligare: longe probabilior, & ſaltem apud multos graves communior, docet obligare. Ita Sylveſter verbo lex q. 6. Barthol. Medina 1. 2. qu. 90. a. 3. Joannes Medina cod. de reſt. qu. 36. ad 6. Vaſquez diſp. 156. cap. 5. Suarez lib. 3. de leg. cap. 19. Uviguerius q. 96. a. 4. dub. 6. Malderus q. 90. a. 3. dub. 2. & alii plures apud Rodericum tom. 1. quæſt. regul. q. 6. a. 6. cum quibus dicendum, vim obligandi, quæ leges humanæ ſive Eccleſiaſticæ, ſive Civiles potiuntur, non pendere a populi acceptatione. Id evinci poteſt ex dictis num. 1. hujus §. quia ex ipſa eſſentia poteſtatis, quam legislator ut talis habet, profluit, ut

leges ab ipſo latæ ſint independentes a præfata acceptatione; quandoquidem aliter non eſſet Superior, ſed merus conſiliarius, aut merus proponens; neque ipſe regeret, ſed ſubditi ſeipſos regerent. Nam quamvis populus hanc facultatem a principio leges condendi in Principem tranſtulerit, ſemel verificato, quod abſque ulla expreſſa conditione circa leges condendas tranſlata fuerit, eo ipſo in eum tranſtulit poteſtatem regendi independenter a ſuo beneplacito; ſi enim regere non poſſet, niſi prout ipſi populo libet, ipſe non regeret, ſed potius regeretur a populo. Sicut igitur Princeps poteſtatem habet coercendi, puniendi &c. independenter a conſenſu ſubditorum, ita & leges condendi. Et confirmatur ex eo, quod ſuperior familiæ in ſuis juſſionibus ferendis, non pendet a conſenſu familiæ, ut juſſa vim obligandi habeant; ſic & Superior Communitatis: ita enim ſe habet ille reſpectu familiæ privatæ, ſicut iſte reſpectu familiæ publicæ. Cum autem id verum ſit de Principe temporali, multo magis verum affirmari debet de Summo Pontifice; hic namque non a ſubditis accepit poteſtatem legiſlativam in ipſum transfuſam, ſed illam immediate a Chriſto accepit, cui in Petri perſona dicitur: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis*. Solvamus modo contrariæ opinionis motiva.

Abrogatur lex per conſuetudinem contrariam, quatenus a Principe diſſimulatur, qui, ſi vellet, reſiſtere poteſt.

XVIII. Leges humanæ poſſunt quidem per conſuetudinem contrariam abrogari; at id non provenit ex eo, quod ſubditi auctoritatem habeant in legem: ſed ex eo, quod Princeps, ſciens repugnantiam populi, eligit potius abſtinere ab illis compellendis, quam illos vi coercitiva compellere, quemadmodum licite facere poſſet; unde ideo conſuetudo abrogat legem, quia diſſimulatur a Principe, potente obſiſtere, & non obſiſtente: ex quo tamen non fit, quod reſiſtentes legi ſine juſta cauſa, immunes evadant a culpa. Unde ſi Princeps obſiſteret, & identidem obſiſtentiam renovaret, nunquam conſuetudo poſſidere, & præſcribere poſſet.

Recuſato populi quando, que prudenter compeſcenda.

XIX. Periculum tumultus popularis, & multorum peccatorum, quod oriri poteſt ob urgendam latæ legis obligationem, non efficit legem eſſe injuſtam, neque eſt ſcandalum a legiſlatore datum, ſed eſt ſcandalum acceptum a malitia, & improbitate ſubditorum declinantium repreſſionem ſuarum cupiditatum, & propterea quamvis aliquando prudenter agant Principes ſuſpendendo legis obligationem; plerumque prudentius agunt, eam ſuſtinendo, præcipue quando per ipſam bona notabilia ſint Communitati, decurſu ſaltem temporis, adventura.

XX. Textus deſumptus ex lege *de quibus* 32. ff. de legibus, in quo dicitur; *Cum ipſæ leges nulla alia de cauſa nos teneant, quam quod judicio populi receptæ ſunt*, nullam vim habet reſpectu noſtrarum legum; loquitur enim Juriſconſultus de legibus Romanæ Reipublicæ, quæ nedum eo tempore, quo viguit in ſtatu Reipublicæ, ſed etiam Imperatorum tempore uſque ad tertium ſæculum, vim obſtringendi non habebant, niſi de populi conſenſu, ita poſtulante regimine Democratico; ea propter in titulis legum inſcribebatur: *Senatus & Populus Romanus*. Noſtra vero aſſertio loquitur de legibus a Dominio & regimine Monarchico, vel Ariſtocratico promulgatis.

Quando conjectandum eſt, Principem expectare aſſenſum? Quando conjectetur lex acceptata? In dubio an ſit recepta, ut talis habenda eſt.

XXI. Conjectari autem poteſt, Principem nolle legem obligare, niſi acceptetur, quando primos legi reſiſtentes, quos, facile coercere poſſet, Princeps non coercet, ſi eidem innoteſcant hujuſmodi tranſgreſſores. Judicari autem debet acceptata, quando vel a majori parte ſubditorum ſilentio, vel a parte ſpectabiliori, quamvis non majori, ſilentio, aut alio modo acceptationem indicante, non rejicitur. Si vero dubitetur an fuerit acceptata, pro acceptata habenda eſt; probavimus namque n. 17., teneri ſubditos ad acceptandum; in dubio igitur præſumendum erit fuiſſe acceptatam, & ſubditos id præſtitiſſe; quod præſtare tenebantur juxta regulam juris; *In dubio præſumitur factum fuiſſe, quod faciendum erat*.

In dubio de juſtitia legis, eſt parendum.

XXII. In dubio de legis juſtitia, eſt eidem obediendum; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis: Princeps autem eſt in poſſeſſione poteſtatis condendi leges; hac igitur poteſtate ſpoliari non poterit, in ſolo dubio de recto ejuſdem uſu; cum alioquin ſubjectio certo ſpectet ad ſubditos, quam in dubio excutere non poſſunt, cum certa Principis injuria, jus in illos poſſidentis; aliter væ legibus.

§. VI. *De materia humanæ legi ſubjecta.*

Actus heroici non ſunt materia legis humanæ.

I. Actus heroici virtutis plerumque non ſunt materia legis humanæ. Lex enim debet eſſe de moraliter poſſibilibus toti Communitati, hujuſmodi autem non ſunt

manæ nisi in hypotheſi.

ſunt indicati actus; unde ſi Communitas ad illos obſtringeretur, grandis aperiretur aditus ſcandalis, & ſubverſionibus, & præceps ſubditis daretur occaſio evadendi longe deteriores. Dixi plerumque; quia in aliquibus raris caſibus & circumſtantiis ad commune bonum confluentibus juberi poſſunt; ut patet in Ninivitarum ſeveriſſimo jejunio &c. Item juberi poſſunt, in hypotheſi ſtatus libere ab aliquo ſuſcepti, ut lex trium votorum ſolemnium in aſſumente ſtatum Religioſis: Propterea regulariter obligat ad actus virtutis, qui a plerique exerceri poſſunt; & qui videntur ſubditis profuturi.

Actus interiores requiſiti ab exterioribus juſſis, ſunt materia legis humanæ.

II. Actus interni requiſiti ad conſtituendum in ſpecie morali actum exteriorem, juxta communem, juberi poſſunt ab humana lege; quia cum poſſit jubere actus exteriores virtutum, indirecte jubet actum interiorem neceſſario requiſitum ab exteriori, ut ſit actus virtutis, & ne ſit vitioſus: & ita jubendo orationem vocalem, indirecte jubet attentionem interiorem &c. Confirmatur ex Alexandro VII. configente hanc theſim n. 14. *Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*: nec non ex Innocentio XI. hanc num. 55. reprobante. *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*. Igitur in his præceptis jubet indirecte Eccleſia actus interiores doloris &c.

Actus mere interiores non ſunt materia legis humanæ.

III. Actus mere interni, ſpectata communiori Theologorum, non ſunt materia legis humanæ, etiam Eccleſiaſticæ, quia cum non poſſit de illis judicare, quippe quod ſint omnino occulti, neque poterit de illis legem ferre: & hæc eſt ratio allata a S. Doctore 1. 2. q. 91. a. 4. idemque repetit 2. 2. q. 104. a. 5. *In iis, quæ ad internum motum voluntatis pertinent, homo homini obedire non tenetur*, (intellige per legem) *ſed Deo tantum*.

* Communis Theologorum ſententia eſt, non poſſe Legislatorem Eccleſiaſticum, nedum civilem, præcipere actus mere internos directe, & per ſe lege coactiva coactione externa, quæ ſcilicet pœnam poſt cauſſæ recognitionem a judice infligendam præſcribit. Id perſpicue docet & D. Thomas *cit.* 1. 2. *q.* 91. *art.* 4. Nam *de his*, ait S. D., *poteſt homo legem ferre, de quibus poteſt judicare. Judicium autem hominis eſſe non poteſt de interioribus actibus, qui latent, ſed ſolum de exterioribus motibus qui apparent*. Igitur non poteſt homo actus mere internos præcipere directe & per ſe lege cogente coactione exteriore.

In controverſiam autem vocatur num Legislator humanus Eccleſiaſticus valeat directe præcipere actus internos lege dirigente, & curante animarum ſalutem coactione mere interna, ideſt obligante ad culpam, ſublato judicio exteriori, & pœna. Non pauci valde probabile exiſtimant poſſe legislatorem eccleſiaſticum præcipere lege directiva actus mere internos iis in caſibus, in quibus judicaverit id opportunum eſſe atque conſentaneum ad ſalutem æternam. Hoc namque inter Legislatorem Eccleſiaſticum & civilem diſcrimen intervenit, quod hic ſolam exteriorem ſubditorum felicitatem, ille e contrario animarum ſalutem primo & per ſe ſpectat.

Aſſertionem autem evincunt 1. Scripturarum auctoritate. Siquidem Chriſtus *Lucæ* 10. dixit *qui vos audit, me audit*, & Matthæi 16. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis*. Et Apoſtolus ad *Hebr.* 13. *Obedite*, ait, *Præpoſitis veſtris*. Quæ verba generalia ſunt, & ſignificant ampliſſimam poteſtatem Eccleſiæ conceſſam, quæ proinde limitari non debet ad actus externos, imo utpote Eccleſiæ favorabilis debet extendi.

2. Ex more & praxi Eccleſiæ, quæ non raro actiones mere internas modo præſcripſit, modo vetavit. Sic cap. *ultim. de hæret. in* 6. Pontifex præcipit Inquiſitoribus, ut puram, & providam intentionem habeant. Et Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. in proemio prohibet, ne aliter credatur, quam ſuo decreto ſtatuitur: ergo diſſenſus mere internus, non ſolum præcepto divino, ſed etiam Eccleſiaſtico prohibetur. Inſuper Nicolaus IV. in Regula tertii Ordinis S. Franciſci a Leone X. confirmata injungit quotidie Fratribus examen conſcientiæ, qui actus mere eſt interior. Et Urbanus VIII. mandavit in omnibus, & per omnia ſervari ab omnibus Rubricas Miſſalis Romani, inter quas una præſcribit, ut Sacerdos *aliquantulum quieſcat in meditatione Sanctiſſimi Sacramenti*, quæ certe meditatio eſt actus pure internus. Præterea Innocentius XI. hanc proſcripſit propoſitionem, quæ in ordine 10. eſt: *Non tenemur proximum diligere actu interno*. Nec reponi poteſt Pontificem nihil hic præcipere, aut vetare, ſed id tantum declarare quod naturali & divina lege præ-

ſcriptum eſt; quia Pontifex jubet, ut interius omnes doctrinam hanc exequantur, & ut veram habeant. Demum idem S. P. Innocentius XI. hanc Michaelis de Molinos propoſitionem damnavit, quæ eſt 66. *Riſu digna eſt doctrina quædam nova in Eccleſia Dei, animam quoad interna gubernari debere per Epiſcopos ...... quia Eccleſia non judicat de occultis.* Hujuſce propoſitionis doctrina eo pertinet, ut Paſtoribus Eccleſiæ regimen adimat animarum.

3. Tandem ex ratione, quæ ita paucis exhibetur. Poteſtas Eccleſiæ eſt ſpiritualis, & ordinatur immediate ad ſalutem animarum. Porro actus interiores potiſſima media ſunt, quæ viam ad hunc conſequendum finem ſternunt: ergo animarum Paſtor, cujus eſt animas in hunc finem dirigere, præfatos interiores actus præcipere, aut vetare poteſt, prout congruunt, aut obſunt eidem fini; alioquin futilis foret poteſtas in finem, ſi nihil in media juris haberet.

Hæc ſunt præcipua, quæ in medium afferunt Doctores plures ad oſtendendum poſſe Legislatorem Eccleſiaſticum, ſeu Eccleſiam præcipere lege directiva actus mere internos in iis caſibus, in quibus expediens id eſſe judicaverit ad ſalutem æternam. Imo ſunt etiam inter illos qui ſentiunt poſſe Eccleſiam punire pœna ipſo facto lata actus mere internos v. g. hæreſim mere internam, ſicut punit occultam; quia ad hoc non requiritur cognitio tranſgreſſionis. Lex enim coactiva, quæ ultra obligationem in conſcientia, pœnas imponit, duplex eſt. Alia coactiva coactione interna, quæ & ſub culpa & ſub pœna, ipſo facto ante judicis ſententiam ſubeunda, adſtringit. Alia coactiva coactione externa, quæ pœnam poſt cauſæ recognitionem, a judice infligendam præſcribit. Quamvis igitur haud poſſit Eccleſia præcipere actus mere internos directe, & per ſe lege coactiva coactione externa, ut ſupra ſtatuimus; attamen juxta nonnullos poteſt præcipere actus internos non ſolum lege directiva, ſed etiam lege coactiva coactione interna. Qui plura deſiderat, adeat Albertum Pighium *lib. 6. de Hierarch. Eccleſ. cap.* 16. Sylvium *in* 2. 2. *p.* 104. *art.* 5. Henricum a S. Ignatio *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 16. P. Antoine *tract. de Legibus ſect.* 3. *cap.* 1. *q.* 4. P. Danielem Concinam *Theol. Chriſt. tom.* 6. *lib.* 1. *diſſert.* 5. *cap.* 2. *n.* 8. *& ſeqq.* & Petrum Collet *Inſtit. Theol. tom.* 1. *tract. de Legibus cap.* 5. *art.* 1. *ſect.* 2. *concl.* 2.

§. VII. *De Modo adimplendi legem.*

I. AD ſatisfaciendum legi aut præcepto affirmativo, ex communi, ſufficit & requiritur libere, & voluntarie ponere actum, qui jubetur: quandoquidem præcipiatur actus humanus: qui igitur coacte retineretur in Eccleſia coram celebrante, nolens audire Sacrum; niſi voluntatem mutaret, præcepto non ſatisfaceret; quia aſſiſtentia coacta Sacro, non eſſet voluntaria, & libere poſita, neque humana. Nihilominus poſitioni voluntariæ actus juſſi, non requiritur alia intentio ſatiſfaciendi ſuperaddita, quæ a lege non jubetur, cum jubeatur dumtaxat poſitio voluntaria actus. Ad ſatisfaciendum legi jubenti actum, ſufficit actum libere ponere.

II. Ad ſatisfaciendum præcepto negativo, jubenti ab actu malo abſtinere, ſufficit, ex communi, non exercere actionem illam, quamvis de illa quis numquam cogitaverit; cum de iſto etiam verum ſit, quod actum vetitum non exerceat. Ut autem, abſtinendo ab actu vetito, meritum acquirat, profecto requiritur actus voluntatis, vel explicite ſtatuentis illum nunquam perpetrandi, vel implicitus, repellendo tentationes ad eumdem provocantes; quia, juxta Theologos ſcholæ, ad merendum non ſufficit mera negatio actus, ſed requiritur actus bonus, præter alia requiſita. Satisfit præcepto negativo, non ponendo actum vetitum.

III. Ex dictis infertur cum communi, quod qui poſuit voluntarie, & cum requiſitis circumſtantiis actum præceptum, ignorans extare præceptum, cum id noverit, poterit intendere ſe præterito actu ſatisfeciſſe præcepto, cum revera poſuerit voluntarie actionem præceptam: ita qui Sacrum debito modo audivit, ignorans eſſe diem feſtum, non tenetur aliud Sacrum audire; ſed ſufficit quod referat auditum ad præceptum poſtea ipſi notum. Immo, juxta communiorem, & ſaltem mihi probabiliorem, qui voluntarie ponit actionem præceptam cum requiſitis, & cum expreſsa voluntate tunc non ſatisfaciendi præcepto, ſed iterum illam renovandi, immo etiam cum voluntate prava nolendi ſatisfacere præcepto; nihilominus ſatisfacit; quia voluntarie actionem præceptam poſuit; & primus tenetur deponere animum illam iterum renovandi, referendo jam factam ad præceptum; ſecundus autem, Qui poſuit actionem juſſam ignorando præceptum non tenetur iterum ponere.

tem, quamvis non peccet contra præceptum, quod jam adimplevit; peccat tamen graviter contra legem naturalem, imponentem cuilibet ſubdito obligationem habendi voluntatem parendi legibus juſtis a Superiore latis; & propterea peccat peccato gravi inobedientiæ contra legem naturalem, non contra illam poſitivam, quam volens, nolens, jam adimplevit.

Non ſic in voto aut aliis actibus, quorum tota obligatio pendet a voluntate agentis.

IV. Si opponas: qui vovit horas Virginis, & velit recitare illas ex devotione, animo recitandi deinde ex voto, non ſatisfacit voto per primam recitationem; ſimiliter qui, promiſſione ſtricte accepta, promiſit Petro decem aureos, ſi eoſdem ipſi elargiatur titulo eleemoſinæ, & non animo adimplendi promiſſum, tenetur ad alios decem: ita in caſu noſtro. Sed magna intereſt diſparitas: quia in caſu noſtro obligatio legis vel præcepti pendet dumtaxat a voluntate legislatoris, quæ non aliud requirit, niſi ut ponatur actus voluntarie: at in objectis caſibus obligatio pendet a voluntate operantis, quæ cum in allatis caſibus ſit non ſatisfaciendi, revera non ſatisfacit.

Neque in confectione Sacramentorum.

V. Si opponas iterum, quod in conficiendis Sacramentis requiratur intentio ſaltem virtualis, ut docet communior & probabilior, igitur etiam in adimplenda lege. Reſpondetur, quod conficiens Sacramenta debet elicere actionem, quæ ſit Sacramentalis; hæc autem, ad hoc ut talis appelletur & ſit, determinanda eſt per intentionem miniſtri, cum alioquin etiam profane exerceri poſſit, ut videre eſt in ſingulis: In caſu autem noſtro nil aliud poſtulatur, quam libera poſitio actionis debitæ.

* Sentiunt Theologi communiter, ut & aſſerit Auctor *n.* 3. quod qui ponit voluntarie, & cum requiſitis circumſtantiis actum præceptum, ignorans præceptum extare, poſſit, cum id noverit, intendere ſe præterito actu ſatisfeciſſe præcepto. Sic ajunt c. e., qui ignorans vel non advertens ad diem feſtum pie & devote Sacro intereſt, ſatisfacit præcepto, nec tenetur aliud ſacrum audire, poſtquam reſciverit eſſe feſtum; ſed ſatis eſt, quod referat auditum ad præceptum poſtea ipſi notum. Communem hanc ſententiam admittit & P. Daniel Concina *tom.* 6. *lib.* 1. *diſſert.* 5. *cap.* 9. *n.* 4. licet alibi dubitaſſe videatur. Et ſane in eo qui ita agit reperitur ſemper generalis, confuſa, & interpretativa ſatisfaciendi intentio, ultra quam nihil aliud requirit Eccleſia. Qui igitur v. g. Sacrum debito modo audivit ignorans eſſe diem feſtum, non adſtringitur, ſi deinde advertat eſſe diem feſtum, ad aliud Sacrum, ſed ſufficit ut referat auditum ad præceptum poſtea ipſi notum, ut optime Auctor obſervat; imo neque hoc in rigore neceſſarium eſt, ut cenſet Suarez *in* 3. *p. diſp.* 88. *ſect.* 3. ſed ſolum requiritur, ut judicet ſe ſatisfeciſſe præcepto.

Magna autem viget inter Theologos diſceptatio circa illum qui voluntarie quidem ponit actionem præceptam cum requiſitis, ſed ſimul cum expreſſa voluntate non ſatisfaciendi præcepto, vel quia ſtatuit actionem poſtea renovare, ut ſatisfaciat præcepto, v. g. aliam Miſſam audire, aliud officium recitare &c. vel quia abſolutam pravam efformat intentionem non ſatisfaciendi. Et hunc in utroque caſu præceptum implere, adeo ut ſi toto illo tempore, quo præceptum urget v. g. audiendi ſacri, perſolvendi officii &c. velit Miſſa audita, officio perſoluto, implere præceptum, reipſa impleat, nec teneatur aliam Miſſam illo die audire, aliudve officium recitare, ſane contendunt Doctores plures, quibus & Auctor ſubſcripſit, qui tamen ſubdit quod in primo caſu tenetur deponere animum actionem iterum renovandi, referendo jam factam ad præceptum; in ſecundo vero caſu aſſerit quod quamvis non peccet contra præceptum &c. peccat tamen graviter contra legem naturalem imponentem cuilibet ſubdito obligationem habendi voluntatem parendi legibus juſtis a ſuperiore latis. Alii oppoſitum ſuſtinent, ac illum in neutro & præſertim in ſecundo caſu præcepto ſatisfacere autumant, quorum ſententia probabilior nobis apparet ob hanc præcipue rationem, quam in medium afferunt. Etenim, inquiunt, neceſſaria eſt intentio, ſaltem virtualis, & interpretativa ſatisfaciendi præcepto. Porro ille qui expreſſe & poſitive deliberat ſe nolle ſatisfacere, hanc intentionem virtualem & interpretativam non habet: ergo non ſatisfacit præcepto. Opinionem hanc inter ceteros propugnant Martinez de Prado *tom.* 2. *c.* 30. *q.* 8. §. 1. *n.* 4. Azorius *p.* 1. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæſt.* 6. Suarez *in* 3. *p. diſp.* 88. *ſect.* 3. Sylvius *in* 22. *quæſt.* 88. *artic.* 3. *&* *quæſt.* 122. *art.* 4. & Continuator Prælect. Theolog. Hono-

Digitized by Google

Honorati Tournely *tract. de legibus cap.* 3. *art.* 2. *ſect.* 2. ubi pluribus argumentis eam confirmat, ac inſuper quæ a contrariæ ſententiæ deſenſoribus exhibentur, omni vi & efficacitate ad perſuadendum deſtituta oſtendit.

Duo tamen hæc addenda cenſet idem Theologus animadverſione digna. Primo qui utcumque renitens, ait, actum lege præceptum exequitur, non ſemper eſt tranſgreſſor præcepti, ut patet in pueris, qui Miſſam pie audiunt, quam non audiſſent niſi Parentum minis coacti. Secundo qui præceptum aliquod implevit v. g. Clericus, qui Officium recitavit, ſed minus pie quam optaſſet, quique novam Horarum recitationem ſibi proponit., ut præcepto ſatisfaciat, ſi poſtea ſuo vel alieno conſilio novæ recitationis voluntatem abiiciat, non peccat, quia cum tempore recitationis interpretativam ſaltem ſatisfaciendi voluntatem habuerit, revera ſatisfecit, novumque ejus propoſitum nihil in actu præcedente immutare potuit.

Propoſitam autem controverſiam inter illas, quæ vanæ & frivolæ appellantur, reiiciendam exiſtimat P. Daniel Concina *tom.* 6. *lib.* 1. *diſſert.* 5. *cap.* 9. *n.* 6. " Nam,
,, ait, excepto caſu, quo vir ſcrupulis
,, exagitatus advertens, ſeu timens cum
,, debita attentione ſe non implere debi-
,, tum ſuum in recitando officio, audi-
,, endo ſacro, deliberaret ſe nolle hoc
,, actu ſatisfacere præcepto, ſed aliud
,, audire ſacrum, iterumque recitare of-
,, ficium conſtitueret: excepto, inquam,
,, hoc caſu, in quo quid ſit agendum, in
,, regulis pro evitandis ſcrupulis dictum
,, eſt, quæſtio propoſita verbis ludit, &
,, occaſionem vitilitigandi arripit. Nam
,, quis ratione præditus præfatos hos
,, duos pugnantes actus eliciet? Quis
,, tam ſtultus, ut velit peccatum com-
,, mittere, dum actum virtutis exercet?
,, Nam qui conſtituit ſe nolle hac audi-
,, tione Miſſæ, hac recitatione officii
,, implere præceptum, vel deliberat a-
,, liam audire Miſſam, aliud recitare of-
,, ficium, vel definit ſe reapſe nolle to-
,, to illo die adimplere præceptum,
,, licet deliberate rem præceptam ponat.
,, Ego in primo caſu non modo per-
,, mitterem, & obligatum declararem
,, (niſi aliqua obſtaret ſcrupuli alicujus
,, circumſtantia) ad audiendum aliud
,, Sacrum, recitandum aliud officium,
,, ſed in pœnam ſui otioſi actus tertiam
,, Miſſam audiendam, tertium officium
,, recitandum (ut ita dicam) impone-
,, rem. In ſecundo caſu hominem reii-
,, cerem ut dementem, tamquam qui
,, vellet peccare, ut peccaret; nam rem
,, præceptam attente, & diligenter exe-
,, quitur, urgente præcepto, & præce-
,, ptum implere recuſat? Delirium hoc
,, mihi apparet. Sed inquis: ſi reipſa ſi-
,, milis reperiretur ſtultus, quid ſenten-
,, tiæ feres in ipſum? Ad aliam audien-
,, dam Miſſam, ad aliud recitandum of-
,, ficium obligarem, ut peccati pœnam
,, lueret. " Sic quidem ille.

Finis intrinſecus cadit ſub præcepto.

VI. Finis intrinſecus præcepti, qui videlicet imbibitur in natura actionis præceptæ, puta colendi Deum in recitatione Horarum, in auditione Sacri &c. cadit ſub præcepto; quia cum jubeatur actio illa religioſa, jubetur talis ſecundum ſuam ſpeciem intrinſecam, quæ eſt colere Deum. Pro praxi autem cenſetur ab operante intendi, quamdiu non excludatur poſitive. Si autem illam poſitive excluderet, tunc, vel revera actionem adimpleret ſicut oportet vel non; ſi primum, ſatisfaceret quidem præcepto, quia volens, nolens, exercendo illam ſicut oportet, coleret Deum; at peccaret peccato gravi inobedientiæ contra ſubjectionem legi debitam, retinendo affectum illum pravum præcepto legis repugnantem: ſi vero illam faceret non ſicut oportet, jam non poneret actionem præceptam, & eſſet legis tranſgreſſor, & ſimul inobediens, repugnans ſubjectioni quam lex exigit. Finis autem extrinſecus a lege intentus, & non ſpectans ad ſpeciem actionis præceptæ, puta ad placandum Deum per auditionem Sacri, non cadit ſub præcepto, niſi a lege expreſſe jubeatur. Ratio eſt quia præceptum afficit actionem tantum, non finem a legislatore actioni extrinſece, & accidentaliter additum: qui ſi expreſſe jubeatur, tunc, cum evadat pars materiæ præceptæ, eſt intendendus a ſubdito, & niſi intendatur ſaltem implicite, evadit tranſgreſſor legis. Videri poteſt S. Thom. 1. 2. quæſt. 100. art. 9. & 10.

Non autem finis extrinſecus, niſi expreſſe jubeatur.

* Duplex diſtinguendus eſt finis legis, ſicuti recte diſtinguitur ab Auctore, intrinſecus nempe, & extrinſecus. Finis legis intrinſecus eſt id ad quod Legislator ſua lege intendit obligare: unde eſt id quod reipſa per legem præcipitur; ſeu eſt ipſa res præcepta. Extrinſecus

vero

Digitized by Google

vero eſt id, ad quod Legiſlator rem præceptam dirigit, & ordinat. Porro ſine fine intrinſeco res præcepta conſiſtere minime valet, ut ex ejus notione compertum eſt; atque adeo ſine ipſo lex non adimpletur. Unde finis intrinſecus cadit ſub præceptum; ideoque ut quis ſatisfaciat legi, intendat oportet finem intrinſecum legis. Sine fine autem extrinſeco ſubſtantia rei præceptæ poteſt reperiri; adeoque abſque ipſo lex vel præceptum adimpleri valet. Quare finis extrinſecus legis abſolute non cadit ſub lege. Hinc ſatisfacit præcepto jejunii, qui unicam ex cibis licitis refectionem ſumit, etſi non intendat macerare corpus, quia hæc intentio non præcipitur ab Eccleſia, licet in hunc finem jejunium dirigat. Excipiendus tamen caſus eſt, ut optime animadvertit Auctor, in quo legiſlator finem ſuum expreſſe præſcriberet intendendum a ſubdito. Sed tum finis extrinſecus indueret conditionem rei præceptæ, & eſſet materia legis. Finis autem præcipi cenſetur, quoties præcipitur actus faciendus ob certum finem in lege expreſſum. Quamobrem ſi Prælatus jejunia, vel preces præſcriberet ad avertendam calamitatem, tenerentur ſubditi ſeſe illius voluntati conformare, nec ſatisfacerent præcepto ſi ex hoc fine non jejunarent, aut orarent. Legantur P. Antoine *tract. de legibus cap. 3. quæſt. 2.* & P. Daniel Concina *tom. 6. lib. 1. diſſert. 5. cap. 9. n. 7.*

Finis malus additus actioni juſtæ, non impedit adimpletionem legis humanæ.

VII. Ex his infertur, quod ſi exequens actum a lege impoſitum ſicut jubetur, adjungat eidem pravam intentionem naturæ actus extrinſecam, puta auditioni Sacri inanem gloriam, animum ſeducendi facilius fœminam &c. adhuc ſatisfacit legi humanæ, quia revera ponit actum ab ipſa impoſitum, pro quanto ad ipſam pertinet: attamen peccaret tam contra legem naturalem, jubentem opera bona recta intentione eſſe facienda, quam contra illas virtutes, exercendo actionem animo inclinato ad vitia eiſdem oppoſita.

* Sunt qui cenſent diſtinguendam eſſe circumſtantiam quæ ſubſtantiam actus præcepti inficit, a circumſtantia quæ actum præceptum comitatur, & perſonam operantem, non officium executionis polluit. E. g., inquiunt, audit quis devote, & attente Sacrum: circumſtat inanis gloriæ fumus: diſtrahitur ad videnda objecta vana. Hæc veniaria peccata non inficiunt ſubſtantiam actus ex motivo ſeu fine Religionis præſtiti. At ſi quis ad Eccleſiam auditurus Sacrum animo aſpiciendi mulierem accedat, finis iſte corrumpit ſubſtantiam actus, quo implendum præceptum eſt. Finis quippe intrinſecus audiendi Sacri eſt religioſum obſequium Deo præſtandum. Qui animo videndæ amaſiæ ad Sacrum audiendum pergit, non religionis officium, ſed libidinis flagitium exercet. Sic poſt veteres plures, & contra recentiores non paucos P. Daniel Concina *tom. 6. lib. 1. diſſert. 5. cap. 9. n. 9.* Legatur etiam *tom. 5. lib. 1. diſſert. 3. cap. 4. nu. 2. q. 1.* ubi ex profeſſo ad examen vocat, atque diſcutit; an ſatisfaciat præcepto qui ob finem pravum aſpectandi impudice fœminam pergit ad audiendam Miſſam.

Quando eodem actu ſatisfiat pluribus præceptis, quando non?

VIII. Regulariter loquendo, unica actione non ſatisfit pluribus præceptis; quia cum quodlibet præceptum ſuam afferat obligationem, naturaliter loquendo, præcipiens per novum præceptum, novam intendit imponere obligationem, & non anteriorem confirmare. Si tamen duo, vel plura præcepta eodem ſimul tempore obligent, ex eodemque motivo; tunc eadem actione ſatisfit obligationi illorum præceptorum. Primum patet in eo, qui jejunare tenetur ex lege Eccleſiaſtica, & ex impoſita ſibi a confeſſario pœnitentia, qui profecto eodem jejunio utrique obligationi non ſatisfaceret, niſi forte confeſſarius ipſum obligaret ad jejunandum eadem die, puta in vigilia Aſſumptionis, quia tunc eodem jejunio ſatisfaceret; ſi tamen omitteret, teneretur in confeſſione utrumque motivum exponere; quippe quod eſſet duplex peccatum. Exemplum pro ſecundo habemus frequenter, quando dies Dominica cadit in feſto alterius diei feſtivæ de præcepto; & in jejunio Temporum cadente in vigilia S. Thomæ Apoſtoli &c.

Quando teneatur novam audire Miſſam ille, cui in Sacramentali pœnitentia imponitur Miſſæ auditio? Quomodo agendum in dubio?

IX. Ex his inferunt Auctores, quod ſi cuipiam a Confeſſario imponatur pœnitentia audiendi quotidie Sacrum per triennium, pœnitens non teneatur feſtivis diebus duplicem Miſſam audire; quia prudenter præſumitur, quod confeſſarius ad hoc illum non obligarit; cum aliter non ſe expreſſerit, dum ſe exprimere poterat. E contra vero, ſi imponat pœnitenti ſingulis diebus feſtivis Miſſam audire, jam patet, quod novam auditionem imponat,

præter illam, ad quam ex præcepto tenetur. Si autem in aliquo caſu prudenter dubitetur, an Superior per novam legem, novamque obligationem ad plures actus adſtringere voluerit, & is adiri non poſſit ut legem explicet; plures erunt actus ponendi; nam juxta regulam juris: *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veroſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit*: atqui plerumque plura præcepta pluralitatem poſtulant actionum; igitur &c.

Satisfit pluribus præceptis per plures actiones eodem tempore factas, quoties ſe invicem non impediunt.

X. Pluribus præceptis per plures actiones uno eodemque tempore factas ſatisfieri poteſt; dummodo una alteram non impediat: ita communior & probabilior. Quia qui dicto modo facit, implet totum id, quod a lege præcipitur; quando enim actiones illæ non ſe invicem impediunt, vere fiunt prout a ſuis legibus præcipiuntur. Propterea qui dum Miſſam die feſto audit, horas canonicas recitat, utrique præcepto ſatisfacit, cum Deum utraque actione, neutra alteram impediente, colat. Et ſimiliter audiendo Sacrum, valet recitare preces pro pœnitentia ſacramentali injunctas. Ita ſub Sacri auditione dolorem de peccatis ad confeſſionem prævium opportune elicit; ſecus dicendum de examine conſcientiæ, niſi forte breviſſimo; nam ut recte fiat, præcipue ſi longiuſculum, mentem a Sacro nimis diſtrahere neceſſe eſt.

Qui non poteſt totum opus a lege impoſitum præſtare, tenetur præſtare partem, quam poteſt.

XI. Qui totum opus præceptum exequi non poteſt, illudque ſit diviſibile, tenetur ad partem quam poteſt, quamvis minorem: ita dicendum colligitur ex Innocentio XI. reprobante theſim 54. oppoſitum affirmantem: *Qui non poteſt Matutinum, & Laudes, poteſt autem recitare Horas, ad nil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem*. Quando enim materia præcepta eſt dividua; præceptum, quamvis realiter ſit unum, eſt virtualiter multiplex, & ita afficit totam materiam, ut etiam afficiat omnes partes ejuſdem. Et confirmatur. Qui debet alteri mille aureos, quibus reſtituendis eſt impar, poteſt autem decem; quis ambigat, ad decem teneri? Quapropter qui non poteſt totam Quadrageſimam jejunare, poteſt autem bis; vel ter in hebdomada; ad id tenetur: qui non poteſt vesci piſcibus, poteſt autem lacticiniis, ad id tenetur; qui neque illis, neque iſtis poteſt, poteſt autem abſtinere a cœna, ad id tenetur; de quo non amplius dubitandum, poſt Conſtitutionem datam a Benedicto XIV. ſub die 30. Maii 1741. in §. 4.

Quando plura præcepta obſervari non poſſunt, dignius eſt obſervandum, per ſe loquendo.

XII. Quando emergit caſus, in quo duo præcepta obligent, & neceſſitas compellit, ut alterutrum omittendum ſit, per ſe loquendo, dignius eſt obſervandum; quia ita dictat lumen naturale, & ita legislatoris, vel legislatorum mentem rationabilem interpretari convenit: Quamobrem præceptum naturale eſt præferendum poſitivo, etiam Divino: Divinum humano, præceptum ſuperioris virtutis, præcepto virtutis inferioris; præceptum negativum, poſitivo, præceptum Superioris ſupremi, præcepto Superioris ſubordinati. Conſulto dixi, per ſe loquendo; quia accidere poteſt, quod aliquando præceptum inferius ſit ſervandum in concurſu præcepti dignioris, quando materia illius eſt gravis, iſtius autem levis: unde non eſt omittendum Sacrum, ad opem ferendam infirmo, qui revera non eſt in tanta neceſſitate aſſiſtentiæ: ſicut omittendum eſt, ſi graviter indigeat: & ſic in aliis ſimilibus.

Quiſque obligatur ad non ponendum ſine cauſa impedimentum obſervationi legis humanæ.

XIII. Ponens advertenter impedimentum non neceſſarium, quo impediatur ab obſervanda lege humana, reus eſt violatæ legis: ita probabilior cum S. Thoma, cujus verba n. ſeq. ob oculos ponam. Ratio eſt, quia legislatoris intentio nedum reſpicit poſitionem actus, verum ne ſine juſta cauſa fiant actiones non neceſſariæ, ex quarum poſitione impediatur executio legis; ſi enim obligatio legis etiam ad non ponenda talia impedimenta non extenderetur; quis non videt, quomodo ludricra potius eſſet obligatio, quæ pro arbitrio cujuſque ſubditi, volentis ponere impedimentum, ſibi non neceſſarium, poſſet ſine culpa impediri? Igitur lex jubens actionem aliquam, puta jejunium tali die, nedum obligat ad jejunandum, verum etiam ad non aſſumendum pro mero arbitrio, & ſine juſta cauſa, actionem aliam, ex qua, illam aſſumens, impediatur jejunare: ac proinde qui ita agit, cenſeri debet reus violatæ legis jejunii, dum voluit, ſine juſto motivo, cauſam, quam prævidit, & prævidere debebat impedituram eſſe jejunium.

Oſtenditur ex Doctrina S. Thomæ

XIV. Ita docuit expreſſe S. Thomas in 4. diſt. 15. q. 3. a. 2. q. 4. ad 3., ubi loquens de operariis, quorum labor aliquando componi non poteſt cum jejunio, hæc habet: *Diſtinguendum videtur; quia ſi jejunando, poſſunt competentem victum pro ſua perſona habere, & pro familia, cujus cura eis incumbit, ſive quia alias divites ſunt, ſive quia* (nota bene) *de eo quod minori labore, qui ſecum jejunium compatiatur, lucrari ſufficientia poſſunt; a jejunio non excuſantur*...

ex

Digitized by Google

ex quo patet, quod intentio majoris lucri non neceſſarii, eos a peccato non excuſat. Si igitur S. Doctor non excuſat a violata lege, qui minus laborando in ſuo opificio, poteſt & ſibi providere, & jejunium ſervare, quomodo excuſabit illum, qui voluntarie ſine juſto motivo, & pro genio aſſumit laborem, qui cum jejunio, aut lege componi nequit?

Qui improbat plurium Probabiliſtarum varias deductiones.

XV. Quod autem Probabiliſtæ fere communiter oppoſitum doceant, non tantum miramur, quantum illis adſtipulari Doctiſſimos, & alioquin fideles S. Doctoris aſſeclas, qui in ſuo curſu Theologiæ Moralis tom. 3. tract. 11. de legibus, cap. 2. puncto 10. n. 161. veriti non fuerint docere: *non peccat contra præceptum jejunii, auditionis Sacri, recitationis Officii divini, qui ſua culpa incidit in infirmitatem* (nota bene) *etiamſi prævideret per eam impediri a tali obligatione .... Similiter non peccat contra præceptum jejunii, qui die jejunii pedeſtris iter agit, vel ſi multum laboret, vel id faceret ex utilitate, vel etiam ex vitio; aut ſi in pilæ ludo, aut venatione multum ſe exerceat, vel etiam ſi iter aſſumat,* (horrendum auditu!) *ad inviſendam amaſiam, aliove pravo fine; ſi vere defeſſus ſit ſufficienter, ad eum eximendum ab obligatione jejunii.* Confer modo has deductiones pleriſque Probabiliſtis communes cum verbis S. Thomæ relatis, quibus reum violati jejunii cenſet illum, qui ſine neceſſitate victus ſui & familiæ, ſed ob meram utilitatem, laborem impendit in proprio opificio cum jejunio incompatibilem; & deinde inferas, quantum doctrinæ Probabiliſtarum differant a doctrinis S. Thomæ, & mirare quomodo perſpicaces ipſius aſſeclæ illas aut non viderint, aut poſthabuerint: non tamen mirabitur, qui animadverterit, quod quemadmodum a S. Doctore receſſerunt Probabiliſmo ſubſcribentes, (quem ab ipſo S. Doctore manifeſte reprobatum fuiſſe, luce ſolari clarius demonſtravimus in cap. de Conſcientia §. 6. num 14. & 15.) ita poſthabere potuerunt illius auctoritatem, etiam quoad punctum præſens, quod, ut jam vides, multarum deductionum eſt fœcundum.

Solvitur fundamentum oppoſitæ opinionis.

XVI. Præcipuum autem fundamentum, quo innituntur Probabiliſtæ ad oppoſitam adſtruendam aſſertionem in eo eſt repoſitum, quod, qui ponit impedimentum prævidens ſe ob illud non amplius legem executurum, non ponit ex pravo fine, ut legis obligationem impediat, ſed eo fine, ut utatur jure ſuo, quod tunc habet ad illam actionem vel indifferentem, vel etiam aliunde flagitioſam. Imbecille, immo præceps fundamentum! Quandoquidem non poteſt dici quis uti, ſed abuti jure ſuo, ſi eo utatur, agendo abſque neceſſitate id, a quo prævidet ſe impediendum ab obtemperando legi: nonne abutitur jure ſuo, qui actionem etiam honeſtam elicit, puta eleemoſynam, a qua prævidet ſe impediendum ſolvendo debitum, quod habet cum operario diurno? cur non abutetur jure ſuo, qui actionem nedum honeſtam, ſed etiam graviter malam quærendi, & inviſendi amaſiam facit, cum præviſione quod impedietur a jejunio obſervando, ita ut innoxie & abſque ullo reatu bis reficiatur? Neque reſpondeas, obligationem ſolvendi mercedem operario eſſe juris naturalis, quæ licite impediri non poteſt mero arbitrio ſine neceſſitate urgentiori; hanc autem eſse obligationem juris humani poſitivi. Reſponſio inutilis. Quandoquidem eſt de jure naturali quod legitimus Superior obediatur, ita ut ſine rationabili motivo non impediatur executio ſuarum juſſionum: quodnam autem rationabile motivum eſt, aſsumere laborem nullo pacto neceſsarium, immo etiam in ſe malum, qui prævidetur impeditivus dictæ executionis? Sicut igitur illa eſt proprii juris abuſio, ita etiam iſla: & ita judicavit Angelicus abuſum proprii juris in operario, ſi, etiam ad augendas familiæ utilitates, laborem impendat non neceſsarium, & qui cum jejunio ſociari non poteſt; & non reputabit Angelicus abuſum juris in concubinario, qui, ut inviſat concubinam, laborem aſſumit, quem prævidet ſe ad jejunandum impotentem redditurum? Si autem ita cenſet S. Thomas, cum viri Thomiſtæ ita non cenſebunt? Si inimici ejus ita loquerentur, ſuſtinendum forte eſſet: at quod viri unanimes, & noti ejus, atque in aliis multis cum conſenſu ambulantes ita loquantur in re tanti momenti; hoc ſtupendum, immo dolendum potius.

§. VIII. *De iis, qui legibus ſubjiciuntur.*

Præmittuntur ſcitu neceſſaria.

I. PRæmitto, in legibus extare vim Directivam, quæ obligat ad culpam tranſgreſsores; & vim Coactivam obligantem ad ſubeundam pœnam lege taxatam; & hæc alia eſt interna obligans ad pœnam ſtatim incurrendam abſque ulterioris Judicis declaratione; alia externa requirens declarationem patratæ tranſgreſſionis. Vis

di-

directiva, alia eſt directa, quæ ex ipſamet lege, & legislatoris voluntate exercetur in ſubditos: alia eſt indirecta, qua non ex ipſa lege, aut legislatoris voluntate, ſed ex juramento a non ſubditis præſtito ad leges illius dominii ſervandas, iſti obligantur. Præmitto item, materiam legis quandoque eſſe tam ſubditis, quam legislatori communem; quandoque ſolis ſubditis convenientem. Præmitto demum, legislatores aliquando eſſe abſolutos, leges condentes abſque ullius partis Communitatis conſenſu; aliquando eſſe non tales, ſed requirentes aſſenſum vel Senatorum, vel Procerum, vel Communitatis ad leges ferendas: quibus præmonitis.

Quomodo & quando Princeps teneatur legibus a ſe latis?

II. Ex communi Doctorum ſentio, legislatorem non abſolutum teneri legibus, quas una cum Communitatis, vel Procerum conſenſu tulit; quia etiam ipſe eſt pars, quamvis ſpectabilior Communitatis: unde tulit legem ea poteſtate, quæ ſeipſo, ſeorſim conſiderato ſuperior eſt: Legislatorem vero abſolutum non teneri legibus, quæ ſibi prudenter convenire non poſſunt; puta publice non incedendi cum tali ornatu, vel amictu, vel comitatu; non deferendi arma &c. quandoquidem lex non debet eſſe abſurdorum fœcunda: Teneri tamen quoad vim directivam, non coactivam, ſed indirectam, & in Conſcientia legibus a ſe latis, quarum materia etiam ad ipſum ſpectare poteſt; puta non utendi mercibus extraneis, emendi pretio taxato, non ludendi ludo vetito, choræas non ducendi tali tempore, converſationes promiſcuas talibus horis non admittendi, jejunium, vel aliud pœnitentiæ opus impoſitum obſervandi &c. Et primo, quod obligetur ex vi directiva legis, patet ex S. Ambroſio epiſt. 32. ad Valentinianum Imperatorem: *Quodcumque præſcripſiſti aliis, præſcripſiſti etiam tibi; leges enim Imperator fert, quas primus ipſe cuſtodiat*; & ex D. Thoma 1. 2. q. 96. a. 5. ubi poſtquam attulit textus legales, & ab Evangelio petitos concludit: *Unde quantum ad Dei judicium, Princeps non eſt ſolutus a lege, quantum ad vim directivam ejus*. Ratio idem ſuadet, quia ſubjicitur huic obligationi jure naturali; cum ex hoc jure teneatur ad ea, quæ neceſſario moraliter conducunt ad conveniens, & utile regimen ſuorum ſubditorum, inter quæ principalius eſt bonum exemplum circa ea, quæ etiam ipſe obſervare poteſt, & ſibi ac ſubditis æqualiter convenire poſſunt, Quod autem hæc vis directiva ſit indirecta ex eo liquet, quia utpote Princeps abſolutus non recognoſcit Superiorem in terris, a quo ſibi imponatur, ſed illam ſibimet imponit, jure naturali ita poſtulante. Quod denique non quoad vim coactivam ſub pœnis &c. oſtendit S. Doctor loco citato: *Quia nullus proprie cogitur a ſeipſo: lex autem non habet vim coactivam, niſi ex Principis poteſtate: ſic igitur dicitur Princeps ſolutus a lege; quia nullus in ipſum poteſt judicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat.*

Tenetur legibus etiam ſemoto ſcandalo.

III. Hinc conferunt plurimi cum Suarez, teneri vi directiva Principem ſuis legibus, etiam ſemoto ſcandalo (data hypotheſi quod tranſgreſſio ignorari poſſit) quoniam ic poſtulatur ab æquitate naturali, & a munere Principis, ob uniformitatem exactam inter cætera membra, & caput ejuſdem corporis moralis, ut eodem ſpiritu moraliter excitentur, & agantur.

Pueri quando teneantur?

IV. Pueri, ante rationis uſum, legibus non tenentur; cum incapaces ſint eiſdem obtemperandi. Cum autem uſus rationis illuceſcere incipit, quod ſolet regulariter evenire circa ſeptennium, quibuſdam tamen citius, quibuſdam tardius, tunc tenentur legibus Eccleſiæ, Miſſæ audiendæ, abſtinentiæ a carnibus diebus jejuniorum, confitendi ſaltem ſemel in anno: communicandi autem in Paſchate regulariter circa annum duodecimum, niſi aut acumen ſpiritus prævenire, aut tarditas mentis differre ſuadeant.

Amentes non ſubduntur legibus.

V. Amentes perpetuo tales legibus non ſubjici, ſatis eſt manifeſtum, cum nequeant humano modo operari. An autem induci poſſent ad agendum contra legem? Reſpondendum cum communi, nunquam induci poſſe ad agendum contra legem Divinam; quandoquidem quod ab illa prohibetur ſit per ſe malum; ad quod neminem licet unquam inducere, vel eidem occaſionem præbere; & quamvis non peccet amens; peccat tamen graviter, vel leviter pro ratione materiæ, qui inducit; & quidem eadem ſpecie peccati. Qui igitur amentem provocat ad blaſphemandum, iraſcendum &c.; peccat eo peccato, quod committeretur ab amente, ſi eſſet ſui compos; qui enim per alium facit, per ſe ipſum facere videtur. Ad agendum autem contra legem poſitivam humanam, ſemoto ſcandalo, aut damno temporali alterius, putarem non eſſe peccatum, præcipue ſi non meræ levitatis motivo, ſed alicujus utilitatis etiam mere temporalis, amens induceretur, ſemoto tamen ſcan-

dalo:

Digitized by Google

dalo: etenim revera non inducitur ad violationem legis, cui non ſubeſt, ſed ad actionem in eo ſtatu ſibi licitam, nulloque modo in ſe malam: ad differentiam actionum vetitarum a lege Divina; quæ quoniam per ſe malæ, nullo unquam tempore, in nulloque ſtatu ſibi licere poſſunt.

Sunt quidem Doctores plures, quibus & Auctor ſubſcripſit, qui contendunt perpetuo amentes, ſeu qui nunquam ſui compotes fuere, humanis legibus non eſſe ſubjectos: eamdemque pro iſtis, ac pro pueris, quibus nondum rationis uſus advenit, rationem militare exiſtimant: Verum alii id inficiantur, latumque inter perpetuo amentes, atque infantes intercedere diſcrimen autumant. „ Differentia „ inter eos eſt, ait Thomas Sanchez *de* „ *Præcep. Decal. Lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 3., „ quod infantes ea ætate ſuapte natura „ uſus rationis incapaces ſunt, ac proinde non eſt dicendum eos excuſari, „ quod eſt veluti quædam privatio, ac „ ideo ſubjectum ſuapte natura rationis „ capax requirit, ſed dicendum eſt non „ obligari, quod quædam negatio eſt. „ At perpetuo amentes, ubi jam infantiæ „ ætatem excedunt, ſuapte natura uſus „ rationis capaces ſunt, & ex quodam „ ſolo accidenti illo privantur, & ideo „ vere dicuntur per modum privationis „ a legis tranſgreſſione excuſari. Sicut „ catulus ante nonum diem non dicitur „ cæcus, ſed non videns, quia nondum „ eſt capax viſus: ſecus ſi poſt nonum „ diem non videat; tunc enim dicitur „ cæcus, utpote qui jam viſus capax e„ rat „. Perpetuo igitur amentes juxta hanc ſententiam tenentur legibus etiam humanis ex ea ætate, qua uſus rationis accidere ſolet, etſi a legis tranſgreſſione, ac pœna excuſentur, ſicut ignorantes ratione ignorantiæ excuſantur.

Addit tamen præcitatus Auctor n. 4. hoc intelligendum eſſe de ſimpliciter amentibus; „ ii enim, qui in quadam ſola „ materia tales ſunt, & in cæteris ra„ tionis uſu perfruuntur, non excuſan„ tur a legum obſervatione in ea mate„ ria, in qua ſunt ſui compotes „.

Ebrii & Delirantes legibus tenentur.

VI. Ebrii, & delirantes, qui non ſunt perpetuo amentes, a legum humanarum obligatione non eximuntur, quippe qui ſint habitualiter, quamvis non ſemper, compotes ſui. Excuſantur tamen a tranſgreſſione formali, dum ebrietate completa opprimuntur, aut dum delirio rapiuntur, ſi vetita a lege agant, aut ab eadem juſſa omittant. Cavendum tamen, ne tranſgreſſio ut indirecte volita in ebrietate, dum ebrius expertus eſt, quod quando vino abſorbetur, in prohibita erumpit, puta ſi velit carnes comedere tempore vetito, nolit Miſſam audire, dum eſt in præcepto &c., tunc enim etiam motivo Religionis &c. tenetur ab ebrietate abſtinere talibus temporibus, aut diebus; in quam ſi labatur, tranſgreſſio evadit volita in ſua culpabili cauſa. Certum etiam eſt, nemini licere tali ebrio, durante ebrietate, in die vetito carnes miniſtrare; quippe qui ſit legi habitualiter ſubjectus, ut indicavi.

Qui infideles teneantur legibus Eccleſiaſticis.

VII. Infideles non baptizati legibus Eccleſiæ non ſubjiciuntur; quandoquidem non ſunt Eccleſiæ ſubditi, ut innuit S. Paulus 1. Corinth. 6. Hinc deducitur, illum non peccare, qui hujuſmodi infidelibus carnes diebus vetitis miniſtraret; dummodo ſcandalum abſit, omniſque tollatur ſuſpicio contemptus Religionis. Infideles autem baptizati legibus Eccleſiæ tenentur, quia ſunt eidem ſubditi; & quamvis ab illa ſint ſeparati, per hoc non excuſantur, quia culpabiliter in rebellione injuſta perſeverare volunt. Propterea Catholicus, qui hæreticum die jejunii invitaret ad prandium, non poſſet, abſque reatu, eidem miniſtrare carnes; tum quia cooperaretur illius contumaciæ; tum quia ageret contra reverentiam ſuæ Religioni debitam.

* Ad ea clarius percipienda, quæ tradit Auctor *num. ſeqq.* præmittendæ ſunt breviterque exponendæ notiones *Peregrini*, *Advenæ*, *&* *Vagi*. Hi quippe inter ſe differunt. Peregrinus, ſeu viator vocatur qui extra locum domicilii ſui moratur ad tempus cum animo ad ſua redeundi. Advena dicitur qui in uno loco domicilium habet, & in alio habitat. Vagus demum vocitatur qui nullibi ſedem fixam habet, ſed hic hodie, cras alibi reperitur, & mox in uno, mox in alio loco commoratur.

Certum eſt primo eos qui accedunt ad aliquem locum animo ibi perpetuo manendi, ſtatim ejuſdem loci legibus obnoxios eſſe, cum jam vere ejuſdem loci incolæ efficiantur. Quippe domicilium hoc ipſo acquiritur, quo quis incipit in loco habitare animo ibi perpetuo manendi, ut conſtat ex *L. Domicilium ff. ad municipal.* & fuſe oſtendit Auctor *Theologiæ Moralis, ad uſum Seminarii Petrocorenſis tom.* 1. *lib.* 1. *de legibus cap.* 10. *not.* 3.

Cer-

Certum eſt ſecundo illico teneri legibus loci eos qui in illum veniunt animo ibi manendi non per tranſennam, ſed longo tempore, ſcilicet uno anno, vel pluribus annis integris, vel ſaltem, ut alii dicunt majori unius anni parte; quales ſunt Scholaſtici, qui in aliqua Urbe morantur ratione ſtudiorum; mercatores, & alii qui negotiationis, vel alterius negotii cauſa per longum tempus in aliquo loco retinentur; quales etiam ſunt famuli, qui ob ſolum motivum famulatus alicubi commorantur, ſiquidem tales conſequuntur ibi quaſi domicilium ſufficiens, ut continuo quis fiat Parochianus idoneus ad ibi Sacramenta omnia præter Ordinem recipienda.

Certum eſt Tertio Peregrinos adſtringi ad ſervandas leges loci, per quem tranſeunt, quando alias eſſet periculum ſcandali, cum hoc vetet lex naturalis; vel quando leges eædem ſunt in propria patria, & in loco, per quem tranſitum faciunt; vel denique quando leges ſunt juris communis, etſi ex conſuetudine vel privilegio non ſerventur in loco domicilii ſui, quia Legiſlatori juris communis ſubditi ſunt, nec habent cauſam excuſantem, cum conſuetudo vel privilegium extra territorium vim non habeat.

Certum eſt quarto Peregrinos debere illas leges locorum ſervare, quæ ſpectant contractuum, teſtamentorum, matrimoniorum ſolemnitatem; nec non illas, quarum tranſgreſſio detrimentum infert habitatoribus loci, per quem tranſeunt. Hæc indubia ſunt penes omnes.

Verum diſſenſio eſt inter Doctores num Peregrini, & Vagi teneantur ſervare leges, & conſuetudines ſpeciales loci, in quo morantur etiam ad breve tempus, & ſecluſo ſcandalo. Sententia affirmans probabilior eſt, eamque amplectitur, atque propugnat Auctor *num. ſeq.*

Peregrini & Viatores tenentur legibus locorum & in quibus caſibus?

VIII. Peregrini & Viatores tenentur legibus loci illius, in quo vel domicilium fixerunt, vel aliquot tantum diebus morantur: cum enim ſubditus, exiens ſuo territorio, legibus illius territorii eximatur; ratio æqua poſtulat, ut legibus loci illius, in quo per aliquot ſaltem dies degit, ſubjiciatur; etenim cum ſentiat commodum quatenus a patriis legibus immunis redditur, & onus ſentire debet, obſequendo legibus loci illius, in quo actu verſatur: non enim gaudere debet exemptione a legibus cujuſcunque loci: quemadmodum igitur gaudet exemptionibus locorum, ita ſubjici debet oneribus eorumdem. Præterea tenetur ſe conformare conſuetudinibus locorum, ita a fortiori legibus. Sic iterato docet S. Auguſtinus, nempe lib. 3. Confeſſ. cap. 8. & Epiſt. 118.; & Epiſt. 86. refert ita etiam docuiſſe S. Ambroſium, cujus verba ſunt: *Ad quamcumque Eccleſiam veneritis, ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere.* Neque hoc ſuadent Patres veluti ex conſilio dumtaxat adimplendum, ut quidam illos explicare conantur; nam idem Auguſtinus lib. 3. de doctrina chriſtiana cap. 12. ait: *Quiſquis ... metas conſuetudinis bonorum, inter quos verſatur, excedit, aut aliquid ſignificat, aut flagitioſus eſt*: non eſſet autem flagitioſus, qui hujuſmodi conſuetudines, & leges non obſervaret ex ſolo contrario conſilio. Quando viator in locum adventat, in quo feſtum, vel jejunium celebratur paucis horis tantummodo ibi commoraturus, & die eadem diſceſſurus, videtur non teneri dictis legibus; quia nullo modo dici poſſet incola, aut membrum loci; dummodo tamen omne ſcandalum tollatur: ſecus dicendum ſi tota die ibidem eſſet moraturus, & ſequenti dumtaxat diſceſſurus.

Juvat ob oculos ponere quæ ad rem hanc docet P. Paulus Gabriel Antoine *Tract. de Legibus Cap.* IV. „Peregrinus, inquit, te-
„ netur ſolum iis Legibus loci, quarum
„ obſervatio non requirit tempus longius
„ quam illud, quo ipſe ibi moratur. Nam
„ quoad alia non cenſetur eſſe in loco mo-
„ raliter, nec ad eas implendas tenetur diu-
„ tius morari, quam ſtatuerat; quia non
„ obligatur ad ibi permanendum, ſed ſo-
„ lum ſuppoſita præſentia ad implendam
„ legem, quæ tunc impleri poteſt. Hinc
„ tenetur ſervare omnia præcepta localia
„ negativa, v. g. abſtinere ab eſu car-
„ nium; nam hæc non requirunt moram.
„ Sed qui tranſit per locum ubi eſt dies
„ feſtus, in alium, ubi non eſt, non te-
„ *netur ceſſare ab itinere ad audiendum
„ Sacrum, nec, ſecluſo ſcandalo, illud
„ audire, ſi ibi moretur ſolum ad ſumen-
„ dum cibum, quia mora non eſt propor-
„ tionata adimpletioni præcepti. E con-
„ tra tenetur audire Sacrum, ſi ſuffici-
„ enti tempore moretur, vel ſi feſtum
„ ſervetur in loco ubi pernoctavit, aut
„ in toto illo territorio, per quod uſque
„ ad meridiem acturus eſt iter. “

* Poſtremum hoc quod ſtatuit P. Antoine

toine

voine pro ſecunda parte, ut falſum in ali-
quo caſu rejicit Continuator *Prælect.
Theol. Honorati Tournely tom. 2. tract. de
Leg. cap. 5. ſect. 3.* " Nam pernoctaſſe, *in-*
„ *quit*, in loco, unde itineris tui ratio
„ bona fide ordinata, te aliquot, ante-
„ quam Miſſa celebretur, horis avocat,
„ non videtur ſufficere, ut Sacro inte-
„ reſſe tenearis; atque ita ſentit Habert
„ Caſuiſta non laxior. " Lege etiam quæ
habet Auctor infra *n. 15.* necnon *tract. 6.
de 3. Decalog. Præcept. cap. 1. §. 2. n. 5.*

Non licet exire loco, in quo eſt lex, eo ſolo fine ſe ab eadem eximendi.

IX. Qui diſcedit a proprio territorio
ubi lex viget, & alio ſe transfert ubi
lex non viget eo ſolo & mero fine ſe ſub-
trahendi a lege, videtur probabilius, le-
gem violare; quandoquidem videatur eſſe
mera fraus, quæ nemini unquam ſuffra-
gari poteſt; eſt enim mera eluſio legis;
& propterea eadem omnino ratione, ob
quam ſubditus legi ſubjicitur; incurrit
obligationem, quemadmodum obediendi,
ita etiam non ſe ſubducendi fraudulenter,
& abſque ullo motivo a lege adimplen-
da. Neque reſpondeas, quod exiens uti-
tur jure ſuo; id enim eſt de quo quæri-
tur, an ſcilicet habeat jus exeundi dicto
ſolo fine ſe ſubducendi a lege: & dixi quod
non; quia ſicut non habet jus ſe eximen-
di a ſubjectione legis, ita neque jus ſe exi-
mendi per exitum ab illius obſervatione
ob ſolum motivum illam non obſervandi.
Explico exemplo: eximuntur a jejunii le-
ge graviter laborantes: licebit ne alicui
notabiliter laborare dumtaxat ut ſe exi-
mat a lege jejunii? minime gentium: di-
cet aliquis: utitur, laborando, jure ſuo:
neutiquam, reſpondebit ſapiens; quia non
habet jus aſſumendi, ſine juſta cauſa, actio-
nem, quæ illum eximat a lege, ut dictum
fuit in §. anteriori n. 13. & ſeq. cum An-
gelico: ita neque habebit jus aſſumendi
exitum e loco, ut dumtaxat ſe eximat a
lege. Confirmo ex reſponſo Sacræ Congre-
gationis, confirmato ab Urbano VIII.
atque dato ad Epiſcopum Colonienſem,
in quo ſtatuitur, nullum eſſe Matrimo-
nium clandeſtine contractum ab illis, qui
exierunt proprio territorio, in quo viget
lex Tridentina, & ſolo fine illud contra-
hendi perrexerunt ad locum, ubi lex illa
non eſt admiſſa: & ſtatuitur, tales teneri
dictæ legi; *quia contraxerunt cum fraude*:
applices caſui noſtro, & invenias, ſi va-
les, congruum diſcrimen.

* Sententiam hanc amplexatus eſt eti-
am S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœc.
P. Cuniliati Theol. Moral.*

lib. 13. cap. 4. n. 10. Ibi namque cenſet
communem Doctorum aſſertionem, quæ
decernit, particularibus loci ſtatutis non
obligari, qui extra ſtatuentis territorium
degit, cui ipſe adhæret *n. præced.* limi-
tandam eſſe in illo, qui e Diœceſi egre-
ditur animo declinandi Synodalis ſtatuti
obligationem; " quamvis enim, *ſubdit*,
„ nonnulli Doctores etiam hunc a ſtatu-
„ ti vinculo ſolutum arbitrentur; me-
„ lius tamen, eum, in legis fraudem di-
„ ſcedentem, legis vinculum ſecum fer-
„ re, eoque conſtrictum manere, defen-
„ dunt Manuel *tom. 1. Summ. cap. 219.*,
„ Vaſquez *in 3. part. quæſt. 98. art. 2.* Re-
„ bell. *de oblig. juſt. lib. 2. quæſt. 7. ſect.
„ 3. n. 16.* Layman *Theol. Moral. lib. 1.
„ tract. 4. cap. 11. n. 9.* Neque hodie fas
„ eſſe videtur ab hac ſententia recede-
„ re, poſtquam Sacra Congregatio Con-
„ cilii illegitimum pronunciavit matri-
„ monium, non ſervata Tridentini for-
„ ma, ab iis celebratum, qui ſolo animo
„ illud clandeſtine contrahendi, receſſe-
„ runt e loco, ubi Tridentinum eſt pro-
„ mulgatum, & ſe ad locum contule-
„ runt, in quo promulgatum non eſt;
„ quam declarationem, ſua roboratam
„ auctoritate, Urbanus VIII. inſeruit Bre-
„ vi ad Archiepiſcopum Colonienſem
„ dato, anno 1627. uti narrat Cardinalis
„ de Lugo *lib. 1. Reſp. moral. dub. 36.*
„ eidemque declarationi aliæ plures con-
„ ſonant deciſiones, quæ ab eadem Con-
„ gregatione prodierunt, diligenter a no-
„ bis collectæ relatæ *in noſtra Inſtit. 33.
„ n. 8. & ſeq.* Etenim cum neque Sacræ
„ Congregationi, neque Summo Pontifi-
„ ci in animo fuerit novam rogare le-
„ gem, ſed præxiſtentem, jam a Triden-
„ tino indictam, explicare, jam exinde
„ conficitur ex utriuſque ſententia, qui
„ in legis fraudem e loco ſe ſubducit,
„ ubi ea viget, ſub lege nihilominus
„ comprehenſum, ejuſque nexu devin-
„ ctum manere, " &c.

Extra territorium agens, quandoque peccare cenſetur, per fictionem juris, in territorio exiſtens.

X. Exiens proprio loco, non ſine frau-
dulento nunc explicato, ſed ob alium fi-
nem, non tenetur lege illius loci, niſi in
caſu, qui dicitur *fictio juris*, quando vide-
licet, tametſi a territorio receſſerit, mo-
raliter tamen adhuc in territorio manere
cenſetur, quia tranſgreſſionem in territorio
conſummat: ita Beneficiarius, qui ad reſi-
dentiam tenetur, & alibi manet, peccat,
& cenſuris ligatur, contra non reſidentes
latis, eo quod peccatum moraliter in ter-

ritorio conſummet: ſicut etiam peccat Canonicus, qui ad Capitulum accedere, & venire detrectat. Eodem modo incola, qui alicubi frumenta habens, extra territorium vadens, vel aliquo tempore commorans, illa vendit extraneis, contra legem territorii vetantem, ne alio advehantur, peccat contra legem, quia peccatum conſummatur in damnum territorii, & moraliter in territorio; & quamvis phyſice abſens, moraliter cenſetur eſſe in territorio. Ex his ſimilia deducas ex communi Doctorum.

Reſolvitur circa peregrinorum vota.

XI. Interrogabis, an poſſit Epiſcopus loci, in quo viator, aut peregrinus aliquot diebus moratur, animo jam non permanendi, ut ſupponitur, diſpenſare, aut commutare viatoris, & peregrini vota? Si enim obſtringitur legibus loci, & ſi in eo delinquat, puniri poteſt; videtur quod etiam in ipſum poſſit ſuperior juriſdictionem exercere in favorabilibus. Revera propter hoc motivum quidam affirmative reſpondent: Plerique vero negative; quia peregrinus ille non eſt abſolute ſubditus, & ſimpliciter talis, niſi illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi domicilium habet, ſaltem pro majori parte anni: Ex hoc tamen non infertur, quod neque teneatur legibus loci, in quo tranſeunter degit; quia alia eſt ratio votorum, alia legum; nam votiva diſpenſatio aut non diſpenſatio, nihil boni vel mali affert territorio; legum autem violatio, & ſcandalum parit, & pacem perturbat.

Sacerdotes Græci & Latini quoad ſuos ritus non ſubduntur legibus locorum.

XII. Forte inferes ex dictis, teneri Sacerdotem Latinum inter Græcos aliquo tempore commorantem in fermentato, aut Græcum inter Latinos, in azymo conſecrare. Bene quidem inferres, ſpectata legum, locorum, & viatorum conditione; Quia tamen a Concilio Florentino, ad pacem inter utramque Eccleſiam facilius fovendam, hic caſus exceptus fuit; ideo & Græcus ubique in fermentato, & Latinus ubique in azymo conſecrare debet. Idemque jamdiu ſancitum fuit circa Clericorum Ordinationes, ut unuſquiſque nonniſi a ſuo Epiſcopo Ordines ſuſcipiat vel de expreſſa, & ſcripta illius licentia, ab alio.

Quando quis teneatur prævenire tempus ut impleat legem.

XIII. Qui diſcedit e ſuo territorio, ubi lex obligat puta ad Miſſam audiendam, & perrecturus eſt ad alium locum, ubi non eſt obligatio, ſi moraliter poteſt, & tempus deſerviat, & prævideat, quod in loco, ad quem profecturus eſt, aut Miſſa deerit, aut tempus celebrandi tranſierit, tenetur, cum probabiliori, & in praxi ſequenda, Miſſam ante diſceſſum audire; Quia lex ab homine impleri debet eo tempore, quo illum obligat: atqui tempus illarum horarum, puta uſque ad ſecundam ab ortu ſolis, eſt ipſi itineraturo unicum quo poſſit legem, quæ ipſum utpote incolam obligat, implere; ergo tenebitur eo tempore Miſſam audire; etenim unuſquiſque tenetur legem implere infra temporis curſum, quo obligatur, antequam expiret tempus obligationis; tempus autem obligationis pro tali homine expirat hora ſecunda; tenebitur ergo infra illud tempus legem implere, idque confirmatur exemplo, quod profecto magnam vim habet: Si homo ille maneret in ſuo territorio, & ſciret ſe poſt horam ſecundam impediendum ab audienda Miſſa, teneretur, juxta omnes, infra horam ſecundam intereſſe Sacro; ergo ſimiliter diſceſſurus poſt horam ſecundam, tenebitur infra dictum tempus audire Sacrum; in utroque enim caſu non eſt aliud tempus aptum præcepto ſervando; & in utroque caſu exurgit impedimentum totius diei reſiduo duraturum. Alio quoque exemplo hoc idem perſpicuum redditur. Qui pro horis recitandis aliud tempus habere non poteſt, quam ſupradictum, tenetur, ex communi, integras recitare horas eo tempore: ita in caſu noſtro.

Dummodo moraliter poſſit.

XIV. Conſulto dixi, ſi moraliter poſſit, nam ſi, adimplendo præceptum, grave incommodum ſubire cogeretur, tunc diſpenſaretur; leges enim poſitivæ humanæ cum tanto gravamine obligare non ſolent. Quantum autem debeat eſſe incommodum, ratione cujus diſpenſetur a lege etiam eo tempore implenda, judicio prudentis, beneque moratæ conſcientiæ viri, perpenſis circumſtantiis præcepti, rerum, locorum, & perſonarum, definiendum relinquitur; quo habito, etiam erretur, error excuſationem meretur.

Diſceſſurus e loco, ubi eſt jejunium, quomodo ſe gerere debeat?

XV. Ex his infertur, notabilius incommodum requiri ad diſpenſandum incolam diſceſſurum, quam ad diſpenſandum viatorem, illac tranſeuntem, qui nocte anteriori ibi pernoctaverit; hic namque, ſi iter facere conſueverit, aurora albeſcente, non tenetur diſceſſum differre, quouſque Miſſam ibidem audiat in feſto locali, quamvis prævideat, ſibi non amplius vacaturum Miſſam audire; quia viator tenetur legibus locorum, præſuppoſita ſuæ perſonæ præſentia, & morali poſſibilitate legis implen-

Digitized by Google

plendæ; quæ ambæ deſunt pro tempore, quo Miſſa poſſit audiri. Incola autem cum permanenter legibus ſui territorii teneatur, niſi grave damnum prudenter timeat, expectare debet, ut Miſſam audiat, niſi certus moraliter ſit, & conſtituerit, Miſſam audire in loco, quo proficiſcitur; id namque ſufficeret. Inferas prætereà; illum, qui ex proprio territorio, ubi eſt jejunium, migraturus eſt alio, ubi non eſt jejunium, teneri, quouſque manet in ſuo territorio, jejunium ſervare: unde non poteſt licite jentare in mane, & prandere in meridie, diſceſſurus poſt meridiem; ſed abſtinere debet a jentaculo; prandere autem poteſt in meridie, & perveniens ſero ad locum, ubi non eſt jejunium, non eſt obligatus abſtinere a cœna.

Quando Clerici teneantur legibus civilibus.

XVI. Subjiciuntur tandem legibus humanis civilibus, quæ Sacris Canonibus non adverſantur, etiam Clerici utriuſque Cleri, quibus quoad vim directivam, & in conſcientia obedire tenentur. Quandoquidem S. Paulus Rom. 13. univerſaliter jubet: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*; cum omni dubitatione vacet, tempore D. Pauli non paucos extaſſe Eccleſiaſticos miniſtros: quæ verba ita egregie ad rem explicat S. Joannes Chryſoſtomus Epiſcopus Conſtantinopolitanus in eum locum: *Facit autem hoc ideo, ut oſtendat, Chriſtum leges ſuas non ad hoc induxiſſe, ut politicas evertat, ... oſtendens quod iſta imperentur omnibus, & Sacerdotibus, & Monachis, non ſolum ſæcularibus; ..... nec enim pietatem ſubvertit iſta ſubjectio.* Ratio autem eſt manifeſta; quia etiam perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt pars Communitatis; tenentur ergo ſe conformare aliis partibus & ſuo toti. Ex diſcordantia enim, & perturbationes, & ſcandala ſoboleſcunt. Quando igitur materia eſt gravis, tenetur, quemadmodum & alii, ſub gravi obtemperare: puta, ne merces extraneæ pro ipſis advehantur, ne eorum frumenta, vina, &c. extra Statum aſportentur, ut pretia taxata obſervent, & alia conſimilia exequi, ſi jubeantur.

§. IX. *De Ceſſatione legis, ejuſque Abrogatione.*

I. OBſervandum eſt, quod ratio ſeu motivum legis vel ceſſare poteſt negative, quando ſcilicet legis obſervatio non confluit ad ſcopum a legiſlatore intentum; nullum tamen inconveniens inducit, ſi obſervetur; vel ceſſare poteſt contrarie, quando nedum eſt inutilis obſervatio legis, ſed etiam advertatur fini a legiſlatore intento, ejuſque obſervatio evadit pernicioſa. Prætereà motivum legis ceſſare poteſt vel in univerſali, vel in particulari: quibus præmiſſis. Quando motivum legis ceſſat in particulari tantum negative, lex adhuc eſt ſervanda; quia ad publici boni conſervationem requiritur, ut leges obſerventur, quoties ſine gravi incommodo id fieri poſſit; quod incommodum non viget in caſu noſtro: unde non ceſſat lex jejunii pro illo, qui ex piſcium eſu magis ſaginatur, & eo magis delectatur, quam eſu carnium: & ſic de aliis ſimilibus: neque ceſſat lex non ferendi arma in eo, qui illa fere abſque ullo periculo publicæ quietis; neque ceſſat lex vetans lectionem librorum interdictorum in eo, qui certus eſt, nullum ſibi imminere periculum. Videri poſſunt quæ tradidimus in §. 5. n. 13. Quando motivum legis ceſſat in particulari contrarie, tunc reſpectu illius particularis ceſſat obligatio, dummodo tamen de hoc certus ſit; & poteſt agere præter verba legis: v.g. eſt lex, ne Civitatis porta aperiatur ante ortum *So*lis: accidit, quod aliqui hoſtes inſequantur civem innocentem, alioquin publico bono neceſſarium, qui, ni porta ipſi aperiatur, ab inſequentibus occidetur; in hoc caſu, non petita Principis licentia, & omni ſubmoto alio periculo, laudabiliter porta civi illi aperitur, ſtatim claudenda: & ſic in aliis ſimilibus. Ratio eſt, quia in legibus ferendis non poſſunt omnes caſus prævideri, & præveniri, qui excipiendi eſſent, & dubio procul a legiſlatote prohiberi non poſſent: unde S. Thomas 2. 2. q. 120. a. 1. ad 3. docet quod *in manifeſtis non eſt opus interpretatione, ſed executione.* Si autem prudenter dubitetur de ſufficientia motivi, tunc ſi res patiatur moram, & poſſit legiſlator adiri, adeatur: ſin autem, parendum eſt legi, juxta dicta Capite de Conſcientia §. 5.

Quid ſit obſervandum, ut ceſſante fine legis, ceſſet obligatio ejuſdem.

Quid agendum quando motivum ceſſat in particulari?

II. Quando motivum ſeu ratio legis ceſſat in communi ſive negative, ſive contrarie; ita ut verificetur, quod lex inutilis ſit bono communi reſpectu omnium & multo magis, ſi ſit pernicioſa; tunc ceſſat obligatio ejus; eo quod deſinat eſſe lex, cujus inſtitutio poſtulat, ut ad communem reſpiciat utilitatem, juxta tradita in §. primo. Si autem evaſerit inutilis ad tempus, & deinde ſit iterum evaſura utilis;

Quando ceſſat utilitas in communi.

tunc pro eo tempore ſuſpenditur ejus obligatio; iterum exſurrectura, cum utilis redierit.

Quid ceſsatio, quid Abrogatio, quid Derogatio, quid irrogatio legis?

III. Alio item modo ceſſat lex, elapſo videlicet tempore, pro quo lata fuit. Et ex his recolas, quod Ceſſatio legis ſit pura & mera legis deſitio ex ſemetipſa, & exinde inferas, Ceſſationem a legis Abrogatione, & Derogatione, & Irritatione diſtingui. Abrogatio enim eſt totius legis abolitio, & ſolutio ab omni vi obligandi. Derogatio vero eſt partialis abolitio legis, adhuc obligantis quoad alias partes. Irritatio demum eſt, facere, ne lex vim obligandi obtineat.

Quando peccetur abrogando?

IV. Princeps valide obrogat legem, vel a ſe, vel a ſuo æquali prædeceſſore, aut a ſuo inferiore latam; quia totus ejus vigor pendet a voluntate legislatoris, qui cum ſit æqualis auctoritatis ac prædeceſſor, & præſtet inferiori, valide abrogare valet leges ab illis, vel a ſe latas. Si tamen abroget ſine juſta cauſa, graviter peccat; quia nocet bono publico, in cujus majorem utilitatem conſpirat quæcumque lex; qua utilitate Communitatem privare ſine juſta cauſa, non fit ſine gravi culpa; quamvis nullo modo peccent ſubditi; abrogatam non obſervando. Idem dicas, proportione ſervata, de Derogatione, inſpecta conditione materiæ.

Quot modis abrogetur?

V. Quadruplici modo abrogatur lex, nempe primo per ſimplicem principis revocationem: ſecundo per deſuetudinem, tacite vel expreſſe diſſimulatam a Principe, vel legitime præſcriptam: tertio per conſuetudinem contrariam, a Principe tacite vel expreſſe approbatam, vel legitime præſcriptam: quarto per publicationem alterius legis, quæ cum anteriore componi nequeat. Ubi ex Canoniſtis cap. 1. de conſtit. in 6. notandum, quod leges ſpeciales non abrogentur per poſteriores generales, niſi legislator earum, ſaltem in genere meminerit per clauſulam derogatoriam; eo quod dicunt ipſi, legislator cenſeatur ignorare leges ſpeciales, quarum non meminit, & quibus non derogat; voluntas enim non fertur in incognitum; unde ſi illis non deroget, ſaltem in genere, non cenſetur velle eiſdem derogare.

Quid & quotuplex legis interpretatio.

§. X. *De Interpretatione legis.*

I. QUæ tradidimus paragrapho antecedente n. 1. valent ad exponendam interpretationem legis. Quando in caſu aliquo particulari obedientia legis manifeſte evaderet pernicioſa, ſi verba illius nequirent recta interpretatione emolliri; hæc interpretatio dicitur per æquitatem; ad differentiam interpretationis, quæ dicitur ſimplex, quæque explicat verborum legis ambiguitatem. His addas, adhuc triplicem a Doctoribus aſſignatam legis interpretationem, nempe Authenticam, quæ profertur ab ipſo legislatore, vel ejus ſucceſſore, vel ejus ſuperiore: Uſualem, quæ habetur ex communi uſu & conſuetudine; & Doctrinalem, quæ petitur ex viris doctis & peritis; qui vel conveniunt unanimiter, vel inter ſe diſſident; ſi conveniant, nequit ſine imprudentia rejici: quorum interpretatio ſi faveat legi, ſine peccato non poteſt poſtponi; ſi vero faveat libertati, prudenter admittitur, cum ſenſus communis omnium Doctorum maximi fieri debeat: ſi autem diſſideant, tunc probabilior pars eſt eligenda, juxta tradita in Capite de Conſcientia §. §. 5. & 6.

Documenta præcipua interpretationis Doctrinalis.

II. Interpretationis Doctrinalis hæc ſunt præcipua documenta: primum, verba legis accipienda ſunt juxta eorum proprietatem, & uſitatam intelligentiam; quia ſic cenſetur locutus legiſlator; alioquin inutilis redderetur lex: ſi autem dubitetur de eorum ſenſu, juxta uſum & communem acceptionem erunt intelligenda. Secundum; quando verba legis ſunt æquivoca, vel ambigua, eorum ſenſus explicandus eſt ex antecedentibus, & ſubſequentibus verbis, necnon ex circumſtantiis materiæ præcipuæ, & finis legis, nec non ex aliis legibus, in quibus verba conſimilia in tali vel tali ſenſu accipiuntur. Tertium, lex poſitiva non ſemper trahi debet ob paritatem rationis ad alios caſus ab ipſa non comprehenſos; quia lex obligat ex voluntate illam ferentis, quæ potuit velle unum præcipere, & non alterum, tametſi pro utroque ſit eadem ratio. Conſulto dicitur, quod non ſemper, quia aliquando identitas rationis illam ad alios caſus extendit, nempe quando niſi extenderetur, abſurdum ſequeretur: item quando ſunt correlativa; ita ut quod ſtatuit de viro quoad jus conjugale, in quo ſunt pares vir, & uxor, extendendum ſit ad uxorem: item in æquiparatis & connexis: item quando lex exprimit rationem, propterquam fertur; tunc multis placet, quod etiam alios caſus, in quibus eadem ratio verificatur, comprehendat; tunc namque non extenditur, ſed declaratur. Quartum, omnis lex pœnalis

& one-

& oneroſa ſtricte interpretari debet; & propterea non extenditur ad caſus in illa non expreſſos, quamvis forte graviores; quia legiſlatoris voluntas eſt de expreſſis tantum: Lex favorabilis e contra eſt late interpretanda. Alia videſis in Auctoribus de Jure ſcribentibus.

§. XI. *De Diſpenſatione legis.*

Quid ſit Diſpenſatio?

I. Diſpenſare a lege, eſt aliquem vel aliquos eximere ab obligatione ſervandi Legem, immutata, & incolumi manente ejus ratione & materia. Tunc igitur diſpenſatio dicitur locum habere, quando occurrit cauſa, qua perſiſtente, lex adhuc obligaret, niſi ſuperioris auctoritas eam obligationem relaxaret; & propterea ſuperior diſpenſando duo virtualiter facit; unum, interpretando legem, quam judicat in hoc caſu non eſſe obſervandam, alterum, relaxando ſua auctoritate legis vinculum quoad hunc caſum, & hanc perſonam; unde efficit, non ut legi ſuam vim retinenti non obtemperetur; ſed ut lex hic & nunc vim ſuam non habeat, neque obliget.

Quinam diſpenſare poſſint in legibus humanis Eccleſiaſticis?

II. Certum eſt, humanum legiſlatorem diſpenſare poſſe in legibus a ſe latis, nec non in legibus ſuorum prædeceſſorum pari poteſtate gaudentium, & multo magis in legibus eorum, qui ſunt ſibi in juriſdictione inferiores; patet ex terminis. Summus ergo Pontifex diſpenſare poteſt in omnibus quæ ſunt juris Canonici; in legibus ſuorum prædeceſſorum in decretis Conciliorum omnium ad fidem non ſpectantium; & etiam in legibus Apoſtolicis, ſola poteſtate apoſtolica latis. Epiſcopi diſpenſare poſſunt in legibus nedum a ſe latis, verum etiam a Synodo Diœceſana, quia poteſtas Epiſcopi eſt major, neque ulla poteſtas in tota Synodo poteſtati, quæ illi competit, prævalere poteſt. Si autem leges illæ diœceſanæ approbentur a Pontifice, approbatione ſolum commendatoria, poterit itidem Epiſcopus in illis diſpenſare; ſecus autem ſi approbatione auctoritativa, & addente novum pondus, ac ſi eſſent pontificiæ.

Quibus caſibus poſſit inferior diſpenſare in lege Superioris?

III. Certum ſimiliter eſt, inferiorem diſpenſare non poſſe in legibus ſuperioris, niſi in caſibus eidem a ſuperiore conceſſis. Hinc Epiſcopus ex conceſſione diſpenſare poteſt in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, ita Trident. ſeſſ. 24. c. 6., illa dumtaxat excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario, ut latius videbitur. *P. Cuniliati Theol. Moral.*

de Cenſuris. Item, juxta Sylveſtrum verbo diſpenſatio q. 6. Suarez lib. 6. cap. 14., & alios, quando Canones dicunt, poſſe fieri diſpenſationem; cum enim id dicere non poſſint reſpectu Pontificis, intelligendi erunt reſpectu Epiſcoporum. Secundo, quando conſuetudo obtinuit, quod Epiſcopus diſpenſet in aliquo caſu. Tertio, quando vel levitas materiæ, vel nimis frequens eſt diſpenſationis occaſio; ita ut nimis durus evadat tam frequens ad Pontificem recurſus: & propterea circa jejunia & feſta per leges Pontificias inſtituta poſſunt Epiſcopi diſpenſare; & hæc ſunt ea, circa quæ, ut modo dicebamus, conſuetudo obtinuit. Quarto, quando ex una parte urgens occurrit neceſſitas diſpenſandi; & ex alia vel moraliter impoſſibilis, vel admodum difficilis eſt acceſſus ad Pontificem, ejuſve Legatum; vel grave eſt periculum in mora, vel aliqua gravis cauſa compellit, ut Epiſcopus diſpenſet: v. g. in impedimento occulto Matrimonii jam publice celebrati, & conjugum ſeparatio nequit fieri ſine ſcandalo aut infamia, vel graviſſimum intervenit incontinentiæ periculum, ſi mora interjaceat. Quidam addunt ſextum, nempe quando prudenter dubitatur, an in tali caſu diſpenſatio ſit neceſſaria; quia, dicunt, hujuſmodi dubio exiſtente, Epiſcopus poteſt vel declarare non eſſe opus diſpenſatione, vel diſpenſare ad cautelam.

Diſpenſatio circa leges Concilii Provincialis.

IV. Circa leges Concilii Provincialis ſinguli Epiſcopi diſpenſare poſſunt pro ſua Diœceſi, & ita etiam Archiepiſcopus pro ſua; quia ita fert conſuetudo, & præſumitur quod talis ſit voluntas ipſius Conciliaris Congregationis. Cum alioquin poteſtas talis Concilii ſit major poteſtate nedum ſingulorum ſuffraganeorum, verum etiam ipſius Archiepiſcopi, ut fuſe probat Suarez lib. 6. c. 15. propterea ſi diſpenſent, id eis convenit ex conſuetudine obtinente, & ex voluntate præſumpta Patrum Conciliarium. Quamobrem, ſi aliqua lex, aut ordinatio reſervaretur diſpenſanda ipſi Concilio, ab eadem nemo eorum, neque Archiepiſcopus diſpenſare poſſet; ſed ipſum dumtaxat Concilium, vel Summus Pontifex. Quod dictum eſt de poteſtate Eccleſiaſtica circa leges Eccleſiaſticas, ſervatis ſervandis, applicandum eſt poteſtati civili circa leges civiles.

* S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib.* 13. *cap.* 2. *n.* 5. ad examen vocat, an Provincialia Concilia ab Apoſtolica

confirmatione vires accipiant univerſam obligandi Eccleſiam, perinde ac ſi eſſent Conſtitutiones Pontificiæ; juxta illud Juſtiniani effatum *in leg. 1. Cod. de vet. Jur. enucl. Omnia noſtra facimus, quibus auctoritatem noſtram impertimur.* „Sed hanc difficultatem, *ſubdit*, diluunt Suarez *lib.* „ *4. de legib. cap. 6 num.* 10. & Fagnanus „ in *Cap. Canonum ſtatuta, num. 13. de* „ *Conſtit.* opportune monentes, confirmationem quidem robur adjicere actui „ confirmato, ſed nequaquam illum extendere, niſi aliter ſuperior expreſſerit, ſicut arg. *de leg. Aurelius &c. ff.* „ *de liberat. leg.* docet Baldus *in leg. 1. in* „ *fin. Cod.* Si adverſ. rem judic. ex quo concludunt, prædictorum Conciliorum decreta, quamquam a Summo Pontifice approbata, niſi ſint clauſa in corpore „ juris communis, de quibus dumtaxat „ loquebatur Juſtinianus, Provinciæ limites non prætergredi: quod reuera de „ præfatis Conciliis Provincialibus Mediolanenſibus a Gregorio XIII. confirmatis, omnes Doctores ſentire, idem Fagnanus obſervat.“

Ad licitam diſpenſationem requiritur cauſa.

V. Ad licite diſpenſandum, certum eſt, aliquam cauſam poſtulari; non tamen debet tanta eſſe, quæ de ſe obligationem tollat; tunc enim ſupervacanea eſſet diſpenſatio, quæ potius eſſet declaratio, aut interpretatio legis. Quanta autem debeat eſſe cauſa, gradus definiri non poteſt; ſed pro diſcernenda ſufficientia, perpendendæ ſunt circumſtantiæ materiæ, temporum, perſonarum, utilitatis, pietatis &c.; & proinde, his perpenſis, diſpenſationis gradus diſcerni poterit, ut vel a tota obligatione, vel a parte, vel ſubſtituendo onus minus grave &c., diſpenſetur.

Diſpenſatio ſine cauſa quando illicita?

VI. Superior qui in re notabili diſpenſat a lege ſine juſta cauſa peccat lethaliter juxta omnes, ſi cum periculo ſcandali; & probabilius cum Cajetano vero diſpenſatio, Suarez lib. 6. cap. 18. & aliis, etiam ſemoto omni ſcandalo. Nam quando viget periculum ſcandali, quod evitare, videtur moraliter impoſſibile, præter violationem notabilem juſtitiæ legalis & diſtributivæ, (de quo ſtatim) peccat contra charitatem proximi in re gravi: Semoto etiam ſcandalo peccat lethaliter in re gravi ſine juſta cauſa diſpenſando, quia graviter violat primo juſtitiam legalem, quæ illum graviter obſtringit ad non agendum notabiliter contra bonum commune; diſpenſando autem ſine cauſa, id perpetrat; cum bonum commune ſpecialiſſime pendeat ex conſervatione legum; contra quam agit notabiliter, qui in re gravi ſine cauſa diſpenſat. Secundo graviter violat juſtitiam diſtributivam, quæ obſtringit ad conſervandam æqualitatem proportionalem in oneribus imponendis; quantum fieri poteſt: atqui diſpenſando in re gravi ſine cauſa, eſt aperte non ſervare æqualitatem, ubi nulla ratio eſt inæqualitatis ponendæ; igitur graviter peccat, utramque notabiliter violando juſtitiam. Idcirco S. Th. 1. 2. q. 97. a. 4. ad 2. hujuſmodi diſpenſantem reum declarat acceptionis perſonarum.

Validam tamen.

VII. Quando Superior ſine cauſa diſpenſat in lege humana, probabilius eſt, validam eſſe diſpenſationem, ita Sotus lib. 1. de juſtitia q. 7. art. 1. Suarez lib. 6. c. 19. & alii: quia cum lex pendeat a voluntate ferentis illam, ſi legem tollat ab aliquo, valide tolletur; nam ſi legem factam ſine juſta cauſa abrogет, quamvis peccet, tamen valide abrogat, ita ut ſubditi ſint ab obligatione ſoluti; ita etiam quando tollit obligationem reſpectu diſpenſati particularis. Hinc apparet, invalidam eſſe diſpenſationem ſine cauſa conceſſam ab inferiore, aut delegato; quia Superior non cenſetur dare facultatem diſpenſandi niſi ex juſta cauſa.

Non tamen poteſt ea ſubditus licite uti.

VIII. An autem licite ſubditus uti poſſit diſpenſatione ſine cauſa conceſſa, diſcordans eſt Doctorum gravium opinio: probabilior nobis videtur illa Cajetani in 1. 2. q. 96. a. 5. cum quo alii, quod peccet utendo diſpenſatione, non quidem contra legem, a cujus ſubjectione eſt expeditus, neque cooperando peccato Superioris, in quod non influxit, ut ſupponitur; ſed peccat contra legem naturalem, & charitatis; contra naturalem, quæ dictat, neminem ſine cauſa ſe poſſe licite ſubducere ab oneribus communibus illius corporis communis, cujus eſt membrum; ut proinde turpiter agat pars illa, quæ ſine ſufficienti cauſa non correſpondet ſuo toti. Contra legem vero charitatis; quia ſcandaloſe operatur; eſt enim moraliter impoſſibile, quod ſubductio a lege in aliorum notitiam non deveniat, quam cum noverint irrationabilem, eſt grave ſcandalum datum; quia per actionem inconvenienter factam. Tamen nota, quod ſi utatur diſpenſatione; non incurrit pœnas latas contra non obſervantes legem; a qua eſt abſolutus.

Petens diſpenſa-

IX. Ex his deducas, graviter peccare ſubditum, qui in re notabili petit diſpen-

ſa-

ſationem ſine cauſa, qualiter peccet?

ſationem ſine cauſa ſufficiente, tum quia petit, ut dictum fuit, rem rationabilem communique bono repugnantem; tum etiam quia inducit Superiorem ad actum illicitum graviter, quod eſt peccatum ſcandali; proinde peccat peccato duplicis ſpeciei, contra juſtitiam, & contra charitatem.

Diſpenſatio invalida ex defectu vitioſæ petitionis.

X. Non dubito, quin ſæpe audieris voces hujuſmodi diſpenſationis ſubreptitiæ, & obreptitiæ. Subreptitia diſpenſatio obtinetur per petitionem truncatam, in qua ſcilicet reticentur, quæ juxta veritatem exponenda erant, prout ferunt jus, & ſtylus Cancellariæ. Obreptitia vero obtinetur per petitionem continentem falſitatem, quæ ſi innotuiſſet concedenti, non fuiſſet conceſſa. Utraque petitio invalidam reddit diſpenſationem, ex cap. 7. de fide Inſtrum. tametſi inculpate aut veritas exprimenda taceatur, aut falſitas inrudatur. Plurima circa hæc videſis apud Thomam de Roſa in ſuo perdocto volumine de executoribus Literarum Apoſtolicarum.

His addere præſtat quæ habet P. Paulus Gabriel Antoine *Tract. de Legibus cap. 6. q. 5.* Poſtquam ipſe utriuſque diſpenſationis ſubreptitiæ, & obreptitiæ notiones exhibuit, hæc ſubdit: „ Itaque invalida eſt
„ diſpenſatio 1. ſi reticeatur licet inculpate aliquid ad rem petitam ſpectans,
„ vel aliquid eorum, quæ ſecundum jura & ſtylum exprimi debent ex cap. 2. *de*
„ *filiis presbyter. in 6.* quia ſuperior non intendit dare diſpenſationem, niſi adſint
„ conditiones, quæ ad ipſam intrinſece ſpectant, & quæ jus, ſtylus, conſuetudo
„ & Leges ſeu regulæ Cancellariæ exigunt, ut cognoſcatur qualis ſit gratia
„ quæ poſtulatur; & ſine horum omnium cognitione ſuperior non vult dare gratiam,
„ qualis petitur, cum eam ut talem ignoret. 2. Nulla eſt, ſi obtineatur ex
„ cauſa finali falſa cap. 20. *de reſcript.*
„ quia ſuperior non vult diſpenſare ſine juſta & vera cauſa, nec poteſt cenſeri
„ velle peccare. Idem dic, ſi duæ cauſæ allatæ ſint una vera, & altera
„ falſa, & vera per ſe non ſufficit ad diſpenſationem æquam & rationabilem,
„ ſecus ſi ſola cauſa impulſiva ſit falſa, *ex eodem cap.* Cauſa autem finalis eſt
„ ea, quæ immediate pertinet ad rem petitam, & ob quam conceditur gratia,
„ ita ut ea non exiſtente, aut nullo modo, aut nonniſi cum quibuſdam conditionibus,
„ & limitationibus conceſſa fuiſſet. Cauſa vero impulſiva dicitur ea,
„ propter quam diſpenſans facilius diſpenſat, ita tamen, ut ſine illa ſecundum
„ rectam rationem, & cauſæ meritum diſpenſaturus eſſet eodem modo." Hactenus ille. Quæ quidem materiem hanc declarant, atque illuſtrant.

Ceſſante cauſa diſpenſationis ipſa quoque ceſſat.

XI. Si dum conceditur diſpenſatio, cauſa non amplius ſubſiſtat, nulla eſt diſpenſatio, juxta omnes; quia Superior concedere non intendit, niſi juſta de cauſa, eaque proinde ſubſiſtente: immo, quamvis ſubſiſtat dum conceditur, ſi non ſubſiſtat, dum commiſſarius, aut confeſſarius eam diſpenſationem exequitur, nulla eſt, ob eamdem rationem; & colligitur ex cap. 30. de præbend. in 6., quia aliter delegaretur facultas diſpenſandi ſine cauſa. Propterea ſi diſpenſatio fuit conceſſa propter paupertatem ſupplicantis, aut propter filium legitimandum &c.; & antequam delegatus diſpenſet, ſupplicans ob advenientem hæreditatem a paupertate ſublevetur, aut proles moriatur, ceſſat diſpenſatio, & invalide impertitur. Multi tamen putant cum Sylveſtro verbo diſpenſ. q. 6., & Suarez lib. 6 cap. 20. quod ſi ceſſet cauſa, poſtquam fuit a delegato impertita, ſed ante illius uſum, adhuc valida ſit, eo quod relaxatio vinculi jam fuerit facta; unde accidentale videtur, quod ante illius merum uſum cauſa ceſſet, nec appareat fundamentum, unde reviviſcat obligatio. Sed probabilior videtur contraria opinio Sanchez lib. 8. diſp. 30. quem multi ſequuntur, cujus ratio eſt, quia intentio Superioris ea eſſe debet, ut, ceſſante cauſa quomodocumque, ceſſet diſpenſatio, ne diſpenſando ſine cauſa, ſit diſpenſator iniquus, & legis naturalis violator, concedendo ut agatur contra legem humanam juſtam, dum non extat juſta cauſa ſic agendi: & propterea debet ſemper, quouſque conſummetur diſpenſatio per uſum ejuſdem, habere intentionem quod valeat, dummodo cauſa ſubſiſtat, ne, ut dixi, ſit infidelis diſpenſator coram Deo. Illud porro notandum cum perdocto recentiore, quod quando diſpenſatio eſt ab aliquo præcepto humano, & non ſuper ſolo impedimento, non ſit ambigendum, quod, tametſi executioni mandata fuerit, ceſſante motivo vel in toto vel in parte, ceſſet diſpenſatio; non enim judicari poteſt aliter, vel alio modo voluiſſe Superiorem diſpenſationem concedere, aliter eſſet manifeſtus legis diſſipator. Propterea diſpenſatus a jejunio quadrageſimali quoad carnium comeſtionem,

Digitized by Google

ſi ceſſet motivum infra ipſam quadrageſimam, ſtatim ceſſat diſpenſatio; vel ſi duret motivum quoad piſcium, non vero quoad lacticiniorum uſum, ceſſabit diſpenſatio quoad carnes, non vero quoad lacticinia; & ita de reliquis præceptis.

* Ut clare percipiatur quod ſupra indicat Auctor, animadvertendum eſt cum P. Antoine *loco ſupra citato quæſt.* 5. quod ſi diſpenſatio ſit ſuper impedimento matrimonii, vel irregularitate ſeu inhabilitate, & jam executioni mandata fuerit, non ceſſat diſpenſatio ceſſante cauſa: ut ſi quis ob parentum inopiam diſpenſationem ad Ordines obtinuit, ſed poſt ſuſceptos Ordines ceſſat paupertas, non ideo ceſſat diſpenſatio ſuper irregularitate, ſed talis licite exercet ordines; quia non reddit impedimentum ſemel abſolute ſublatum per diſpenſationem; & quia *factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, a quo non potuit inchoari* Regul. 37. *jur. in* 6.

§. XII. *De Conſuetudine.*

Quid ſit Conſuetudo.

I. Conſuetudo eſt jus quoddam ex ſimilium actuum liberorum frequentia conſtitutum. Diſtinguas igitur cauſam veluti generantem aut efficientem conſuetudinem, quæ cauſa ſunt actus conſimiles a majori parte Communitatis libere eliciti, ſciente, & non contradicente Superiore; qui tanto tempore fiant, ut prudenter cenſeantur conſuetudinem conſtituiſſe; diſtinguas, inquam, hanc cauſam efficientem conſuetudinem, a conſuetudine ipſa, quæ eſt jus quoddam ex præfata actuum frequentia ortum, agendi licite ſimili modo.

Omiſſio actionis quando efficiat conſuetudinem.

II. Hinc obſervandum eſt, quod ſicut uſus frequens actuum ſimilium efficit conſuetudinem, ita etiam non uſus actuum juſtorum: & circa hoc nota, quod ſolus & merus non uſus, procedens ex eo quod non occurrerit occaſio legem ſervandi, non valet conſuetudinem introducere; ſed debet eſſe non uſus privative, idest omiſſio actionis per legem juſſæ, quando ponenda eſſet, & non ponatur a plerîſque ſucceſſive pluries, Principe ſeu Superiore ſciente, & diſſimulante. Requiritur ergo ad conſuetudinem inducendam, ut actio legi contraria, vel omiſſio actionis præceptæ, dum eſſet ponenda, fiat a majori parte Communitatis, ſucceſſive, & congruo temporis decurſu; & quod id innoteſcat Superiori non contradicenti, & diſſimulanti; quibus poſitis, conſtituitur conſuetudo ſeu jus cuicumque privato ita ſe gerendi, abſque ullâ culpa, contra legem antea ſtatutam. Additur ab aliquibus, quod requiratur in operantibus vel ommittentibus voluntas inducendi obligationem ſic agendi, quam voluntatem putarem ſatis declarari in exteriori modo operandi contra, vel non juxta legem.

Perſtringuntur conditiones ad conſuetudinem requiſitæ.

III. Paucis itaque perſtringendo conditiones ad Conſuetudinem ſtatuendam requiſitas, prima eſt, ut ſit bono communi utilis, & honeſta, aliter vim legis obtinere non poſſet. Secunda, ut inducatur ſaltem a plerîſque Communitatis perfectæ per actus voluntarios & publicos. Tertia, ut fiant cum voluntate inducendi obligationem, id namque requiritur ad notionem legis; ad differentiam conſuetudinum non cum tali voluntate introductarum, puta recitandi ſalutationem Angelicam in meridie &c. Quarta; ut innoteſcat Principi aut Superiori ſilenti & diſſimulanti, cum facile obſtare poſſet. Quinta; ut longo tempore, ſine interruptione, & ſucceſſive ita actum fuerit; tempus autem longum in jure eſt tempus decem annorum; & tunc cenſetur conſuetudo præſcripta; & indubitanter vim legis obtinet. Quamvis nonnulli cum S. Antonino doceant, quod pro lege Eccleſiaſtica requirantur 40. anni; quod ab aliis negatur: quia nihil in jure Eccleſiaſtico conſtitutum habetur contra longævitatem temporis a jure civili ſtatutam decem annorum. Si autem nondum ſit præſcripta dicto tempore, adhuc vim legis non amittit, propter conſenſum tacitum Superiori, ſcientis, & non obſiſtentis, cum facile poſſet, & multo magis ſi per legem approbet conſuetudines rationabiles.

* Cl. Sylvius in 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. *concl.* 8. reiicit ſententiam illorum, qui exiſtimant requiri decem annos ad præſcribendam conſuetudinem contra jus civile, quadraginta vero ad eam præſcribendam contra jus canonicum, ut videlicet idem tempus quod requiritur ad præſcriptionem aliarum rerum, etiam requiratur ad præſcriptionem conſuetudinis. Rejicit, inquam, hanc ſententiam; cum hoc nullo jure decernatur, neque omnino eadem ſit ratio utriuſque. Nam ad præſcriptionem aliarum rerum, *ait*, non debet intervenire conſenſus ejus Domini, ad quem res illæ pertinent; ad inducendum vero conſuetudinem debet intervenire conſenſus Legiſlato-

latoris, ſaltem tacitus. Deinde, ad res iſtas præſcribendas ſufficit factum, ſeu poſſeſſio unius perſonæ privatæ, ſed ut conſuetudo inducatur, requiritur uſus multitudinis, ſeu majoris ejus partis. Propter quæ etiam eorum, qui annos prædictos requiri cenſent, aliqui dicunt non omnes peccare qui intra annorum iſtorum tempora, faciunt contra legem, ſequentes conſuetudinem; quando enim conſuetudo ſic invaluit, ut plerique etiam boni viri eam ſequantur, ſecuri ſunt in conſcientia qui legem non ſervant.

Quapropter, *ſubdit*, nulla videtur dari poſſe certior regula, quam quod ad legem aliquam abrogandam requiratur, & ſufficiat illud tempus, quod judicio prudentum ſatis eſſe putetur ad legis abrogationem: ſive, ut conſuetudo tamdiu viguerit, ut merito exiſtimetur ad eſſe conſenſum ſaltem tacitum Legiſlatoris, ut ſua lex non amplius obliget. Idemque dicendum de tempore ad hoc requiſito, ut conſuetudo vim legis obtineat, atque adeo obliget; illud nimirum ſufficere, quod prudentum judicio ſatis eſt, ut merito credatur Legiſlator conſentire ut obliget. Hoc autem intelligi poteſt, ſive ex eo quod paſſim obſervetur tanquam obligatoria; ſive ex eo quod viri boni ac prudentes judicent eam obligare.

Quando cenſeatur obligare in conſcientia?

IV. Si interroges, unde conjectari poterit conſuetudinem eſſe introductam animo ad illam obligandi? Reſpondeo, quando Doctores ita definiunt, quorum conſenſus parit moralem certitudinem: item ſi conſuetudo ſit rei gravis, & nihilominus a plerique ſervetur; id namque fieri non conſuevit, niſi circa ea, in quibus judicatur extare obligationem: item ſi Superiores puniant, vel ſevere reprehendant tranſgredientes conſuetudinem: item ſi viri prudentiores & timoratiores ſcandalizentur de non obſervantibus illam: hæc ſunt ſigna, quorum quodlibet ſufficienter oſtendit conſuetudinem obligare in conſcientia.

Quas leges valeat conſuetudo abrogare.

V. Certum eſt, nec legem naturalem, nec divinam poſſe ulla conſuetudine abrogari; *quia*, ait S. Doctor 1. 2. q. 97. a. 3. ad 1. *lax naturalis & divina procedit a voluntate Divina ... unde non poteſt mutari per conſuetudinem procedentem a voluntate hominis; ſed per ſolam voluntatem Divinam mutari poteſt*. Lex autem humana poteſt conſuetudine abrogari in toto, aut quoad partem, dummodo ſerventur ſupra indicatæ conditiones. Rationem affert S. Thomas loc. cit. in corpore articuli: *Quia lex humana eſt a voluntate hominis ratione regulata: ſicut autem ratio & voluntas hominis manifeſtantur verbo in rebus agendis, ita etiam manifeſtantur facto: hoc enim unuſquiſque eligere videtur ut bonum, quod opere implet: manifeſtum eſt autem, quod verbo humano poteſt mutari lex, ... unde etiam & per actus maxime multiplicatos, qui conſuetudinem afficiunt, mutari poteſt lex & exponi; & etiam aliquid cauſari, quod legis virtutem obtineat, in quantum ſcilicet per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus & rationis conceptus efficaciſſime declaratur. Cum enim aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis judicio provenire: & ſecundum hoc conſuetudo & habet vim legis, & legem abolet, & eſt legum interpretatrix.*

Quando peccent primi non obſevantes legem?

VI. Interrogabis: an primi illi qui contra legem agunt, aut ad uſum non deducunt, peccent? Regulariter loquendo peccant, quia vere legi non obediunt; poteſt tamen evenire quod non peccent, quia agendo contra verba legis, non agunt contra intentionem legislatoris; vel quia proborum Doctorum judicio lex reputetur inutilis, eo quod, contra uſum inveteratum, vix ſit a multitudine obſervabilis; vel quia ſtatim ab ejus promulgatione ſubditi exceptionem expoſuerunt, habentem ſuum robur, cui non ſuerit ſatisfactum, & exinde contra legem agi cœptum fuit: unde S. Doctor loco cit. ad 2. docet: *Leges humanæ in aliquibus caſibus deficiunt; unde poſſibile eſt quandoque præter legem agere, in caſu ſcilicet in quo deficit lex; & tamen actus non erit malus: & cum tales actus multiplicentur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifeſtatur per conſuetudinem, quod lex ulterius non eſt utilis: ſicut etiam manifeſtaretur ſi lex contraria verbo promulgaretur.*

Quando abrogetur conſuetudo per novam legem?

VII. Conſuetudo poteſt per novam legem abrogari; non enim poteſt conſuetudo habere vim majorem, quam habeat lex: ſicut igitur lex præcedens poteſt per novam poſteriorem abrogari; ita & conſuetudo etiam ab immemorabili; & præcipue ſi in nova lege declaretur irrationabilis, & communi bono pernicoſa. Quando autem talis non declaratur; ſed dumtaxat lex dicit generatim: *non obſtante quacumque conſuetudine*, vel ſpeciatim *non obſtante tali aut tali conſuetudine*; ſed ex novis motivis judicatis rationabilibus ſequuntur ſubditi agere juxta illam conſuetudinem,

nem, & Superior id ſciens, & impedire potens, diſſimulet, profecto nova lex vim non obtinet abrogandi conſuetudinem; ſilentium enim Superioris potentis repugnare, & non repugnantis, tacite cenſetur approbare.

§. XIII. *De Privilegiis.*

Quid, & quotuplex ſit Privilegium?

I. PRivilegium eſt Conſtitutio Principis, ſeu Superioris ſpecialem ſavorem permanenter concedentis, agendi, vel non agendi aliquid contra, vel præter legem, Hinc vides ejus diſtinctionem a diſpenſatione, quæ conceditur ad caſum particularem, & tranſeunter. Privilegium multiplex eſt, nempe Scriptum, ſcripto traditum; aliud non ſcriptum, voce traditum, vel conſuetudine acquiſitum. Aliud eſt Reale, quod conceditur rei, puta mercibus, dignitati, loco &c.; aliud Perſonale, quod conceditur immediate perſonæ: Reale tranſit cum re de uno in alterum. Perſonale extinguitur cum perſona. Aliud eſt Gratioſum; quod gratis, & liberaliter conceditur: aliud Remuneratorium, quod pro meritis conceditur. Aliud eſt Purum, quod abſolute conceditur, aliud Conventionale, quod conceditur cum pacto. Aliud Commune, quod immediate reſpicit bonum Communitatis; aliud privatum, quod conceditur in favorem perſonæ privatæ. Aliud eſt Favorabile, quod confert commodum & favorem privilegiato, abſque ullius incommodo; aliud Odioſum, quod, favendo uni, præjudicium affert alteri. Aliud eſt Perpetuum, diu aut ſemper duraturum; aliud Temporale, duraturum ad tempus: Aliud pro foro Conſcientiæ, quod non valet in foro externo; aliud pro Foro externo, valens etiam pro foro conſcientiæ.

A quo, & quibus Privilegium concedi poteſt?

II. Privilegium nequit ab alio concedi, quam a Superiore legem ferre valente, eo quod cum ſit lex privata eximens ab obedientia legis, ad illum pertinet, qui poteſt in lege diſpenſare. Ut privilegium gratioſum vim habeat, debet acceptari a privilegiato, vel ab eo qui ejus vices gerit. (Poteſt tamen a Superiore concedi, ſi ita ſibi placeat, ſubdito etiam invito.) Cum enim privilegium ſit donatio quædam, & donatio ad ſui valorem acceptationem poſtulet; ideo &c. Privilegium autem Remuneratorium valet, quamvis expreſſe non acceptetur, ſed ſufficit quod non ignoretur.

Quomodo utendum privilegio?

III. Privilegio alicui conceſſo abſque reſtrictione ad locum aut tempus, poteſt privilegiatus uti ubi & quando libuerit intra ditionem concedentis: quando reſtringitur, juxta reſtrictionem injunctam eſt illo utendum: unde ſi habeas privilegium retinendi duo beneficia ſimplicia in tua Cathedrali, non potes eo uti in alia Eccleſia. Quando privilegium eſt perſonale, cum afficiat perſonam, poteſt privilegiatus illo uti etiam extra ditionem concedentis, per ſe loquendo, per accidens autem non, nempe ſi in territorio ad quod acceſſit ſit lex contraria; quia tunc tenetur, juxta ſupradicta de obligatione legis, obedire legi illius loci; item ſi uſus privilegii poſſit afferre ſcandalum, vel aliquod aliud inconveniens, tenebitur per accidens non uti privilegio.

Quomodo explicanda privilegia; & quænam ſint regulæ eorum explicandorum?

IV. Si verba privilegii ſint obſcura & ambigua, itaut dubitetur de mente concedentis, adeundus eſt concedens, ſi moraliter fieri poſſit; ſin autem, recurrendum eſt ad conjecturas, ut ſincere inveſtigetur quænam ſit mens concedentis. Interea Privilegiorum explicandorum hæ ſunt regulæ, privilegium favorabile, utpote nulli nocens, late explicandum eſt, quantum patitur verborum proprietas, ſicuti e contra privilegium odioſum alicui præjudicium afferens, ſtricte eſt explicandum, ſervata verborum proprietate: & inde eſt illud effatum legale: *odia reſtringenda, favores ampliandi*. Hinc privilegia quæ continentur in jure communi aut in corpore juris, aut verſantia circa materiam juris, cum habeant vim juris, non ſunt ſtricte explicanda: illa vero quæ non continentur in corpore juris, ſunt ſtricte explicanda, quia ſunt quoddam jus privatum contra jus commune, & dicuntur vulnera juris communis, cui afferunt læſionem; & ideo ſtricte tanquam odioſa explicanda: ſicuti etiam diſpenſationes derogantes juri communi. Privilegium diſpenſandi conceſſum ad inſtantiam eorum, cum quibus eſt diſpenſandum, eſt ſtricte explicandum, quia idem eſt ac ſi diſpenſetur cum illis contra jus commune. Si vero concedatur alicui ad diſpenſandum, quin perſonæ aliæ cum quibus diſpenſandum ſit, nominentur, late explicandum erit, quippe quod ſit favoribile ipſi diſpenſaturo. Privilegium conceditur illis dumtaxat, qui in privilegio exprimuntur, & in illo comprehenduntur, propter ſignificationem verborum, aut materiæ, vel actionis connexionem, vel juris diſpoſitionem: v. g. privilegium nobilitatis conceſ-

ſum

ſum viro, cenſetur ratione quadam conceſſum etiam uxori, & etiam filiis, jure ita diſponente. Hinc privilegium non extenditur ad alias perſonas vel actiones ob ſimilitudinem rationis, ut etiam diximus in §. 10. n. 2. circa interpretationem legis; quia concedens non intendit alios privilegio donari, niſi expreſſos & connexos, ut paulo ante dicebam.

Circa Communicationem privilegiorum, quæ præcipue ad Regulares mendicantes pertinet, videre potes perdoctum recentiorem Anacletum Reiffenſtuel in quintum decretalium tit. 33. num. 55. & ſeq.

Quomodo privilegia amittantur?

V. Pluribus modis privilegia amittuntur. Perſonale amittitur per mortem privilegiati: Reale autem tranſit ad alios cum re privilegiata: & nota, quod quando exprimitur ſimul nomen perſonæ, & dignitatis cenſetur perſonale. Privilegium, amittitur ceſſante tota cauſa, ob quam fuit conceſſum; aliter eſſet iniqua conceſſio. Privilegium gratioſum poteſt ex juſta cauſa revocari; Remuneratorium autem aut alio modo oneroſum non poteſt revocari; & ſi ob aliquod juſtum motivum revocetur, pars eſt compenſanda alio modo. Privilegium ad tempus conceſſum, vel ſub conditione, elapſo tempore, vel expleta conditione, ceſſat; Abſolutum autem & ſimpliciter conceſſum, durat perpetuo: conceſſum autem ad beneplacitum concedentis, expirat cum ipſius vita. Privilegium obtentum ſine ulla reſtrictione, non ceſſat morte concedentis; at ſi nondum fuerit obtentum, expirat morte concedentis: v. g. ſi Pontifex commiſerit Petro facultatem, ut conferat Paulo beneficium, & antequam Petrus beneficium conferat Paulo, Pontifex moriatur, ceſſat facultas illa morte Pontificis; quia beneficium nondum erat obtentum. Privilegium non inſertum in corpore juris, non revocatur per legem ſubſequentem, neque per particulare reſcriptum, neque per aliud privilegium præcedenti repugnans, niſi fiat mentio illius; cum enim privilegium ſit quoddam jus privatum, Princeps cenſetur illud ignorare, niſi faciat expreſſam mentionem ejuſdem; quando autem eſt inſertum corpori juris, abrogatur per legem ſubſequentem, quia non præſumitur a Principe ignorari: & circa hoc nota, quod ut revocatio privilegii facta per legem ſortiatur effectum, requiritur publicatio revocationis, qua facta, privilegium remanet revocatum, ita ut acta poſteriora non valeant, etiamſi ignoranter, & inculpate fiant: excipiendi tamen ſunt actus publici, facti cum errore communi, & titulo colorato: privilegium vero privatim revocatum ſuam vim retinet, donec notitia revocationis perveniat ad privilegiatum: ſicut enim privilegii conceſſio vim non habet, antequam innoteſcat privilegiato; ita & revocatio ejuſdem: & propterea ſi confeſſarius privilegiatus ad abſolvendum a reſervatis, antequam ſciat revocationem ſui privilegii, abſolvat, rite abſolvit. Privilegium Affirmativum, quo conceditur alicui actio in gravamen aliorum, amittitur per non uſum talis facultatis; in quantum ſcilicet illi qui gravantur præſcribunt contra privilegiatum exemptionem a tali gravamine, accedente legitimo tempore præſcribendi; privilegium vero neminem gravans non amittitur per non uſum etiam longiſſimi temporis; quia non eſt qui contra illud præſcribat. Privilegium amittitur per voluntariam renunciationem, quæ tamen acceptetur a concedente, qui ſi acceptare nolit, adhuc privilegium ſubſiſtit, & privilegiatus poteſt illo uti, mutando voluntatem; dummodo tamen privilegium conſiſtat in facultate faciendi aliquid, & habeat tractum ſucceſſivum; ſi enim ſit privilegium momentaneum & habens effectum ſtatim ac conceſſum fuit, puta diſpenſatio in impedimento matrimonii, non poteſt per renunciationem fieri inhabilis; unde velit, nolit, habilis ſtatim redditus eſt. Privilegium non ſemper amittitur per uſum privilegio contrarium, niſi fiat animo ſe ſubdendi obligationi, a qua privilegium ſolvebat; aut niſi actus ſucceſſive & pluries fiant: ita qui per privilegium eximitur a tributo ſolvendo, amittit illud, ſi aliquando ſolvat tanquam ex obligatione; aut ſucceſſive ſolvere pergat; ſecus ſi bis vel ter ſolvat ut ab importunitate exactorum ſe expediat. Privilegium conceſſum propter aliquam actionem exercendam, ceſſat ceſſante actione: unde qui ex privilegio percipit fructus beneficii, ut ſtudio Theologiæ vel Canonum vacet in aliqua Univerſitate, ceſſat poſt emenſum ſtudiorum curſum. Denique privilegium amittitur per abuſum ejuſdem; tamen accedente ſententia Judicis declaratoria abuſus, cum nimis durum ſit, a ſemetipſo ſe expoliare privilegio obtento: ſi tamen in conceſſione exprimerentur verba ſignificantia privationem privilegii ipſo facto poſt patratum abuſum, ipſo facto amitteretur.

TRA-

TRACTATUS II.

DE PECCATIS

GENERATIM.

Per Legem cognitio peccati ſcripſit Apoſtolus ad Rom. 3. quamobrem tractationem de Legibus opportune ſequitur tractatus de Peccatis, in quo de natura, diviſione, diſtinctione, cæteriſque peccatorum generatim ſumptorum affectionibus diſſeritur, prout hujuſmodi diſcuſſio ſpectat ad forum morale.

CAPUT PRIMUM.

De Natura, Diviſione, Diſtinctione &c. peccatorum.

§. I. *De Peccati Natura.*

I. PEccatum ex S. Auguſtino lib. 22. contra Fauſtum c. 27. *eſt dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei æternam*, quam definitionem approbat S. Thomas 1. 2. q. 71. a. 9. In ea comprehenduntur tres peccandi modi, ad quos reducuntur cæteri omnes, nempe ore, opere, & corde. Ipſa convenit etiam peccato veniali; nam eadem lex æterna, (quam explicuimus de legibus §. 2. n. 1.) quæ prohibet v. g. mendacium grave Deum graviter offendens, prohibet etiam mendacium leve, injuriam levem Deo irrogans. Convenit etiam peccatis omiſſionis; de his enim poterat eſſe difficultas; quia tametſi omiſſio incurratur ſuſpendendo actionem, omittens tamen dicitur agere contra legem, eo ipſo quod advertit ſe teneri ad actionem ponendam, poteſt illam ponere, & non ponit, ſive per actum interiorem nolendi, ſive nullum eliciendo actum, cenſetur moraliter agere contra legem, eidemque deobedire. Convenit etiam peccatis contra humanas leges perpetratis; quandoquidem juxta D. Paulum *omnis poteſtas a Deo eſt, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*: ſicut igitur omnis honeſta poteſtas eſt participatio quædam poteſtatis Dei æternæ, ita quæcumque facultas legiſlativa eſt participatio quædam legis æternæ; ita ut omne peccatum tandem ſit contra legem Dei æternam.

Quomodo omne malum ſit tale quia prohibitum

II. Hinc animadvertas, quomodo intelligendum ſit effatum illud theologicum, nempe, quædam eſſe prohibita, quia mala; & quædam eſſe mala, quia prohibita. *Cum dicitur*, ait S. Doctor loc. cit. ad 4. *Quod non omne peccatum ideo eſt malum, quia prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per jus poſitivum: Si autem referatur ad jus natuale, quod continetur primo in lege æterna, ſecundario vero in natuali judicatorio rationis humanæ; tunc omne peccatum eſt malum quia prohibitum*. Et in hoc ſenſu legitimo explicatur canon ille Apoſtoli Pauli Rom. 2. *Qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*, nempe ſine lege poſitiva, neutiquam ſine lege naturali & æterna, quam nemo rationis compos, negare poteſt ſe habere; ut vidimus.

§. II. *De peccatorum diviſione.*

Originale, Perſonale.

I. DIviditur primo peccatum in Originale, & Perſonale: illud eſt nobis a natura congenitum, non noſtra, ſed voluntate Protoplaſtæ noſtri patratum; iſtud voluntate propria peccantis committitur.

Actuale, Habituale.

II. Dividitur in Actuale, & Habituale. Actuale eſt actualis tranſgreſſio legis divinæ. Et ſic tunc committitur peccatum actuale quando actualiter violatur Lex Divina ſive faciendo actum ab ipſa vetitum, ſive omittendo actum ab ipſa præceptum. Habituale vero eſt macula in anima relicta ex peccato actuali, & in ea remanens donec per pœnitentiam & gratiam ſanctificantem abſtergatur, & expietur.

Maculam in anima relictam ex peccato mortali ſic explicat D. Thom. 1. 2. q. 86. a. 1. *Dicendum*, inquit, *quod macula proprie dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdit ſuum nitorem ex contactu alterius corporis ſicut veſtis, & aurum, & argentum, & aliquid hujuſmodi. In rebus autem ſpiritualibus ad ſimilitudinem hujus oportet maculam dici. Habet autem anima hominis duplicem nitorem, unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in ſuis actibus, alium vero ex refulgentia divini luminis, ſcilicet ſapientiæ & gratiæ, per quam etiam homo perficitur ad bene, & decenter agendum; eſt autem quaſi quidam animæ actus, quando inhæret aliquibus rebus per amorem; cum autem*

Digitized by Google

autem peccat, adhæret rebus aliquibus contra lumen rationis, & divinæ legis, ut ex ſupradictis patet: unde ipſum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens, macula animæ metaphorice vocatur. In reſponſione autem ad 3. aſſerit, *quod macula non eſt aliquid poſitive in anima; nec ſignificat privationem ſolam, ſed ſignificat privationem quamdam nitoris animæ in ordine ad ſuam cauſam, quæ eſt peccatum: & ideo diverſa peccata, ait, diverſas maculas inducunt: & eſt ſimile de umbra, quæ eſt privatio luminis ex objecto alicujus corporis: & ſecundum diverſitatem corporum objectorum diverſificantur umbræ.* Ad maculam vero peccati venialis quod ſpectat, ita mentem ſuam aperit idem S. D. q. 89. art. 1. *Dicendum, quod ſicut ex dictis patet macula importat detrimentum nitoris ex aliquo contactu ſicut in corporibus patet, ex quibus per ſimilitudinem nomen maculæ ad animam transfertur. Sicut autem in corpore eſt duplex nitor, unus quidem ex intrinſeca diſpoſitione membrorum, & coloris: alius autem ex exteriori claritate ſuperveniente, ita etiam in anima eſt duplex nitor. Unus quidem habitualis quaſi intrinſecus. Alius autem actualis quaſi exterior fulgor. Peccatum autem veniale impedit quidem nitorem actualem, non tamen habitualem, quia non excludit, neque diminuit habitum caritatis & aliarum virtutum .... ſed ſolum impedit earum actum: macula autem importat aliquid manens in re maculata: unde magis videtur pertinere ad detrimentum habitualis nitoris, quam actualis: unde proprie loquendo peccatum veniale non cauſat maculam in anima, & ſi alicubi dicatur maculam inducere, hoc eſt ſecundum quid, in quantum impedit nitorem qui eſt ex actibus virtutum.* Vide Sylvium, & Em. Gotti ſuper citatos articulos.

Mortale. Veniale.

III. Dividitur in Mortale, & Veniale: primum privat animam vita ſupernaturali, quæ eſt Gratia ſanctificans, Deoque inimicam conſtituit; ſecundum, levem Deo offenſam irrogando, & charitatis fervorem tepefaciendo, animam Deo minus gratam reddit.

Commiſſionis, & Omiſſionis.

IV. Dividitur in peccatum Commiſſionis, & Omiſſionis: primum committitur contra præceptum negativum, agendo id, quod ab illo vetatur: ſecundum committitur contra præceptum affirmativum ſeu poſitivum, non agendo id quod jubetur.

Externum, Internum.

V. Dividitur in Externum, & Internum: primum verbo, aut facto exteriori committitur: ſecundum mente & corde patratur; duplicique modo fit; vel ſiſtendo dumtaxat in delectatione voluntaria objecti mali, & dicitur delectatio moroſa; vel ulterius optando malum patrare, & dicitur deſiderium pravum.

In Deum, in proximum, in ſeipſum.

VI. Dividitur in peccatum contra Deum, contra Proximum, & contra ſeipſum: primum ſpecialiter in Deum fertur, ut blaſphemia: ſecundum ſpecialiter proximum lædit, ut injuſtitia; tertium ſpecialiter nocet ipſi peccanti, ut ebrietas. Conſulto autem dixi *ſpecialiter*: quandoquidem omne peccatum eſt ſemper ſaltem contra Deum, & ipſum peccantem, illum afficiens offenſa; iſtum, quoad animam, lædens. Nihilominus cum extent virtutes hominem ſpecialiter regulantes erga Deum, ut Religio; erga proximum, ut Juſtitia; erga ſeipſum, ut Temperantia; propterea etiam peccata illis oppoſita ſpecialiter dicuntur lædere Deum, proximum, & ſeipſum. Videri poteſt S. Thomas 1. 2. q. 72. a. 4.

Proprium & Alienum.

VII. Dividitur in Proprium, & Alienum: primum ab ipſo peccante dumtaxat committitur, ſecundum ab aliis quidem committitur, ſed nobis etiam imputatur, quippe qui vel tenebamur illud impedire, vel eidem cooperati ſumus poſitive; & hujus peccati plerumque ſunt rei illi, qui aliis ex officio præſunt: unde David precabatur: *Ab alienis parce ſervo tuo.*

Ex Infirmitate, ex Ignorantia, ex deliberata malitia.

VIII. Tandem dividitur peccatum in illud quod committitur ex Infirmitate, ex Ignorantia culpabili, & ex deliberata malitia: primum committitur inſtigante gravi tentatione præcipue exteriori alicujus aut objecti multum attrahentis, vel agentis fortiter impellentis; aut ex vehementi impetu alicujus paſſionis frænatu difficilis; ob adjacentes circumſtantias. Secundum committitur ex culpabili defectu ſcientiæ, aut advertentiæ. Tertium committitur, nulla, aut levi tentatione præeunte, ſed ex malitia pravaque inclinatione, orta vel ex ignorantia quæſita & affectata, vel ex habitu malo jam prædominante. Primum peccandi genus eſt malum; ſecundum pejus; tertium peſſimum.

* Peccatum ex malitia eſt illud, quod neque ex ignorantia indirecte tantum volita, neque ex paſſione antecedente committitur, ſed ex mera electione voluntatis, & ita nihil habet, quo minuatur ejus malitia. Sic clare docet D. Thomas 1. 2. q. 78. *art.* 1. ubi aſſerit, quod dicitur quis *ex certa malitia vel induſtria peccare quaſi ſcienter malum eligens. Et art.* 2.

Di-

Digitized by Google

Dicendum, ait, *quod voluntas aliter ſe habet ad bonum, & aliter ad malum. Ex natura enim ſuæ potentiæ inclinatur ad bonum rationis, ſicut ad proprium objectum: unde & omne peccatum dicitur eſſe contra naturam. Quod ergo in aliquod malum voluntas eligendo inclinetur, oportet quod aliunde contingat. Et quandoque quidem contingit ex defectu rationis, ſicut cum aliquis ex ignorantia peccat. Quandoque autem ex impulſu appetitus ſenſitivi, ſicut cum peccat ex paſſione. Sed neutrum horum eſt ex certa malitia peccare; ſed tunc ſolum ex certa malitia quis peccat, quando ipſa voluntas ex ſeipſa movetur ad malum.* Hæc S. D. qui deinde ibidem cauſas exponit, propter quas aliqui ex certa malitia peccant.

Obſervat autem 1. Sylvius ſupra *cit. art.* 1. quod peccare ex certa malitia, non eſt idem quod eligere malum ſub ratione mali, cum nullus ſic poſſit eligere, ut oſtendit ipſe *q.* 8. *art.* 1. nec eſt etiam idem quod peccare ex peccato præcedenti; quia peccatum ex malitia interdum eſt primum peccatum, ut videre eſt in Angelis, & quod etiam dicendum videtur de primo peccato tam Evæ, quam Adami &c.

Obſervat 2. quod licet verum ſit, eum, qui ex malitia peccat, non peccare ex ignorantia; ipſe nihilominus ſemper laboret aliqua ignorantia, ea ſcilicet, quæ dicitur ignorantia electionis; quoniam etſi ſciat eſſe malum id quod committit; nunc tamen actu, & in particulari ignorat, hoc malum non eſſe ſuſtinendum ad alicujus boni temporalis conſecutionem, quemadmodum *art.* 1. *ad* 1. *tradit* D. Thomas.

Ex dictis autem colligere pronum eſt, peccatum procedens ex ignorantia affectata, vel ex paſſione libere excitata, eſſe etiam peccatum ex malitia, aut ei æquivalere; cum ejus prima radix ſit ſolum prava voluntas, quæ paſſionem vel ignorantiam procurat, nec minuit libertatem.

Legatur D. Thomas *præcit. quæſt.* in qua plura ſcitu digna occurrunt. Quippe *art.* 2. docet, quemcumque peccantem ex pravo habitu, peccare ex certa malitia: *art.* 3. oſtendit, non eſſe neceſſarium quod quicumque peccat ex certa malitia, peccet ex habitu: ac demum *art.* 4. probat, eum, qui ex certa malitia peccat, gravius peccare, quam illum, qui peccat ex paſſione, cæteris nimirum paribus, & loquendo de peccato unius ſpeciei; puta ſi quis unum peccatum faciat ex malitia, & alius idem ſpecie committat ex paſſione. Legatur etiam *quæſt.* 3. *de Malo art.* 12. & 13.

Peccans ex habitu, gravius delinquit.

IX. Neque opponas, peccantem ex habitu vix animadvertere ſe peccare; immo ſæpe neque advertit, ut videre eſt in pejerantibus, blaſphemantibus, complacentibus ſibi in rebus venereis aſpiciendo, loquendo, cogitando &c. unde ſaltem minus voluntarie peccare videntur. Immo & de hujuſmodi affirmat S. Doctor, quod peccent ex deliberata malitia, & gravius aliis: audi ipſum loquentem in Diſputatis de malo art. 12. *Aliquando voluntas inclinatur in bonum commutabile, cui adjungitur deformitas peccati, ex aliquo habitu, quando per conſuetudinem inclinare in tale bonum, eſt ei jam verſum quaſi in habitum, & naturam; & tunc ex proprio motu, abſque aliqua paſſione inclinatur ad illud*: (nota bene) *& hoc eſt peccare ex electione, ſive ex induſtria, & ex certa ſcientia, aut ex malitia*. Idemque repetit 1. 2. q. 78. a. 2. *Quandocunque* homo *utitur habitu vitioſo, neceſſe eſt quod ex certa malitia peccet. Quia unicuique habenti habitum, eſt per ſe diligibile id, quod eſt ei conveniens ſecundum proprium habitum, quia ſic fit ei quodammodo naturale, ſecundum quod conſuetudo & habitus vertitur in naturam: hoc autem quod eſt alicui conveniens ſecundum habitum vitioſum, eſt id quod excludit bonum ſpirituale, ut adipiſcatur bonum quod eſt ei ſecundum habitum conveniens; & hoc eſt ex certa malitia peccare; unde manifeſtum eſt, quod quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia*.

Reprehenditur mala deductio quorumdam circa peccantem ex habitu.

X. Hinc inferas, quam longe a mente hujus eximii Eccleſiæ Doctoris abeant illi, qui ſequentes nonnullos recentiores, hominem peccantem ex habitu & conſuetudine, abſque advertentia actuali, excuſant aut in toto, aut in parte a peccato, falſo putantes inadvertentiam illam minuere, aut tollere malitiam ab actione prava, puta a perjurio, a delectatione moroſa &c. cum e contra S. Thomas doceat, immo procedere ex certa ſcientia, & induſtrioſa malitia. Quandoquidem ex vi actuum pejerandi, ſe delectandi &c. repetitorum, adeo delevit a mente bonum ſpirituale, nempe lumen, advertentiam, & alia, quæ illum commonere, retrahere, aut reprehendere poterant, ut, nullo agere amplius obſiſtente, plena facilitate & promptitudine in actus illos pravos citiſſime prorumpat; homo itaque tali modo pec-

peccans excuſandus videbitur? immo jure merito cum S. Doctore magis accuſandus; eo quod gravius peccet, malitia quodammodo in naturam jam converſa. Quemadmodum igitur vir probus, dum frequentatis actibus V. G. patientiæ, ita domuit, & repreſſit paſſionem iræ, ut abſque ulla difficultate, celerique promptitudine, etiam abſque reflexione, actus patientiæ eliciat, perfectius operari cenſetur, actuſque illi rectiſſime judicantur voluntarii, & ex certa ſcientia prodeuntes; quippe qui proficiſcantur ex animo talem facilitatem aſſecuto ob victorias repetitas de paſſione iræ reportatas; ita ut etiam delectetur de injuriis ſibi illatis; ſimiliter in caſu noſtro peccantem ex habitu, ſerio non retractato, neceſſe eſt gravius peccare, majorique voluntarietate, in ſui malitia magis radicata. Tunc igitur peccata ex habitu non videbuntur imputanda, ſi per ſinceram pœnitentiam habitum ſerio retractet; ſi diligenti ſtudio invigilet, ne in actus erumpat; ſi occaſiones ad actus provocantes ſumma cura declinet; ſi Sacramentorum, præcipue confeſſionis, frequentia, ſe corroboret; ſi preces ad auxilia obtinenda Deo offerat; ſi tandem media a pio & docto Confeſſario præſcripta executioni mandet; cum hæc omnia præſtare ſategerit, tunc actus qui forte aliquando ex ſubreptione erumpent, judicari poterunt mere materiales; aliter ſi hæc implere negligat, reus erit actuum a malo habitu erumpentium judicandus, a quo cito liberabitur, ſi dicta media fideliter exequatur.

Præter recenſitas, & expoſitas ab Auctore peccati diviſionis fuere olim qui aliam tradiderunt, nempe peccatum actuale in pure philoſophicum, & theologicum diſtinxerunt. Ut autem illorum ſyſtema perſpicue percipiatur, animadvertendum eſt, duplicem in peccato actuali malitiam ſpectari poſſe. Primam, quatenus præciſe naturæ rationali adverſatur. Alteram, prout cum lege æterna Dei pugnat. Dum igitur, inquiebant, peccatum perpetratur ab homine advertente ſolummodo ad rectam rationem, cujus conſideratio potiſſimum Philoſophorum eſt, peccatum eſt philoſophicum, quod quantumlibet ſit grave ac turpe, nec eſt offenſa Dei, nec amicitiam cum Deo diſſolvit, nec eſt æterna pœna dignum. Dum vero committitur ab advertente ad legem & offenſam Dei, quarum conſideratio ad Theologos pertinet, erit theologicum, atque ſi materia gravis ſit, amicitiam cum Deo diſſolvens, & peccatorem pœnæ æternæ obnoxium conſtituens.

Verum doctrina iſthæc de peccato philoſophico, quæ legitimus probabiliſmi fœtus cenſetur, improbanda omnino eſt, atque rejicienda ut falſa, ſcandali plena, & abſurda. Etſi namque intellectus noſter duplicem in peccato malitiam diſtinguere poſſit, ipſumque conſiderare, & ut eſt naturæ rationali, ſeu rectæ rationi contrarium, & quatenus eſt offenſa Dei, ut docet & D. Thomas 1. 2. *q.* 61. *art.* 6. *ad* 5.; attamen neutra malitia ab altera ſejungi valet, nec fieri poteſt, ut actus, vel omiſſio actus una inficiatur, & altera careat; quidquid enim diſconvenit naturæ rationali, prohibitum eſt lege divina (ſermo eſt de lege naturali) & quidquid prohibitum eſt lege divina, ſecundum ſe, & intrinſece diſconvenit naturæ rationali: *Quidquid eſt contra rationem artificiati* (verba ſunt S. Thomæ 1. 2. *qu.* 72. *a.* 2. *ad* 4.) *eſt etiam contra naturam artis, qua artificiatum producitur. Lex autem æterna comparatur ad ordinem rationis humanæ, ſicut ars ad artificiatum: unde ejuſdem rationis eſt quod peccatum ſit contra ordinem rationis humanæ, & quod ſit contra legem æternam.* Item neutra malitia ſine altera criminoſa eſt, quia vel utraque vel neutra voluntaria eſt ponenti, vel omittenti actum. Ratio eſt, quia dictamen rectæ rationis numquam dictat, actum, vel omiſſionem actus diſconvenire naturæ rationali, quin ſimul dictet, adverſari legi divinæ. Unde qui cognoſcit unam malitiam, cognoſcit & alteram; & qui culpabiliter ignorat vel non advertit unam malitiam, culpabiliter ignorat vel non advertit alteram; proindeque qui conſentit in unam malitiam, conſentit & in alteram. Itaque culpa philoſophica a theologica minime diſtinguitur, nec ullum eſſe poteſt peccatum recte rationi contrarium, quod ſimul contra legem æternam, & ipſum Deum non pugnet. Hinc jure meritoque Alexander VIII. *die* 24. *Auguſti an.* 1690. *tanquam ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivum, & erroneam* ſequentem proſcripſit propoſitionem: *Peccatum philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: theologicum vero, & morale, eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum, quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat,*

Digitized by Google

eſt grave peccatum, ſed non offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. Qui de peccato philoſophico plura deſiderat, adeat Em. Gotti Tom. 2. *in* 1. 2. *q.* 1. *dub.* 5. §. 1. 2. & 3., P. Franciſcum Van Ranſt *ſuper propoſit. damnatas* ab Alexandro VIII. P. Danielem Concina *Tom.* 2. *Appar. Lib.* 2. *de Probabiliſ. Diſſert.* 1. *cap.* 10., & P. Paulum a Lugduno *Tract.* 4. *Diſſert.* 1. *cap.* 2. *q.* 4. *art.* 3. qui contra illud ſuſe & ſolide diſputant, atque etiam maxima, quæ ex ipſo ſcaturiunt abſurda patefaciunt.

§. III. *De diſtinctione ſpecifica peccatorum.*

Conſtitutivum peccati in eſſe morali.

I. SPecifica conſtitutio peccati in eſſe morali eſt ejus ſpecialis ſeu ſpecifica malitia, per quam unum peccatum ab altero ſpecifice diſtinguitur; eo quod malitiam ab alio eſſentialiter diſtinctam habeat. Malitia autem peccati eſt ipſius diſconvenientia a lege divina, & ab humana ratione: & idcirco peccata inter ſe invicem ſpecie differre dicuntur, quæ inter ſe invicem ſpecialem, ideſt diverſam deformitatem & diſconvenientiam habent a lege divina, humanaque ratione.

Diſtinctio ſpecifica peccatorum deſumitur ex diverſitate ſpecifica objectorum.

II. Diſtinctio eſſentialis & ſpecifica peccatorum primario deſumitur ex diverſitate eſſentiali & ſpecifica objectorum. Ita S. Thomas 1. 2. q. 72. a. 1. & alibi. Objecti autem nomine ſignificatur id, in quod primario voluntas tendit per actum malum; ea propter tam materia, in quam fertur mala voluntas, quam motivum, propter quod illam vult, quam circumſtantiæ, in quibus illam vult, denominari poſſunt objectum; quandoquidem ab his omnibus & ſingulis refundi poſſit in actum peccaminoſum ſpecialis malitia & deformitas. Ratio autem Sancti Thomæ eſt, quia peccatum eſt actus malus voluntarius, actus autem voluntarius ſpeciem ſumit ab objecto, ad quod tendit; omnis namque actus eſt tendentia actualis ad aliquod objectum. Illa ergo erit ſpecifica objectorum varietas, quæ tribuit actibus ſpecificam diverſitatem.

Minus principaliter deſumitur etiam a diverſitate privationum.

III. Diximus, diverſitatem ſpecificam peccatorum primario deſumi ab objectis ſpecie diſtinctis, ut ſignificaremus cum S. Doctore ibidem, eamdem diverſitatem minus principaliter, & per accidens etiam ab inordinatione privativa, quæ ineſt actui peccaminoſo, eſſe depromendam, nempe ex diverſitate privationum talis, aut talis perfectionis, quibus actus peccaminoſi inficiuntur. Cum enim peccatum ſit nedum actus, ſed etiam malus; & malum conſiſtat in privatione alicujus boni; exinde ſequitur, quod cum malum nequeat terminare tendentiam actus, nemo enim tendens in malum operatur; intantum privatio rectitudinis afficit actum peccaminoſum, in quantum actus fertur in tale objectum, quod afficitur diſſonantia a regulis morum: male igitur operans, non intendit principaliter privationem, & diſconvenientiam, ſed talem rem aſſequi, eademque frui; & quia res eſt diſconveniens; per accidens, & ſecundario tendit in diſconvenientiam, afficientem illam rem; propterea ſapienter Angelicus in reſponſione ad 1. (in quo ſibi objecit fundamentum, quo deinde uſi ſunt Scotus, Beccanus, Valentia, Bonacina, & alii, ut probarent a diverſis rectitudinum privationibus deſumendam diſtinctionem ſpecificam peccatorum) ita reſpondendo ſcribit: *Peccatum non eſt pura privatio, ſed eſt actus debito ordine privatus: & ideo peccata magis diſtinguuntur ſpecie ſecundum objecta actuum, quam ſecundum oppoſita; quamvis etiamſi diſtinguantur ſecundum oppoſitas virtutes, in idem rediret; virtutes enim diſtinguuntur ſpecie ſecundum objecta.* Obſerva igitur primo ly *magis*, ideſt principalius: obſerva ſecundo, qualiter oſtendat, adverſantem opinionem in noſtram tandem convenire; cujus rationem affert; nam dato, quod diverſitas ſpecifica peccatorum ex diverſitate bonitatum, quibus malitiæ in peccatis repertæ privant, depromenda eſſet; cum alioquin bonitates illæ non aliud ſint, quam virtutes, quibus peccata opponuntur; & cum bonitas virtutum nonniſi per ordinem ad diverſam objectorum bonitatem petatur; proinde ſequitur, quod diverſitas peccatorum in diverſitatem demum objectorum refundenda ſit; *& in idem redeat* cum ſententia noſtra.

Quomodo deſumatur ex Fine?

IV. Neque ex eo quod actiones dicantur malæ præcipue ex Fine, qui non eſt objectum, ſed circumſtantia ejuſdem, inferas oppoſitum doctrinæ hactenus traditæ: hæc enim difficultas ſolvitur a S. Doctore, quam ſibi objecerat in primo argumento, quamque ita reſolvit: *Dicendum quod finis principaliter habet rationem boni, & ideo comparatur ad actum voluntatis, qui eſt primordialis in omni peccato* (& eſt actus intentionis) *ſicut objectum; unde in idem redit, quod peccata differant ſecundum objecta, vel ſecundum fines.* Quibus verbis do-

docet Angelicus, finem reſpectu illius actus voluntatis qui dicitur intentio, non eſſe meram circumſtantiam extrinſecam, ſed verum ejuſdem actus objectum: ac proinde ſemper verum eſſe ſpeciem peccatorum primario ab objecto eſſe depromendam.

Quomodo deſumatur ex diverſitate ſpecifica præceptorum?

V. Quamvis autem non raro videatur, quod diſtinctio peccatorum ſpecifica deſumatur a diſtinctione formali præceptorum, fundata in diverſo motivo formali præcipiendi, aut in diverſitate formali rei præceptæ, ut exinde inferatur diverſitas ſpecifica tranſgreſſionum & peccatorum; ut videre eſt in frangente jejunium juſſum ab Eccleſia, & juſſum a confeſſario in ſatisfactionem, aut juſſum ab Eccleſia ob duplex motivum formale, v. g. religionis, & pœnitentiæ, nihilominus adhuc verum eſt, hujuſmodi ſpecificam diverſitatem ab objectis ſpecifice diverſis proficiſci; etenim ideo unum peccatum differt ſpecifice ab alio, quia tendit in objectum affectum lege illud vetante propter talis materiæ objectivam deformitatem: unde beneficiarius voluntarie omittens recitationem horarum cum animo non reſtituendi, ideo committit duo peccata ſpecie diſtincta, quia violat duo præcepta, unum religionis, alterum juſtitiæ, reſpicientia cultum Dei, & ſolutionem debiti, quæ ſunt præfatarum virtutum objecta: & ſimiliter perſona Sacra in lapſum carnis proruens, ideo duo peccata ſpecifice committit, unum contra peccatum religionis, alterum contra præceptum caſtitatis; quia hæc præcepta tendunt, primum in cultum Dei, cui gravis irrogatur injuria, violando votum eidem factum; & in honeſtatem relucentem in caſtitate; quæ ſunt horum præceptorum formalia motiva, & objecta.

Sola obedientia, & inobedientia diverſificatur ex diverſitate ſpecifica præceptorum.

VI. Si objicias, inobedientiam contra legem Dei, & inobedientiam contra legem humanam ſpecifice diſtingui, quemadmodum diverſæ ſpeciei eſt actus obedientiæ Deo redditus, & redditus homini; hæc autem diverſitas ſpecifica duntaxat ortum trahit a diverſitate ſpecifica præceptorum. Reſpondeo, de ſola virtute obedientiæ, & de ſolo inobedientiæ peccato verificari, quod diſtinguatur ſpecifice ex ſola diverſitate præceptorum; quia obedientia non habet aliud objectum formale, quam præceptum exequendum, quemadmodum inobedientia præceptum violandum: & ideo hoc confirmat noſtram opinionem, quod etiam inobedientiæ diverſificentur ſpecie ex diverſitate ſpecifica objectorum, quæ objecta ſunt diverſa ſpecifice præcepta violata. Reliquæ autem virtutes non tendunt ad præceptum tanquam ad proprium objectum formale, ſed duntaxat illud reſpiciunt tanquam impellens, a quo moventur erga propria objecta: & ſimiliter alia peccata non reſpiciunt formaliter præceptum quod tranſgrediuntur, tanquam objectum formale, ſed tanquam circumſtantiam generaliter afficientem omnia objecta prohibita.

Recenſentur circumſtantiæ humani actus, & explicatur quomodo etiam ex circumſtantiis deſumatur diſtinctio ſpecifica ejuſdem.

VII. Peccata inſuper ſpecie diſtingui aliquando ex circumſtantiis actum peccaminoſum afficientibus, nemo eſt qui ambigat. Nota igitur, ſeptem communiter enumerari circumſtantias, quæ, præter objectum, humanam actionem moraliter comitari poſſunt, atque hoc verſu comprehenduntur: *Quis*, *quid*, *Ubi*, *quibus Auxiliis*, *Cur*, *Quomodo*, *Quando*. *Quis* denotat qualitatem perſonæ; puta quod peccans ſit perſona ſacra. *Quid* denotat circumſtantiam materiæ; puta quod res furto ablata ſit in magna quantitate. *Ubi* denotat conditionem loci; puta furtum in loco ſacro, aut in loco publico. *Quibus auxiliis* denotat media, quibus peccans utitur; puta abutendo rebus ſacris. *Cur* denotat finem extrinſecum operantis; qui diſtinguitur a fine intrinſeco operis; puta furtum ad adulterandum. *Quomodo* denotat modum actus, puta facti cum plena advertentia, cum ignorantia &c. *Quando* denotat tempus, quo facta eſt actio, puta die feſtivo de præcepto. Rationem autem hujus ſeptenarii numeri videſis apud S. Doctorem 1. 2. q. 7. a. 3. Hinc deducas, quaſdam harum circumſtantiarum addere actui peccaminoſo novam malitiam ſpecie diſtinctam, & quaſdam non, ſed tantummodo augere vel minuere malitiam intra eamdem ſpeciem. V. G. Sacerdos, cui ſub formali præcepto inhibitum fuit a legitimo Superiore, ne ingrediatur talem domum corruptæ famæ, & qui ibidem adulteratur, quatuor peccata ſpecie diſtincta perpetrat; unum contra obedientiam, frangendo præceptum; alterum contra caſtitatem accedendo ad non ſuam; tertium contra juſtitiam, accedendo ad alienam; quartum contra religionem, violando votum; & ſi adſit ſcandalum, etiam quintum contra charitatem proximi, ſcandalum & occaſionem ruinæ aliis dando. Exemplum circumſtantiarum augentium, vel minuentium notabiliter; (nam de modico non eſt ſermo) intra eamdem ſpe-

ciem eſt v. g. furtum mille aureorum, & furtum unius argentei, odium formale contra proximum ad plures annos; & ad horam tantum. Ex quibus jam perſpicis, quomodo etiam ex circumſtantiis peccata ſpecie diſtingui & multiplicari poſſint, ob diverſas deordinationes ſpecie objectiva diſtinctas, & rectæ rationi ſpecialiter repugnantes.

Quomodo gravitas peccatorum deſumatur ex dignitate virtutum illis oppoſitarum.

VIII. Colligendum item eſt, quod peccati gravitas deſumenda etiam ſit ex dignitate virtutum, quibus peccata opponuntur, quod mire explicat S. Doctor 1. 2. q. 73. art. 4. his aureis verbis. *Virtuti opponitur peccatum aliquod, uno quidem modo principaliter & directe, quod ſcilicet eſt circa idem objectum: nam contraria ſunt circa idem: & hoc modo oportet, quod majori virtuti opponatur gravius peccatum; ſicut enim ex parte objecti attenditur major gravitas peccati, ita etiam dignitas virtutis; utrumque enim ex objecto ſpeciem ſortitur: unde oportet, quod maximæ virtuti directe contrarietur maximum peccatum, quaſi maxime ab eo diſtans in eo genere: Alio modo poteſt conſiderari oppoſitio virtutis ad peccatum ſecundum quamdam extenſionem virtutis cohibentis peccatum; quanto enim fuerit virtus major, tanto magis a peccato ſibi contrario hominem elongat; ita quod non ſolum ipſum peccatum, ſed etiam inducentia ad peccatum cohibet. Et ſic manifeſtum eſt, quod quanto aliqua virtus fuerit major, tanto etiam minora peccata cohibet .... & per hunc modum majori virtuti minus peccatum opponitur ex parte effectus.*

Quomodo ſit intelligenda hæc doctrina?

IX. Ut autem exceptionibus, quæ huic Angelicæ doctrinæ opponi poſſent, opportune occurras, obſerves neceſſe eſt, quod comparatio fiat inter actum maximum unius vitii, cum actu maximo alterius; ſi enim fiat de actu infra maximum, doctrina offendet exceptionem: v. g. turpiſſimum beſtialitatis peccatum majus eſt ſimplici furto, quamvis furtum ſit contra virtutem Juſtitiæ, quæ eſt major virtute temperantiæ, & caſtitatis, cui opponitur beſtialitas. At ſi accipiatur ſupremus injuſtitiæ actus, v. g. injuſta occiſio proditoria proprii Principis innocentis; ſtatim apparebit exceſſus hujus criminis ſupra beſtialitatem. Ut autem cognoſcas actus ſive præſtantiſſimos virtutum, ſive turpiſſimos vitiorum, animadvertas neceſſe eſt, an actus virtutis feratur directe in objectum primarium & principale; & vitium ſecundum idem objectum eidem virtuti directe opponatur; tunc enim ſunt in ſummo, & comparatio firmiter ſtat. Exemplum datur a S. Thoma loco citato ad 3. Charitas eſt omnium maxima virtutum, cui quamvis opponatur odium proximi, non tamen odium hoc eſt peccatum omnium graviſſimum, quia tale odium non fertur in objectum primarium charitatis quod eſt Deus; ſed in ſecundarium, quod eſt proximus: at ſi afferas odium Dei, tunc afferes peccatum omnium graviſſimum; quia comparatio ſit inter actum, & actum circa idem objectum primario inſpectum. Obſerves denique eſt neceſſe, an peccatum oppoſitum virtuti inferioris ordinis opponatur etiam virtuti ſuperioris ordinis; tunc enim excedere poterit peccatum, quod ſuperiori virtuti opponitur. Exemplum proponit S. Th. 2. 2. q. 94. a. 3. ad 1. Nam idololatria, quæ opponitur virtuti Religionis, quæ eſt minus perfecta virtute Fidei, gravius peccatum eſt, quam infidelitas; quia idololatria opponitur etiam virtuti Fidei. Percipe quantum potes, quia doctrina ſubtiliſſima a tenuitate mea melius explicari non potuit.

* Præſtat ſubjicere quæ ad rem hanc habet D. Thomas 3. *p. q.* 80. *art.* 5. ubi inquirit, utrum accedere ad Sacramentum Euchariſtiæ cum conſcientia peccati, ſit graviſſimum omnium peccatorum: *Dicendum*, reſpondet in corp. *quod (ſicut in ſecunda parte dictum eſt) dupliciter aliquod peccatum poteſt dici gravius alio. Uno modo per ſe: alio modo per accidens. Per ſe quidem ſecundum rationem ſuæ ſpeciei, quæ attenditur ex parte objecti. Et ſecundum hoc quantum id, contra quod peccatur, eſt majus, tanto peccatum eſt gravius. Et quia divinitas Chriſti eſt major humanitate ipſius, & ipſa humanitas eſt potior quam Sacramenta humanitatis, inde eſt quod graviſſima peccata ſunt, quæ committuntur in ipſam divinitatem: ſicut eſt peccatum infidelitatis & blaſphemiæ. Secundario autem ſunt gravia peccata, quæ committuntur in humanitatem Chriſti. Unde & Matth. 12. dicitur: Qui dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Tertio autem loco ſunt peccata, quæ committuntur contra Sacramenta, quæ pertinent ad humanitatem Chriſti: & poſt hoc ſunt alia peccata contra puras creaturas. Per accidens autem unum peccatum eſt gravius alio ex parte peccantis: puta pecca-*

tis

Digitized by Google

tum, quod ex ignorantia vel infirmitate, eſt levius peccato, quod eſt ex contemptu, vel ex certa ſcientia: & eadem ratio eſt de aliis circumſtantiis. Et ſecundum hoc iſtud peccatum in quibuſdam poteſt eſſe gravius; ſicut in his, qui ex actuali contemptu, cum conſcientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt: in quibuſdam vero minus grave: puta in his, qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conſcientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt. Sic ergo patet, quod hoc peccatum eſt multis aliis gravius ſecundum ſuam ſpeciem, non tamen eſt omnium graviſſimum. Hæc ſane admodum illuſtrant tradita ab Auctore *num. præced.*

§. IV. *De diſtinctione numerica peccatorum.*

Primus modus diſtinguendi peccata numero.

I. Diſtinctio dumtaxat numerica illa eſt, quæ verſatur circa peccata ejuſdem ſpeciei; quando enim ſunt diverſæ ſpeciei, nequeunt dici ſolo numero diſtincta, ut patet: diſtinctio igitur peccatorum numerica tantum eſt, quæ illa diſtinguit ſolo numero. Primo igitur ex D. Th. doctrina dicendum eſt, tot eſſe numero peccata, quot ſunt numero objecta inter ſe invicem integre diſtincta, quorum unum non ſit pars alterius: propterea qui eodem actu voluntatis vult quatuor homines occidere, quatuor peccata committit; vel ut placet aliis, unum peccatum, quatuor malitiis numero diſtinctis affectum. Ex quo vides, quomodo Auctores quoad ſubſtantiam in eumdem ſenſum moralem conveniant; quamvis enim diverſus ſit dicendi modus, ſcholaſtice diſputando; revera in judicio morali pro eodem eſt dicere quatuor peccata numero diſtincta, ac unum peccatum quatuor malitiis numero diſtinctis affectum. Si vero illa objecta, quamvis in ſe materialiter numero diſtincta, reapſe in judicio morali, & prudentiali unum tantum corpus conſtituant, unum tantum erit numero peccatum. V. G. qui diſſipat injuſte gregem ovium proximi ſui, unum peccatum committit, quamvis grex ille ex centum ovibus conſtet: nec requiritur, ut in confeſſione numerus ovium explicetur, ſed ſufficiet explicare quantitatem damni; qua explicata, puta centum ſcutorum, non erit neceſſe ulterius explicare, fuerint ne oves centum, an quinquaginta &c. Hinc inferas, quod qui delectatur de morte integræ familiæ, tenetur juxta probabilorem Azorii p. 1. lib. 4. c. 4. q. 3. in confeſſione exponere numerum perſonarum illam familiam componentium; quia quamvis in jure, ſeu, ut melius dicam, fictione juris, una familia pro una perſona, unoque corpore civili computetur; tamen eſt corpus conſtans ex membris, quæ habent ſingula ſuam totalitatem naturalem ab aliis independentem & diſtinctam, ita ut judicio morali ſeorſim ſint accipienda. Idque ex eo magis liquet, quod ſi in familia illa inveniretur perſona conſanguinea, eſſet proculdubio exponenda in confeſſione, ob ſpecialem malitiam contra pietatem; ſignum eſt igitur, ſingula illa membra ſingulatim eſſe accipienda, neque unam conſtituere rem pro foro conſcientiæ, quemadmodum unam conſtituunt fictione juris civilis, & tantum pro aliquibus caſibus mere civilibus; nam pro criminalibus aliud profecto judicium fert Tribunal Laicum contra deſtructorem familiæ ex tribus dumtaxat perſonis aſſurgentis; & aliud longe ſeverius, ſi familia ex decem perſonis conſtituatur. Idem ſentiendum de infamante eodem actu Communitatem, de blaſphemante plures Sanctos, de concupiſcente moniales unius monaſterii; & ſic de ſimilibus, in quibus caſibus perſonarum numerus, quantum fieri poteſt, eſt exprimendus.

Secunda ratio multiplicandi peccata numero.

II. Ex alio capite deducitur communiter diſtinctio numerica peccatorum, nempe ex retractatione actus prioris; etenim manifeſtum eſt, eum qui culpabiliter vel delectatur de objecto vetito, vel deſiderat perficere aliquod malum, vel cæpit illud exequi; ſi in ſe reverſus deteſtetur quod egit, & deinde illud iterum reaſſumat; clarum eſt, inquam, novum numerum peccatum perpetrare.

Alia ratio multiplicationis numericæ in peccatis cordis.

III. Ex alio item capite multiplicantur peccata numero, nempe ex interruptione, ſeu ceſſatione actus, & renovatione ejuſdem. Loquimur modo dumtaxat de peccatis cordis; nam de peccatis oris & operis, ſtatim dicetur. Ratio eſt, quia peccatum, quod non remanet in ſe formaliter, neque in effectu aliquo virtualiter, nec prudentum judicium continuatur; ſi renovetur, revera multiplicatur; atqui peccatum cordis, quod perficitur, & conſummatur in intellectu, & voluntate, deſinens, puta actus delectationis, poſtquam eſt conſummatus, nec remanet in ſe, ut patet, nec virtualiter in aliquo ſuo effectu, quem nullum reliquit; neque prudenter judicari poteſt, quod continuetur, cum jam deſierit; ergo, ſi reaſſumatur, novum erit peccatum. Quovis igitur modo interrumpatur actus inte-

rior, ſive per inconſideratam interruptionem, ſive per neceſſariam, puta per ſomnum, ſive alio modo, etiamſi per minimum tempus, ait Suarez diſp. 22. ſect. 5. n. 12. vere interrumpetur, nedum phyſice, ſed etiam moraliter, ita ut judicandus ſit novus actus entitative ab anteriori diſtinctus; & cum voluntarie reaſſumatur, inchoatur novus actus moralis malus ab alio diſtinctus. Ita docet manifeſte S. Th. in 2. d. 4. q. 1. a. 1., ubi diſtinguens peccata ordinata ad exteriorem conſummationem ab illis, quæ interius dumtaxat conſummantur, dicit: *Si ſermo ſit de voluntate conjuncta cum exteriori, ſic oportet quod peccatum unum ſit voluntas interior, & actus exterior; ſi autem de voluntate ſeparata*, (nempe ab actu exteriori, & ab ordine ad illum,) *ſic eſt aliud peccatum, quia actus voluntatis multiplicatur.* Exempla dabimus paulo inferius.

Quomodo numerus in ſummam redigendus?

IV. Neque rationem adductam infirmat inconveniens, quod nonnulli in medium afferunt, videlicet impoſſibile eſſe, præcipue in homine diſſoluto, & delectationibus, deſideriiſque impuris aſſueto numerum peccatorum invenire, ſi vel ſola retractatio multiplicet peccatum; non, inquam, hoc rationem adductam infirmat; quia ſufficit quod ad ſummam redigantur eo modo, quo moraliter fieri poteſt, V. G. circiter toties per hebdomadam, per diem &c. aut duabus circiter horis delectatus ſum aſpiciendo objectum vetitum; cogitando de vindicta inimici, & intra dictum tempus toties circiter renovavi actus. Uno verbo fiat Confeſſio eo modo, quo fieri moraliter poteſt, ut ſtatus pœnitentis confeſſario innoteſcat.

Multiplicatio numerica peccatorum oris & operis.

V. Peccata quæ exterius conſummantur, qualia ſunt peccata oris, & operis, dicendum eſt, toties moraliter renovari, & multiplicari, quoties peccatum exterius conſummatur, aut quoties eiſdem interponitur notabilis mora, ita ut prudenter cenſeantur non amplius virtualiter perdurare, niſi forte perdurent in aliquo effectu ex ipſis prodeunte, & ad finem aſſequendum perducente. Obſerva, interruptiones, quæ in hujuſmodi peccatis interponi poſſunt, aut eſſe breves, puta, dum loqueris de rebus turpibus, reſponſio brevis interroganti data circa aliam rem; brevis epiſtolę lectio &c.; aut eſſe longas, & tales, unde prudenter cenſeantur anteriorem diſcurſum non poſſe cum ſubſequenti continuari, puta in dicto caſu turpiloquii, aliquam actionem diſtrahentem ſuſcipere, ut ſcribere epiſtolam longiuſculam, vel quidpiam ſimile; (nam ſpectandæ ſunt conditiones peccatorum exterius perficiendorum, quæ juxta eorum variam naturam, varia quoque mora temporis, variaque aliarum actionum qualitate, cenſeri poſſunt moraliter interrumpi; peccata enim externa quædam brevius, quædam diutius conſummari poſtulant). Cum igitur certa & fixa regula generalis tradi non poſſit, qua dignoſcatur interruptio renovans actus exteriores, priuſquam conſummentur; id animadvertendum puto, quod quando actus interrumpitur interruptionibus evenire ſolitis, & reſpective brevibus, attenta peccatorum indole, tunc prudenter cenſeatur idem actus continuari; eo quod actus voluntatis adhuc judicetur virtualiter perſiſtere, & moraliter connecti cum ſubſequenti: quando vero actus interrumpitur interruptionibus inſuetis, longiuſculis, attenta ſemper peccatorum natura, tunc cenſeatur prior actus ceſſaſſe, & ſubſequens ut novum peccatum reputandus ſit.

Animadverſio notanda.

Exempla & caſus

VI. Ut itaque ad aſſertionem poſitam revertamur, ejus prima pars, nempe quod peccatum exterius numero renovetur, quoties conſummatur, difficultate vacat. Utile tamen erit nonnulla dare exempla, in quibus aliqui decipiuntur; & quibus explicemus hactenus tradita. Qui uno actu decernit toto quadrageſimæ decurſu non jejunare, tot peccata committit, quot ſunt dies jejunio addicti; quia ſinguli dies ſuam habent obligationem, & ſunt objecta ſuam habentia integritatem. Ita qui unico actu plures perſonas gravi contumelia afficit, tot peccata committit, quot ſunt perſonæ, ob eamdem rationem. E contra qui eodem paſſionis impetu plura perjuria ejuſdem ſpeciei profert, plures blaſphemias ejuſdem ſpeciei in Deum, plures contumelias ejuſdem ordinis in proximum evomit, idem peccatum eſſe, & continuare cenſetur, quia adeſt id, in quo prudenter idem numero perſeverare cenſeatur. Qui pergit ad fœminam animo fornicandi, & actui principali præmittit varios actus veluti diſponentes, tactuum, oſculorum &c. & demum rem habet, idem peccatum numero cenſetur; quia actus illi uniuntur, & ſubordinantur principali, niſi forte nimium protrahantur: ſecus eſſet, ſi quis ad illam accederet, ea dumtaxat intentione turpes illos actus exercendi, & dum incaleſcit libido, decernit etiam rem habere; duo committit peccata, nempe tactuum, & fornicatio-

Digitized by Google

cationis, quippe quod actus illi priores non ſubordinabantur copulæ, quæ non intendebatur. Hinc addunt multi, quod actus impudici immediate ſequentes copulam, non ſint diſtincta peccata, ſed veluti quoddam copulæ complementum. Sed longe probabilius id negant alii, inter quos Suarez laudatus a Silvio 1. 2. q. 72. a. 9. concl. 2., quia actus illi præcedentes ſunt veluti quædam partes peccati totalis conſummandi; at ſubſequentes certe non ſunt partes copulæ, quæ jam fuit conſummata; neque ex natura rei ipſam conſequuntur; ſed ſunt inchoationes alterius copulæ, & ex mera malitia fornicantis copulæ conſummatæ ſuperadditi. Confeſſarius, qui in mortali exiſtens, decem Confeſſiones audit, decemque Sacramenta conficit; totidem ſacrilegia committit; eo quod nullum illorum Sacramentorum per ſe ordinatur ad alterum, neque eſt pars alterius, ſed ſingula ſuum eſſe totale habent: unde falſo dicitur illa eſſe unica adminiſtratio, ſed revera ſunt decem adminiſtrationes, & quidem decem Sacramentorum de ſe completorum & totalium confectiones. Qui in lecto cubans delectatur moroſe de fœmina, & ſomno corripitur, ſtatimque evigilans, repetit eamdem delectationem, novum peccatum perpetrat; quia diſcontinuatum a primo, quod jam interiit, nec quidquam ſui reliquit, in quo uniatur cum ſequenti delectatione. Quis hodie decernit occidere inimicum data occaſione, & variis temporibus infra diem decretum crudele repetit decies, totidem peccata committit, eadem ratione: Non autem ita dicendum de illo, qui ſtatim ac occidere conſtituit, iter arripit, ut inimicum quærat, & circuit tota die, repetendo interim centies impiam intentionem, donec illam veſpere complet; unum peccatum committit, cum circumſtantia tamen exponenda, nempe ſe per integrum diem necem inimico machinatum fuiſſe, donec tandem inferret; quia actio illa externa, eſt veluti quoddam centrum, quo tendebant omnes illæ repetitæ intentiones, omneſque actiones adhibitæ ad occidendum. Et ſimiliter; qui furari decrevit obſcura jam nocte, parat tota die inſtrumenta ad finem pravum idonea, & injuſtum propoſitum confirmat pluries, tandemque furatur, unum peccatum perpetrat, ob rationem jam dictam. Obſervandum tamen, quod ſi actiones, quibus ſibi peccator parat iniqui finis aſſecutionem, aliquam ſpecialem malitiam continerent; puta ut adulteretur cum Berta, lenonem vocet, qui illam ad aſſentiendum diſponat, & inducat; jam patet, quod peccatum ſcandali perpetraret, inducendo lenonem ad actionem graviter peccaminoſam, qualis eſt ſuadere Bertæ conſenſum in adulterium. Ex his ſolvas conſimilia.

§. V. *De Peccato Mortali & Veniali.*

Notia utriuſque peccati generatim.

I. PEccatum Mortale vocitari ſolet grave, Veniale autem leve; eo quod malitia primi ſit gravis, ſecundi vero levis. Utriuſque malitia ex diſconvenientia a lege Divina naturali, humanaque ratione deſumitur; ita ut quod notabiliter diſconvenit, ſit mortale; quod modice, ſit veniale. Cum autem dixerimus, ab objecto, fine, & circumſtantiis peccata ſuam depromere ſpeciem, ita etiam gravitatem, prout objecta, finis, & circumſtantiæ magis vel minus legi divinæ naturali, humanæque rationi repugnare inveniuntur: atque hinc deducitur, peccata illa graviora eſſe, quæ directe per ſe, cæteriſque paribus conſiſtentibus, opponuntur nobilioribus virtutibus juxta ſuperius tradita.

Difficile judicium de gravitate aut levitate peccati.

II. Trutina autem ad diſcernendum, quænam ſint peccata mortalia, quænam venialia, nulla certior Scriptura Divina, & Traditione; humana enim perveſtigatione humanoque ratiocinio id definire, propter humanas anticipationes, vel ex temperamento, vel ex paſſione prodeuntes, nedum incertum; ſed & periculoſum eſt. Propterea fatetur Auguſtinus lib. 21. de Civit. Dei cap. ultimo: *Quis ſit iſte modus, & quæ ſint iſta peccata, quæ impediunt perventionem ad regnum Dei..., difficillimum eſt invenire, definire periculoſiſſimum: ego certe uſque ad hoc tempus cum ſatagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui.* Et S. Thomas quodlib. 9. q. 7. a. 15. *Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculoſe determinatur.* Si igitur Auguſtinus profitetur, ſe, etiam cum ſatageret, non potuiſſe uſque ad ultimam vitæ ſuæ periodum (tunc etiam ſcripſit opus de Civitate Dei) pervenire ad indaginem, ut definiret circa peccatorum gravitatem; & ſi S. Thomas Theologorum Angelus difficillimum, & periculi plenum id definire cenſuit; quis audebit facile reputare? Propterea præcipue recurrendum eſt ad Scripturam, & ad Patrum Traditionem, nec non ad Eccleſiæ oracula, quæ hos duces ſe-

Regula nulla certior; Divina Scriptura. Traditio Patrum & oracula Eccleſiæ.

ſequitur, & demum ad unanimem omnium Theologorum conſenſum. Quando autem ex his fontibus veritas clare elici non poteſt; firmiori ratione proculdubio utendum eſt, atque illam partem eligere, quæ magis ad verum accedere apparet; illa ſepoſita, quæ minus accedere comperitur, ne in errorem impingatur.

Notio propria utriuſque. III. Peccatum mortale eſt gravis tranſgreſſio legis, quæ Divinæ Majeſtati gravem irrogat injuriam; unde ejus amicitia diſſolvitur, & anima peccans ab ipſo avertitur, ut a ſuo vero ultimo fine; quem finem conſtituit in propria ſui ſatisfactione: unde gratia ſanctificante habituali ſpoliatur, quæ eſt vita ejus ſupernaturalis; filiationeque adoptiva Dei: ideoque remanet ſupernaturaliter mortua; & hac ratione mortale nuncupatur: & hinc jure hæreditario ad vitam æternam privatur; redditur inhabilis, quouſque juſtificetur, ad quidquam promerendum; remanetque obnoxia damnationi æternæ. Hæc omnia ſunt de fide. Peccatum veniale eſt levis tranſgreſſio legis, & exinde levis Dei offenſa, quæ quamvis non expoliet peccantem gratia habituali & charitate; hujus tamen fervorem minuit; quamvis amicitiam Dei non diſſolvat, illam tepefacit; quamvis non privet æterna vita, illius tamen ingreſſum retardat, quamvis animam ſupernaturaliter non occidat, illam in bono operando debilitat; quamvis illam non avertat ab ultimo fine, tamen eam divertit ab ipſo, atque ad ſe avertendam diſponit. Ita Catholici omnes.

☞ Lege Sylvium in 1. 2. q. 72. art 5. ubi peccati mortalis, & venialis ad invicem comparationem inſtituit, ac multiplex, quod inter utrumque intercedit diſcrimen fuſo calamo declarat.

Requiſita ad peccatum mortale, & primo gravitas materiæ. IV. Ad peccatum mortale tria requiruntur, nempe gravitas materiæ ſeu objecti; ſufficiens advertentia ex parte intellectus; & perfectus aſſenſus ex parte voluntatis. Materia illa gravis eſt, quæ talis eſſe affirmatur a Scriptura, a Patribus, aut a ſenſu Eccleſiæ, aut ab unanimi Doctorum conſenſu; & quod a quovis iſtorum aſſeritur mortale, certo eſt tale: Quando autem Doctores inter ſe diſſentiunt, eo quod veritas ex præfatis fontibus clare erui nequit, & inde aliqui aſſerunt eſſe mortale; aliqui non eſſe tale affirmant; quid ſupereſt? nonne ratio naturalis dictat, id reſolvendum eſſe, quod magis ad verum appropinquare putatur, eo rejecto, quod dignoſcitur minus ad verum accedere? propterea reſolvendum erit juxta probabiliorem.

Explicatur, quid ſit dari aut non dari parvitatem materiæ? V. Nota, quod materia gravis quandoque talis eſt in toto genere ſuo, ita ut ex ſe & ratione ſui nunquam poſſit eſſe levis; neque detur in eo ordine parvitas materiæ, atque peccata, quæ circa ipſam verſantur, ſi adſit plena deliberatio, ſemper ſunt mortalia. Hujuſmodi ſunt peccata contra perfectiones divinas, virtuteſque theologales, ut ſunt hæreſis, odium Dei, deſperatio; nec non peccata contra virtutem Religionis, in Deum ipſum redundantia, puta peccata blaſphemiæ, perjurii aſſertorii, ſuperſtitionis, ſacrilegii: nec non quædam alia contra proximum, nempe homicidii, mutilationis; nec non alia quædam contra ſeipſum, qualia ſunt omnia in materia venerea directe intenta; & ſi quæ ſunt alia: in his, inquam, ratione materiæ, ſemper mortaliter delinquitur, niſi inadvertentia, vel aſſenſus imperfectus excuſet a tanto. Ad differentiam illius materiæ, quæ quamvis ex genere ſuo ſit mortalis, quia videlicet poteſt pervenire ad mortalem, non tamen eſt talis in toto genere ſuo; unde non ſemper eſt gravis; & ita materia furti, detractionis, &c. quamvis ex genere ſuo ſit mortalis, quia poteſt eſſe talis, non tamen in toto genere ſuo, quia dantur furta, detractiones, &c. quæ ob parvitatem materiæ ſunt venialia, ut furtum unius oboli; detractio, quod Petrus otio vacaverit, &c.

Explicatur advertentia ad mortale requiſita. VI. Sufficiens advertentia ex parte intellectus ſignificat cognitionem ſufficientem malitiæ actionis peccaminoſæ. Non eſt neceſſe, quod ut peccatum ſit vere imputabile, adſit advertentia actualis, ſed ſufficit virtualis, indirecta, & interpretativa, in eo conſiſtens, quod quis poſſit, & teneatur cognoſcere malitiam actionis; ut communior, & vera ſententia docet. Ratio eſt, quia, juxta omnes Theologos, invenitur ignorantia vincibilis & culpabilis, ratione cujus imputatur peccatum operanti: operans autem cum hujuſmodi ignorantia, operatur abſque actuali advertentia ad malitiam actus, ut patet, quandoquidem repugnet, quod ſimul ignoret, & cognoſcat malitiam; non ergo requiritur advertentia actualis ad malitiam actionis; ac proinde ſufficiet virtualis, & interpretativa, fundata in debito, quod habet operans ſciendi, quæ ignorat, & culpabiliter

non

Digitized by Google

non omittendi eorum notitiam ſibi comparare. Hanc doctrinam tradidit S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 7. ad 3. *Quandoque in his, quæ per concupiſcentiam aguntur non totaliter tollitur cognitio quia non tollitur poteſtas cognoſcendi, ſed ſolum conſideratio actualis in particulari agibili: & tamen hoc ipſum eſt voluntarium, ſecundum quod voluntarium dicitur quod eſt in poteſtate voluntatis, ut non agere, non velle; ſimiliter autem & non conſiderare; poteſt enim voluntas paſſioni reſiſtere.* Quis enim non imputet Proretæ ſubmerſionem navis, ſi aut minus peritus in arte Nautica officium gubernandi ratem aſſumpſit? aut ſi peritus, dum navis ventorum vi exagitatur, ludo immerſus, non advertat ad periculum naufragii, cui ſit obnoxia? Id autem non alia ratione, niſi quia ſcire tenebatur ſaltem regulas communes illius artis; & quia a ludo eo tempore abſtinere tenebatur, munerique ſuo operam dare.

Explicatur conſenſus voluntatis ad mortale requiſitus.

VII. Ex his facile deducitur, ſufficere ad peccatum mortale aſſenſum hominis, qui ſit compos ſui, & qui malitiam actus vel actu cognoſcat, vel cognoſcere potuerit ac debuerit; ac proinde ſufficere conſenſum in malitiam etiam interpretativum, & indirectum, qui conſequitur omiſſionem culpabilem diligentiæ, quam operans præſtare poterat, & tenebatur. Ita expreſſe docuit S. Thom. tum ſuper cap. 1. epiſtolæ ad Romanos lect. 7. *Tunc ignorantia culpam excuſat, cum ſic præcedit culpam, ut non cauſetur ex culpa .... ſi autem ignorantia cauſetur ex culpa, non poteſt ſubſequentem culpam ignorantia excuſare:* cum 1. 2. q. 8. art. 8. *Alio modo dicitur ignorantia voluntaria ejus, quod quis ſcire poteſt & debet: ſic enim non agere, & non velle, voluntarium dicitur. Hoc igitur modo dicitur ignorantia, ſive cum aliquis actu non conſiderat quod conſiderare poteſt & debet, quæ eſt ignorantia malæ electionis, vel ex paſſione, vel ex habitu proveniens, ſive cum aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere.* Nil clarius dici poteſt. Sed diverſus voluntarii modos trademus in tractatu 3. de Actibus humanis.

Reſolvitur quæſitum maximi ponderis.

VIII. At interrogabis: quouſque ergo ſe extendet hæc obligatio ſciendi, & advertendi, ob cujus carentiam inciditur in peccatum? Hoc quæſitum ſolvit S. Thomas 1. 2. q. 76. a. 2. ipſum attente audi: *Ignorantia in hoc a neſcientia differt, quod neſcientia dicit ſimplicem ſcientiæ negationem; unde cuicumque deeſt aliquarum rerum ſcientia, poteſt dici neſcire illas .... Ignorantia vero importat ſcientiæ privationem, dum ſcilicet alicui deeſt ſcientia eorum, quæ aptus natus eſt ſcire. Horum autem quædam aliquis ſcire tenetur, illa ſcilicet, ſine quorum ſcientia non poteſt debitum actum exercere: unde omnes tenentur communiter ſcire ea quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta: ſinguli autem ea, quæ ad eorum ſtatum vel officium ſpectant. Quædam vero ſunt, quæ etſi aliquis natus eſt ſcire, non tamen ea ſcire tenetur ſicut theoremata Geometriæ, & contingentia particularia, niſi in caſu. Manifeſtum eſt autem, quod quicumque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omiſſionis: unde propter negligentiam, ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum.*

Deductiones maximi momenti.

IX. Audiſti itaque ab Angelico Præceptore quouſque ſe extendere debeat ſingulorum cognitio, & advertentia, quæ ſi deſit, actio inde ſecuta non excuſetur a culpa: tenetur unuſquiſque ſcire illa, *ſine quorum ſcientia, non poteſt actum debitum recte exercere: unde omnes tenentur communiter ſcire ea, quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta:* non igitur, & præcipue in noſtris hiſce Regionibus, in quibus tot catecheſes, tot inſtructores, tot chriſtianam legem docentes vigent, non igitur, inquam, excuſabilis eſſe poterit ignorantia, & inadvertentia circa veritates fidei præcipuas, circa præcepta Decalogi, circa Sacramenta, circa præcepta Eccleſiæ, & circa ea, quæ communiter fideles non deſidioſi norunt. *Singuli autem tenentur ſcire ea, quæ ad eorum ſtatum & officium pertinent.* Igitur perſona Eccleſiaſtica, juxta gradum, quem tenet, debebit ſcire quæ ad ſuum ſtatum ſpectant, & quæ ad munera eidem adnexa recte obeunda, requiruntur. Et ſimiliter Pater, & Materfamilias, quæ ſpectant ad Chriſtianum familiæ regimen erga filios & filias, erga ſervos, circa domus adminiſtrationem &c., ſcire tenebuntur; & ita omnes & ſinguli juxta ſtatum ſuum, & miniſterium; nempe & Medici, & Judices, & Advocati, cæterique fori miniſtri; & Mercatores, & Artifices; & quam maxime Confeſſarii, Doctores &c. tenebuntur ſcire *quæ ad eorum ſtatum & officium pertinent.* At in quo gradu? Salvo ſapientiori judicio, reſpondeo, in eo gradu, quo nedum diligentes, ſed diligentiores ea callent. Quod ita oſtendo: nemo ambigit, quod quando contractus aliquis cedit in utilita-

tem utriuſque contrahentis, iſti obligantur etiam pro levi culpa juridica, quæ eſt, juxta omnes, omiſſio diligentiæ, qua diligentiores utuntur: & ſi contractus cedat in utilitatem ſolius accipientis, tenetur hic etiam de leviſſima culpa, quæ eſt omiſſio diligentiæ, qua diligentiſſimi utuntur. Videbitur ne tibi, quod contractus a nobis cum Deo initus, largiendi nobis vitam æternam, ſi nos illius legem ſervaverimus, ſi onera ſtatui & muneri noſtro adjuncta impleverimus, non poſcat ſaltem eam ſollicitudinem, quam diligentiores, ne dicam diligentiſſimi, adhibere ſolent? Videbitur ne tibi, quod negotium, in quo agitur de ſumma rerum omnium, nempe de æterna vita comparanda, cujus jactura omnino irreparabilis eſt, & quæ alioquin pendet ab implendis obligationibus proprii cujuſque ſtatus, non exigat, ut illa ſciantur, quæ ſaltem diligentiores illius ſtatus ſcire conſueverunt? Quid ſolidi huic argumento reſponderi poteſt? Si autem nil ſolidum reſponderi poteſt: percurras mente ſingulos hominum ſtatus, & perpendas, quanta diligentia ſcire ſtudeant, quæ ad diteſcendum in eo ſtatu confluere poſſunt; quanta autem deſidia, negligentia, dicam, & renitentia noſſe procurent, quæ ad obſervandam Dei legem in eo ſtatu: & ad implendas ejuſdem ſtatus obligationes, ita ut hæc ſit poſtrema ipſorum cura; & inde inferas, an tanta inæqualitate ſe gerendo in acquirendis cognitionibus, quæ ad animam in eo ſtatu a peccato præſervandam conducunt, quaſque ſcire tenentur, utantur ea diligentia, quæ eorum ignorantiam atque inadvertentiam a gravi omiſſionis peccato excuſare valeat.

Quomodo peccatum alioquin mortale evadat veniale, et veniale mortale.

X. Ex ſuperius dictis inferre potes, quot modis peccatum alioquin mortale, evadat veniale: primo quidem ex imperfecta advertentia, quæ non ſit volita in cauſa, vel ex imperfecto conſenſu, ut ſuperius explicatum fuit n. 4. & 5. Secundo ex materiæ parvitate, quando materia non eſt in toto genere ſuo mortalis, ut pariter ſupra traditum fuit numero 5. Modi autem, quibus peccatum alioquin veniale poteſt fieri mortale, ſunt, primus, ex conſcientia erronea, ut ait S. Thomas quodlibeto 9. q. 7. a. 15., ut ſi quis putet, quod mendacium officioſum ſit mortale, illudque cum hac conſcientia dicat: Secundus, ex fine mortaliter malo, ut ait idem S. D. 1. 2. q. 88. a. 4. puta cum quis mendacium illud dirigat ad ſeducendam virginem, ut in ſtuprum aſſentiatur: Tertius, ſi conſtituatur ultimus finis in re alioquin veniali, ut ait S. D. ibidem; quod non eſt adeo facile: puta cum quis adeo eſt affectus levi guloſitati, ut etiamſi graviter a Deo vetaretur, vellet eadem frui: Quartus, ratione gravis ſcandali adjuncti: puta, ſi furando rem parvi momenti Petro, prævideas prudenter, illum, ut ſolet, in blaſphemias erupturum: Et in hoc non raro incidunt mulieres, quæ coram illis, quos ſciunt, ſeipſas impudico amore deperire, plura, alioquin ſuperflua tantum, & de ſe venialia dicunt, & faciunt; unde prudenter prævidere debeant, amatores illos in novas delectationes prolapſuros, & ardentiorem erga ſeipſas amorem concepturos. Sed de hoc plura dum diſſeremus de ſcandalo: Quintus, ratione contemptus adjuncti, puta dum quis obligationem alioquin levem prætermittit ex contemptu ejuſdem. Quando autem quis operetur ex contemptu, explicat S. D. ibidem: *Quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem aut regulam: quando autem non ideo, ſed propter aliquam aliam cauſam, nempe concupiſcentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra legis ſtatuta, vel regulæ, non peccat ex contemptu, ſed ex aliqua alia cauſa, etiamſi frequenter ex eadem cauſa, vel alia ſimili peccatum iteretur ... frequentia tamen peccati diſpoſitionem inducit ad contemptum.* Sextus, denique ob periculum proximum peccandi mortaliter; puta cum quis plerumque ſolet peccare delectatione venerea mentali, dum ex mera curioſitate, quæ de ſe eſt tantum venialis, aſpicit talem fœminam, peccat mortaliter illam ex curioſitate aſpiciendo, etiamſi forte per accidens aliquando non delectetur: Tum quia agit contra charitatem animæ propriæ in re gravi debitam, videlicet illam non exponendi proximæ occaſioni mortalis criminis; tum quia practice parvipendit Divinam Majeſtatem, ſe exponendo occaſioni proximæ illam graviter offendendi.

* Juxta unanimem Theologorum ſententiam ſtatuit Auctor initio *num. præced.* peccatum ex genere ſuo mortale, fieri veniale ob imperfectionem actus ex parte intellectus, & voluntatis, ſcilicet ob imperfectam advertentiam, & imperfectum conſenſum. Verum hic exponere operæ pretium eſt, quandonam cenſeri debeat imperfecta advertentia, & imperfectus

con-

Digitized by Google

conſenſus. Itaque advertentia imperfecta ſeu ſemiplena ea eſt, quæ procedit ab homine non perfecte ſui compote, nec habente uſum rationis expeditum, qualis eſt ſemidormiens. Sicut enim hic non habet perfectum judicium rationis, nec plene advertere poteſt ad id quod agit, ita interdum fit, ut quis ob ſubitam, & vehementem paſſionem, aut diſtractionem ad res alias, non advertat, nec advertere poſſit ad actum ſuum quantum requiritur ad mortale. Hinc delectatio de objecto malo, quæ cæteroquin eſſet mortalis, poteſt defectu ſufficientis advertentiæ eſſe ſolum venialis. Advertentia vero perfecta, & plena eſt ea, quæ procedit ab homine ſui compote, & habente uſum rationis expeditum, ſicut explicat Auctor ſupra *n. 6.* Similiter conſenſus imperfectus & ſemiplenus eſt ille, qui datur cum impotentia plene advertendi ob impeditum rationis uſum, qualis eſt in ſemidormiente, modo hæc ſit omnino involuntaria: ſicut conſenſus dicitur plenus, ac perfectus, cum datur ab homine plene ſui compote, & habente uſum rationis expeditum, & valente plene advertere, ut declarat Auctor *n. 7.* Legatur P. Antoine *tract. de pecc. cap. 8. q. 8.*

Hinc defectu advertentiæ, ut animadvertit Petrus Collet *tom. 1. tract. de peccat. par. 2. cap. 2. art. 1.* excuſari ſolent a mortali 1. infantes ſeptennio minores, qui dubitant, an mortaliter peccaverint; tunc enim præſumuntur ſufficientem rationis uſum non habuiſſe. Sed hæc regula fallere poteſt in iis, quibus mens ante tempus eſt malitiæ matura. 2. ſemiſtulti, & & ſemidormientes: item qui dubitant an perfecte a ſomno excitati eſſent, an egerint in phrænesi &c. quia qui ex plena advertentia agunt, ſatis ſciunt, ſe a ſomno excitatos fuiſſe; niſi mora temporis oblivionem induxerit. 3. qui vehementi objecti alterius meditatione detinentur, aut quibus gravis animi perturbatio citra culpam irrepit.

Defectu autem pleni conſenſus excuſantur a mortali, qui ab eo excuſantur defectu advertentiæ; hæc enim illius principium eſt. Videatur idem Colletus *eodem tract. part. 1. cap. 4. art. 2.*

Obſervandum demum ſupereſt cum præcitato P. Antoine *ibidem*, quod imperfectio actus nunquam impedit quominus ea, quæ ſunt ex objecto venialia, revera ſint venialia; quia ad culpam venialem ſufficit quodcumque voluntarium, & liberum, ſicut & quantulacumque inordinatio; ſecus vero ad mortale; nam homo non poteſt ex qualicumque actione, & quantumvis imperfecta conſtitui reus perpetui odii Dei, & damnationis æternæ; hoc enim repugnat bonitati, & ſapientiæ, ac convenienti gubernationi divinæ.

Multitudo venialium, in ſe acceptorum, numquam efficere poteſt peccatum mortale. Quid dicendum de diſpoſito ad quæcumque venialia committenda?

XI. Non poteſt fieri *quod multa venialia conſtituant unum mortale, non enim omnia venialia de mundo poſſunt habere tantum de reatu, quantum unum mortale*, ait S. Th. 1. 2. q. 88. a. 1. cum ſola multiplicatio entium unius ſpeciei nunquam poſſit ex ſe ſola transferre illam multitudinem in alteram ſpeciem. Dices: qui igitur animum haberet diſpoſitum omnia peccata venialia committendi, non committeret niſi veniale graviſſimum: ita reſpondet quidam doctus recentior tract. 1. c. 5. ſect. 4. n. 34. & cum eo plures. Sed male; nam cum aliis dicendum eſt, habentem præfatum animum omnia cujuſcumque ordinis venialia committendi data eorum occaſione, peccare lethaliter & eſſe in ſtatu peccati lethalis. Ratio eſt, non illa quam ſibi fingit indicatus recentior, nempe, quia venialia diſponunt ad mortale; minime gentium; ſed ratio vera, ob quam tandem & ipſe nobiſcum ſentit, hæc eſt, quia inter venialia quædam inveniuntur adeo propinqua, & affinia peccato mortali, ut moraliter fieri non poſſit, quod qui in illis frequens eſt, a peccato mortali immunis evadat; talia ſunt quædam, quæ circa objecta venerea, & vindictæ verſantur: ille igitur qui eſt animo diſpoſitus omnia, & quæcumque venialia admittere, quoties eorumdem offertur occaſio, & in quavis materia, eſt diſpoſitus etiam ad illa admittenda, quæ, præcipue repetita, ſecum moraliter trahunt lapſum in mortale; atqui diſpoſitus animo frequentare venialia, etiam quibus eſt certo moraliter, ſaltem plerumque, connexus lapſus in mortale, peccat lethaliter; quia paratus eſt admittere omnia pericula proxima peccato lethali, & alioquin, *qui amat periculum* teſte Scriptura, *in illo peribit*; ergo habendo talem animi diſpoſitionem, eſt in ſtatu lethali. Et propterea præfatus recentior, quaſi corrigens, & reſtringens nimiam aſſertionis ſuæ amplitudinem, hæc ſubdit. *Excipienda tamen ſunt venialia illa, quæ in certa materia, luxuriæ præſertim, revera ſunt diſpoſitiones proximæ proximumq; inducunt periculum ad mortale; apertiſſimum enim eſſet libidinis mortalis*

talis periculum, ſi quis ex propoſito admittat quaſvis confabulationes, aſpectus &c., quoties de ſe veniales ſunt: hæc ille loco citat.

Quomodo veniale diſponit ad mortale?

XII. Peccatum veniale duplici modo diſponit ad mortale, ut docet S. Th. 1. 2. q. 88. a. 3., nempe poſitive, & negative: poſitive, & directe relinquendo in animo pronitatem quamdam ad peccandum circa talem materiam, circa quam frequenter delinquit, (ſermo enim eſt præcipue de veniali circa aliquam materiam frequenti) unde qui frequenter delinquit leviter v. g. detrahendo, diſponitur poſitive ad gravem detractionem incurrendam. Negative autem & indirecte, removendo ea obſtacula, quæ peccatum lethale arcere conſueverunt: duo namque ſunt, quæ mortale ab anima arcent, unum ex parte Dei, alterum ex parte hominis; & ex parte Dei eſt illa paterna cuſtodia, qua commotus, uberiora largitur animæ gratiæ auxilia, & tentamenta & pericula ab eadem removet; quorum bonorum indignam ſe præbet anima frequens ad venialia deliberata committenda, ex quibus tepida evadens, diſponitur, ut incipiat evomi ex ore ejus. Ex parte hominis eſt fervor charitatis, reddens animam promptam erga divina; hic autem fervor a venialibus, præcipue repetitis & deliberatis, notabiliter minuitur: ea propter ſaporem rerum divinarum paulatim amittit, ad eas peragendas multo tædio afficitur, ad delectabilia mundana ſe rapi experitur, & demum, exurgente gravi aliqua tentatione, ad lapſum pronior, quam ad reſiſtendum parata, miſerabiliter tandem ſuccumbit. Conſulto dixi, peccata venialia minuere, non charitatem, ſed fervorem charitatis; quia charitas ſi minueretur, ex horum repetitione, demum tolleretur, quod eſt falſum, cum non tollatur niſi a peccato lethali, ſed minuitur fervor ejuſdem charitatis, in quadam devotione animique promptitudine erga divina conſiſtens; qui ex repetitis venialibus ita paullatim tepeſcit, ut dicta promptitudo fere penitus intereat; qua pene extincta, & tepore invaleſcente, nonniſi lapſui in mortale remanet anima expoſita, modo explicato.

§. VI. *De Peccato Commiſſionis & Omiſſionis.*

Quid peccatum Commiſſionis?

I. PEccatum commiſſionis eſt actus voluntarius malus, factus contra præceptum negativum. Dicitur fieri contra præceptum negativum, obligans nempe ad ſemper, & pro ſemper vetans actum; ut patet in præcepto non fornicandi. Ex his infero, peccatum commiſſionis conſiſtere in aliquo poſitivo, privato debita rectitudine, videlicet in poſitiva tendentia actus ad objectum diſſonans a regulis morum; quod noſtro judicio ſatis clare docet S. Thom. 1. p. q. 48. art. 1. ad 2. *Malum quod eſt differentia conſtitutiva in moralibus, & eſt quoddam bonum adjunctum privationi alterius boni;* tum 1. 2. q. 72. art. 9. ad 1. *Peccatum non ſortitur ſpeciem ex parte privationis, vel averſionis, ſed ex converſione ad objectum actus:* tum denique in diſp. de malo q. 1. art. 12. *Malum poſitive aliquid dicitur, ſecundum quod actus voluntatis denominatur malus a volito.* Et q. 2. art. 11. ad 13. *Peccatum non eſt privatio pura, ſicut tenebræ, ſed eſt aliquid poſitivum.*

Quid peccatum Omiſſionis?

II. Peccatum Omiſſionis eſt non poſitio actus debiti ex præcepto affirmativo, obligante non ad ſemper, ſed ſuo tempore. Exinde patet, quod hoc peccatum in ſe formaliter & conſtitutive non requirit actum aliquem; cum enim non poſitio actus ſit non ens, & quicumque actus ſit ens, contradictionem involvit, quod omiſſio conſtitutive requirat actum aliquem. Plerumque tamen concurrit ad omiſſionem actus aliquis, ſive tamquam cauſa, ſive tamquam occaſio: tanquam cauſa, puta dum quis dicit: nolo ſolvere debitum creditori; & tunc actus iſte nolendi non eſt ipſa omiſſio, ſed omiſſionis cauſa, quæ omiſſio eſt ipſummet non ſolvere: tanquam occaſio autem, dum quis v. g. ut ludum voluntarie proſequatur, Miſſam omittit die feſto, & etiam tunc, ut patet, ludus non eſt ipſa omiſſio auditionis Sacri, ſed ejuſdem occaſio.

Actus qui maliſia omiſſionis inficiuntur, quomodo, & quando confitendi?

III. Ex his deducas, actus illos, qui ſunt cauſa vel occaſio volita omiſſionis, inficì malitia ejuſdem omiſſionis, cui perpetrandæ ſubordinantur ut media. In caſu autem, quo qui decrevit ludere uſque ad veſperam diei feſtivi, mutet voluntatem, & ante meridiem Sacrum audiat, non peccat peccato omiſſionis, tenebitur tamen in confeſſione exponere iniquum propoſitum antea conſtitutum nolendi audire Sacrum, ut patet. Minuitur porro vel augetur gravitas omiſſionis, prout cauſa, vel occaſio omittendi fuerit gravior; ut docent Salmant. tom. 3. tract. 11. diſp. 5.

5. dub. 2. num. 11. Et propterea omittens Sacrum, ut fornicetur, vel furetur, notabiliter graviorem perpetrat omiſſionem illo, qui omittit Sacrum, ut ſtudeat; & ideo in confeſſione erit explicanda hujuſmodi cauſa, nedum ob ſpeciem ſuam, ſed etiam quatenus omiſſionem producit; quia fornicatio, vel furtum, quæ ſimul ſunt cauſæ omittendi Sacrum, induunt circumſtantiam notabiliter eadem peccata aggravantem. Quando demum cauſa, aut occaſio omittendi ex ſpecie ſua nullam malitiam habet, & ſequatur reapſe omiſſio; tunc, juxta probabiliorem, ex omiſſione & ſuis cauſis unum tantum exurgit peccatum omiſſionis, neque eſt neceſſe explicare cauſam, aut occaſionem: quia tota iſtarum malitia trahitur ab omiſſione, cui ſubordinantur.

Quando incipiat omiſſionis reatus?

IV. Omiſſionis peccatum tunc incipit, quando quis cauſam omittendi voluntarie ponere incipit; tunc enim indirecte incipit velle omiſſionem actus præcepti, quamvis non conſummetur, niſi dum expirat tempus ponendi actionem præceptam: Ratio eſt, quia ſicuti qui vult directe omittere actum præceptum, peccat ſtatim ac deliberate incipit ita velle: ſimili modo peccabit, qui vult indirecte, ideſt in cauſa, eundem actum omittere, incipiendo deliberate ponere cauſam, ex qua ſecutura eſt omiſſio: & ſicut ille eſt reus omiſſionis cœptæ directe volitæ; ita iſte eſt reus omiſſionis cœptæ indirecte volitæ, quamvis reſpectu hominum non incipiat omiſſio imputari, niſi expirante tempore obligationis perficiendæ: propterea ſapienter docuit S. Th. 2. 2. q. 79. a. 3. ad 5., & diſtinxit hæc duo, nempe imputationem omiſſionis reſpectu noſtri, & reatum cœptum reſpectu Dei. *Omiſſio incipit imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen*, (nota bene) *propter cauſam præcedentem, ex qua omiſſio ſequitur, redditur voluntaria.* Si igitur redditur voluntaria ex cauſa præcedenti; dum ponitur voluntarie cauſa omiſſionis, incipitur omiſſio cauſaliter & indirecte, quæ deinde conſummatur, & completur, expirato jam tempore. Ita qui progrediente mane v. g. ſuper ſtratum ſuum decumbit, ut dormiat, prævidens, aut prævidere debens, quod niſi alicui committat, ut illum a ſomno excitet, idque non curet, ſe exponit moraliter certo periculo Miſſam omittendi, ipſo facto incipit coram Deo, & in conſcientiæ foro eſſe reus omiſſionis Miſſæ; quæ poſtea conſummatur, tranſacto celebrationis tempore.

Omiſſio illa eſt verum peccatum in ſe, non in cauſa tantum.

V. Hinc ſolvitur alia quæſtio, an præfata omiſſio Miſſæ, quam incurrit ille dormiens, ſit reapſe peccatum verum omiſſionis, an dumtaxat effectus peccati, nempe aſſumptæ dormitionis; dicendo cum communiori, & probabiliori Cajetani, Soti, & aliorum, eam eſſe verum omiſſionis peccatum. Quia nedum cauſa omiſſionis prohibetur indirecte a præcepto poſitivo, verum etiam directe & principaliter ipſa omiſſio; in tantum enim prohibetur cauſa, quia infert talem effectum; ergo effectus ille principaliter prohibetur, tanquam id, quod principaliter opponitur præcepto: erit igitur nedum effectus peccati, ſed vere in ſe omiſſionis peccatum. Confirmatur exemplo allato a S. Th. 3. p. q. 80. a. 7. Si quis ex voluntaria turpi cogitatione antequam dormiat, plerumque expertus ſit, ſe in ſomno mollitiem pati; juxta omnes, mollities illa in ſe eſt peccatum, quamvis eveniat homini tunc impoti ſui: ita etiam omiſſio, quamvis conſummetur in ſtatu impotentiæ, adhuc erit peccatum. Aliud exemplum deſumitur ex cap. *Mulieres* de ſent. excom. ubi excommunicatur ille, qui expertus eſt, quod dum ſe inebriat, percutit graviter ſibi occurrentes, & in eo ſtatu percutit Clericum: ſignum eſt ergo percuſſionem illam eſſe peccatum in ſe, & non merum effectum peccati ebrietatis; non enim excommunicatur propter ebrietatem, ſed propter percuſſionem; & quidem graviter malam. Horum autem ratio eſt, quia, ut verum aſſeratur peccatum in aliquo actu, ſufficit libertas in cauſa ejuſdem.

Solvuntur duo objecta.

VI. Neque opponas, quod ſi valeret voluntarium in cauſa, poſſet Sacerdos qui ante ſomnum intendit conſecrare materiam præſentem verbis, quæ proferre conſuevit dormiendo, revera, quamvis impie, conſecraret. Reſpondetur enim, id non ſequi; quia verba conſecratoria, & quæcumque ſunt Sacramentorum formæ, requirunt prolationem formalem, & ſignificativam, unde poſtulant, ut humano modo proferantur, nempe a cognoſcente quid proferat & agat; & non prout proferrentur a pſittaco, ſicuti proferrentur a dormiente. Repones aliud inconveniens; nam ſequeretur, quod qui voluntarie poſuit cauſam propriæ infirmitatis gravis, ex qua prævidet, ſe plura præcepta affirmativa omiſſurum, auditionis Sacri, recitationis horarum &c. reus conſtitueretur cunctarum omiſſionum

illa-

iſtarum; quod intolerabile videtur. Reſpondeo, id non videndum intolerabile in hypotheſi, (nota bene) quod quis deliberate aliquid ageret ad incurrendam infirmitatem, cum prævisione præfatarum omiſſionum ſecuturarum; nam revera voluntarie poneret cauſam omnium illarum ab eo prævisarum. Nonne qui prævidit, ſe ex tali, aut tali actione libere, & malitioſe aſſumpta impotem reddi ad ſolvendum creditori, ad implendum munus ſtricte debitum &c., reus ab omnibus judicatur violatæ juſtitiæ? & non aliunde, niſi quia volendo malitioſe cauſam, voluit injuſtos illos effectus illam conſequentes: ita in caſu noſtro, verificata illa hypotheſi. At quia vix imaginari poteſt adeo demens, qui data opera infirmari velit; & quia plerumque infirmitates incurruntur, quia homines ſibi ſuadent, ſe talia agendo, eas non eſſe incurſuros, vel ſaltem non eſſe futuras graves, & diuturnas, vel nil prævident de omiſſionibus inde ſecuturis; vel ſecus ſincere pœnitet de peccaminoſa illa infirmitate; idcirco plerumque indicatæ omiſſiones illis non imputantur. Per hoc tamen excuſari ne putes illos, qui bacchanaliorum tempore ita ſanitatem ſucceſſivis intemperantiis prodigunt, ut pluries experti ſint ſe compelli ad jejunia quadrageſimæ violanda; quæ commode obſervare poſſent, ſi tot diſſolutionibus non darent operam; profecto neminem cordatum illos excuſaturum puto a violato præcepto in cauſa, quæ prævideri debebat hujuſmodi tranſgreſſionis pluries experta parens. Sed de hoc egimus in cap. de legibus §. 7. n. 13.

Confeſſioni ſubjicienda eſt cauſa cum effectu ſecuto, quamvis tempore mentis impotis.

VII. Hinc ſequitur quod quamvis effectus malus eveniat tempore, quo quis impos animi eſt, v. g. mollities in ſomno, percuſſio in ebrietate &c. debeat nihilominus ſubjici confeſſioni una cum cauſa eidem data; ut tenet communior, & probabilior: eo quod peccata debeant integre confiteri; nemo autem ambigit, hujuſmodi effectum eſſe complementum peccati in cauſa poſita voliti. Idque comprobat fidelium praxis ſe de hujuſmodi effectibus, conſcientia docente, accuſantium.

§. VII. *De peccatis internis.*

Quid ſit delectatio: quid deſiderium?

I. PEccat homo peccato interno, vel aſſentiendo deliberate delectationi internæ rei vetitæ, vel aſſentiendo deſiderio ejuſdem: aſſentiendo delectationi; id eſt mere ſibi complacendo de objecto, aut opere malo apprehenſo, quatenus deliberate placet & gratum habetur, abſque intentione, aut deſiderio illud aſſequendi, vel perficiendi: aſſentiendo autem deſiderio objecti, vel operis pravi, aut efficaciter intendendo, & deliberando illud aſſequi, vel perficere, & tunc dicitur intentio efficax: aut deſiderando illud inefficaciter, quæ inefficacitas, ſi oriatur ex impotentia illud aſſequendi, vel perficiendi, poteſt adhuc includere deſiderium ardentiſſimum; ſi vero oriatur ex fluctuatione voluntatis nondum determinatæ illud aſſequi, aut perficere, tunc revera eſt deſiderium inefficax: & ſtatim nota primo, duplicem diſtingui poſſe voluntatis aſſenſum: unum formalem & expreſſum, V. G. dum quis deliberate vult objectum, aut opus vetitum mente conceptum; puta fornicationem; alterum virtualem implicitum, & interpretativum; V. G. dum quis volendo cauſam, vult effectum cum eadem connexum; V. G. dum quis volens occidere Patremfamilias, vult implicite omnia damna ex hac occiſione ſequenda.

Duplex voluntatis aſſenſus.

Triplex modus ſe gerendi voluntatis circa motus deordinatos.

II. Nota præterea, quod voluntas circa deordinatos motus paſſionum triplici modo ſe gerere poteſt; primo, eiſdem advertenter aſſentiendo aut voluntaria delectatione, aut voluntario deſiderio: ſecundo, illos rejiciendo, eoſdemque, quantum poteſt, reprimendo: tertio, negative ſe habendo, nullum videlicet actum eliciendo, ſive rejectionis, ſive admiſſionis, eligendo advertenter, nullum actum elicere. Primo modo jam conſtat, quod peccet graviter, vel leviter, juxta conditionem rei vetitæ, circa quam eſt delectatio, vel deſiderium. Secundo modo patet, quod nedum non peccet, ſed virtuoſe operetur. Tertio autem modo ſe gerendo, in primis certum eſt apud omnes, ſaltem peccare venialiter; etenim evidenter apparet negligentia, & deſidia in eo caſu. Certum ſimiliter eſt apud omnes, quod ſi dicto modo ſe gerendi interveniat probabile periculum conſenſus, fundatum vel in debilitate animi ſæpe lapſum experti, vel in pravis conſuetudinibus contractis, vel in qualitate & conditione motuum, qui ex ſe ſint valde periculoſi, quales ſunt libidinoſi vehementes, & prolixi; aut motus vindictæ valde ardentes, aliiſque conſimiles; in his, inquam, caſibus, communiter docent, voluntatem teneri actu poſitivo, etiam repetito illis motibus reſiſtere, eoſdemque rejicere, ne cenſeatur iiſdem interpre-

Præmittitur quod eſt certum.

tati-

tativum aſſenſum præſtare, eo quod unuſquiſque teneatur, a ſe arcere grave, & propinquiſſimum peccandi periculum; idque in caſu alio modo fieri nequit, niſi deteſtando illos motus, atque rejiciendo, Deum invocando &c.; & ita corroborando voluntatem, ne ſuccumbat; & ita expreſſe docent S. Thom. q. 15. de verit. a. 4. ad 10. & S. Antoninus p. 1. tit. 5. c. 1. §. 5. cum communi. Diſputatur autem, an, ſemoto periculo probabili conſenſus, & extra caſus modo indicatos, peccet mortaliter voluntas, quæ vult mere negative ſe habere erga deordinatos motus paſſionum appetitus ſenſitivi circa objectum grave?

Illicitum eſt mere negative ſe habere.

III. Longe probabilius eſt, quod illicitum ſit, mere negative ſe habere: unde qui experitur præfatos motus circa objectum mortale, & poſtquam eoſdem advertit, illos non deteſtatur, & repellit, peccat lethaliter, ſi eligat mere negative ſe habere: ita plures DD. graves: idemque docere videtur S. Thom. 1. 2. q. 74. art. 6. *Deficit ratio in directione paſſionum interiorum dupliciter: uno modo quando imperat illicitas paſſiones ſicut quando homo ex deliberatione provocat ſibi motum iræ vel concupiſcentiæ: alio modo*, (nota bene) *quando non reprimit illicitum paſſionis motum; ſicut cum aliquis poſtquam deliberavit*, (ideſt advertit) *quod motus paſſionis inſurgens eſt deordinatus, nihilominus circa ipſum immoratur, & ipſum non expellit: & ſecundum hoc dicitur peccatum delectationis moroſæ eſſe in ratione*. Ubi notandum eſt, apud S. Doctorem, in hoc caſu pro eodem accipi in motu illo *immorari*, & illum *non repellere*; & ideo prius dixit, non deficit ratio, *quando non reprimit motum illicitum paſſionis*. Et ratio eſt, quia interpretative, & virtualiter aſſentiri videtur; qui enim non elicit actum oppoſitum, dum poteſt, & tenetur; interpretative aſſentitur; atqui in caſu poteſt facillime elicare actum oppoſitum deteſtationis, invocationis divini auxilii &c. & alioquin tenetur; quod ſic probo; quia negative tantum ſe gerendo in motu vehementi, puta invidiæ, injuſtitiæ, &c. eo ipſo inſeparabile eſt periculum grave aſſentiendi, & dum deliberate non vult elicere actum oppoſitum, ſed negative ſe habere, eo ipſo amat periculum peccandi; cum enim experiatur, ſe illici ad aſſenſum, & cum poſſit ſe facillime corroborare per actum contrarium, non vult, ſed eligit negative ſe habere, quis, inquam, negabit, hominem ita ſe gerentem non eſſe in gravi periculo, ipſumque amare periculum, ut tandem in illo pereat aſſentiendo? tenebitur ergo ad actum oppoſitum, ne cenſeatur interpretative aſſentiri. Quænam enim prudens ratio afferri poterit, quæ illum excuſet a non eliciendo actu contrario, quem facillime elicere poteſt, & quo ſe corroboret ad arcendum a ſe periculum aſſentiendi? nulla omnino. Homo itaque nolens adeo facile ſe ipſum adjuvare; quomodo diſpoſitus erit ad obtinendum axilium Dei, in præfatis periculis de fide neceſſarium, quo a peccato evadat: Quomodo excuſari poterit homo ille ab interpretativo conſenſu præſtito? Audi S. Thomam loco ſupra indicato de Veritate: *Antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipſius, non habet interpretativum conſenſum, etiamſi non reſiſtat: ſed quando jam perpendit ratio de delectatione inſurgente, & de nocumento conſequenti, utpote cum percipit homo, ſe totaliter per hujuſmodi delectationem in peccatum inclinari* (ut contingit præcipue in motibus etiam non ardentioribus libidinis) *& in præceps ruere*, (nota bene) *niſi expreſſe reſiſtat, videtur conſentire*: quid clarius?

Sed adeſt obligatio eliciendi actus contrarios ſub lethali.

IV. Quando voluntas actibus deteſtationis, invocationis, &c. ita ſe munivit, ut prudenter abſit periculum conſenſus in delectationem ex præfatis motibus conſurgentem, non tenetur ſub mortali illos exteriori cohibitione reprimere, niſi forte experiatur, trahi ad aſſenſum; ſed ſufficit, quod perſeveret in ſeria eorum nolitione, & rejectione. Ita Caietanus verbo *delectatio moroſa* num. 4. quem plures ſequuntur, quos inter P. P. Salmantic. tract. 13. diſ. 10. dubio 1. §. 1. afferentes pro eadam 20. Theologos, & inter eos, S. Bonaventuram in 2. ſent. diſt. 24. in 2. parte diſtinctionis art. 2. q. 2. Ratio eſt, quia inordinatio, & malitia, quæ reperitur in præfatis deordinatis motibus, quando nullo modo eſt volita, & ſecluſo omni alio periculo, eſt tantum venialis, quia præfati motus, quando nullo modo ſunt voluntarii, non eſt, unde evadant mali moraliter, cum a voluntate dumtaxat mortalis malitia originem trahat, eo quod juxta D. Thom. 1. 2. q. 74. a 4. deordinatio ſenſualitatis de ſe non poſſit deordinare circa finem, quia deordinare circa finem, non pertinet niſi ad potentiam, quæ dirigit in finem, quæ eſt ratio, & voluntas: igitur quantumvis inordinati ſint, ſi deſit omnis aſſenſus voluntatis, & periculum

Non tenemur ad cohibitionem exteriorem niſi in aliquo caſu.

culum aſſenſus, nunquam poſſunt eſſe lethales; ideo includit S. D. *Unde peccatum mortale non poteſt eſſe in ſenſualitate, ſed tantum in ratione.*

Inordinati concupiſcentiæ motus, ſive a Dœmone excitati, ſive ſua ſponte exurgentes, ſi pœnitus involuntarii ſint etiam in cauſa, & voluntas eiſdem omnino obſiſtat, ac reluctetur, nullo modo ſunt peccata venialia; quia nullo modo ſunt voluntarii & liberi; omne quippe peccatum etiam veniale debet eſſe aliqua ratione voluntarium. Tunc ſolummodo ſunt peccata venialia, quando aliqua inadvertentia imperfecta intervenit, imperfectuſque voluntatis conſenſus accedit; quia homo nequit abſque omni culpa admittere, vel approbare etiam imperfecte, quod natura ſua pravum eſt, ac deordinatum, naturæque rationali minime conforme. Hæc ſane omnino conſentanea ſunt iis, quæ docet Auctor *Tract.* 3. *cap.* 2. §. 4. *n.* 3. Quare doctrina, quam hic tradit, nimirum inordinationem & malitiam, quæ reperitur in præfatis deordinatis motibus, quando nullo modo voluntas in illam concurrit, & ſecluſo omni alio periculo, eſſe venialem, temperanda videtur juxta ea, quæ docet loco ſupracitato. Lege Cl. Sylvium in 1. 2. q. 74. art. 3. & Em. Gotti Tom. 8. De Vitiis, & peccatis Quæſt. 5. Dub. 3.

Laudabile tamen, & conſulendum, illos etiam exterius cohibere.

V. Laudabile tamen eſt, illos motus etiam exteriori actu cohibere, & viro timorato quodammodo debitum, quando ſine magno incommodo id præſtare poteſt, tum ut tollatur omnis ſuſpicio occultiſſimi interpretativi conſenſus; tum ut arceatur commiſſio venialis culpæ, quæ ex omiſſione præfatæ cohibitionis, quando facilis eſt, incurri ſolet; tum ut homo diſponatur ad recipienda uberiora gratiæ auxilia; tum ut augeatur meritum reſiſtentiæ fortioris; tum ob majus dominium, quod voluntati acquiritur ſuper ſenſualitate, unde & debiliores prædicti deordinati motus impoſterum exurgant, & tandem quaſi totaliter quieſcant.

Quomodo inculpate permitti poſſunt?

VI. Permitti poſſunt præfati motus abſque culpa, voluntate ſemper averſa, contranteque illos deteſtante, necnon ſemoto omni conſenſus periculo, ob motivum aliquod neceſſarium, aut honeſtum, aut etiam utile, & licitum, puta audiendi confeſſiones, ſtudendi, aſſiſtendi infirmo, eidem medendi, &c. Hinc inferas, quomodo ſuſpicionem occulti interpretativi aſſenſus incurrere poſſunt illi, qui præfatis motibus dant cauſam, & ſæpe præviſam quibuſdam lectionibus, aut cantilenis, ex ſe non turpibus, ſed non omnino honeſtis vacando; qui verba nimis mollia erga perſonas alterius ſexus proferunt, qui ſolius curioſitatis explendæ motivo oculos figunt, aſpectus iterant circa quaſdam ſculpturas, picturas, facies, pectora, aliave objecta, quæ tametſi in ſe non graviter turpia, præfatis tamen motibus incentivum præbere ſolent. Conſulto dixi, non de ſe graviter turpia; quia objecta ex ſe graviter turpia & obſcæna intueri, aut verba vehementer excitantia audire, aut legere, a mortali non vacat. Omnes præfati, inquam, præter peccata venialia pinguia, quæ multiplicant, nedum prudentem ſuſpicionem alicujus taciti & occulti conſenſus in delectationem ſenſualem ſæpiſſime ſibi creant, verum etiam non raro in illam impingunt; vel quia lectiones, & cantilenæ confinia pudicitiæ nimis exceſſere, vel quia ſpectacula, & objecta viſa aut obſcæna, aut nimis allicientia fuere, nimiſque nudata; vel quia verba fuerunt nimis amatoria, & provocantia, & propterea vir chriſtianæ conſcientiæ, ne ſe his dubietatibus implicet, caute ab hujuſmodi rebus ſe cuſtodiat.

Quando extet ſuſpicio occulti aſſenſus?

Quid ſit delectatio peccaminoſa ſeu moroſa?

VII. Delectatio peccaminoſa eſt ſimplex & voluntaria de objecto, vel actu malo cogitato complacentia, abſque intentione efficaci illud aſſequendi, vel hunc exequendi; quando enim hæc intentio intervenit, tunc vocatur deſiderium: *hujuſmodi delectatio dici ſolet moroſa*, ait S. Thom. 1. 2. q. 74. a. 6. ad 3., *non ex mora temporis, ſed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, tenens, & volens libenter, quæ ſtatim ut attigerunt animum, reſpui debuerunt*. Poteſt igitur delectatio moroſa etiam momento duranſeſſe peccaminoſa, ſi eo momento ſit deliberate volita; & ſi ſit de re, vel actu mortali, mortalis eſt. Circa hanc diligenter animadvertas ex eodem S. Doctore loco cit. art. 8., aliud eſſe delectari de objecto, vel actu malo, & aliud delectari de cogitatione objecti, vel actus mali: ut autem id abſque deceptione percipias, obſerva, quod in delectatione de objecto, vel actu malo, objectum malum, vel actus malus ſunt materia, circa quam verſatur delectatio: in delectatione autem cogitationis, vel cognitionis objecti, vel actus mali, non objectum,

Quid ſit delectari de objecto, quid de cogitatione objecti?

vel

vel actus ſunt materia, ſed ipſa cogitatio vel cognitio objecti, aut actus mali eſt materia delectationis: unde vides, quod non in iſta, ſed in illa delectatione incurritur peccatum. Audi Angelicum loco cit. *Aliquis de fornicatione cogitans, de duobus poteſt delectari: uno modo de ipſa cogitatione; alio modo de ipſa fornicatione cogitata; delectatio autem de cogitatione ipſa ſequitur inclinationem affectus in cogitationem ipſam; cogitatio autem ipſa ſecundum ſe non eſt peccatum mortale, immo quandoque eſt veniale tantum; puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea; quandoque autem ſine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter de ea cogitat, ſicut cum vult de ea prædicare, vel diſputare; & ideo conſequens affectio & delectatio, quæ ſic eſt de cogitatione fornicationis, non eſt de genere peccati mortalis, ſed quandoque eſt peccatum veniale, quandoque nullum, unde nec conſenſus in talem delectationem eſt peccatum mortale. Quod autem aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipſo actu cogitato, hoc contingit ex hoc quod affectio ejus eſt inclinata in hunc actum; unde quod aliquis conſentiat in talem delectationem, hoc nil aliud eſt, quam quod ipſe conſentiat in hoc, quod affectus ſuus ſit inclinatus in fornicationem; nullus enim delectatur niſi in eo quod eſt conforme appetitui ejus: quod autem aliquis ex deliberatione eligat, quod affectus ſuus conformetur his, quæ ſecundum ſe ſunt peccata mortalia, eſt peccatum mortale; unde talis conſenſus in delectationem peccati mortalis, eſt peccatum mortale.* Ex quibus habes & diſtinctionem delectationis de cogitatione a delectatione de re cogitata; & rationem cur delectatio de re mala gravi cogitata ſit peccatum mortale; & talis non ſit delectatio de cogitatione.

Delectatio ſumit ſpeciem etiam a circumſtantiis objecti.

VIII. Delectatio ſpeciem ſumit nedum ab objecto, circa quod verſatur, verum etiam a circumſtantiis illud afficientibus, tametſi ſe delectans ab eis mente præſcindat, ita communior & probabilior cum S. Antonino, Cajetano, Soto relatis a Sanchez, lib. 1. ſum. c. 2. n. 11., quibus & ipſe ſubſcribit cum aliis multis. Ratio eſt, quia nedum objectum, ſed etiam quælibet circumſtantia illud afficiens, & ſpeciem novam addens, eſt ſufficiens, & ſpecialis titulus, ut prohibeatur delectatio illicita de eodem; quandoquidem delectatio tendit in ipſum ſicuti revera eſt: nec ſufficit, quod circumſtantia illa ſeparetur, & præſcindatur mente delectantis; quia adhuc in objecto invenitur: ſicuti ergo qui delectatur, ſi ſit voto caſtitatis obſtrictus, adhuc ſacrilege peccat ſe delectando de re venerea, quamvis mente ſecludat a ſe votum, & velit delectari tantum ut perſona humana, & non ut ſacra, nihilominus ſacrilegium perpetrat juxta omnes; ita & qui delectari vult de muliere, dumtaxat ut mulier eſt, & non ut virgo, ut conjugata, ut monialis; peccatum nihilominus incurret nedum contra caſtitatem, ſed contra juſtitiam, & contra Religionem; ſemper enim circumſtantiæ illæ ſunt indirecte volitæ, quia reaple afficientes objectum vetitum, quarum quælibet eſt ſpecialis ratio vetandi illicitam delectationem de eodem. Si dicas, poſſe quempiam delectari de artificio actionis peccaminoſæ, puta duelli, quin delectetur de duello. Reſpondeo, quod artificium illud eſt de ſe quid indifferens, nec ſpecialis ratio, ob quam abſtinendum ſit a duello: at in caſu noſtro circumſtantia illa eſt ſpecialis ratio nova, ob quam prohibeatur objectum: repete paritatem de ſe delectante, qui ſit voto adſtrictus. Indicium autem ex quo conjiciatur, quando quis delectatur de mero artificio, eloquentia, eruditione &c. an vero de re mala artificio adnexa, illud eſſe poteſt, ſi ſint alia honeſta, in quibus æqualis, & etiam major eloquentia, eruditio &c. reperitur, & nihilominus eligat legere, videre, audire artificium, eloquentiam &c. in turpibus, & malis; urgens motivum eſt prudenter conjectandi, quod delectetur de turpibus, & non de artificio ſolo in eis reperto.

Indicium unde conjicitur, quando quis delectatur de ſolo artificio, an etiam de re mala.

Non licet delectari de malo ob bonum effectum: licet autem de bono effectu, non tamen ut illato a cauſa mala.

IX. Non eſt licitum delectari de malo propter effectum bonum ex illo ſecutum, puta de homicidio injuſto propter pacem familiæ inde profectam: ita communis contra nonnullos; quia delectatio æque fertur & in malum, & in bonum effectum; igitur qua parte fertur in malum, mala eſt. Neque reſpondeas, motivum delectationis eſſe bonum effectum; etenim id non ſufficit ad excuſandam præfatam delectationem; quia quamvis ratio movens delectationem ſit bonus effectus, ratio tamen illam terminans eſt tam homicidium, quam bonus effectus; nam caſus ab Auctoribus poſitus eſt de delectatione in utroque. Aliud autem dicendum eſt de eo, qui non delectatur de peccato, puta homicidio quod deteſtatur, ſed mere de pace ſecuta; & de hac quidem, non ut illata ex homicidio, aut cum ipſo connexa, ſed prout

po-uit

potuit etiam ab aliis cauſis proficiſci; quia tunc nihil eſt, unde reddatur delectatio culpabilis; quemadmodum eſſet culpabilis, ſi in eam tenderet delectatio tanquam in effectum homicidii.

Quando ſit illicitum delectari de actibus malis materialiter tantum patratis.

X. Delectari de actibus vel omiſſionibus prohibitis jure naturali, & retinentibus ſuam malitiam objectivam, patratis ſine malitia formali, nempe in ſtatu amentiæ, ebrietatis plenæ &c. numquam eſt licitum. Ratio eſt, quia delectatio ſemper fertur in objectum malum: unde qui delectaretur de fornicatione, blaſphemia &c. a ſe in ebrietate, ſomno &c. patratis, lethaliter peccaret in ſpecie dictarum actionum; eo quod involuntarietas illius ſtatus non expoliat prælatas actiones ſua malitia intrinſeca & objectiva. Delectari autem de actionibus, vel omiſſionibus ſolum jure poſitivo prohibitis a ſe in ſtatu oblivionis, ignorantiæ invincibilis, ſomno &c. patratis, ſi adhuc retineant malitiam objectivam, peccatum eſt; ſi autem malitia objectiva ſpolientur, non eſt peccatum. Probo & explico exemplis. Qui ex ignorantia aut oblivione, aut errore inculpabili V. G. die feſto laboravit, Sacrum omiſit, jejunium fregit, peccat de illis ſe delectando: quia quamvis dictæ cauſæ excuſent a culpa propter involuntarietatem agendi contra præceptum, non tamen tollunt obligationem ad illos actus ponendos, vel non ponendos reſpective; & proinde actiones illæ, aut omiſſiones adhuc perſiſtunt ſub prohibitione, & ſunt objective malæ. Quando vero cauſa excuſans non fuerit aliqua ex prædictis, ſed aut infirmitas, aut diſpenſatio, aut privilegium, tunc delectatio de illis non erit peccaminoſa, quia cauſæ iſtæ tollunt obligationem, qua ſublata, nulla remanet in illis operibus aut omiſſionibus malitia objectiva. Et a fortiori ſi cauſa excuſans fuiſſet juſtior, aut rationabilior, puta labor in feſto ad ſuſtinendam familiam fame pereuntem, omiſſio Sacri ad aſſiſtendum infirmo omni adjutorio deſtituto &c.

Delectari de malo temporali, & triſtari de bono temporali alterius, quandoque ſine peccato.

XI. Delectatio de malo temporali alicujus, ob bonum inde ſecutum, quando bonum eſt longe præſtantius quam ſit malum ipſi illatum, neque alio modo moraliter effectus ille bonus haberi poterat, non eſt illicita; ſicuti & triſtari de bono temporali alicujus ob mala certo moraliter inde ſecutura, gravia & injuſta, non eſt illicitum: Ita communis cum S. Doctore 2. 2. q. 36. a. 2. ubi loquens de triſtitia: *Dum quis* (ait) *dolet de bono alicujus in quantum ex eo timetur nocumentum, vel ſibi ipſi vel etiam aliis bonis* (intellige inferendum injuſte) .... *talis triſtitia poteſt eſſe ſine peccato: unde Gregorius 22. Moral. c. 11. ait: evenire plerumque ſolet, ut, non amiſſa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rurſum ejus gloria, ſine invidiæ culpa, contriſtet; cum, & ruente eo, quoſdam bene erigi credimus; &, proficiente illo, pleroſque injuſte opprimi formidamus.* Ratio eſt manifeſta, quia in præfatis affectibus nil admiſcetur charitati contrarium, immo ordo ejuſdem ſervatur; quo docemur in affectu noſtro meliora anteferre, & inferiora poſtponere: unde licet gaudere de morte naturali maleſactoris, vel ipſi a legitimo Judice illata, ſine qua publica quies obtineri non poterat: ita de infirmitate alicujus, ex qua ſecuta fuit ejus converſio ſincera ad Deum: ita de amiſſione bonorum temporalium illius præpotentis, quibus abutebatur ad vexandum injuſte proximum: ita & triſtari de illius exaltatione, qua prudenter prævidetur abuſurus in damnum innocentum, &c.

Obſervatio in his habenda.

XII. Obſerva tamen cum Cajetano in comment. ſuper eo articulo, quod triſtitia illa judicanda ſit ſecundum regulas timoris; qui enim timet, boni ne opprimantur, aut ne juſtitia & cultus divinus conculcetur, ob potentiam, & divitias alicujus, ſi clara eſt hujuſmodi malorum conſecutio, non eſt culpabilis triſtitia; cujus ſignum eſt, quod ſi haberet poteſtatem privandi illum hujuſmodi potentia & divitiis, bene faceret privando illum. Si autem aliquis timet ex alterius potentia lædi juſte, vel non injuſte, & ideo de illius potentia triſtatur; peccat, quoniam hujuſmodi timor non debet in tantum progredi, ut nolit bonum alterius; .... cujus ſignum eſt, quod ſi haberet poteſtatem privandi illum tali potentia, non licite propter hoc privaret illum. Hæc Cajetanus caute docens. Hic opportune addendæ ſunt nonnullæ theſes damnatæ ab Innocentio XI. una eſt n. 13. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari; & de illius morte naturali gaudere: illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Altera eſt n. 14. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæredi-*

Digitized by Google

veditas. Altera eſt n. 15. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis, a ſe in ebrietate patrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* Harum theſium impietas jam patet ex multis, ſed maxime, quia delectatio fertur in malum longe gravius bono inde expectato.

Viduis & Sponſis de futuro non licet delectari de actibus in ſtatu alio licito habitis, vel habendis.

XIII. Non licet Viduæ perſonæ delectari de actibus conjugalibus habitis cum conjuge vivente; neque perſonæ tantum in matrimonium promiſſæ de actibus futuris in ſtatu matrimonii, delectatione ſenſibili, & multo minus ſenſuali, ut docet communis; quia delectatio ſenſibilis eſt in his perſonis occaſio evidenter proxima delectationis ſenſualis; ideoque graviter illicita, ſicuti & ſenſualis, ad quam nullum jus eis ineſt. Delectari autem delectatione tantum rationali, conſiſtente in mera & ſimplici approbatione rationis circa juſtitiam & honeſtatem eorum actuum, quamvis licitum ſit, quippe quod objectum ſit de re honeſta & juſta; in praxi tamen eſt magnum periculum, ne fiat tranſitus de delectatione rationali ad ſenſibilem, & ſenſualem; idcirco tam viduæ perſonæ, quam deſponſatæ, ſeu promiſſæ ſe arcere debent a præfatis conſiderationibus, ſi velint a lapſibus in delectationes vetitas ſe cuſtodire.

Deſiderare malum ſub conditione, ſi tale non eſſet.

XIV. Conſenſus conditionati, ſeu deſideria conditionata de objecto, aut actu malo, ſub hac conditione, ſi non eſſet peccatum, quando verſantur circa objectum, vel actum per ſe malum, & naturali jure prohibitum, ſunt peccata lethalia, vel venialia pro ratione materiæ, ut docet communior, & probabilior. Ratio eſt, quia ſunt mala ab intrinſeco, & ex natura ſua, itaut nequeant a malitia expoliari, ſalva eorum conſiſtentia; igitur cum impoſſibile ſit, non eſſe mala, affectus in illa tendens, cum tendat ſub conditione impoſſibili, ſemper eſt malus: quia juxta regulam juris, conditio impoſſibilis reputatur non poſita. Quando autem res deſiderata non eſt ab intrinſeco, & per ſe mala, ſed eſt mala, quia dumtaxat jure poſitivo vetita, tunc illam cupere ſub conditione illam expoliante malitia, ſi non eſſet vetita, non eſt peccatum lethale; ſed otioſum, vel guloſum, juxta conditionem rei, quæ ex affectu gulæ, vanitatis &c. deſideratur. Ratio eſt, quia deſideratur in ſenſu diviſo, & illam expoliante ea conditione, a qua ſolummodo redditur mala lethaliter, & quæ adhuc ſubſiſtit ſine illa circumſtantia: unde qui dicit fornicarer, ſi non eſſet peccatum, peccat lethaliter, ad differentiam illius, qui dicit: hodie comederem carnes, niſi eſſet vetitum.

Deſiderare ſibi mortem, quando ſit peccatum?

XV. Serio & deliberate ſibi optare mortem ex ira, impatientia, & ex quocumque motivo ſimili, ſeu irrationabili eſſe lethale, non eſt qui dubitet, utpote deſiderium oppoſitum juſtitiæ reſpectu Dei, qui ſolus eſt vitæ noſtræ Dominus, quippe illam nobis conceſſit ad uſum: unde ſicut vitam ſibi eripere eſſet injuſtitia actualis realis contra Divinum jus; ita mortem ſerio ſibi optare, eſt injuſtitia in affectu contra idem jus, ad quod ſpectat, illam nobis eripere, quando ſibi placuerit, & non quando nos irrationabiliter optamus: Eſt etiam peccatum contra charitatem ſibi debitam, ut patet. An autem mortem ſibi ſerio, & deliberate deſiderare, non ex impetu iræ, & impatientiæ &c., ſed ob honeſtam triſtitiam provenientem ex aliquo graviſſimo malo, quæ nobis jam evenit, aut certo moraliter eſt eventurum, & cum ſubmiſſione animi Divinæ Providentiæ, ſi ita Deo placeat; putarem non eſſe peccatum ſaltem lethale. Quandoquidem & Moyſes Numer. 11. pertæſus pervicaciæ, & inconſtantiæ populi Iſrael petiit a Deo, *Obſecro ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis malis afficiar.* Ita Elias aſſiduis Reginæ Jezabel perſecutionibus vexatus 3. Reg. cap. 19. *Petivit animæ ſuæ; ut moreretur, & ait: ſufficit mihi, Domine, tolle animam meam.* Similiter Mattath. perſpiciens deſolationem Gentis ſuæ 1. Machab. 2. dixit: *Quo ergo nobis adhuc vivere?* Et filius ejus Judas cap. 3. *Melius eſt nobis mori in bello, quam videre mala Gentis noſtræ.* Immo Spiritus Sanctus Eccleſiaſt. c. 30. num. 17. definivit: *Melior eſt mors, quam vita amara, & requies æterna, quam languor perſeverans.* Ubi requei æternæ vocibus ſignificatur requies ſepulchri, præciſo omni reſpectu ad bona alterius vitæ, ut notant Cornelius, & Calmet ſupra dicta verba: Si igitur melior eſt mors, quam vita amara, cum deſiderare meliora non ſit peccatum; nec peccatum erit, illam deſiderare ad evitanda gravia mala, modo ſupra explicato. Quænam autem erunt hæc mala morte amariora? Judicio prudentis viri decernendum relinquitur, ſpectatis circumſtantiis perſonarum, rerum, locorum, & temporum. Scripturæ adductæ nobis quædam indigitant; diuturnum morbum, præcipue ſi diris doloribus conjunctum; aſ-

2. 2. q. 162. in octo articulis, & q. 131. in quinque articulis, & q. 131. a. 5., & q. 112. in duobus articulis, & q. 111. in quatuor articulis.

§. II. *De Avaritia.*

Quid ſit Avaritia, et quale peccatum?

I. **A**Varitia, juxta S. Thom. 2. 2. q. 118. *eſt inordinatus appetitus divitiarum*, quo nomine ſignificantur omnia pretio æſtimabilia. Eſt mortale non in toto genere ſuo, quia admittit parvitatem materiæ, ſed ex genere ſuo; quia adverſatur juſtitiæ & charitati. Committitur tribus modis, nempe immoderate appetendo; inordinate acquirendo; & injuſte retinendo. Hinc inferas, Avaritiam aliquando opponi Juſtitiæ, aliquando Liberalitati: Juſtitiæ opponitur, acquirendo pecunias per media juſtitiæ adverſantia, videlicet per furta, fenora, &c. & niſi parvitas materiæ excuſet, ſemper mortaliter delinquitur. Retinendo pecunias, dum non ſolvuntur debita, neque ea cura, & ſollicitudo adhibetur, ut debitor ſufficiens reddatur ad ſolvendum, & etiam in hoc plerumque mortaliter peccatur: de quo plura in tractatu de reſtitutione. Retinendo item peccatur, dum debitæ eleemoſinæ juxta proprium ſtatum non erogantur: Et etiam in hoc ſæpe graviter delinquitur, de quo plura in tractatu de charitate proximi. Liberalitati vero opponitur avaritia, quatenus debito modo pecunia non expenditur, & diſtribuitur, puta nimis parce alendo familiam, dolendo de expenſis neceſſariis, & decentibus &c.

Avaritiæ ſoboles.

II. Septem vitia ex avaritia ſobolescere, notavit S. Thom. 2. 2. q. 118. a. 8., nempe Proditionem, qua produntur perſonæ, ſicut fecit Judas. Fraudem, qua committitur dolus malus in opere aliquo: Fallaciam, qua decipitur proximus in verbis ſimplicibus. Perjurium, quo decipitur proximus in verbis juramento firmatis: Inquietudinem, quæ ingerit homini ſollicitudinem animi, curaſque ſuperfluas ad augendas opes: Violentiam, quæ inducit homines quandoque ad utendum vi, ut rapiat; & Obdurationem, quæ cor hominis indurat, ne miſereatur pauperis.

§. III. *De Luxuria.*

Quid ſit Luxuria, & quale peccatum?

I. **D**Efinitur Luxuria a S. Thom. 2. 2. q. 153. Appetitus, aut uſus inordinatus, vel indebitus venereorum: Quoties adſit perfecta deliberatio, eſt peccatum mortale nedum ex genere ſuo, ſed etiam in toto genere ſuo, quia non admittit parvitatem materiæ: etenim quæcumque delectatio venerea illicita deliberate admiſſa graviter pugnat contra rectam rationem, cum ſit quædam inchoatio actionis conſummatæ, quæ eſt graviter illicita.

Species Luxuriæ, Quid Fornicatio?

II. Sex ſunt Luxuriæ conſummatæ ſpecies: nempe Fornicatio, Adulterium, Inceſtus, Stuprum, Raptus, & Vitium contra naturam. Fornicatio eſt congreſſus ſoluti cum ſoluta, quæ jam fuerit deflorata, ut notat S. Th. loc. cit. q. 154. a. 6. ad 1.: ut itaque ſit ſimplex fornicatio nullum debet in fornicantibus adinveniri vinculum, ſive matrimonii, ſive conſanguinitatis, aut affinitatis, ſive Ordinis Sacri, ſive Religionis, ſive Voti; ita ut poſſit inter eos, ſi voluerint, matrimonium celebrari.

Fornicatio eſt per ſe mala.

III. Fornicationem ab intrinſeco, & ex ſe malam, & illicitam eſſe, præterquamquod ſit de fide Epheſ. 5., & 1. Corinth. 6., ex eo probat S. Th. 2. 2. q. 154. a. 3., quod ſit contra vitam prolis conceptæ, ad cujus ſuſtentationem præcipue concurrit ſollicitudo paterna; qua privari ſolet proles fornicaria, utpote patre incerto nata. Neque vim hujus rationis labefactat, quod pater fornicarius curam genitæ prolis ſuſcipiat; *Quia*, reſpondet S. D., *id quod cadit ſub legis determinatione judicatur ſecundum id, quod communiter accidit, & non ſecundum id, quod in aliquo caſu poteſt accidere*, ſicut accidere poteſt, patrem fornicarium curam gerere prolis fornicariæ ſuſceptæ; cum alioquin ex natura fornicationis inconveniens adductum ſequatur. Neque quidquam officit explicatio Gloſæ ſuper illud Deuteron. 25. *non cui meretrix*, &c. dicentis, *ad meretrices prohibet accedere, quarum eſt veniali turpitudo*: ubi notat S. D. q. cit. a. 2. quod ly *venialis* ſit mendum: *non debet dici venialis, ſed veniatis turpitudo, quod eſt proprium meretricum*. Juſtiſſime igitur Innocent. XI. hanc theſim n. 4. damnavit. *Tam clarum eſt, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino diſſonum rationi videatur.* O audaciam!

Quid ſit Adulterium, et quot modis committatur?

IV. Adulterium eſt congreſſus aut viri cum uxore alterius, aut mulieris, cum marito alterius, aut utriuſque jam matrimonio vincti; quo peccato, præter caſtitatem, violatur etiam juſtitia, novam peccati ſpeciem addendo: & eſt in confeſſione explicandum, an unus, an uterque fuerit conjugatus. Non raro exurgit etiam obligatio reſtituendi, ſi proles ſpuria concipiatur; de quo plura in tractatu 9. cap. 6. §. 2.

6. §. 2. Eſt adulterium, quamvis maritus adulteræ inique conſentiat; ita definiente Innocentio XI, theſim, n. 50. configente; in qua ſtatuebatur: *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium, adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum*; quia ejus iniqua ceſſio violat jus commune conjugale.

Quid ſit Inceſtus, et quot modis perpetretur?

V. Inceſtus eſt congreſſus cum perſona conſanguinitate, vel affinitate conjuncta intra eos gradus, intra quos nequit matrimonium iniri. Iſti gradus ſunt in confeſſione explicandi, &, juxta omnes, primus & ſecundus: & juxta probabiliorem etiam alii; quandoquidem quo ſtrictior eſt gradus, eo notabiliorem affert luxuriæ deformitatem; eo quod, juxta S. D. loco cit. art. 9., inceſtus ſpeciem, & gravitatem deſumat ab irreverentia, quæ luxuriando committitur in conſanguineos, aut affines: & ſicuti eo difficilior eſt diſpenſatio ad contrahendum matrimonium, quo eſt gradus conjunctior; ita etiam notabiliter efficit luxuriam graviorem: & gravior eſt inceſtus, qui ex conſanguinitate oritur, quam qui ex affinitate.

Quid inceſtus ſpiritualis, & quotuplex?

VI. His accedit Inceſtus ſpiritualis, qui eſt illicita congreſſio inter perſonas vinculo ſpirituali conjunctas, orto ex Baptiſmo, aut Confirmatione; & comprehendente baptizantem & baptizatum; baptizantem & genitores baptizati; Patrinos & baptizatum; patrinos & baptizati genitores; & idem dicas de Confirmatione. Hic inceſtus eſt gravior carnali, utpote vinculum ſanctius, & cognationem nobiliorem offendens: ac proinde in confeſſione explicandus juxta ſuum gradum; quandoquidem longe gravius eſt, ſi perpetretur inter baptizantem & baptizatum, quam inter baptizantem & matrem baptizati &c.

Sacrilegium venereum.

VII. *Addi poteſt ſpeciebus Luxuriæ* ex S. Th. 2. 2. q. 154. a. 10. *Sacrilegium*, conſiſtens in peccato luxuriæ vel cum perſona, vel inter perſonas Deo per votum caſtitatis conſecratas: quia ait S. D. *obſervatio caſtitatis, ſecundum quod ordinatur ad cultum Dei, fit actus religionis, ut patet in illis qui vovent; . . . . unde manifeſtum eſt quod qui violat aliquid ad divinum cultum pertinens, ſpectat ad ſpeciem ſacrilegii: ſicut furtum, quod propter adulterium committitur, ſpectat ad ſpeciem adulterii*.

Notandum pro confeſſione.

VIII. Et notandum, quod ſicuti actus exteriores luxuriæ cum omnibus reſpective memoratis perſonis directe ſpectant ad ſpeciem inceſtus, adulterii, &c.; ita etiam actus interiores delectationis, vel deſiderii erga eaſdem, reducuntur ad eaſdem ſpecies; cum ſint actus interiores pravi attingentes objectum tali, aut tali qualitate ſpeciem mutante affectum.

Sacrilegium confeſſarii cum perſona pœnitente, circa quod nova Bulla Benedicti XIV.

IX. Sacrilegium autem Confeſſarii cum perſona pœnitente, præter votum quod violatur, affert etiam rationem quamdam inceſtus ſpiritualis inter Patrem & Filium, aut Filiam ſpiritualem. Contra hoc graviſſimum crimen ſevere animadvertit Sum. Pont. Benedictus XIV. feliciter regnans in ſua Bulla ſub die 1. Junii, anni 1741., in qua privat confeſſarium illum facultate abſolvendi perſonam complicem: (niſi tantum in articulo mortis, & deficiente quolibet alio Sacerdote, qui poſſit id munus obire) irritando abſolutionem, ſi illam audeat miniſtrare: & qui id attentare auſus fuerit, excommunicationem ipſo facto incurrit ſoli Pontifici reſervatam, a quo dumtaxat abſolvi poſſit,. Hæc ſunt verba Conſtitutionis: „ Omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſcumque Ordinis, ac Dignitatis, tametſi alioquin ad Confeſſiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam ſpeciali expreſſione, & ſpecialiſſima nota, & mentione digno ſuffultis, Auctoritate Apoſtolica, & Noſtræ Poteſtatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum, extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ Complicis in peccato turpi, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi Præceptum commiſſo, excipere audeat; ſublata propterea illi ipſo jure quacumque auctoritate, & juriſdictione ad qualemcunque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam; adeo quidem, ut abſolutio, ſi quam impertierit, nulla, atque irrita omnino ſit, tanquam impertita a Sacerdote, qui juriſdictione. ac facultate ad valide abſolvendum neceſſaria privatus exiſtit, quam ei per præſentes has noſtras adimere intendimus; & nihilominus, ſi quis Confeſſarius ſecus facere auſus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua abſolvendi poteſtatem Nobis ſolis, Noſtriſque Succeſſoribus dumtaxat reſervamus, ipſo facto incurrat. Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam

iſtarum; quod intolerabile videtur. Reſpondeo, id non videndum intolerabile in hypotheſi, (nota bene) quod quis deliberate aliquid ageret ad incurrendam infirmitatem, cum prævifione præfatarum omiſſionum ſecuturarum; nam revera voluntarie poneret cauſam omnium illarum ab eo prævifarum. Nonne qui prævidit, ſe ex tali, aut tali actione libere, & malitioſe aſſumpta impotem reddi ad ſolvendum creditori, ad implendum munus ſtricte debitum &c., reus ab omnibus judicatur violatæ juſtitiæ? & non aliunde, niſi quia volendo malitioſe cauſam, voluit injuſtos illos effectus illam conſequentes: ita in caſu noſtro, verificata illa hypotheſi. At quia vix imaginari poteſt adeo demens, qui data opera infirmari velit; & quia plerumque infirmitates incurruntur, quia homines ſibi ſuadent, ſe talia agendo, eas non eſſe incurſuros, vel ſaltem non eſſe futuras graves, & diuturnas, vel nil prævident de omiſſionibus inde ſecuturis; vel ſi eos ſincere pœnitet de peccaminoſa illa infirmitate; idcirco plerumque indicatæ omiſſiones illis non imputantur. Per hoc tamen excuſari ne putes illos, qui bacchanaliorum tempore ita ſanitatem ſucceſſivis intemperantiis prodigunt, ut pluries experti ſint ſe compelli ad jejunia quadrageſimæ violanda; quæ commode obſervare poſſent, ſi tot diſſolutionibus non darent operam; profecto neminem cordatum illos excuſaturum puto a violato præcepto in cauſa, quæ prævideri debebat hujuſmodi tranſgreſſionis pluries experta parens. Sed de hoc egimus in cap. de legibus §. 7. n. 13.

Confeſſioni ſubjicienda eſt cauſa cum effectu ſecuto, quamvis tempore hujus ſit impotis.

VII. Hinc ſequitur quod quamvis effectus malus eveniat tempore, quo quis impos animi eſt, v. g. mollities in ſomno, percuſſio in ebrietate &c. debeat nihilominus ſubjici confeſſioni una cum cauſa eidem data; ut tenet communior, & probabilior: eo quod peccata debeant integre confiteri; nemo autem ambigit, hujuſmodi effectum eſſe complementum peccati in cauſa poſita voliti. Idque comprobat fidelium praxis ſe de hujuſmodi effectibus, conſcientia docente, accuſantium.

§. VII. *De peccatis internis.*

Quid ſit delectatio? quid deſiderium?

I. PEccat homo peccato interno, vel aſſentiendo deliberate delectationi internæ rei vetitæ, vel aſſentiendo deſiderio ejuſdem: aſſentiendo delectationi; id eſt mere ſibi complacendo de objecto, aut opere malo apprehenſo, quatenus deliberate placet & gratum habetur, abſque intentione, aut deſiderio illud aſſequendi, vel perficiendi: aſſentiendo autem deſiderio objecti, vel operis pravi, aut efficaciter intendendo, & deliberando illud aſſequi, vel perficere, & tunc dicitur intentio efficax: aut deſiderando illud inefficaciter, quæ inefficacitas, ſi oriatur ex impotentia illud aſſequendi, vel perficiendi, poteſt adhuc includere deſiderium ardentiſſimum; ſi vero oriatur ex fluctuatione voluntatis nondum determinatæ illud aſſequi, aut perficere, tunc revera eſt deſiderium inefficax: & ſtatim nota primo, duplicem diſtingui poſſe voluntatis aſſenſum: unum formalem & expreſſum, V. G. dum quis deliberate vult objectum, aut opus vetitum mente conceptum; puta fornicationem; alterum virtualem implicitum, & interpretativum; V. G. dum quis volendo cauſam, vult effectum cum eadem connexum; V. G. dum quis volens occidere Patremfamilias, vult implicite omnia damna ex hac occiſione ſequenda.

Duplex voluntatis aſſenſus.

Triplex modus ſe gerendi voluntatis circa motus deordinatos.

II. Nota præterea, quod voluntas circa deordinatos motus paſſionum triplici modo ſe gerere poteſt; primo, eiſdem advertenter aſſentiendo aut voluntaria delectatione, aut voluntario deſiderio: ſecundo, illos rejiciendo, eoſdemque, quantum poteſt, reprimendo: tertio, negative ſe habendo, nullum videlicet actum eliciendo, ſive rejectionis, ſive admiſſionis, eligendo advertenter, nullum actum elicere. Primo modo jam conſtat, quod peccet graviter, vel leviter, juxta conditionem rei vetitæ, circa quam eſt delectatio, vel deſiderium. Secundo modo patet, quod nedum non peccet, ſed virtuoſe operetur. Tertio autem modo ſe gerendo, in primis certum eſt apud omnes, ſaltem peccare venialiter; etenim evidenter apparet negligentia, & deſidia in eo caſu. Certum ſimiliter eſt apud omnes, quod ſi dicto modo ſe gerendi interveniat probabile periculum conſenſus, fundatum vel in debilitate animi ſæpe lapſum experti, vel in pravis conſuetudinibus contractis, vel in qualitate & conditione motuum, qui ex ſe ſint valde periculoſi, quales ſunt libidinoſi vehementes, & prolixi; aut motus vindictæ valde ardentes, aliiſque conſimiles; in his, inquam, caſibus, communiter docent, voluntatem teneri actu poſitivo, etiam repetito illis motibus reſiſtere, eoſdemque rejicere, ne cenſeatur iiſdem interpretati-

Præmittitur quod eſt certum.

tativum aſſenſum præſtare, eo quod unusquiſque teneatur, a ſe arcere grave, & propinquiſſimum peccandi periculum; idque in caſu alio modo fieri nequit, niſi deteſtando illos motus, atque rejiciendo, Deum invocando &c.; & ita corroborando voluntatem, ne ſuccumbat; & ita expreſſe docent S. Thom. q. 15. de verit. a. 4. ad 10. & S. Antoninus p. 1. tit. 5. c. 1. §. 5. cum communi. Diſputatur autem, an, remoto periculo probabili conſenſus, & extra caſus modo indicatos, peccet mortaliter voluntas, quæ vult mere negative ſe habere erga deordinatos motus paſſionum appetitus ſenſitivi circa objectum grave?

Illicitum eſt mere negative ſe habere.

III. Longe probabilius eſt, quod illicitum ſit, mere negative ſe habere: unde qui experitur præfatos motus circa objectum mortale, & poſtquam eoſdem advertit, illos non deteſtatur, & repellit, peccat lethaliter, ſi eligat mere negative ſe habere: ita plures DD. graves: idemque docere videtur S. Thom. 1. 2. q. 74. a. t. 6. *Deficit ratio in directione paſſionum interiorum dupliciter: uno modo quando imperat illicitas paſſiones ſicut quando homo ex deliberatione provocat ſibi motum iræ vel concupiſcentiæ: alio modo*, (nota bene) *quando non reprimit illicitum paſſionis motum; ſicut cum aliquis poſtquam deliberavit*, (ideſt advertit) *quod motus paſſionis inſurgens eſt deordinatus, nihilominus circa ipſum immoratur, & ipſum non expellit: & ſecundum hoc dicitur peccatum delectationis moroſæ eſſe in ratione*. Ubi notandum eſt, apud S. Doctorem, in hoc caſu pro eodem accipi in motu illo *immorari*, & illum *non repellere*; & ideo prius dixit, non deficit ratio, *quando non reprimit motum illicitum paſſionis*. Et ratio eſt, quia interpretative, & virtualiter aſſentiri videtur; qui enim non elicit actum oppoſitum, dum poteſt, & tenetur; interpretative aſſentitur; atqui in caſu poteſt facillime elicare actum oppoſitum deteſtationis, invocationis divini auxilii &c. & alioquin tenetur; quod ſic probo; quia negative tantum ſe gerendo in motu vehementi, puta invidiæ, injuſtitiæ, &c. eo ipſo inſeparabile eſt periculum grave aſſentiendi, & dum deliberate non vult elicere actum oppoſitum, ſed negative ſe habere, eo ipſo amat periculum peccandi; cum enim experiatur, ſe illici ad aſſenſum, & cum poſſit ſe facillime corroborare per actum contrarium, non vult, ſed eligit negative ſe habere, quis, inquam, negabit, hominem ita ſe gerentem non eſſe in gravi periculo, ipſumque amare periculum, ut tandem in illo pereat aſſentiendo? tenebitur ergo ad actum oppoſitum, ne cenſeatur interpretative aſſentiri. Quænam enim prudens ratio afferri poterit, quæ illum excuſet a non eliciendo actu contrario, quem facillime elicere poteſt, & quo ſe corroboret ad arcendum a ſe periculum aſſentiendi? nulla omnino. Homo itaque nolens adeo facile ſe ipſum adjuvare; quomodo diſpoſitus erit ad obtinendum axilium Dei, in præfatis periculis de fide neceſſarium, quo a peccato evadat: Quomodo excuſari poterit homo ille ab interpretativo conſenſu præſtito? Audi S. Thomam loco ſupra indicato de Veritate: *Antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipſius, non habet interpretativum conſenſum, etiamſi non reſiſtat: ſed quando jam perpendit ratio de delectatione inſurgente, & de nocumento conſequenti, utpote cum percipit homo, ſe mortaliter per hujuſmodi delectationem in peccatum inclinari* (ut contingit præcipue in motibus etiam non ardentioribus libidinis) *& in præceps ruere*, (nota bene) *niſi expreſſe reſiſtat, videtur conſentire*: quid clarius?

Sed adeſt obligatio eliciendi actus contrarios ſub lethali.

Non tenemur ad cohibitionem exteriorem niſi in aliquo caſu.

IV. Quando voluntas actibus deteſtationis, invocationis, &c. ita ſe munivit, ut prudenter abſit periculum conſenſus in delectationem ex præfatis motibus conſurgentem, non tenetur ſub mortali illos exteriori cohibitione reprimere, niſi forte experiatur, trahi ad aſſenſum; ſed ſufficit, quod perſeveret in ſeria eorum nolitione, & rejectione. Ita Cajetanus verbo *delectatio moroſa* num. 4. quem plures ſequuntur, quos inter P. P. Salmantic. tract. 13. diſ. 10. dubio 1. §. 1. afferentes pro eadam 20. Theologos, & inter eos, S. Bonaventuram in 2. ſent. diſt. 24. in 2. parte diſtinctionis art. 2. q. 2. Ratio eſt, quia inordinatio, & malitia, quæ reperitur in præfatis deordinatis motibus, quando nullo modo eſt volita, & ſecluſo omni alio periculo, eſt tantum venialis, quia præfati motus, quando nullo modo ſunt voluntarii, non eſt, unde evadant mali moraliter, cum a voluntate dumtaxat mortalis malitia originem trahat, eo quod juxta D. Thom. 1. 2. q. 74. a 4. deordinatio ſenſualitatis de ſe non poſſit deordinare circa finem, quia deordinare circa finem, non pertinet niſi ad potentiam, quæ dirigit in finem, quæ eſt ratio, & voluntas: igitur quantumvis inordinati ſint, ſi deſit omnis aſſenſus voluntatis, & periculum

culum aſſenſus, nunquam poſſunt eſſe lethales; ideo includit S. D. *Unde peccatum mortale non poteſt eſſe in ſenſualitate, ſed tantum in ratione.*

Inordinati concupiſcentiæ motus, ſive a Dœmone excitati, ſive ſua ſponte exurgentes, ſi pœnitus involuntarii ſint etiam in cauſa, & voluntas eiſdem omnino obſiſtat, ac reluctetur, nullo modo ſunt peccata venialia; quia nullo modo ſunt voluntarii & liberi; omne quippe peccatum etiam veniale debet eſſe aliqua ratione voluntarium. Tunc ſolummodo ſunt peccata venialia, quando aliqua inadvertentia imperfecta intervenit, imperfectuſque voluntatis conſenſus accedit; quia homo nequit abſque omni culpa admittere, vel approbare etiam imperfecte, quod natura ſua pravum eſt, ac deordinatum, naturæque rationali minime conforme. Hæc ſane omnino conſentanea ſunt iis, quæ docet Auctor *Tract.* 3. *cap.* 2. §. 4. *n.* 3. Quare doctrina, quam hic tradit, nimirum inordinationem & malitiam, quæ reperitur in præfatis deordinatis motibus, quando nullo modo voluntas in illam concurrit, & ſecluſo omni alio periculo, eſſe venialem, temperanda videtur juxta ea, quæ docet loco ſupracitato. Lege Cl. Sylvium in 1. 2. q. 74. art. 3. & Em. Gotti Tom. 8. De Vitiis, & peccatis Quæſt. 5. Dub. 3.

Laudabile tamen, & conſulendum, illos etiam exterius cohibere.

V. Laudabile tamen eſt, illos motus etiam exteriori actu cohibere, & viro timorato quodammodo debitum, quando ſine magno incommodo id præſtare poteſt, tum ut tollatur omnis ſuſpicio occultiſſimi interpretativi conſenſus; tum ut arceatur commiſſio venialis culpæ, quæ ex omiſſione præfatæ cohibitionis, quando facilis eſt, incurri ſolet; tum ut homo diſponatur ad recipienda uberiora gratiæ auxilia; tum ut augeatur meritum reſiſtentiæ fortioris; tum ob majus dominium, quod voluntati acquiritur ſuper ſenſualitate, unde & debiliores prædicti deordinati motus impoſterum exurgant, & tandem quaſi totaliter quieſcant.

Quomodo inculpate permitti poſſunt?

VI. Permitti poſſunt præfati motus abſque culpa, voluntate ſemper averſa, conſtanterque illos deteſtante, necnon ſemoto omni conſenſus periculo, ob motivum aliquod neceſſarium, aut honeſtum, aut etiam utile, & licitum, puta audiendi confeſſiones, ſtudendi, aſſiſtendi infirmo, eidem medendi, &c. Hinc inferas, quomodo ſuſpicionem occulti interpretativi aſſenſus incurrere poſſunt illi, qui præfatis motibus dant cauſam, & ſæpe præviſam quibuſdam lectionibus, aut cantilenis, ex ſe non turpibus, ſed non omnino honeſtis vacando; qui verba nimis mollia erga perſonas alterius ſexus proferunt, qui ſolius curioſitatis explendæ motivo oculos figunt, aſpectus iterant circa quaſdam ſculpturas, picturas, facies, pectora, aliave objecta, quæ tametſi in ſe non graviter turpia, præfatis tamen motibus incentivum præbere ſolent. Conſulto dixi, non de ſe graviter turpia; quia objecta ex ſe graviter turpia & obſcæna intueri, aut verba vehementer excitantia audire, aut legere, a mortali non vacat. Omnes præfati, inquam, præter peccata venialia pinguia, quæ multiplicant, nedum prudentem ſuſpicionem alicujus taciti & occulti conſenſus in delectationem ſenſualem ſæpiſſime ſibi creant, verum etiam non raro in illam impingunt; vel quia lectiones, & cantilenæ confinia pudicitiæ nimis exceſſere, vel quia ſpectacula, & objecta viſa aut obſcæna, aut nimis allicientia fuere, nimiſque nudata; vel quia verba fuerunt nimis amatoria, & provocantia, & propterea vir chriſtianæ conſcientiæ, ne ſe his dubietatibus implicet, caute ab hujuſmodi rebus ſe cuſtodiat.

Quando extet ſuſpicio occulti aſſenſus?

Quid ſit delectatio peccaminoſa ſeu moroſa?

VII. Delectatio peccaminoſa eſt ſimplex & voluntaria de objecto, vel actu malo cogitato complacentia, abſque intentione efficaci illud aſſequendi, vel hunc exequendi; quando enim hæc intentio intervenit, tunc vocatur deſiderium: *hujuſmodi delectatio dici ſolet moroſa*, ait S. Thom. 1. 2. q. 74. a. 6. ad 3., *non ex mora temporis, ſed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, tenens, & volens libenter, quæ ſtatim ut attigerunt animum, reſpui debuerunt.* Poteſt igitur delectatio moroſa etiam momento durans eſſe peccaminoſa, ſi eo momento ſit deliberate volita; & ſi ſit de re, vel actu mortali, mortalis eſt.

Quid ſit delectari de objecto, quid de cogitatione objecti?

Circa hanc diligenter animadvertas ex eodem S. Doctore loco cit. art. 8., aliud eſſe delectari de objecto, vel actu malo, & aliud delectari de cogitatione objecti, vel actus mali: ut autem id abſque deceptione percipias, obſerva, quod in delectatione de objecto, vel actu malo, objectum malum, vel actus malus ſunt materia, circa quam verſatur delectatio: in delectatione autem cogitationis, vel cognitionis objecti, vel actus mali, non objectum,

vel

vel actus ſunt materia, ſed ipſa cogitatio vel cognitio objecti, aut actus mali eſt materia delectationis: unde vides, quod non in iſta, ſed in illa delectatione incurritur peccatum. Audi Angelicum loco cit. *Aliquis de fornicatione cogitans, de duobus poteſt delectari: uno modo de ipſa cogitatione; alio modo de ipſa fornicatione cogitata; delectatio autem de cogitatione ipſa ſequitur inclinationem affectus in cogitationem ipſam; cogitatio autem ipſa ſecundum ſe non eſt peccatum mortale, immo quandoque eſt veniale tantum; puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea; quandoque autem ſine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter de ea cogitat, ſicut cum vult de ea prædicare; vel diſputare; & ideo conſequens affectio & delectatio, quæ ſic eſt de cogitatione fornicationis, non eſt de genere peccati mortalis, ſed quandoque eſt peccatum veniale, quandoque nullum, unde nec conſenſus in talem delectationem eſt peccatum mortale. Quod autem aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipſo actu cogitato, hoc contingit ex hoc quod affectio ejus eſt inclinata in hunc actum; unde quod aliquis conſentiat in talem delectationem, hoc nil aliud eſt, quam quod ipſe conſentiat in hoc, quod affectus ſuus ſit inclinatus in fornicationem; nullus enim delectatur niſi in eo quod eſt conforme appetitui ejus: quod autem aliquis ex deliberatione eligat, quod affectus ſuus conformetur his, quæ ſecundum ſe ſunt peccata mortalia, eſt peccatum mortale; unde talis conſenſus in delectationem peccati mortalis, eſt peccatum mortale.* Ex quibus habes & diſtinctionem delectationis de cogitatione a delectatione de re cogitata; & rationem cur delectatio de re mala gravi cogitata ſit peccatum mortale; & talis non ſit delectatio de cogitatione.

Delectatio ſumit ſpeciem etiam a circumſtantiis objecti.

VIII. Delectatio ſpeciem ſumit nedum ab objecto, circa quod verſatur, verum etiam a circumſtantiis illud afficientibus, tametſi ſe delectans ab eis mente præſcindat, ita communior & probabilior cum S. Antonino, Cajetano, Soto relatis a Sanchez, lib. 1. ſum. c. 2. n. 11., quibus & ipſe ſubſcribit cum aliis multis. Ratio eſt, quia nedum objectum, ſed etiam quælibet circumſtantia illud afficiens, & ſpeciem novam addens, eſt ſufficiens, & ſpecialis titulus, ut prohibeatur delectatio illicita de eodem; quandoquidem delectatio tendit in ipſum ſicuti revera eſt: nec ſufficit, quod circumſtantia illa ſeparetur, & præſcindatur mente delectantis; quia adhuc in objecto invenitur: ſicuti ergo qui delectatur, ſi ſit voto caſtitatis obſtrictus, adhuc ſacrilege peccat ſe delectando de re venerea, quamvis mente ſecludat a ſe votum, & velit delectari tantum ut perſona humana, & non ut ſacra, nihilominus ſacrilegium perpetrat juxta omnes; ita & qui delectari vult de muliere, dumtaxat ut mulier eſt, & non ut virgo, ut conjugata, ut monialis; peccatum nihilominus incurret nedum contra caſtitatem, ſed contra juſtitiam, & contra Religionem; ſemper enim circumſtantiæ illæ ſunt indirecte volitæ, quia reaple afficientes objectum vetitum, quarum quælibet eſt ſpecialis ratio vetandi illicitam delectationem de eodem. Si dicas, poſſe quempiam delectari de artificio actionis peccaminoſæ, puta duelli, quin delectetur de duello. Reſpondeo, quod artificium illud eſt de ſe quid indifferens, nec ſpecialis ratio, ob quam abſtinendum ſit a duello: at in caſu noſtro circumſtantia illa eſt ſpecialis ratio nova, ob quam prohibeatur objectum: repete paritatem de ſe delectante, qui ſit voto adſtrictus. Indicium autem ex quo conjiciatur, quando quis delectatur de mero artificio, eloquentia, eruditione &c. an vero de re mala artificio adnexa, illud eſſe poteſt, ſi ſint alia honeſta, in quibus æqualis, & etiam major eloquentia, eruditio &c. reperitur, & nihilominus eligat legere, videre, audire artificium, eloquentiam &c. in turpibus, & malis; urgens motivum eſt prudenter conjectandi, quod delectetur de turpibus, & non de artificio ſolo in eis reperto.

Indicium unde conjiciatur, quando quis delectatur de ſolo artificio, an etiam de re mala.

Non licet delectari de malo ob bonum effectum: licet autem de bono effectu, non tamen ut illato a cauſa mala.

IX. Non eſt licitum delectari de malo propter effectum bonum ex illo ſecutum, puta de homicidio injuſto propter pacem familiæ inde profectam: ita communis contra nonnullos; quia delectatio æque fertur & in malum, & in bonum effectum; igitur qua parte fertur in malum, mala eſt. Neque reſpondeas, motivum delectationis eſſe bonum effectum; etenim id non ſufficit ad excuſandam præfatam delectationem; quia quamvis ratio movens delectionem ſit bonus effectus, ratio tamen illam terminans eſt tam homicidium, quam bonus effectus; nam caſus ab Auctoribus poſitus eſt de delectatione in utroque. Aliud autem dicendum eſt de eo, qui non delectatur de peccato, puta homicidio, quod deteſtatur, ſed mere de pace ſecuta; & de hac quidem, non ut illata ex homicidio, aut cum ipſo connexa, ſed prout

potuit

potuit etiam ab aliis cauſis proficiſci; quia tunc nihil eſt, unde redoatur delectatio culpabilis; quemadmodum eſſet culpabilis, ſi in eam tenderet delectatio tanquam in effectum homicidii.

Quando ſit illicitum delectari de actibus malis materialiter tantum patratis.

X. Delectari de actibus vel omiſſionibus prohibitis jure naturali, & retinentibus ſuam malitiam objectivam, patratis ſine malitia formali, nempe in ſtatu amentiæ, ebrietatis plenæ &c. numquam eſt licitum. Ratio eſt, quia delectatio ſemper fertur in objectum malum: unde qui delectaretur de fornicatione, blaſphemia &c. a ſe in ebrietate, ſomno &c. patratis, lethaliter peccaret in ſpecie dictarum actionum; eo quod involuntarietas illius ſtatus non expoliat præfatas actiones ſua malitia intrinſeca & objectiva. Delectari autem de actionibus, vel omiſſionibus ſolum jure poſitivo prohibitis a ſe in ſtatu oblivionis, ignorantiæ invincibilis, ſomno &c. patratis, ſi adhuc retineant malitiam objectivam, peccatum eſt; ſi autem malitia objectiva ſpolientur, non eſt peccatum. Probo & explico exemplis. Qui ex ignorantia aut oblivione, aut errore inculpabili V. G. die feſto laboravit, Sacrum omiſit, jejunium fregit, peccat de illis ſe delectando: quia quamvis dictæ cauſæ excuſent a culpa propter involuntarietatem agendi contra præceptum, non tamen tollunt obligationem ad illos actus ponendos, vel non ponendos reſpective; & proinde actiones illæ, aut omiſſiones adhuc perſiſtunt ſub prohibitione, & ſunt objective malæ. Quando vero cauſa excuſans non fuerit aliqua ex prædictis, ſed aut infirmitas, aut diſpenſatio, aut privilegium, tunc delectatio de illis non erit peccaminoſa, quia cauſæ iſtæ tollunt obligationem, qua ſublata, nulla remanet in illis operibus aut omiſſionibus malitia objectiva. Et a fortiori ſi cauſa excuſans fuiſſet juſtior, aut rationabilior, puta labor in feſto ad ſuſtinendam familiam fame pereuntem, omiſſio Sacri ad aſſiſtendum infirmo omni adjutorio deſtituto &c.

Delectari de malo temporali, & triſtari de bono temporali alterius, quandoque ſine peccato.

XI. Delectatio de malo temporali alicujus, ob bonum inde ſecutum, quando bonum eſt longe præſtantius quam ſit malum ipſi illatum, neque alio modo moraliter effectus ille bonus haberi poterat, non eſt illicita; ſicuti & triſtari de bono temporali alicujus ob mala certo moraliter inde ſecutura, gravia & injuſta, non eſt illicitum: Ita communis cum S. Doctore 2. 2. q. 36. a. 2. ubi loquens de triſtitia: *Dum quis* (ait) *dolet de bono alicujus in quantum ex eo timetur nocumentum, vel ſibi ipſi vel etiam aliis bonis* (intellige inferendum injuſte) .... *talis triſtitia poteſt eſſe ſine peccato: unde Gregorius 22. Moral. c. 11. ait: evenire plerumque ſolet, ut, non amiſſa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rurſum ejus gloria, ſine invidiæ culpa, contriſtet; cum, & ruente eo, quoſdam bene erigi credimus; &, proficiente illo, pleroſque injuſte opprimi formidamus.* Ratio eſt manifeſta, quia in præfatis affectibus nil admiſcetur charitati contrarium, immo ordo ejuſdem ſervatur; quo docemur in affectu noſtro meliora anteferre, & inferiora poſtponere: unde licet gaudere de morte naturali maleſactoris, vel ipſi a legitimo Judice illata, ſine qua publica quies obtineri non poterat: ita de infirmitate alicujus, ex qua ſecuta fuit ejus converſio ſincera ad Deum: ita de amiſſione bonorum temporalium illius præpotentis, quibus abutebatur ad vexandum injuſte proximum: ita & triſtari de illius exaltatione, qua prudenter prævidetur abuſurus in damnum innocentum, &c.

Obſervatio in his habenda.

XII. Obſerva tamen cum Cajetano in comment. ſuper eo articulo, quod triſtitia illa judicanda ſit ſecundum regulas timoris; qui enim timet, boni ne opprimantur, aut ne juſtitia & cultus divinus conculcetur, ob potentiam, & divitias alicujus, ſi clara eſt hujuſmodi malorum conſecutio, non eſt culpabilis triſtitia; cujus ſignum eſt, quod ſi haberet poteſtatem privandi illum hujuſmodi potentia & divitiis, bene faceret privando illum. Si autem aliquis timet ex alterius potentia lædi juſte, vel non injuſte, & ideo de illius potentia triſtatur; peccat, quoniam hujuſmodi timor non debet in tantum progredi, ut nolit bonum alterius; .... cujus ſignum eſt, quod ſi haberet poteſtatem privandi illum tali potentia, non licite propter hoc privaret illum. Hæc Cajetanus caute docens. Hic opportune addendæ ſunt nonnullæ theſes damnatæ ab Innocentio XI. una eſt n. 13. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari; & de illius morte naturali gaudere; illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Altera eſt n. 14. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæredi-*

Digitized by Google

reditas. Altera eſt n. 15. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis, a ſe in ebrietate patrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas*. Harum theſium impietas jam patet ex multis, ſed quam maxime, quia delectatio fertur in malum longe gravius bono inde expectato.

Viduis & Sponſis de futuro non licet delectari de actibus in ſtatu alio licito habitis, vel habendis.

XIII. Non licet Viduæ perſonæ delectari de actibus conjugalibus habitis cum conjuge vivente; neque perſonæ tantum in matrimonium promiſſæ de actibus futuris in ſtatu matrimonii, delectatione ſenſibili, & multo minus ſenſuali, ut docet communis; quia delectatio ſenſibilis eſt in his perſonis occaſio evidenter proxima delectationis ſenſualis; ideoque graviter illicita, ſicuti & ſenſualis, ad quam nullum jus eis ineſt. Delectari autem delectatione tantum rationali, conſiſteute in mera & ſimplici approbatione rationis circa juſtitiam & honeſtatem eorum actuum, quamvis licitum ſit, quippe quod objectum ſit de re honeſta & juſta; in praxi tamen eſt magnum periculum, ne fiat tranſitus de delectatione rationali ad ſenſibilem, & ſenſualem; idcirco tam viduæ perſonæ, quam deſponſatæ, ſeu promiſſæ ſe arcere debent a præfatis conſiderationibus, ſi velint a lapſibus in delectationes vetitas ſe cuſtodire.

Deſiderare malum ſub conditione, ſi tale non eſſet.

XIV. Conſenſus conditionati, ſeu deſideria conditionata de objecto, aut actu malo, ſub hac conditione, ſi non eſſet peccatum, quando verſantur circa objectum, vel actum per ſe malum, & naturali jure prohibitum, ſunt peccata lethalia, vel venialia pro ratione materiæ, ut docet communior, & probabilior. Ratio eſt, quia ſunt mala ab intrinſeco, & ex natura ſua, itaut nequeant a malitia expoliari, ſalva eorum conſiſtentia; igitur cum impoſſibile ſit, non eſſe mala, affectus in illa tendens, cum tendat ſub conditione impoſſibili, ſemper eſt malus: quia juxta regulam juris, conditio impoſſibilis reputatur non poſita. Quando autem res deſiderata non eſt ab intrinſeco, & per ſe mala, ſed eſt mala, quia dumtaxat jure poſitivo vetita, tunc illam cupere ſub conditione illam expoliante malitia, ſi non eſſet vetita, non eſt peccatum lethale; ſed otioſum, vel guloſum, juxta conditionem rei, quæ ex affectu gulæ, vanitatis &c. deſideratur. Ratio eſt, quia deſideratur in ſenſu diviſo, & illam expoliante ea conditione, a qua ſolummodo redditur mala lethaliter, & quæ adhuc ſubſiſtit ſine illa circumſtantia: unde qui dicit ſornicarer, ſi non eſſet peccatum, peccat lethaliter, ad differentiam illius, qui dicit: hodie comederem carnes, niſi eſſet vetitum.

Deſiderare ſibi mortem, quando ſit peccatum?

XV. Serio & deliberate ſibi optare mortem ex ira, impatientia, & ex quocumque motivo ſimili, ſeu irrationabili eſſe lethale, non eſt qui dubitet, utpote deſiderium oppoſitum juſtitiæ reſpectu Dei, qui ſolus eſt vitæ noſtræ Dominus, quippe illam nobis conceſſit ad uſum: unde ſicut vitam ſibi eripere eſſet injuſtitia actualis realis contra Divinum jus; ita mortem ſerio ſibi optare, eſt injuſtitia in affectu contra idem jus, ad quod ſpectat, illam nobis eripere, quando ſibi placuerit, & non quando nos irrationabiliter optamus: Eſt etiam peccatum contra charitatem ſibi debitam, ut patet. An autem mortem ſibi ſerio, & deliberate deſiderare, non ex impetu iræ, & impatientiæ &c., ſed ob honeſtam triſtitiam provenientem ex aliquo graviſſimo malo, quæ nobis jam evenit, aut certo moraliter eſt eventurum, & cum ſubmiſſione animi Divinæ Providentiæ, ſi ita Deo placeat; putarem non eſſe peccatum ſaltem lethale. Quandoquidem & Moyſes Numer. 11. pertæſus pervicaciæ, & inconſtantiæ populi Iraël petiit a Deo, *Obſecro ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis malis afficiar*. Ita Elias aſſiduis Reginæ Jezabel perſecutionibus vexatus 3. Reg. cap. 19. *Petivit animæ ſuæ; ut moreretur, & ait: ſufficit mihi, Domine, tolle animam meam*. Similiter Mattath. perſpiciens deſolationem Gentis ſuæ 1. Machab. 2. dixit: *Quo ergo nobis adhuc vivere?* Et filius ejus Judas cap. 3. *Melius eſt nobis mori in bello, quam videre mala Gentis noſtræ*. Immo Spiritus Sanctus Eccleſiaſt. c. 30. num. 17. definivit: *Melior eſt mors, quam vita amara, & requies æterna, quam languor perſeverans*. Ubi requei æternæ vocibus ſignificatur requies ſepulchri, præciſo omni reſpectu ad bona alterius vitæ, ut notant Cornelius, & Calmet ſupra dicta verba: Si igitur melior eſt mors, quam vita amara, cum deſiderare meliora non ſit peccatum; nec peccatum erit, illam deſiderare ad evitanda gravia mala, modo ſupra explicato. Quænam autem erunt hæc mala morte amariora? Judicio prudentis viri decernendum relinquitur, ſpectatis circumſtantiis perſonarum, rerum, locorum, & temporum. Scripturæ adductæ nobis quædam indigitant; diuturnum morbum, præcipue ſi diris doloribus conjunctum; aſ-

ſiduas & graves perſecutiones; cladem imminentem propriæ gentis; quibus addere poſſumus perpetuam captivitatem duram & periculoſam; gravem infamiam evulgandam, aliaque his ſimilia.

Triſtari deliberate de opere bono quando peccatum?

XVI. Triſtari de bono opere nullam involvente temporalem, aut corporalem difficultatem, nullumve laborem, puta de actibus virtutum theologalium, nec non moralium, abſtracte, & objective acceptarum, non vacat a peccato lethali, vel veniali, pro ratione materiæ, & actus, nec non pro ratione præcepti, aut conſilii, quo præſcribuntur. Ratio eſt, quia nullum afferri poteſt motivum excuſans a peccato deliberatam illam triſtitiam; cum nullum incommodum adduci queat, niſi illud dumtaxat, quod involvitur in repreſſione hujuſmodi irrationabilis triſtitiæ; quæ aliunde oriri nequit, niſi ab averſione a bono, quatenus bonum eſt. Quando vero bonum executioni mandandum ſecum affert incommoda, pœnalitates, labores, &c.; triſtari de iſtis, & non de bono opere, tunc erit veniale; quia non eſt averti a bono ut bono, ſed a labore, incommodo &c. Attamen ſi triſtitia eouſque progrederetur, ut vel induceret in animum firmum propoſitum bonum illud non perficiendi, data occaſione; vel retraheret ab eo perficiendo, inſtante præcepto; tunc jam patet, quod eſſet mala graviter vel leviter juxta conditionem materiæ, a qua exequenda retraheret.

D. Thomas 2. 2. q. 84. a. 6. poſtquam triplici ratione oſtendit, eſſe melius magiſque meritorium facere idem opus cum voto, quam facere ſine voto,, in reſponſione ad 2., quod ſibi objectat, argumentum, hæc docet: *Si tamen opus ipſum ſecundum ſe conſideratum triſte, & involuntarium redderetur poſt votum, dum tamen remanet voluntas votum implendi, adhuc eſt magis meritorium, quia impletio voti eſt actus Religionis, quæ eſt potior virtus, quam abſtinentia, cujus actus eſt jejunare*. Hactenus S. D. Hanc autem doctrinam expendens Cl. Sylvius, ut eam illuſtret, inquirit, an abſque peccato quempiam pœnitere poſſit ſui voti, & an etiam tunc magis ſit meritorium aliquid facere ex voto, quam aliter.

„ Cum diſtinctione, inquit, eſt reſpondendum. Vel enim aliquem pœnitet voti, ſic ut vellet non voviſſe, ſed tamen, quia vovit, omnino vult implere ſuum votum; vel ita pœnitet, ut non ſit ei curæ ejus promiſſum facere ex affectu voti, tamen veritus ne graviter Deum offendat, retinet voluntatem faciendi; vel ſic pœnitet, ut vellet ſe nec voviſſe, nec hactenus opera voti feciſſe; vel ſic, ut quamvis non doleat ſe huc uſque votum impleviſſe; deinceps tamen non amplius velit implere; vel ita ut opus promiſſum ex metu ſolum damnationis faciat, aut etiam ex ſolo humano timore, vel pudore, alias non facturus. —

„ Primus per ſe loquendo non peccat, aut certe nonniſi venialiter. Nam qui vovit, non ad aliud obligatur, quam ad rem promiſſam præſtandam; & ſicut antea non tenebatur, velle vovere, ita nec modo videtur teneri, velle voviſſe, modo habeat voluntatem præſtandi quod vovit. Per accidens tamen, ut ſi nulla ſubſit ratio talis pœnitudinis, poteſt frequenter eſſe peccatum veniale cujuſdam ingratitudinis.

„ Secundus poteſt etiam plus mereri faciendo opus promiſſum, quam alius. Cum enim timor peccati, quatenus eſt offenſa Dei, pertineat ad caritatem, ex affectu caritatis illud opus facere poteſt, ac etiam referre ad finem religionis. Talis tamen ejus pœnitudo non eſt frequenter abſque aliquo veniali peccato.

„ Tertius, & quartus peccant mortaliter tanquam violatores voti. Nam unus ponitur, velle non impleviſſe votum; ſi autem non impleviſſet, peccaſſet mortaliter; atque adeo ipſum pœnitet de re, ad quam tenebatur ſub mortali: alius dicitur, velle deinceps non implere, quod ſimiliter eſt mortale, ſuppoſita gravitate materiæ.

„ Quintus plerumque peccat; & quamvis non peccaret, opus tamen ejus non eſt meritorium, quia non facit voluntate placendi Deo „. Sic ille. Quæ quidem, ut nemo non videt, clarius evolvunt, quod docet Auctor *num. præcedenti*.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

DE PECCATIS

SEU

VITIIS CAPITALIBUS.

Peccatum aliquod ex eo Capitale dicitur, ait S. Thom. 1. 2. q. 84. *quod metaphorice ſignificat principium aliorum peccatorum, & ſic dicitur vitium Capitale, ex quo alia vitia oriuntur.* Peccata Capitalia ſeptem enumerantur, Superbia, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia, Acedia.

§. I. *De Superbia.*

Quid ſuperbia, & quale peccatum?

I. SUperbia ex S. Thom. 2. 2. qu. 162. a. 2. *Eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.* Eſt peccatum mortale ex genere ſuo, (non in toto genere ſuo, quia admittit parvitatem materiæ: recorderis quid diximus §. V. n. 5.) quia, ait S. Doctor, ſuperbia ex vi ſuæ naturæ avertit hominem a ſubjectione Dei, & proximi, unde apparet gravis læſio juſtitiæ & charitatis.

Quando lethale?

Tunc igitur erit peccatum lethale, quando homo nemini ſubjici vult: quando bona quæ habet, ea a ſe habere ſibi ſuadet, & non a Deo, quando vult videri, quod illa habeat a ſe: quando dolet, quod illa habeat a Deo: quando illa adſcribit meritis ſuis: quando cupit, quod meritis ſuis adſcribantur. Servata igitur debita ſubjectione Deo, & quibus tenemur, ſe extollere, & velle haberi in honore, æſtimatione &c. communiter eſt veniale; niſi tamen jactantia redundaret in gravem contemptum proximi, aut in damnum notabile ejuſdem; ut evenire poteſt, dum quis ſe jactans peritum in tali, aut tali arte, ſcientia &c., cum revera talis non ſit; unde & aliis profeſſoribus damnum creatur; & ipſo jactatore utentibus periculum obvenit; puta ſi quis ſe peritum medicum, chirurgum &c. jactat; & inde infirmi decipiantur cum eorum gravi damno, & periculo; tunc enim eſſet grave peccatum ſuperbiæ injuſtæ. Hæc ſunt deprompta ex S. D. 2. 2. q. 162. art. 4.

Tria vitia ex Superbia

II. Tria vitia ſpeciali quadam ratione ex ſuperbia oriuntur, nempe Ambitio, quæ eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ quoad honores, aut dignitates propria merita excedentes. Inanis gloria, quæ eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, quoad manifeſtationem ejuſdem, ad captandam humanam laudem & gloriam. Præſumptio, quæ eſt appetitus inordinatus propriæ excellentiæ quoad ea aggredienda, quæ proprias vires excedunt.

oriuntur. Ambitio Inanis gloria; Præſumptio.

Septem alia ex Inani gloria.

III. Juxta S. D. 2. 2. q. 132. a. 1. ex Inani gloria alia ſeptem vitia ſoboleſcunt, reſpective ad ſeptem modos, quibus homo vanus gloriam ſuam ampliare affectat. Primum eſt Inobedientia, quæ inducit hominem ad non exequenda deliberate ea, quæ a Superiore juſte præcipiuntur; & ſi non obediatur in re gravis momenti, aut ex contemptu, eſt mortalis. Secundum eſt Jactantia, quæ inducit hominem ad ſe gloriandum per verba ſupra id quod eſt, vel ab aliis juſte habetur; & eſt mortalis, ſi jactantia ſit de re mortali, puta de vindicta gravi &c. Tertium eſt hypocriſis, quæ inducit hominem ad ſimulandum factis vel ſignis id, quod vel non habet, vel non eſt: & quando habet finem graviter malum, eſt mortalis: veluti ad obtinendum beneficium, ad ſeducendam mulierem &c. Quartum eſt Contentio, quæ inducit hominem ad inordinate altercandum, ut ab aliis habeatur doctior, prudentior, quam alii. Si contentio collimet ad graviter verecundandum proximum, aut ad ſuſtinendam doctrinam tall'im circa credenda, vel agenda, eſt mortalis. Quintum eſt Pertinacia, quæ inducit hominem ad imprudenter tenendam, & defendendam ſuam opinionem contra ſapientiorem ſe, ad oſtendendum proprium ingenium: & ſimiliter ſi verſetur contra res fidei, aut morum, eſt mortalis. Sextum eſt Diſcordia, quæ inducit hominem ad inordinate oſtendendum, voluntatem ſuam voluntati alterius præſtare: & eſt mortalis, quando adverſatur voluntati alterius, cui adhærere tenetur, dum agitur de re notabili ad Deum vel proximum pertinente. Septimum eſt Novitas, quæ inducit hominem ad ſuam excellentiam manifeſtandam per novas adinventiones in epulis, ludis, ornatibus &c.: poteſt eſſe mortalis, ſi modus notabiliter excedatur; vel ſi fiat in damnum proximi, puta cum malo exemplo, & in laqueum animarum; circa quod peccant non raro graviter mulieres in novis ornatibus inverecundis, & detegentibus quæ tegenda eſſent. Sed circa hoc ſuo loco agetur, nempe de Scandalo, tract. 4. c. 9. §. 6. Hæc omnia ſunt delibata ex S. Th.

2. 2. q. 162. in octo articulis, & q. 131. in quinque articulis, & q. 131. a. 5., & q. 112. in duobus articulis, & q. 111. in quatuor articulis.

§. II. *De Avaritia.*

Quid ſit Avaritia, et quale peccatum?

I. AVaritia, juxta S. Thom. 2. 2. q. 118. *eſt inordinatus appetitus divitiarum*, quo nomine ſignificantur omnia pretio æſtimabilia. Eſt mortale non in toto genere ſuo, quia admittit parvitatem materiæ, ſed ex genere ſuo; quia adverſatur juſtitiæ & charitati. Committitur tribus modis, nempe immoderate appetendo; inordinate acquirendo; & injuſte retinendo. Hinc inferas, Avaritiam aliquando opponi Juſtitiæ, aliquando Liberalitati: Juſtitiæ opponitur, acquirendo pecunias per media juſtitiæ adverſantia, videlicet per furta, fœnora, &c. & niſi parvitas materiæ excuſet, ſemper mortaliter delinquitur. Retinendo pecunias, dum non ſolvuntur debita, neque ea cura, & ſollicitudo adhibetur, ut debitor ſufficiens reddatur ad ſolvedum, & etiam in hoc plerumque mortaliter peccatur: de quo plura in tractatu de reſtitutione. Retinendo item peccatur, dum debitæ eleemoſinæ juxta proprium ſtatum non erogantur: Et etiam in hoc ſæpe graviter delinquitur, de quo plura in tractatu de charitate proximi. Liberalitati vero opponitur avaritia, quatenus debito modo pecunia non expenditur, & diſtribuitur, puta nimis parce alendo familiam, dolendo de expenſis neceſſariis, & decentibus &c.

Avaritiæ ſoboles.

II. Septem vitia ex avaritia ſoboleſcere, notavit S. Thom. 2. 2. q. 118. a. 8, nempe Proditionem, qua produntur perſonæ, ſicut fecit Judas. Fraudem, qua committitur dolus malus in opere aliquo: Fallaciam, qua decipitur proximus in verbis ſimplicibus. Perjurium, quo decipitur proximus in verbis juramento firmatis: Inquietudinem, quæ ingerit homini ſollicitudinem animi, curaſque ſuperfluas ad augendas opes: Violentiam, quæ inducit homines quandoque ad utendum vi, ut rapiat; & Obdurationem, quæ cor hominis indurat, ne miſereatur pauperis.

§. III. *De Luxuria.*

Quid ſit Luxuria, & quale peccatum?

I. DEfinitur Luxuria a S. Thom. 2. 2. q. 153. Appetitus, aut uſus inordinatus, vel indebitus venereorum: Quoties adſit perfecta deliberatio, eſt peccatum mortale nedum ex genere ſuo, ſed etiam in toto genere ſuo, quia non admittit parvitatem materiæ: etenim quæcumque delectatio venerea illicita deliberate admiſſa graviter pugnat contra rectam rationem, cum ſit quædam inchoatio actionis conſummatæ, quæ eſt graviter illicita.

II. Sex ſunt Luxuriæ conſummatæ ſpecies: nempe Fornicatio, Adulterium, Inceſtus, Stuprum, Raptus, & Vitium contra naturam. Fornicatio eſt congreſſus ſoluti cum ſoluta, quæ jam fuerit deflorata, ut notat S. Th. loc. cit. q. 154. a. 6. ad 1.: ut itaque ſit ſimplex fornicatio nullum debet in fornicantibus adinveniri vinculum, ſive matrimonii, ſive conſanguinitatis, aut affinitatis, ſive Ordinis Sacri, ſive Religionis, ſive Voti; ita ut poſſit inter eos, ſi voluerint, matrimonium celebrari.

Species Luxuriæ, Quid Fornicatio?

Fornicatio eſt per ſe mala.

III. Fornicationem ab intrinſeco, & ex ſe malam, & illicitam eſſe, præterquam quod ſit de fide Epheſ. 5., & 1. Corinth. 6., ex eo probat S. Th. 2. 2. q. 154. a. 3., quod ſit contra vitam prolis conceptæ, ad cujus ſuſtentationem præcipue concurrit ſollicitudo paterna; qua privari ſolet proles fornicaria, utpote patre incerto nata. Neque vim hujus rationis labefactat, quod pater fornicarius curam genitæ prolis ſuſcipiat; *Quia*, reſpondet S. D., *id quod cadit ſub legis determinatione judicatur ſecundum id, quod communiter accidit, & non ſecundum id, quod in aliquo caſu poteſt accidere*, ſicut accidere poteſt, patrem fornicarium curam gerere prolis fornicariæ ſuſceptæ; cum alioquin ex natura fornicationis inconveniens adductum ſequatur. Neque quidquam officit explicatio Gloſæ ſuper illud Deuteron. 23. *non erit meretrix*, &c. dicentis, *ad meretrices prohibet accedere, quarum eſt veniali turpitudo*: ubi notat S. D. q. cit. a. 2. quod ly *venialis* ſit mendum: *non debet dici venialis, ſed venialis turpitudo, quod eſt proprium meretricum*. Juſtiſſime igitur Innocent. XI. hanc theſim n. 4. damnavit. *Tam clarum eſt, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino diſſonum rationi videatur.* O audaciam!

Quid ſit Adulterium, et quot modis committatur?

IV. Adulterium eſt congreſſus aut viri, cum uxore alterius, aut mulieris, cum marito alterius, aut utriuſque jam matrimonio vincti; quo peccato, præter caſtitatem, violatur etiam juſtitia, novam peccati ſpeciem addendo: & eſt in confeſſione explicandum, an unus, an uterque fuerit conjugatus. Non raro exurgit etiam obligatio reſtituendi, ſi proles ſpuria concipiatur; de quo plura in tractatu 9. cap. 6. §. 2.

Digitized by Google

§. 3. Eſt adulterium, quamvis maritus adulteræ inique conſentiat; ita definiente Innocentio XI. theſim. n. 50. configente; in qua ſtatuebatur: *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium, adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum*; quia ejus iniqua ceſſio violat jus commune conjugale.

Quid ſit Inceſtus, et quot modis perpetretur?

V. Inceſtus eſt congreſſus cum perſona conſanguinitate, vel affinitate conjuncta intra eos gradus, intra quos nequit matrimonium iniri. Iſti gradus ſunt in confeſſione explicandi, &, juxta omnes, primus & ſecundus: & juxta probabiliorem etiam alii; quandoquidem quo ſtrictior eſt gradus, eo notabiliorem affert luxuriæ deformitatem; eo quod, juxta S. D. loco cit. art. 9., inceſtus ſpeciem, & gravitatem deſumat ab irreverentia, quæ luxuriando committitur in conſanguineos, aut affines: & ſicuti eo difficilior eſt diſpenſatio ad contrahendum matrimonium, quo eſt gradus conjunctior; ita etiam notabiliter efficit luxuriam graviorem: & gravior eſt inceſtus, qui ex conſanguinitate oritur, quam qui ex affinitate.

Quid inceſtus ſpiritualis, & quotuplex?

VI. His accedit Inceſtus ſpiritualis, qui eſt illicita congreſſio inter perſonas vinculo ſpirituali conjunctas, orto ex Baptiſmo, aut Confirmatione; & comprehendente baptizantem & baptizatum; baptizantem & genitores baptizati; Patrinos & baptizatum; patrinos & baptizati genitores; & idem dices de Confirmatione. Hic inceſtus eſt gravior carnali, utpote vinculum ſanctius, & cognationem nobiliorem offendens: ac proinde in confeſſione explicandus juxta ſuum gradum; quandoquidem longe gravius eſt, ſi perpetretur inter baptizantem & baptizatum, quam inter baptizantem & matrem baptizati &c.

Sacrilegium veneteum.

VII. *Addi poteſt ſpeciebus Luxuriæ* ex S. Th. 2. 2. q. 154. a. 10. *Sacrilegium*, conſiſtens in peccato luxuriæ vel cum perſona, vel inter perſonas Deo per votum caſtitatis conſecratas: quia ait S. D. *obſervatio caſtitatis, ſecundum quod ordinatur ad cultum Dei, fit actus religionis, ut patet in illis qui vovent; . . . . unde manifeſtum eſt quod qui violat aliquid ad divinum cultum pertinens, ſpectat ad ſpeciem ſacrilegii: ſicut furtum, quod propter adulterium committitur, ſpectat ad ſpeciem adulterii.*

Notandum pro confeſſione.

VIII. Et notandum, quod ſicuti actus exteriores luxuriæ cum omnibus reſpective memoratis perſonis directe ſpectant ad ſpeciem inceſtus, adulterii, &c.; ita etiam actus interiores delectationis, vel deſiderii erga eaſdem, reducuntur ad eaſdem ſpecies; cum ſint actus interiores pravi attingentes objectum tali, aut tali qualitate ſpeciem mutante affectum.

Sacrilegium confeſſarii cum perſona pœnitente, circa quod nova Bulla Benedicti XIV.

IX. Sacrilegium autem Confeſſarii cum perſona pœnitente, præter votum quod violatur, affert etiam rationem quamdam inceſtus ſpiritualis inter Patrem & Filium, aut Filiam ſpiritualem. Contra hoc graviſſimum crimen ſevere animadvertit Sum. Pont. Benedictus XIV. feliciter regnans in ſua Bulla ſub die 1. Junii, anni 1741., in qua privat confeſſarium illum facultate abſolvendi perſonam complicem: (niſi tantum in articulo mortis, & deficiente quolibet alio Sacerdote, qui poſſit id munus obire) irritando abſolutionem, ſi illam audeat miniſtrare: & qui id attentare auſus fuerit, excommunicationem ipſo facto incurrit ſoli Pontifici reſervatam, a quo dumtaxat abſolvi poſſit. Hæc ſunt verba Conſtitutionis: „Omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam „Regularibus cujuſcumque Ordinis, ac Dignitatis, tametſi alioquin ad Confeſſiones excipiendas approbatis, & quovis „Privilegio, & Indulto, etiam ſpeciali „expreſſione, & ſpecialiſſima nota, & „mentione digno ſuffultis, Auctoritate „Apoſtolica, & Noſtræ Poteſtatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne „aliquis eorum, extra caſum extremæ „neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus „obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ Complicis in peccato turpi, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi Præceptum commiſſo, excipere „audeat; ſublata propterea illi ipſo jure „quacunque auctoritate, & juriſdictione „ad qualemcunque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam; adeo quidem, ut „abſolutio, ſi quam impertierit, nulla, „atque irrita omnino ſit, tanquam impertita a Sacerdote, qui juriſdictione, „ac facultate ad valide abſolvendum neceſſaria privatus exiſtit, quam ei per „præſentes has noſtras adimere intendimus; & nihilominus, ſi quis Confeſſarius ſecus facere auſus fuerit, majoris „quoque excommunicationis pœnam, a „qua abſolvendi poteſtatem Nobis ſolis, „Noſtriſque Succeſſoribus dumtaxat reſervamus, ipſo facto incurrat. Declarantes „etiam, & decernentes, quod nec etiam „in

„ in vim cujuſcumque Jubilæi, aut etiam
„ Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ,
„ aut alterius cujuslibet Indulti Confeſſio-
„ nem dicti complicis hujuſmodi quiſpiam
„ valeat excipere, eique Sacramentalem
„ abſolutionem elargiri; cum ad hunc ef-
„ fectum, & in hoc caſu nullus Confeſſa-
„ rius, utpote qui in hujuſmodi peccati,
„ & Pœnitentis genere, juriſdictione, ut
„ præfertur, careat, & abſolvendi faculta-
„ te a Nobis privatus exiſtat, habendus
„ ſit pro Confeſſario legitimo, & appro-
„ bato". Aliam edidit Conſtitutionem
idem Sum. Pont. ſub die 8. Februarii anni 1745. quæ incipit, *Apoſtolici muneris*; in qua, ſupra ea Conſtitutionis parte, quæ mortis articulum reſpicit, exortas dubitationes reſolvit, declarans: „ Singulis ut
„ ſupra, Sacerdotibus, quemadmodum in-
„ terdictum non eſt in mortis articulo per-
„ ſonam in prædicto turpi peccato com-
„ plicem confitentem audire, atque ab
„ hujuſmodi quoque culpa rite contritam
„ abſolvere, deficiente tunc quocumque
„ alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obi-
„ re poſſit: ita interdici reipſa, & prohi-
„ beri prædicto modo tunc audire, & ab-
„ ſolvere, ut ſi alius aliquis Sacerdos non
„ defuerit, etiamſi forte iſte alius ſimplex
„ tantummodo Sacerdos fuerit, ſive alias ad
„ Confeſſiones audiendas non approbatus,
„ poſſit nihilominus ipſe Sacerdos ſimplex
„ Confeſſionem excipere, ac abſolutionem
„ impertiri. Porro ſi caſus urgentis quali-
„ tas, & concurrentes circumſtantiæ, quæ
„ vitari non poſſint, ejuſmodi fuerint, ut
„ alius Sacerdos ad audiendam conſtitutæ
„ in dicto articulo perſonæ Confeſſionem
„ vocari, aut accedere, ſine gravi aliqua
„ exoritura, infamia, vel ſcandalo, neque-
„ at; tunc alium Sacerdotem perinde ha-
„ bet, cenſerique poſſe, ac ſi revera abeſ-
„ ſet, atque deficeret; ac proinde in eo
„ rerum ſtatu, non prohiberi ſocio crimi-
„ nis Sacerdoti abſolutionem petenti ab eo
„ quoque crimine impertiri. Sciat autem
„ complex ejuſmodi Sacerdos, & ſerio ani-
„ madvertat, fore ſe reipſa coram Deo,
„ qui irrideri non poteſt, reum gravis ad-
„ verſus prædictam noſtram Conſtitutio-
„ nem inobedientiæ, latiſque in ea pœnis
„ obnoxium, ſi prædictæ infamiæ aut ſcan-
„ dali pericula ſibi ultro ipſe confingat,
„ ubi non ſunt: imo intelligat, teneri ſe
„ graviter hujuſmodi pericula, quantum
„ in ſe erit, antevertere, & removere,
„ opportunis adhibitis mediis; unde fiat,
„ ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat
„ illius Confeſſionis, abſque ullius infamiæ,
„ vel ſcandalo, audiendæ. Ita enim ipſum
„ teneri vigore memoratæ noſtræ Conſti-
„ tutionis declaramus; & nunc quoque ita
„ ipſi faciendum eſſe diſtricte mandamus,
„ & præcipimus. Quod ſi idem Sacerdos
„ aut quovis modo ſeſe nulla gravi neceſ-
„ ſitate compulſus ingeſſerit, aut, ubi in-
„ famiæ, vel ſcandali periculum timetur,
„ ſi alterius Sacerdotis opera requirenda
„ ſit, ipſe ad id periculum avertendum
„ congrua media adhibere de induſtria ne-
„ glexerit, atque ita perſonæ in dicto cri-
„ mine complicis, eoque in articulo, ut
„ præfertur, conſtitutæ Sacramentalem
„ Confeſſionem excipere, ab eoque crimine
„ abſolutionem largiri, nulla, ſicut præ-
„ mittitur, neceſſaria cauſa cogente, præ-
„ ſumpſerit; quamvis hujuſmodi abſolutio
„ valida futura ſit, dummodo ex parte
„ pœnitentis diſpoſitiones a Chriſto Domi-
„ no ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem
„ requiſitæ non defuerint, non intendimus
„ enim pro formidando mortis articulo ei-
„ dem Sacerdoti, quantumvis indigno,
„ neceſſariam juriſdictionem auferre, ne
„ hac ipſa occaſione aliquis pereat: nihi-
„ lominus Sacerdos ipſe violatæ auſu ejuſ-
„ modi temerario Legis pœnas nequaquam
„ effugiet; ac propterea latam in dicta
„ Conſtitutione majorem excommunicatio-
„ nem, eodemque plane modo, quo ibi-
„ dem decernitur, Nobis, & huic San-
„ ctæ Sedi reſervatam, incurret, prout
„ illum eo ipſo incurrere declaramus, vo-
„ lumus, atque ſtatuimus.

X. Stuprum eſt illicita, ideſt extra matrimonium, Virginis defloratio, ſcilicet congreſſus, quo primo illi virginitas adimitur. Eſt peccatum aſſerens, præter violationem caſtitatis, ſpecialem injuriam, & defloratæ, & cuſtodibus ejuſdem, ut docet S. Thomas loco cit. a. 6. defloratæ quidem, *quia ponitur in via meretricandi*; cuſtodibus autem, *quia de ejus cuſtodia ſollicitudinem gerunt*. Ex his inferas, verum ſtuprum committi etiamſi puella ſine vi, minis, importunis precibus, aut alio violento modo, ſed ſponte aſſentiatur, dummodo degat ſub aliorum cuſtodia; quia quamvis forte ipſi ſponte aſſentienti non irrogetur injuria: proculdubio illis irrogatur, ſub quorum cuſtodia exiſtit. Dixi, forte ipſi non irrogetur injuria, quia revera ſemper *ponitur in via meretricandi*: & multo magis quia ibidem ait S. D. *Stuprum*

Stuprum quid? Ad illud requiſita.

ſine

ſine raptu invenitur, quando aliquis ſine violentiæ illatione, illicite virginem deflorat. Eſt igitur etiam tunc ſtuprum; & proinde falſum eſt, puellam eſſe dominam ſuæ virginitatis, niſi in ordine ad honeſtum matrimonium, neutiquam in ordine ad illicitam deflorationem: idcirco quamvis ipſa ſponte aſſentiatur, circumſtantia deflorationis eſt ſemper in confeſſione explicanda, quia adhuc eſt ſtuprum; & multo magis quando puella ſub aliorum cura degebat.

Quæcumque vis illata perſonæ ad peccandum cum illa, eſt in confeſſione declaranda.

Nota autem, quod cuicumque perſonæ inferatur vis, ſive incutiendo metum gravem, ſive illam viribus opprimendo, ad peccandum carnaliter cum illa, eſt circumſtantia in confeſſione aperienda, quia violatur graviter jus alterius, quo jure omnis creatura rationalis gaudet, ne cujuſcumque privata auctoritate expolietur dominio circa proprios actus, & quam maxime propriam honeſtatem offendentes.

Mas non tenetur confiteri amiſſionem ſuæ virginitatis?

Nota inſuper, Marem non teneri in confeſſione aperire in primo ſuo peccato carnali amiſſionem ſuæ virginitatis; quandoquidem ex ipſo non proficiſcantur ea mala, & damna, quæ ſequuntur in fœminis. De reſtitutione propter ſtuprum agetur diffuſe in tractatu citato, capite citato §. 1.

Quid ſit Raptus?

XI. Raptus late acceptus eſt violenta abductio perſonæ ſive fœminæ, ſive maris ab uno loco ad alium, ob finem venereum etiam matrimonii, ſive vis inferatur ipſi ſoli perſonæ raptæ, ſive ſolis cuſtodibus, ſive utriſque; nam ait S. Th. loc. cit. a. 7. *Qualitercumque enim violentia adſit, ſalvatur ratio raptus*: Continet ſpecialem malitiam injuſtitiæ in confeſſione explicandam, violando graviter jus alienum. Propriiſſime autem accepto Raptu, intelligitur de puella rapta ſub cuſtodum cura degente. Raptus affert impedimentum dirimens matrimonium cum perſona abducta, donec in ſuo pleno jure & libertate conſtituatur, & omnino ſubmota a poteſtate perſonæ raptricis. De hoc plura in tractatu 14. c. 7. §. 28.

Quid & quotuplex Vitium contra naturam?

XII. De vitio contra naturam ita diſſerit S. Th. loco cit. a. 11. Vitium contra naturam eſt actus venereus, nedum *repugnans rectæ rationi, quod commune eſt omni vitio luxuriæ, ſed etiam ſuper hoc repugnat ipſi ordini naturali venerei actus, qui convenit humanæ ſpeciei, quod dicitur vitium contra naturam. Quod quidem poteſt pluribus modis contingere: uno quidem modo ſi abſque omni concubitu, cauſa delectationis venereæ pollutio procuretur, quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidam mollitiem vocant. Alio modo, ſi fiat per concubitum ad rem non ejuſdem ſpeciei, quod vocatur Beſtialitas. Tertio, ſi fiat, per concubitum ad non debitum ſexum, puta maſculi ad maſculum, vel fœminæ ad fœminam; quod dicitur Sodomiticum vitium. Quarto ſi non ſervetur naturalis modus concumbendi aut quantum ad inſtrumentum non debitum, aut quantum ad alios monſtruoſos, & beſtiales concumbendi modos.*

Quomodo inter ſe diſtinguantur?

XIII. Peccata iſta contra naturam inter ſe ſpecie diſtinguuntur; quia habent diverſa motiva ſufficientia ad variandam ſpeciem, & quodlibet horum motivorum eſt per ſe ſufficiens ad corruptionem ordinis naturalis actus venerei humani, ut ſapienter obſervavit Cajetanus in Commentario laudati articuli: quia Mollem movet ſola expletio voluptatis venereæ; Sodomitam movet perſona indebiti ſexus; Beſtialem movet ſuppoſitum alienæ ſpeciei; Abutentem fœmina extra vas naturale, movet delectatio in parte indebita; & ultimum movet delectatio indebiti modi. Hæc Cajetanus, ubi notat, quod ultima ſpecies modi monſtruoſi concumbendi, tanquam imperfecta ſpecies ſub tali genere comprehendatur, quoniam non contra, ſed præter naturam fit, dum in ſolo modo concumbendi erratur; quam rationem non minus diffuſe quam ſubtiliter ibidem expendit. Hinc apparet quam juſte Alexander VII. hanc theſim confixerit n. 25. *Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ; ideoque ſufficit dicere in confeſſione ſe procuraſſe pollutionem.*

Mollities quale peccatum?

XIV. Certum eſt apud omnes, in peccato mollitiei, ſi de aliquo objecto imaginato delectatio ſumpta fuerit, exprimendam eſſe in confeſſione qualitatem objecti, puta virginis, conjugatæ &c. & qualitatem actus, de quo ſe polluens delectatus fuit; quandoquidem ſpeciem induat conditionis objecti, & actus cogitati. Mollitiem eſſe de ſe peccatum lethale, jureque naturali vetitam, ex eo manifeſte conſtat, quod repugnet propagationi ſpeciei humanæ; unde Paulus Epheſ. 4. *Molles regnum Dei non poſſidebunt*; ac proinde etiam pro neceſſitate tuendæ vitæ nunquam licitum eſſe poteſt, illam directe procurare, quamvis eſſet in ſomno conſummanda.

Semper grave ſive directe, ſive indirecte procuretur?

Hinc Innocentius XI. hanc theſim reprobavit n. 49. *Mollities jure naturæ prohibita non eſt; unde ſi Deus illam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.* Quouſque

Digitized by Google

proceſſit Theologorum quorumdam inſania! Nedum directe procurata, ſed etiam ſi indirecte procuretur, mollities eſt mortale peccatum, puta cubando tali modo, comedendo tales cibos eo fine, ut ſequatur mollities. Ratio manifeſta ex dictis, quia eſt illam velle in ſua cauſa ad hunc finem poſita.

Ponere cauſam mollitiei, quando ſit peccatum lethale?

XV. Ponere cauſam proximam, ex qua prævidetur ſecutura mollities, puta actiones de ſe turpes, & ex natura ſua excitates commotiones venereas, V. G. aſpectus verendorum alterius humani corporis, & procul dubio alterius ſexus; tactus impudicos, lectionem, colloquium, auditionem rerum de ſe obſcænarum, quamvis fiant ſine animo conſentiendi in commotiones venereas, aut mollitiem inde ſequentes; & quamvis etiam abeſſet periculum conſenſus in eaſdem, ſunt peccata lethalia, & cenſentur volita in cauſa proxima eorumdem; quia præceptum naturale vetans mollitiem, & commotiones illas, prohibet ſimul, ne ponatur ſine neceſſitate cauſa proxima ipſarum: dixi ſine neceſſitate, quia ſi fiant ex neceſſitate, puta, medendi cauſa, aut ſtudendi quæſtioni neceſſariæ &c. & ſimul abſit periculum conſenſus; tunc non dicuntur volitæ in cauſa proxima, ſed dumtaxat in eadem permiſſæ ob honeſtum finem; dummodo, repeto, abſit periculum conſenſus; quia ſi hoc adſit; tenetur ab illis abſtinere: cum offenſa Dei, & animæ ſalus, cuicumque neceſſitati anteferenda ſint. Ponere autem cauſam dumtaxat remotam earumdem, nec de ſe influentem in illas, nec natam illas excitare; & nihilominus prævideatur ſecutura mollities, puta equitando, ſtudendo chyrurgiæ, confeſſiones audiendo, loquendo cum muliere de honeſtis, & ſimilia; ſi abſit periculum conſenſus, mollities ſecuta non eſt mortalis; cum non ſit volita in cauſa ulla per ſe illam inferente; ſed effectus per accidens ſecutus ex temperamento illam patientis, eamdemque rejicientis, dum exurgere advertit. Ea propter ſi dictæ cauſæ remotæ ponantur ſine ullo motivo virtutis, & ſemper abſit periculum conſenſus, mollities ex illis ſecuta erit peccatum veniale; ſi vero ponantur ex motivo alicujus virtutis, & ſine conſenſus periculo; nullum involvetur peccatum. Vide ſuperius dicta tract. 2. cap. 1. §. 7. de peccatis internis. Qui alterius cooperatione polluitur, tenetur dicere qualitatem, & ſexum perſonæ cooperatricis, & niſi adfuerit affectus, aut delectatio ad aliquod peccatum alterius ſpeciei, non eſt neceſſe exponere modum cooperationis, an manibus, an tactibus, an pectore, an oſculis; quia hi modi, non augent notabiliter turpitudinem cooperationis. Secus ſi ore cooperaretur, de quo paulo inferius.

Mollities in ſomno quando peccatum?

XVI. Mollitiem involuntarie cœptam, puta in ſomno, non impedire, ſed permittere, ut compleatur, dummodo eidem nullus detur impulſus, & dummodo abſit periculum conſenſus, non eſſe peccatum, multi affirmant; ab ipſa tamen voluntatem avertendo, eamdemque interiori animo rejiciendo, ut diximus, loco paulo ante citato: quia id non eſt ullo modo procurare deordinationem illam, ſed potius eam pati. Laudabile tamen eſt illam reprimere. *Poteſt autem contingere*, ait S. Th. in 4. d. 9. q. 1. a. 4. q. 1. ad 5., *quod in ipſa evigilatione peccatum oriatur, ſi quidem pollutio propter delectationem placeat; quod quidem erit veniale peccatum, ſi ſit ex ſubreptione talis placentia, mortale autem ſi ſit cum deliberato conſenſu ...... Si autem placeat, ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur*. Intellige poſt factum; nam in facto hæc placentia eſſet valde periculoſa.

* Probabilius eſt, ut cum gravioribus Theologis præſertim Dominico Soto, Medina, Sylvio cenſet Natalis ab Alexandro *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 8. *art.* 3. *reg.* 48. non eſſe licitum in vigilia appetere deſiderio quantumvis ineſficaci, ſeu nihil conferente in executionem, ut in ſomno pollutio contingat abſque culpa ob finem honeſtum, nempe aut intuitu ſanitatis conſervandæ, aut concupiſcentiæ extinguendæ cauſa. Cum enim pollutio ſit per ſe, & ex natura ſua mala, utpote luxuriæ ſpecies, ordinique naturali actus venerei repugnans; adeoque ſemper ſit peccatum, quando voluntaria eſt: nec illam appetere licet ob quemcumque finem. Sicut ergo fornicationem, adulterium, homicidium, in ſomno etiam perpetranda, non licet appetere ob quodcumque commodum temporale, quia per ſe mala ſunt, & ex genere ſuo peccata mortalia; ita nec pollutionem.

Probabilius quoque eſt, non eſſe licitum gaudere de pollutione, quæ in ſomno ex cauſa mere naturali & innocua adeoque inculpabiliter evenit propter allevamentum naturæ. „ De ipſo quidem „ allevamento naturæ & de ſanitate gau„ dere, *ait præcit. Natalis reg.* 49, honeſtum

„ eſt;

Digitized by Google

„ eſt; nec aliud voluiſſe videtur S. Thomas in 4. *diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 4. 5. *p.* 1. *ad* 5. dicens: *Si autem placeat ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur*. At de pollutione ipſa, quæ allevamenti illius cauſa fuit, gaudere non licet; neque alia mens fuit Angelici Doctoris, qui pollutionem per ſe malam, actum ſecundum ſe inordinatum, violationem ordinis naturalis, peccatum ex genere ſuo mortale, vitium contra naturam paſſim vocat, quæ proinde honeſtæ delectationis objectum eſſe non poteſt: Sicut gaudere non licet homini vigilanti de fornicatione, inceſtu, adulterio, homicidio ab eodem dormiente perpetratis, quamvis inde corporis valetudo, pinguis hæreditatis conſecutio, pax & tranquillitas ſeu domeſtica, ſeu privata provenerint; quia fornicatio, inceſtus, adulterium, homicidium per ſe, & ex natura ſua peccata ſunt. Cum igitur pollutio ſit luxuriæ ſpecies fornicatione, adulterio, inceſtu, ipſaque ſacrilegii corruptela gravior, ut docet D. Thomas, de illa gaudere non licet potiori jure, quam de aliis luxuriæ ſpeciebus; quodcumque ex illa fuerit per accidens conſecutum bonum, quamvis de ipſo bono ex illa conſecuto gaudere liceat. Et licet complacentiam de ipſa pollutione, quatenus alleviatio corporis eſt, non quatenus delectatio carnalis, peccatum non eſſe daremus, periculoſam tamen eſſe quis negare poſſit, ut hujuſmodi præciſiones in praxi ſint difficillimæ? Hactenus laudatus Theologus. Legantur etiam Sylvius in 22. *quæſt.* 154. *art.* 5. *concl.* 5. Petrus Ballerinus in eruditis ſuis enarrationibus ad S. Antonini *II. part. tit. VI. c. V.* P. Daniel Concina *tom.* 4. *lib.* 8. *diſſert.* 2. *cap.* 12. *a num.* 50. *uſq.* ad 61. & Continuator *Prælect. Theologico* Honorati Tournely *tom.* 3. *tract. de Decal. cap.* 3. *art.* 6. *ſect.* 1. *concl.* 3.

Sodomiæ ſcelus quid & quotuplex, & quomodo in confeſſione exponendum?

XVII. Secunda ſpecies vitii contra naturam eſt nefandum Sodomiæ ſcelus; & definitur, commixtio duorum ejuſdem ſexus; neque refert, quo vaſe congrediantur; neceſſe tamen eſt dicere, an fuerit agens, vel patiens, cum primus de ſe conjunctam habeat mollitiem, ſecundus autem per accidens; idcirco, ſi hanc & ipſe patiatur, debet in confeſſione explicare: & hæc, nempe inter perſonas ejuſdem ſexus, dicitur perfecta in ſua abominabili ſpecie; ad differentiam imperfectæ in ſua ſpecie, quæ eſt conjunctio duorum diverſi ſexus in vaſe indebito: & quamvis utraque ſit horribile ſcelus, horribilior eſt prima; quia magis repugnat inſtitutioni ab Auctore naturæ factæ duorum ſexuum; & proinde in confeſſione explicandus eſt ſexus, cum quo ſcelus fuerit perpetratum. Congreſſio autem in ore, heu libidinis monſtra! quamvis ad ſpeciem ſodomiæ reducatur, affert turpiſſimam quamdam, & monſtruoſam deformitatem valde notabilem, in confeſſione exprimendam.

Beſtialitas quid ſit, & quando committatur, quomodo in confeſſione exponenda?

XVIII. Tertia ſpecies præfati vitii eſt Beſtialitas; ſcelus ſodomia gravius; utpote magis dedecens rationalem naturam: cum enim ſit congreſſio cum ſuppoſito alterius ſpeciei, ſive mas, ſive fœmina fuerit, eo ipſo patet, quantum adverſetur inſtituto, de ſcopo naturæ: unde S. Th. loc. cit. a. 12. ad 4. *Graviſſimum eſt peccatum beſtialitatis, ... poſt hoc eſt vitium ſodomiticum*. Ad beſtialitatem reducitur congreſſus cum dæmone ſub quacumque forma appareat. Habet adjunctas malitias eorum objectorum, ſub quorum forma dæmon apparet, virginis, conjugatæ, viri &c. habet adjunctam ſpeciem ſacrilegii; cum ſit commercium cum inimico ſpecialiſſimo.

Circa modos congrediendi.

XIX. Quarta quaſi ſpecies additur a S. Doctore *ob beſtiales concumbendi modos*; putarem, hanc evenire, quando modus congrediendi impedire poteſt generationem; aut quando eſt ita inuſitatus, & deformis, ut immanem omnino libidinis æſtum præſeferat, prout conſultus a confeſſariis non ſemel audivi portentoſos aliquos modos, qui vix imaginari queunt, ſed de his commodius in tractatu de matrimonio, ubi de debito conjugali, nempe tract. 14. c. 7. §. 13.

Peccata Luxuriæ non conſummatæ quædam ſint?

XX. Dantur præterea peccata luxuriæ non conſummatæ; quæ nomine generico Impudicitiæ ſignificari ſolent, & dividuntur primo in interiora, quæ perficiuntur actibus delectationum mentalium, aut deſideriorum cordis, de quibus ſatis diximus in §. VII. primi capitis; & in exteriora, quæ ſubdividi conſueverunt in Impudicitiam Aſpectuum, Tactuum, Amplexuum, Oſculorum, Verborum, & Geſtuum impudicorum, quæ nempe fiunt animo impudico, & fine delectationis impudicæ capiendæ, & proculdubio ſunt peccata lethalia, (quamvis forte actio de ſe non eſſet talis, puta tactus honeſti manus, oſculi honeſti in fronte &c.) ſi impudico animo

fiant

ſiant extra matrimonium, ut modo præſupponitur.

Impudicitia Tactus quomodo & quando fit mortalis?

XXI. Idcirco tactus turpes partium verendarum, vel illis proximarum, etiamſi ex ſolo joco fiant, ex communi ſunt mortales; & certiſſime ſi fiant inter perſonas diverſi ſexus, quamvis nec fiant ob delectationem veneream, neque iſta ſequatur; quia de ſe ad illam ordinantur, & ſic agentes ſe exponunt proximo, & gravi periculo delectationis incurrendæ; unde omnino per accidens eſt, ſi illa non ſequatur. Idem dicas de tactu mammillarum perſonæ diverſi ſexus; quia quamvis pars illa corporis non ſit de ſe turpis, eſt tamen graviſſime ad libidinem provocans perſonam diverſi ſexus: propterea æquale ſaltem, immo plerumque majus affert periculum pars illa ob ſui venuſtatem, & allectationem, quam pars aliqua turpis; ac proinde muliebris vanitas præcipue de uberum venuſtate ſe jactat; eamdemque ſtudioſiori cura componit; experta, ſe potiſſimum hiſce armis de virili imbecillitate triumphum reportare. Immo non deſunt auctores etiam indulgentioris moralis, docentes, hominem data opera, & fixo intuitu mulieris mammillas contemplantem, peccare mortaliter ob graviſſimam proximamque occaſionem moroſæ delectationis, cui deliberate ſe exponit; a qua ſententia non abhorreo: cum igitur tactus novos addat ignes aſpectui, quis ambigere poterit, longe magis augeri delectationis motivum & occaſionem? igitur neque ex joco eas partes tangere, & multo minus contrectare licet, ſine gravi periculo; quippe hi actus nimium ad libidinem provocant. Tactus honeſti, puta manuum, & oſcula honeſta juxta morem Patriæ, inter perſonas diverſi ſexus modo honeſto peracta, ſi ab omni delectatione, & periculo conſenſus vacent, non ſunt peccata; quippe quæ fiant juxta conſuetudnem in ſignum honeſtæ amicitiæ. Si vero fiant ob delectationem mere ſenſibilem, non veneream, nec ſenſualem, ſed ſenſibilem; ortam ſcilicet ex proportione inter rem tangibilem, & potentiam tangentem, ſunt mortalia; & eo magis ſi repetita, ſi aliqualiter moroſa ſint; quia his modis facta, ſunt de ſe nimis ad libidinem provocantia, & afferunt proximum delectationis venereæ periculum; unde Alexander VII. hanc theſim n. 40. reprobavit: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem* (non veneream) *quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.* Igitur ex oraculo Pontificio non eſt tantum veniale, quærere hujuſmodi delectationes ſenſibiles, etiam ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, nempe venerei: quia hæc periculi ſecluſio eſt chimerica; cum nimia conjunctio interſit inter delectationem ſenſibilem & ſenſualem in hujuſmodi rebus; unde eſt quærere periculum proximum lapſus in mortale, quod abſque gravi temeritate fieri non poteſt.

Animadvertendum cenſemus ſententiam illorum, qui genarum vellicationes, mamillarumque tactus velut culpas de ſe tantum veniales confidenter traducebant, jam fuiſſe proſcriptam. Quippe Romæ publico S. Univerſalis Inquiſitionis Decreto *die 16. Aprilis* 1744. damnata fuit *Diſſertatio in caſus reſervatos Venetæ Diæceſeos an.* 1743. in lucem emiſſa, in qua, inter alia, affirmabatur, vellicare genas, & tangere mamillas Monialium eſſe actus ſubimpudicos de ſe veniales, ac dumtaxat ex pravo affectu, vel prava intentione mortales evadere. Et quidem jure meritoque reprobata fuit hæc doctrina; etenim contactus mamillarum natura ſua vehementiſſime delectationem veneream excitat, & in puella ſive moniali ſive laica, quæ tactum patitur, & in viro, qui illum exercet.

Hic præterea breviter ſub oculos ſubjicimus quæ graviores Doctores ſentiunt circa peccatum quod perpetrat qui propria pudenda tangit. Itaque qui propria pudenda tangit, vel eſt conjugatus, vel eſt a conjugio ſolutus. Conjugatus dubio procul lethaliter delinquit, ſi in abſentia compartis ſeſe impudice & libidinoſe tangat: ſi vero id pergat præſente comparte, ut ſe ad copulam proxime habendam diſponat, nullum peccatum committit. Solutus autem, ſeu liber a conjugio ſi ob neceſſitatem ſe tangat nullius culpæ reus efficitur: ſi cum delectatione venerea, aut ejus periculo, omnium conſenſu, mortalis noxæ reus evadit: ſi tandem *ex curioſitate, levitate vel cauſa calefaciendi*, cenſent ſatis communiter Doctores cum Sylvio in 2.2.q.134.*art.* 4. *Concl.* 3. quod mortaliter non peccet, quia *neque tanta eſt in hujuſmodi contactu turpitudo, quanta in contactu partium alienarum, etiam non ex delectatione facto; neque eſt tantum periculum voluptatis venereæ*. Hoc tamen & merito limitant nonnulli, ſi tactus ſolum obiter fiat; nec pluries repetatur, quia moroſus, & repetitus tactus a delectatione curioſa ad ve-

Digitized by Google

neream, aut ſaltem ejus periculum facile deducit. „ Imo cum hic ſermo ſit de tactu ſufficiente deliberato, ait Petrus Colet Theologiæ Tournelyanæ continuator *Tract. de Decalogo Cap. 3. Art. 7. Sect. 2.*, ſemper exigerem, ut id in Confeſſione tanquam dubium mortale deponeretur; quamquam, qui hæc bona quadam fide ſuppreſſiſſet, non crederem abſolute adigendum ad iterandas confeſſiones ſuas; niſi jam eadem re ab alio Confeſſario correptus fuiſſet; aut præ incuria ſalutis ſuæ in eo ſe conſtituiſſet ſtatu, ut neque hæc neque alia multa paris momenti ponderaret. „

„ Noſtro quoque judicio, *ſubdit idem*, lethaliter peccant & graviſſime, qui pecorum genitalia ſine vera neceſſitate contrectant. Ineſt enim contactui huic turpitudo gravis, adeoque maxime periculoſa, & quamdam beſtialitatis malitiam induens. Etſi vero non deſunt qui deciſionem hanc ad grandiora pecora reſtringant, itaut a mortali excuſent eos, qui non ex libidine, ſed ex curioſitate, vel joco catulos, aut feles in iis partibus, præſertim ſi non moroſe, & repetitis vicibus, tangeret; mihi tamen lenior hæc deciſio, ut & ejuſdem generis pleræque, incerta, & dubia apparet. Interim nemo a mortali excuſari poteſt eum, qui canem, aut felem agitaret uſque ad effuſionem ſeminis, non quidem ob perniciem ſeminis belluæ, quam necare poſſet, ſed ob grave propriæ depravationis periculum. Quod ſi quis ex vera neceſſitate animalia vitæ neceſſaria mere ad propagationem conjungeret, non eſſet reus, modo quidquid inde ſuboriretur commotionis, aut delectationis compeſcere niteretur."

Impudicitia aſpectus quando mortalis?

XXII. Aſpectus partium de ſe obſcænarum alterius ſexus, eſt mortale peccatum, quia ex natura ſua nimis excitans veneream delectationem, tametſi forte per accidens fieri contingat abſque delectatione experta, aut intenta: unde ſola neceſſitas medendi, ſecluſo ſemper conſenſus periculo, poteſt hujuſmodi aſpectus innocentes reddere: & circa hoc cavere debet medens, ne ſuperflue aſpiciat. Idem a fortiori dicas de aſpectu alieni concubitus, nec non de aſpectu actuum impudicorum ab aliis patratorum; quia & hæc omnia ſunt objecta de ſe nimis excitantia: Aſpicere autem verenda ejuſdem ſexus, ſine animo & periculo ſe delectandi, eſt veniale ex pinguioribus, ſi abſque ullo rationabili motivo fiat. Sæpe tamen committitur culpa lethalis, nempe ſi aſpectus repetatur, aut cum aliqua mora fiat, ob proximum periculum delectationis tali aſpiciendi modo immixtum; & eo magis, ſi ex quadam inclinatione ad virilem ſexum fiant.

Canere, loqui, legere, audire turpia, quando ſit mortale?

XXIII. Canere, loqui, legere, audire, geſtire turpia animo ſe delectandi, jam patet eſſe mortale, & quidem illius ſpeciei, cujus eſt ſubjectum cantus, lectionis, auditionis &c. Similiter ſi fiant circa ſubjecta ex ſe, & natura ſua multum obſcœna, ſunt lethalia; quia circa objectum de ſe graviter inducens ad libidinem. Si vero non ſint de ſe obſcæna, & fiant ſubmoto omni ſcandalo alieno, omnique periculo proprio, ſolius joci, ineptæ letitiæ, curioſitatis, vanitatis gratia, erunt venialia, & quidem graviora. Monet tamen S. Antoninus p. 2. tit. 5. cap. 1. §. 8. *Ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ad ſolatium, quamvis de ſe non videantur mortalia; ..... tamen per accidens poteſt eſſe mortale ibi, ratione ſcandali, ſeu ruinæ inde ſequentis in mente alicujus, ut cum audientes ſunt debiles ſpiritu, & verba eſſent multum laſciva. Idem videtur dicendum de facientibus, vel cantantibus cantilenas plenas laſciviis.* Quid igitur dicendum de indecentiſſimo converſandi modo ævi noſtri, quo tam viris, quam mulieribus ſimul commorantibus familiariſſimum eſt, jocari verbis æquivocis, indicantibus partes, actus, facta impura? Enarrare eventus admixtas obſcœnitates habentes? proferre verba mollia, reciproco amore inflammata? alludere alienis amoribus etiam coram ipſis amantibus, ita ut nil aliud appareat niſi venereus amor, & Veneris cultus? Quid dicendum? Dicendum profecto ita converſantes pluribus lethalibus tum delectationum, tum ſcandalorum inde redire gravatos; quibus niſi conſtanter valedicant, Sacramentis ſuſcipiendis cenſendos eſſe incapaces. De peccatis Sponſorum dicetur ſuo loco de Sponſalibus in tract. 14. c. 7. §. 2.

Luxuriæ ſoboles recenſentur.

XXIV. Octo filias Luxuriæ aſſignat S. Th. 2. 2. q. 153. a. 5. ex S. Gregorio lib. 31. moral. nempe Cœcitatem mentis, Inconſiderationem, Præcipitationem, Inconſtantiam, Amorem ſui, Odium Dei, Affectum præſentis ſæculi, Horrorem, vel deſperationem futuri: nam, ait S. D., *per Luxuriam maxime ſuperiores vires deordinantur ſcilicet ratio & voluntas, Sunt autem ra-*

tio-

tionis quatuor actus in agendis: primo quidem ſimplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem ut bonum, & hic actus impeditur per **Luxuriam**, *..... & quantum ad hoc ponitur cæcitas mentis. Secundus eſt conſilium de his, quæ ſunt agenda propter finem; & hic actus impeditur per concupiſcentiam* **Luxuriæ**; *..... & quantum ad hoc ponitur* **Præcipitatio**, *quæ importat ſubtractionem conſilii. Tertius actus eſt judicium de agendis, & hic etiam impeditur per* **Luxuriam**, *.... & quantum ad hoc ponitur* **Inconſideratio**. *Quartus eſt præceptum rationis de agendo, qui actus etiam impeditur per* **Luxuriam**, *in quantum homo impeditur ex impetu concupiſcentiæ, & quoad hoc ponitur* **Inconſtantia**. *Ex parte autem voluntatis duplex ſequitur actus deordinatus, quorum unus eſt appetitus finis; & quantum ad hoc ponitur Amor ſui, quantum ſcilicet ad delectationem, quam inordinate appetit; & per oppoſitum ponitur Odium Dei, in quantum ſcilicet prohibet delectationem concupitam. Alius autem eſt appetitus eorum, quæ ſunt ad finem; & quantum ad hoc ponitur Amor præſentis ſæculi, in quantum ſcilicet aliquis vult frui voluptate; & oppoſitum ponitur deſperatio futuri ſæculi; quia dum nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat pervenire ad ſpirituales, ſed faſtidit.*

§. IV. *De Ira.*

Ira quale peccatum?

I. DE Ira diſſerit S. D. 2. 2. qu. 158. in ſeptem articulis, ex quibus hæc depromuntur. Ira eſt inordinatus appetitus vindictæ: eſt peccatum mortale ex genere ſuo, quia adverſatur charitati, & juſtitiæ; at non in toto genere ſuo, quia admittit parvitatem materiæ.

Quando ſit mortalis?

II. Duæ inordinationes in ira ſunt conſiderandæ, una ex parte objecti, quod eſt vindicta, quam optat; alia ex parte modi iraſcendi. Ex parte objecti occurrit inordinatio, ſi injuſta appetatur vindicta, vel ſi juſta ſit, appetatur injuſte cum animi malevolentia, aut auctoritate propria ſumenda, aut ultra quam delinquens meretur. Quando his modis appetitur vindicta ſemper eſt lethalis; niſi inadvertentia excuſet, aut parvitas mali optati; quandoquidem graviter lædatur Charitas, & Juſtitia. Deordinatio ex parte modi ait S. D. a. 3. contingit, *ſi nimis ardenter iraſcatur interius, vel ſi nimis exterius manifeſtet ſigna iræ: & ſic ira ſecundum ſe non habet de ſuo genere rationem peccati mortalis. Poteſt tamen contingere, quod ſit peccatum mortale, puta ſi ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei & proximi.* Notandum tamen ex Sylvio ſuper art. 2. loci ſupracitati D. Thomæ concl. 3., & aliis, quod aliquando etiam in modo iraſcendi poteſt intervenire peccatum mortale, puta quando vehementia eſt tanta, ut vel ſcandalum pariat non modicum infirmis ſpectantibus, vel iraſcentis valetudini multum noceat, vel deſtruat charitatem, ſive in opere externo, ſive in animo: unde qui ab ira adeo abſorbentur, ut in vehementes exſcandeſcentias, & veluti in deliria rapiantur, ſpumantes, projicientes, quæ manibus occurrunt &c. non videtur ambigendum, quod etiam quoad modum lethaliter peccent; cum hujuſmodi ſe gerendi modus nimium recte rationi advertetur.

III. Sex iræ filias recenſet S. D. a. 7. cum S. Gregorio, nempe Indignationem, quæ eſt commotio in eum, qui offendit, tamquam in indignum, a quo quis debeat offendi; & eſſet mortalis, ſi reputaretur indignus illis actionibus, quæ illi debentur ſub mortali; vel ſi eſſet adjuncta contemptui gravi. Tumorem mentis, qui eſt conatus hominis revolventis animo injuriam acceptam, & meditantis vindictam; & poteſt eſſe facilius mortalis, juxta gradum vindictæ, quam meditatur. Clamorem, & eſt inordinata, & confuſa locutio: eſſet mortalis, ſi affectui gravis nocumenti in proximum conjungeretur. Contumeliam, quæ eſt ſermo injurioſus contra proximum audientem; & eſt gravis juxta qualitatem ſuam. Blaſphemiam, quæ eſt injuria in Deum illata. Et Rixam, quæ eſt contradictio in factis, quibus unus alterum lædere conatur ſcientem, & repugnantem. Sed de his omnibus late diſſeretur, dum loquemur de præceptis Decalogi. — Iræ ſoboles.

§. V. *De Gula.*

Gula quid? & quando mortalis?

I. DE hoc vitio ſcribit S. Th. 2. 2. q. 148. in ſex articulis, nec non in diſput. de malo q. 14. a. 2., ex quibus locis hæc depromuntur: Gula eſt inordinatus appetitus cibi, & potus, quatenus delectationem affert. *Secundum rationem ſuæ ſpeciei non habet quod ſit peccatum mortale; quia ciborum delectatio ſecundum ſe conſiderata non contrariatur charitati, neque quantum ad dilectionem Dei, neque quantum ad dilectionem proximi: Sed ſecundum quod additur inordinatio, poteſt quodammodo contrariari, & quodammodo*

modo non contrariari, l. c. de malo. *Si quis ſcienter propter immoderatam cibi concupiſcentiam grave ſuo corpori nocumentum inferret, nimis comedendo, & nociva ſumendo, non excuſaretur a peccato mortali*, ibidem ad 4. Similiter ſi grave detrimentum familiæ afferret ad gulam explendam; ſi ſe advertenter repleret cibis, vel potibus uſque ad vomitum; ſi vino advertenter, vel debens advertere, ſe repleret uſque ad ebrietatem completam; ſi ut gulæ ſatisfaceret, cogeretur differre ſolutionem debitorum creditoribus; ſi ex modis, quibus gulæ ſatisfacit, ſcandalum rationabile aliis oriretur; ſi extra neceſſitatem extremam humanis carnibus veſceretur; ſi magnos ſumptus annuatim prodigeret in cibis exquiſitioribus, & modis peregrinis illos condiendi conquirendis; tandem *quando delectationi gulæ inhæret homo tanquam fini, propter quem Deum contemnit, paratus ſcilicet contra præcepta Dei agere, ut delectationes hujuſmodi ſequatur*, ait S. D. loc. cit. Summæ a. 2., in omnibus, inquam, his caſibus erit peccatum mortale.

Modi peccandi Gulæ. II. Recenſet S. D. in a. 5. ex D. Gregorio lib. 30. moral. quinque modos, quibus committitur peccatum Gulæ, hoc verſu comprehenſos: *Præpropere, Laute, Nimis, Ardenter, Studioſe*: videlicet comedendo ante conveniens tempus: pretioſiora, quam decet proprium ſtatum: in quantitate majori, quam conveniat: modo voraci: nimis exquiſite condita & præparata. Plerumque his modis peccatur venialiter; aliquando tamen mortaliter, attentis circumſtantiis prudenter perſpectis.

Gulæ ſoboles. III. Quatuor vitia germinant ex Gula, relata a S. D. in art. 6., & deprompta ex D. Gregorio lib. 31. Moral. nempe Stupiditas mentis, quæ ſi reddat hominem ineptum ad debita propriæ æternæ ſalutis, & ad implendas obligationes ſui ſtatus, evadit mortalis. Inepta lætitia; quæ ſi in cantilenas turpes, in choreas indecentes, & ſimilia erumpat, evadit mortalis. Multiloquium, quod ſi lædat graviter aut charitatem, aut juſtitiam, oloquendo de proximo &c., evadit mortale. Scurrilitas, quæ ſi in geſtus impudicos prorumpat, vel in graves proximi ſubſannationes, eſt mortalis.

§. VI. *De Invidia.*

Notio Invidiæ. I. DE hoc vitio differit S. Th. 2. 2. q. 36. quatuor articulis; ex quibus deducitur, quod Invidia ſit triſtitia de bono proximi, prout eſt, aut apprehenditur imminutivum propriæ gloriæ, & excellentiæ, in quantum a proximo aut vincimur, vel eidem coæquamur in gloria & excellentia humana: & proinde etiam gaudium de malo proximi, quatenus eſt, vel apprehenditur utile invidenti ad præfatum finem, ad invidiam reducitur. Eſt mortale peccatum ex genere ſuo, quia charitati repugnans; non autem in toto genere, quia admittit parvitatem materiæ.

II. In articulo 2. declarat Angelicus, quomodo evenire poſſit, quod triſtitia de bono proximi ſit aut nullum, aut leve peccatum. Primo, quando quis triſtatur, quia prudenter timet proximum eo bono temporali eſſe abuſurum in Dei offenſam, atque in proximorum ſcandala & damna, ita ut, hoc præciſo, non triſtaretur; immo triſtatur, ſtante hac prudenti præſumptione, & ſub conditione dicti abuſus. Secundo, dum quis dolet de bono temporali alterius, non quia bonum ab illo poſſideatur, ſed quia ſe cernit indigentem, & eo bono ſibi neceſſario carentem; unde non cupit, illum videre eo bono expoliatum, ut ſibi adveniat; ſed cupit etiam ſibi bonum ejuſmodi; & triſtatur, ſe intuendo eodem privatum: propterea ſi bonum eſt ipſi neceſſarium, aut conveniens, & triſtitia ſit moderata, nullum forte erit peccatum; ſi autem ſit ad augmentum, erit veniale; ſi ad finem malum, aut cum affectu gravis damni poſſidentis illud bonum, erit mortale. Tertio, quando quis triſtatur de bono alterius, in quantum ille, cui accidit bonum, eſt eo indignus, docet S. Thomas, quod peccetur; quia cum illud bonum indigno proveniens eidem proveniat ex diſtributione divinæ providentiæ, proculdubio triſtari de bono indigni, ſecundum talem reſpectum, eſſet malum. Nota ly *ſecundum talem reſpectum*; nam ex eo ſumpſit Cajetanus motivum ita commentandi hanc doctrinam: Inficiari nemo poteſt, quia ſecundum humanæ diſtributionis rationem, apud quam hujuſmodi bona indignis diſtribuere, injuſtum eſt, injuſti rationem habeat, & per hoc ſecundum ſe quamdam ſpeciem mali mentibus humanis ingerat: quo fit, ut nullam rationem peccati videam, quando aliquis triſtatur de proſperitate indigni, quia indignus eſt, ſi non extendat ſe triſtitia ad idem bonum, in quantum eſt a Deo diſtributum .... Non ſe extendit autem, quando triſtatur de bono

Quando triſtitia de bono proximi ſit nullum, aut leve peccatum, & quando grave?

Digitized by Google

no indigni ſic, ut complaceat tamen ſibi ſimpliciter divina diſtributio. Hæc Eminentiſſimus ille ſuper laudato articulo.

Invidiæ ſoboles. III. Invidiæ ſoboles conſiſtit in quibuſdam peccatis in ordine ad finem ab invido inſpectum, qui eſt minuere alterius gloriam, ut propriæ nocivam; & quidem ſi ad hoc conetur in occulto, invidia parit Suſurrationem; ſi in manifeſto, parit Detractionem: ſi autem intentum aſſequatur, parit Exultationem de malo, quod alteri evenit: ſi non aſſequatur intentum, parit Triſtitiam de proſperitate alterius; & demum pervenit ad odium. De his meminit S. Th. in a. 4., & nos ſuis locis differemus.

§. VII. *De Acedia*.

Acediæ notio. I. DE hoc vitio agit S.D. 2. 2. q. 35. in quatuor articulis, ex quibus hæc depromuntur. Acedia eſt tædium, ſeu triſtitia quædam de bono divino ad nos ſpectante, exiſtimato malo proprio, quia triſtari de bono divino, ut ipſi Deo proprio, eſt odium Dei, triſtari autem de bonis divinis ad nos pertinentibus, nobiſque ab ipſo participabilibus; qualia ſunt bona cœleſtia, & bona ſupernaturalia gratiæ, donorum &c., eſt grave peccatum. Proinde illi, qui dum audiunt, ſe eſſe a Deo conditos, ut cæleſtem beatitudinem aſſequantur, & fint ſui regni æterni cohæredes; & alioquin ita ſunt mundo conglutinati, ut de hoc triſtentur, vere & proprie committunt peccatum acediæ, quod eſt mortale ex genere ſuo, utpote contrarium charitati nobiſmetipſis debitæ: ſed hoc peccatum non eſt in toto genere ſuo, quia admittit parvitatem materiæ, puta ſi quis triſtetur de hodierno jejunio Eccleſiæ, quod jam obſervet. Hinc triſtari de mediis ad beatitatem

Peccata mortalia acediæ ſpecialiter talis, & in confeſſione exponenda. æternam requiſitis, puta de præceptis, de Sacramentis &c.: & advertenter hanc triſtitiam admittere eſt ſimiliter mortale; quia indicium eſt manifeſtum, extinctam eſſe charitatem illam, qua noſmetipſos ſpiritaliter diligere tenemur. Similiter qui dicit ſerio, quod contentus eſſet renunciare regno cœleſti, ut ſibi perpetuo vivere concederetur in hoc mundo, lethaliter peccat hoc peccato. Item qui optaret ſemper vivere, quia non curat de bonis æternis, ſimiliter acedia mortali detineretur. Si autem id optaret ad evadendum judicium inappellabile Chriſti quod formidat ſibi futurum fatale, ad deſperationem potius, quam ad acediam pertinere videtur; quæ eſt acediæ filia, ut ſtatim videbitur.

Alia exempla acediæ venialis & mortalis. II. Quando quis in particulari deliberate triſtatur de aliquo præcepto poſitivo, quo tenetur, quod nihilominus adimplet, & triſtatur non tam de præcepto, quam de difficultate ſibi ſuperanda, putarem, non excedere culpam venialem, tum quia deliberata illa triſtitia non impedit obedientiam debitam; tum quia non verſatur circa rem naturali jure præceptam; & ideo dixi, *præcepto poſitivo*; quia deliberate triſtari de præcepto naturali, ejuſque obligatione, eſt interpretative optare, ut non obliget, quod eſt impoſſibile; & affectum habere ad materiam intrinſece malam naturali præcepto vetitam. Qui igitur triſtaretur deliberate, vetita eſſe fornicationem, adulterium, mollitiem &c., graviter procuidubio peccaret ſpeciali, & proprio acediæ peccato; quia triſtaretur de bono quod neceſſarium, & indiſpenſabile eſt ad vitam æternam conſequendam.

Acediæ ſoboles. III. S. Doctor ſex Acediæ filias ex S. Gregorio recenſet; nempe Deſperationem, qua quis deſperat, ſe beatitudinem aſſecuturum, & hæc eſt mortalis; Puſillanimitatem, qua quis ſe retrahit a mediis æternæ ſalutis, quæ ſunt de mero conſilio, ob eorum arduitatem: & hæc, niſi alia circumſtantia accedat, eſt venialis. Torporem, ſeu deſidiam, qua quis negligit ea, quæ ſunt de præcepto; eaque ſi negligat, ut omittat, eſt mortalis, ejuſdem tamen ſpeciei ac præceptum omiſſum; ſi autem non omittat, ſed mere ægre exequatur eſt veniale, plus minuſve grave. Malitiam; & hac quis odio habet bona ſpiritualia ſecundum ſe, & dolet, ſe ea adimpleviſſe, ad quæ tenebatur, vel eſſe religioni Catholicæ adſcriptum; quæ eſt mortaliſſima. Rancorem; quo indignatur, ſibi ſuadentes bona ſpiritualia: & ſi rancor procedat ex odio dictorum bonorum, recidit in indicatam Malitiam: ſi vero procedat ex tædio nimiæ inſiſtentiæ ſuadentis, & non ultra procedat, erit venialis: ſi demum procedat ex eo, quod ſe ad Deum & pœnitentiam convertere detrectat, erit mortalis, quippe quod ſit virtualis confirmatio pravi propoſiti perſiſtendi in ſtatu peccati. Evagationem tandem mentis ſe convertentis ad cogitanda illicita, & hæc erit mortalis, vel venialis juxta qualitatem rerum, circa quas mens vagatur.

TRA-

TRACTATUS III.

DE

ACTIBUS HUMANIS

NECNON

DE VOLUNTARIETATE, INVOLUNTARIETATE, ET MORALITATE EORUMDEM.

Cum peccatum nil aliud ſit, quam actus humanus, voluntarius, malus, jure merito tractationem de peccatis ſequitur diſſertatio de Actibus Humanis, atque de eorumdem Voluntarietate, Involuntarietate, & Moralitate.

CAPUT PRIMUM

De actibus Humanis.

§. UNIC. *De natura, & multiplicitate Actuum Humanorum.*

Notio vera actus humani.

I. NON omnis actio ab homine procedens dicenda eſt actio humana; *ſed illæ ſolæ proprie dicuntur humanæ*, ait S. D. 1. 2. q. 1. ar. 1., *quæ ſunt propriæ hominis, in quantum homo eſt. Differt autem homo ab irrationabilibus creaturis in hoc, quod eſt ſuorum actuum dominus: unde ſolæ illæ actiones vocantur proprie humanæ, quarum homo eſt dominus; eſt autem homo dominus ſuorum actuum per rationem, & voluntatem; unde & liberum arbitrium eſſe dicitur facultas voluntatis, & rationis: illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt: ſi quæ autem aliæ actiones homini conveniunt, poſſunt quidem dici hominis actiones, ſed non proprie humanæ, cum non ſint hominis, inquantum homo eſt.*

Triplex actuum humanorum ſeries.

II. Actuum autem humanorum triplex eſt ſeries, quidam dicuntur mere Eliciti; quidam mere Imperati; quidam Eliciti ſimul & Imperati. Actus mere eliciti illi ſunt, qui a voluntate immediate proſiliunt, abſque ullo actu illos prævie imperante: v. g. prima volitio alicujus objecti. Actus mere imperati ſunt illi, qui ex voluntatis juſſu ab aliis potentiis eliciuntur, v. g. meditatio intellectus juſſa a voluntate, aſpectus alicujus rei elicitus ab oculo &c. Actus eliciti ſimul & imperati ſunt illi, qui jubentur prævie a voluntate, & ab ipſa elici debent, puta dum deliberat elicere amoris Dei actum, ipſa ſibi jubet elicientiam dicti actus.

III. Cum igitur ad humanum actum, quicumque ille ſit, concurrere debeant intellectus, & voluntas: quandoquidem omnis actus voluntatis præcedi debeat ab aliquo actu intellectus, a quo ipſa ducitur, proinde ita coordinatur ſeries actuum utriuſque potentiæ, (juxta ea quæ de actibus humanis tradit S. D. laudato loco, & diffuſe diſſeruntur in Theologia Scholæ) ſecundum duplicem ordinem intentionis, & executionis, qui inveniuntur in voluntate circa finem ſeu objectum intentum, & obtinendum. Ordine Intentionis, primus actus eſt Cognitio finis, ſeu objecti ſecundum ſe: hunc actum ſequitur actus voluntatis, qui dicitur ſimplex volitio ineſficax, ſeu velleitas ejuſdem finis: huic ſuccedit actus intellectus, qui dicitur Judicium practice judicans, finem eſſe aſſequibilem, poſt quem ſequitur actus voluntatis, qui dicitur efficax intentio, ſeu volitio finis: hunc ſequitur actus intellectus, qui dicitur Conſilium, complectens Inquiſitionem mediorum ad finem aſſequendum, Conſultationem de valore mediorum utilium, rejectis inutilibus & Comparationem utiliorum cum minus utilibus: hos actus ſequitur actus voluntatis, qui dicitur Electio mediorum, vel medii efficacioris ab intellectu propoſiti ad finem obtinendum: & ita completur ordo intentionis; quem ſequitur ordo executionis, incipiens ab actu intellectus, qui dicitur Imperium, quo intimat voluntati, eidemque declarat, ut moveat & applicet facultates executivas ad opus: hunc Imperii actum ſequitur actus voluntatis, qui dicitur Uſus Activus, quo voluntas applicat facultates membrorum corporeorum ad executionem mediorum; & huic uſui activo voluntatis ſuccedit uſus paſſivus facultatum exteriorum, puta manus ad ſcribendum, & ad alia facienda, ut finis obtineatur; quo obtento, ſequitur in intellectu Cognitio perfecta, & practica objecti conſecuti, & in voluntate Fruitio, & gaudium finis adepti, & quies vitalis in ipſo fine. Hæc autem ſeries actuum intellectus & voluntatis quam-

Coordinatio actuum humanorum

quamvis longiuſcule, ut oportebat, deſcripta, ea celeritate evenit, qua decet operari facultates ſpirituales. Nec mireris, Imperii actum a S. D. adſcribi intellectivæ potentiæ, cum enim imperare ſit actus dirigentis, videntis, & prudentis, facultati appetitivæ & cacæ, qualis eſt voluntas, convenire non poteſt. Animadvertas tamen, omnem efficaciam, quæ Imperio tribuitur, ab intentione & volitione efficaci finis, quæ eſt actus voluntatis, radicaliter proficiſci, atque in Imperium refundi.

CAPUT II.

De Humanorum Actuum Voluntarietate, & Involuntarietate.

§. I. *De Voluntario*.

Quid ſit voluntarium?

I. Voluntarium a S. Th. 1. 2. q. 6. a. 1. definitur, quod procedit a principio intrinſeco cum cognitione finis: videlicet actus procedens a principio intrinſece operanti inſidente, ad differentiam motus violenti, qui profluit a principio rei motæ extrinſeco, quæ idcirco tali motui reſiſtit: cum cognitione finis ſeu objecti, ut diſtinguatur a motu mere naturali qui non ex cognitione oritur, ut eſt motus augmenti procedens ab anima ſecundum gradum vegetativum; motus lapidis deorſum, profiliens a gravitate lapidi intrinſeca. Immo neque actus illi intellectus, qui omnem præcedunt volitionem, omnemque aliam cognitionem, ſed ſunt ipſamet alicujus objecti prima cognitio, licet ſint a principio intrinſeco, nequaquam dici queunt voluntarii, ſed ſunt mere naturales: unde ratio voluntarii, ſaltem perfecti, non convenit niſi actibus elicitis aut imperatis, quos præcedat perfecta cognitio finis.

Notio voluntarii perfecti, & imperfecti.

II. Dixi voluntarii ſaltem perfecti, nam juxta D. Th. loco citato a. 2. *Eſt duplex cognitio finis; perfecta ſcilicet, & imperfecta: perfecta quidem cognitio finis eſt, quando non ſolum apprehenditur res quæ eſt finis, ſed etiam cognoſcitur ratio finis & proportio ejus, quod ordinatur ad finem ipſum; & talis cognitio finis competit ſoli naturæ rationali: imperfecta autem cognitio finis eſt, quæ in ſola finis apprehenſione conſiſtit, ſine hoc quod cognoſcatur ratio finis & proportio actus ad finem; & talis cognitio finis reperitur in brutis animalibus per ſenſum, & æſtimationem naturalem. Perfectam igitur cognitionem finis ſequitur voluntarium ſecundum rationem perfectam, prout ſcilicet, apprehenſo fine, aliquis poteſt, deliberans de fine, & de iis, quæ ſunt ad finem, moveri in finem, vel non moveri: imperfectam autem cognitionem finis ſequitur voluntarium imperfectum, prout apprehendens finem non deliberat, ſed ſubito movetur ad ipſum, unde ſoli naturæ rationali competit voluntarium ſecundum rationem perfectam.*

Ratio voluntarii optime verificari poteſt de actu neceſſario.

III. Ex his inferas primo; Voluntarium nedum verificari de actu, qui libere a voluntate egreditur, verum etiam de actu neceſſario ab ipſa egrediente: talis eſt, juxta Thomiſtas, actus dilectionis Dei in Patria; & juxta omnes, actus quo ſe invicem diligunt Perſonæ Divinæ; qui actus ſunt a principio intrinſeco, una cum perfectiſſima cognitione finis, quamvis ſint omnino neceſſarii; quandoquidem Divinæ Perſonæ neceſſario ſe diligunt, ſpirant enim, ſe diligendo, tertiam, quæ eſt Spiritus Sanctus, qui, cum ſit verus Deus, non poteſt non eſſe, ac proinde neque dilectio, qua procedit a Patre, & Filio Spiritus Sanctus, non poteſt non eſſe; unde affirmanda eſt neceſſaria; & tamen eſt perfectiſſime voluntaria. Hinc ſequitur, quod quo perfectior eſt cognitio finis, eo magis voluntarius ſit actus illam conſequens: ac proinde, quod magis voluntarii ſint præfati actus, quam ſit voluntarius actus liber.

Diſtinctio quæ intereſſe debet inter voluntarium & liberum.

IV. Inferas ſecundo, non idem ſignificari a vocibus Voluntarii, & Liberi; (ſermo hic nobis de *Libertate indifferentiæ*) quandoquidem voluntarium non aliud exigat, quam procedere a principio intrinſeco, cum cognitione finis; Liberum autem exigat procedere cum indifferentia, & ita ſit, ut potuerit non eſſe: unde quamvis verum ſit, quod omne liberum debeat eſſe voluntarium; non tamen e contra verum eſt, quod omne voluntarium debeat eſſe liberum: ut patet in exemplo allato amoris reciproci inter Patrem, & Filium in Divinis, qui amor indubitanter dici non poteſt liber, alioquin potuiſſet non eſſe, ac proinde Perſona Spiritus Sancti, quæ dicti amoris terminus eſt, potuiſſet non eſſe, quod eſt horrendum dictu, & cogitatu.

Multiplex voluntarii diviſio.

V. Primo igitur dividitur Voluntarium in Neceſſarium, & Liberum: neceſſarium proſilit a voluntate, tametſi neceſſario, ita ut non proſilire nequeat, perfectiſſima

ta-

tamen cognitione, ſpontaneitate (ut ſcholæ loquuntur) & jucunditate; talis eſt amor quo ſe invicem Perſonæ Divinæ diligunt, & quo a Beatis omnibus diliguntur in Patria: & de hoc nil amplius ad nos: liberum eſt quod proſilit a voluntate cum plena indifferentia; & ita proſilit, ut proſilire non poſſit; vel poſſit in actum oppoſitum proſilire; tales ſunt omnes actus a voluntate deliberata & viatrice prodeuntes. Dividitur ulterius voluntarium Liberum de quo ſemper loquemur, in perfectum, quod egreditur a voluntate cum plena advertentia; & in imperfectum, quod egreditur cum ſemiplena advertentia. Aliud item eſt Formale, puta actus ipſe volendi; aliud Virtuale, quod eſt continuatio non interrupta ipſius actus formalis. Aliud eſt præterea voluntarium phyſice; dum v. g. phyſice pergo Romam; & aliud Morale, dum quis nomine meo Romam pergit. Aliud inſuper eſt voluntarium expreſſum, puta volo aſſentiri: aliud tacitum, & interpretativum, quod quamvis expreſſe non ſignificetur, tamen ex facto deducitur: puta cum Pater ſciens diſſolutos mores filii, & potens corrigere, tacet, & nihil dicit, interpretative cenſetur filii diſſolutionibus aſſentiri. Item aliud eſt voluntarium in ſe, puta, dum volo blaſphemiam proferre; aliud voluntarium in cauſa, dum quis vult inebriari, ſciens alioquin ſe ebrietate oppreſſum in blaſphemias erumpere. Tandem aliud eſt directum, quod procedit ex poſitivo influxu voluntatis, ſive effectus a voluntate fiat, ut occiſio hominis ab ipſo homicida; ſive ſuo mandato, conſilio, &c., ab alio perpetretur; aliud indirectum, in quod revera voluntas poſitive non influit, ipſi tamen juſte imputatur, quoniam illud impedire tenebatur, & poterat; puta dum navis ſubmergitur, proreta ludo operam dante, dum a tempeſtate agitur.

§. II. *De cauſis voluntarium tollentibus, aut minuentibus; & primo de Violentia.*

Recenſentur cauſæ voluntarium tollentes, & minuentes.

I. Explicata voluntarii natura, & multiplici diviſione, ſupereſt videre, undenam voluntarium tollatur, aut minuatur: de quo diſſeruit S. D. 1. 2. q. 6., ubi quatuor enumerat involuntarii ſive ſublati, ſive diminuti cauſas, nempe Violentiam ſeu Coactionem, Metum, Concupiſcentiam idest vehementem paſſionem, & Ignorantiam.

Explicatur quid ſit violentia, ejuſque diſtinctio a neceſſitate, coactione, & involuntarietate.

II. Violentum, ait S. Th. in a. 4. eſt illud, quod fit contra naturalem inclinationem ſubjecti: Unde non ſignificat idem ac neceſſarium, coactum, & involuntarium: nam neceſſarium ſignificat id, quod opponitur indifferenti, & denotat determinationem ad unum, ſublata poteſtate ad oppoſitum: violentum autem quamvis hæc omnia includat, ſuperaddit etiam, provenire a principio extrinſeco; nihil enim quod fit a principio intrinſeco poteſt dici violentum, cum tamen poſſit eſſe neceſſarium, ut patet in actibus amentium, puerorum, & in motibus primo primis. Coactum quaſi videtur idem cum violento; nihilominus coactum proprie opponitur ſpontaneo, & voluntario; & propterea coactio ſolum de cognoſcentibus verificari poteſt; violentum autem etiam de inanimatis, ut patet in lapide ſurſum projecto. Involuntarium tandem latius patet, quam violentum, & coactum; cum evenire poſſit, quod aliquid involuntarium ſit, non ſolum ob violentiam, & coactionem, ſed etiam ob ignorantiam, ut dicetur paulo infra de ignorantia antecedente.

Quomodo voluntas a nemine cogi poteſt?

III. Certum eſt ex D. Th. a. 4., a nemine inferri poſſe violentiam humanæ voluntati quoad actus ab ipſa elicitos volendi, & nolendi; eo quod actus ab ipſa eliciti ſint eſſentialiter voluntarii, cum ſint a voluntate; voluntarium autem, & violentum contradictionem involvunt. Similiter voluntas non poteſt pati violentiam quoad actus imperatos, qui ab ipſa eliciuntur, puta ad actum amoris, quem ſibi imperavit; quia eodem modo ſunt voluntarii, & actuales inclinationes ejuſdem voluntatis. Circa actus autem ab ipſa imperatos, & ab aliis potentiis eliciendos, poteſt cogi; puta ad aperiendos oculos, quos ipſa vult clauſos; ad eleemoſinam manu elargiendam, quæ poteſt ligari &c.

§. III. *De Metu.*

Explicantur metus diviſiones.

I. Metus ex D. Th. in 4. d. 29. qu. 1. a. 1. eſt mentis trepidatio cauſa periculi inſtantis, vel futuri. Metus quandoque oritur ab intrinſeco timentis, ob malum quod timet aut a cauſa naturali, puta metus mortis in ægrotante; aut a cauſa fortuita, ut metus navigantis in tempeſtate. Quandoque excitatur ab extrinſeco, nempe a cauſa libera extrinſeca, puta ab homine, a dæmone; ut operans induca-

Digitized by Google

tur ad id, quod agere nollet. Metus ab extrinſeco incuti poteſt aut juſte, aut injuſte; juſte incutitur a perſona facultatem legitimam habente illum incutiendi ob motivum juſtum; puta cum Judex, interpellatus a patre filiæ per vim defloratæ, minatur defloratori pœnam carceris perpetui, niſi defloratam ducat. Injuſte incutitur, ſi incutiatur a perſona legitima facultate carente illum incutiendi: puta ſi pater ille, accepto pugione, mortem minitetur defloratori, niſi filiam ducat; injuſte incutitur, quia quamvis poſſit illum juſte accuſare, ut inducatur a judice ad matrimonium, non tamen poteſt ipſe ad matrimonium tali modo inducere.

Exponitur metus gravis.

II. Metus dividitur in gravem, & levem: gravis dici ſolet etiam cadens in virum conſtantem, & etiam probabilis: hic excitatur a malo gravi futuro, & probabiliter eventuro, a quo non poſſit timens ſe ſubtrahere; & illius gravitas conſideratur reſpective ad timentem; nam malum quod reſpectu pueri, & puellæ eſt grave, reſpectu viri leve reputabitur. Mala gravia reſpectu cujuſcumque ſunt mors, mutilatio, gravia verbera, exilium, captivitas, durus carcer, triremis, amiſſio aut omnium, aut plerorumque bonorum temporalium, depoſitio a dignitate juſte acquiſita, infamia moraliter indelebilis; violentum ſtuprum, excommunicatio injuſta. Ut igitur ſit metus gravis, & rationabilis debet eſſe mali majoris eo, quod metus gratia ſuſcipitur: & cum nullum majus malum inveniri poſſit offenſa Dei: idcirco numquam poteſt excuſari peccatum ob metum cujuſvis mali commiſſum. Sufficit autem ad metum gravem, & rationabilem, ut timeatur etiam perſonæ ſibi conjunctiſſimæ, puta conjugi, genitori, filio.

Exponitur metus levis.

III. Metus levis, qui etiam vocitatur injuſtus, improbabilis, irrationabilis, non cadens in virum conſtantem, excitatur a malo levi, vel ſit etiam a malo gravi; tamen ob fundamentum leve, & improbabile; & ideo irrationabiliter apprehenſum. Ut autem levis, & injuſtus judicetur metus, conſideranda eſt, ut dixi, qualitas, ſexus, & ætas perſonæ timentis; aliquando enim erit gravis, prudens, & rationabilis metus reſpectu unius, qui erit levis reſpectu alterius: idcirco magna opus eſt prudentia ad id judicandum.

Exponitur metus Reverentialis.

IV. His additur metus dictus Reverentialis, quo timetur offenſa Majorum, puta a filio offenſa Genitorum, a pupillo offenſa Tutoris, a ſubdito offenſa Principis, a religioſo offenſa Superioris, ab Eccleſiaſtico offenſa Epiſcopi, ab uxore offenſa mariti. Hic metus ſecundum ſe conſideratus non eſt gravis, immo in foro externo reputatur levis. At in foro conſcientiæ aliquando evadit juſtus, & gravis, & excuſabilis, ſi accedant hæ circumſtantiæ, nempe diuturni, & quaſi irreconciliabilis offenſio dictorum majorum, minæ, preces valde importunæ, imperioſæ, protervæ, timor, quod male in poſterum tractabitur, aliaque ſimilia, quæ revera in præfatis perſonis excitare poſſunt metum prudentem, & reſpective gravem.

Quomodo metus ſe habeat ad voluntarium in actibus bonis, malis & civilibus?

V. Metus dupliciter ſe habere poteſt ad actionem, nempe aut Cauſaliter, quando eſt vera cauſa illius actionis, puta dum metu mortis comminatæ traditur pecunia latroni, vel projiciuntur merces, ut evitetur naufragium: aut Concomitanter, quando tametſi actioni conjungatur, hæc tamen non fit ex metu, nec metus ullum in illam habet influxum: puta cum quis dat vitam pro fide, quia quamvis illam det cum metu mortis, non tamen ex metu mortis. Metus Cauſaliter ſe habens ad actionem, vel ſe habet ut cauſa totalis, quando, eo ſublato, actio nullo modo fieret; aut ſe habet ut cauſa partialis, quando actio adhuc fieret; quamvis non ita prompte, & facile. Loquimur modo de metu totaliter ſe habente. Actiones quæ fiunt ex metu, juxta S. Th. 1. 2. q. 6. a. 6. ſunt ſimpliciter voluntariæ, & duntaxat ſecundum quid involuntariæ. Quia in objecto actionis factæ ex metu invenitur bonum mixtum malo, puta in projectione mercium, ut ſervetur vita in imminente naufragio: ſicut autem bonum eſt aptum allicere voluntatem, ita malum valet illam ab actu retrahere; unde in actione dicta, & invenitur affectus ad merces quæ projiciuntur, ratione cujus projectio evadit involuntaria; & invenitur ſollicitudo ſervandi vitam, ratione cujus projectio evadit voluntaria, prævalente hoc ſecundo, utpote pretioſiore: eſt igitur voluntaria ſimpliciter. Explicatur ex eodem S. D. loc. cit. Quod eſt volitum hic & nunc, conſideratis omnibus circumſtantiis, & eſt nolitum duntaxat ſecundum ſe, & præſcindendo a circumſtantiis, dicitur voluntarium ſimpliciter, & involuntarium ſecundum quid; atqui actio facta ex metu eſt hujuſmodi, ut patet in allato exemplo: igitur &c. Quandoquidem projectio

Metus relinquit voluntarium ſimpliciter.

eſt

Digitized by Google

eſt volita efficaciter, & nolita inefficaciter, unde eſt volita ſimpliciter, & nolita ſecundum quid.

Reſolvitur objectio.

VI. Neque ex hoc opponas, quod quem pœniteret peccatorum ex metu, ſemper retineret affectum aliquem ad peccatum; quod videtur generaliter falſum, cum Tridentinum admittat ſeſſ. 14. cap. 4. poſſe metum gehennæ omnino excludere voluntatem peccandi. Nam reſpondetur primo cum aliquibus, quod metus tunc tantum cauſet involuntarium ſecundum quid, quando objectum eſt malum ſecundum ſe acceptum, non vero quando eſt malum tantummodo penes aliquem reſpectum, ſicuti projectio mercium eſt mala ſecundum ſe: obſervantia autem mandatorum Dei de ſe eſt bona, etiam præſcindendo a minis, & metu gehennæ; & idcirco obſervantia iſta ex metu gehennæ poteſt eſſe non involuntaria ſecundum quid, & omnem affectum ad peccatum excludere. Reſpondetur ſecundo, & ſolidius: quod tunc dicitur actioni ex metu factæ admiſceri involuntarium ſecundum quid, quando malum non cauſatur ex ipſo affectu & voluntate operantis, ſicut eſt naufragium reſpectu projicientis merces; at quando malum, ex cujus metu qui operatur, cauſatur ex ipſo affectu & voluntate operantis, ut eſt malum gehennæ, tunc optime poteſt nullum habere admixtum involuntarium.

Operatio bona ex metu facta retinet ſuam bonitatem.

VII. Operatio bona ex metu facta non amittit ſuam bonitatem neque meritum, ſi cætera adſint ad meritum requiſita, (nempe ſtatus gratiæ, & virtualis ſaltem directio charitatis ad gloriam Dei) unde qui reſiſtit tentationi ex metu gehennæ, nullum, ex dictis, habere poteſt affectum ad malum, a quo abſtinet: & ſimiliter ſi, ut gehennam fugiat, opera bona eliciat.

Peccans ex metu.

VIII. Peccato gravi conſentiens ex metu gravis mali imminentis, mortaliter peccat; quia peccatum eſt voluntarium ſimpliciter, ex dictis; minuitur tamen aliqualiter malitia, proportionabiliter ad mali comminati gravitatem; quia quo gravius eſt malum, eo majorem involuntarietatem ſecundum quid refundit in operantem: numquam tamen minuit taliter peccatum, ut tranſeat de lethali in veniale, niſi in ſolo caſu, quo metus ita mentem perturbaret, & ſubverteret, ut uſum rationis tolleret, & in delirium raperet.

Aliquando lex

IX. In quibuſdam caſibus, in quibus malum quod timetur revera gravius eſt eo malo, quod ſuſcipitur, lex naturalis ceſſat obligare prudenter metuentem. Do exempla ab omnibus admiſſa. Metuens ſibi mortem ab inimico actualiter invadente attentatam; ſi nulla alia via ſe defendendi ſubſit, niſi occidendo illum, poteſt occidere, nunquam intendendo occiſionem, ſed ſuimet defenſionem, quæ non alia via ſibi ſuppetere poteſt; & lex de non occidendo ceſſat. In extrema neceſſitate conſtitutus, poteſt aliena ſurripere ea menſura, ut vitam tunc ſervet; non furandi animo, ſed ſibi ſubveniendi; & lex de non furando ceſſat. Non poteſt quis ullo modo reſtituere gemmam magni valoris, niſi cum certa jactura famæ juſte acquiſitæ, & multæ conſequentiæ, aut vitæ; differre poteſt, quouſque hoc periculum ceſſet; niſi forte etiam creditor in ſimili periculo inveniretur: & ſic forte in aliis caſibus.

ipſa naturalis deſinit obligare.

Leges poſitivæ aliquando deſinunt obligare metuentem.

X. Leges quoque ipſæ Divinæ poſitivæ ceſſant quandoque obligare metuentem grave malum imminens, ita ut in eo caſu diſpenſetur a lege: ita timor prudens gravis mali etiam temporalis confeſſioni extranei excuſat ab integritate materiali confeſſionis: item ab obſervando voto emiſſo: item a non laborando in die feſtivo: & ab his ſimilibus. Quia cenſetur Divina Clementia, cognoſcens figmentum noſtrum, in dictis caſibus remittere obligationem; & indulget præponderare legem naturalem de non incurrendo gravi admodum damno, omiſſioni præceptorum illorum poſitivorum, ſemoto ſemper contemptu eorumdem; quia tunc prævaleret præceptum naturale majus de non contemnenda religione præcepto naturali minor etiam de vita conſervanda.

Exceptio huic obſervanda.

XI. Excipiendæ ſunt leges Divinæ poſitivæ bonum commune Eccleſiæ concernentes; a quibus tuendis & obſervandis nullus timor quantumvis gravis a peccato excuſare poteſt: puta ne quis adminiſtrandis Sacramentis uteretur debita materia & forma; ne conſecraret utramque ſpeciem: ne ſervaret ſigillum confeſſionis; & alia hujuſmodi; quæcum cedant in damnum communis Eccleſiæ boni, hoc prævalere debet cuicumque malo, quod ab homine ſubiretur in illis ſervandis; neque unquam excuſari poteſt metuens, contrarium agens.

An autem leges humanæ obligent cum gravi damno; ita ut illud prudenter metuens excuſetur, diximus in cap. de legibus §. 5. n. 10.

XII. Do-

Contractus ex metu initi quomodo validi?

XII. Donationes, promiſſiones, aliique civiles contractus initi ex metu gravi, ſunt natura ſua validi; quia, ut dictum fuit, metus relinquit voluntarium ſimpliciter: ſi autem metus ſit a cauſa extrinſeca injuſte incuſſus ad extorquendum actum, aut contractum, quamvis contractus remaneat validus, eſt tamen reſcindibilis arbitrio illius, qui metum paſſus fuit. Quod contractus remaneat validus, patet ex dictis, quia remanet ſimpliciter voluntarius: Quod vero ſit reſcindibilis ad arbitrium metum patientis, ex eo patet; quia cum metum inferens gravem irrogarit injuriam patienti, hæc non debet ipſi prodeſſe; neque tenetur metum paſſus injurianti gratificari immo, tenetur, qui injuriam intulit, illam auferre, & reſtituere metum paſſum ſuæ priſtinæ libertati, nec non omnia damna inde ſecuta redintegrare; & hoc eſt verum ante quamcumque judicis ſententiam. Conſulto dixi, ut contractus ſit renſcindibilis ad arbitrium patientis metum, debere eſſe injuſte incuſſum; puta; niſi mihi vendas domum, te plagis afficiam: ſi enim juſte incuteretur, puta, niſi mihi vendas domum, quam ſpopondiſti, te accuſabo apud judicem; contractus eſſet irreſcindibilis; quia delatio ad judicem in hoc caſu eſſet juſta, & metus ex ea incuſſus eſſet juſte incuſſus. Conſulto item dixi; metum injuſte incuſſum directum eſſe debere ad extorquendum contractum, ut hic ſit reſcindibilis; quia ſi incuteretur ob alium finem, & metuens, ut ſe ſubtrahat a malo comminato, promittit, donat &c. tunc actus validus eſſet, & non amplius ad arbitrium reſcindibilis. Do exemplum: pater invenit ſtupratorem filiæ; arripit pugionem, ut aggrediatur defloratorem; hic ut a vulnere aut morte ſe ſubtrahat, promittit ſe filiam ducturum; contractus tenet, nec eſt reſcindibilis; quia metus non fuit incuſſus ad extorquendam promiſſionem. Pater arripit pugionem, & dicit; aut promittas ducere filiam, aut te occido: ille promittit: promiſſio valida, ſed reſcindibilis ad arbitrium defloratoris; quia extorta per metum injuſtum, & ad eam extorquendam directum. Nota, quod ſi metum paſſus velit contractum ſubſiſtere, quem norit ſibi profuturum; non poteſt qui metum intulit recedere, ſed ſtare tenetur: ſed de hoc caſu redibit ſermo in tractatu de matrimonio.

Caſus a jure excepti.

XIII. Excipiuntur a jure poſitivo Eccleſiaſtico aliqui contractus, in quibus actus per metum gravem injuſte extortus nedum eſt reſcindibilis ad arbitrium, ſed irritus redditur, & nullus ipſo facto. Primus eſt Matrimonium, quod ipſo facto eſt nullum; ita ex capite *locum*, & ex capite *veniens* de Sponſalibus. Alter eſt emiſſio Profeſſionis religioſæ cum votis ſolemnibus, ſi præfato metu emittantur; ita ex titulo *de his, quæ vi, metuſque cauſa fiunt*, nec non ex Concilio Tridentino ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 19. Qui autem præfato metu profeſſionem emittit, poteſt intra quinquennium ab emiſſa profeſſione reclamare; & ſi probaverit, ſe paſſum fuiſſe talem metum, reſcinditur profeſſio judicio Epiſcopi loci, in quo illam emiſit. Sed de his redibit ſermo Tract. 16. cap. 6. §. 4. Similiter irritantur a jure alii actus ex prædicto metu profecti, qui legi poſſunt in Sylveſtro noſtro verbo Metus, §. 8. inter alios recenſet hic Auctor promiſſionem & erogationem dotis: electionem Prælati, protractionem juriſdictionis; teſtimonia teſtium in teſtamentis, &c.

* Lege quæ circa hanc materiem habet Auctor *tract.* 10. *de contract. cap.* 1. §. 2. *a num.* 5. *uſque ad* 7. quæque nos ibidem adjecimus.

Juramenta metu extorta.

XIV. Juramenta præfato metu extorta valida eſſe, & implenda, ſi abſque peccato, & abſque alicujus injuria impleri queant, docet communis: Tum quia & ſunt ſufficienter voluntaria; & ita poſtulat reverentia divino nomini debita. Poteſt tamen, ſi nimis gravetur, qui metum paſſus fuit, expoſito motivo, petere relaxationem a juramento ab habente facultatem; & etiam petere reſtitutionem eorum, quæ vi hujuſmodi juramenti dederat.

Extorta per metum levem.

XV. Quæ extorquentur per metum levem, itaut abſque hoc metu non fierent, ſaltem in foro conſcientiæ ſunt reſtituenda; quia qui patitur metum levem, privatur plena & integra ſua libertate, & injuriæ ſubjicitur; quam injuriam auferre tenetur qui metum incuſſit, reſtituendo hominem integræ ſuæ libertati; qui propterea ſi repetat quod tradidit, vel reſciſſionem contractus, ita juxta probabiliorem eſt agendum. Dixi in foro conſcientiæ; quia in foro civili, ad evitandas perpetuas lites, metus levis non ſolet admitti.

§. IV. *De Concupiſcentia ſeu vehementi paſſione.*

Quid Concu...

I. CONcupiſcentiæ nomine in præſenti intelligitur vehemens paſſio appetitus

n-tia, & quotuplex? titus ſenſitivi proſequentis objectum aliquod. Alia eſt Antecedens, quæ exurgens prævenit voluntatis actum: alia Conſequens, quia conſequitur actum voluntatis: exemplum primæ in eo qui obvium habet inimicum, & ſtatim experitur exurgere in ſe motum vindictæ: exemplum ſecundæ in eo, qui recogitat offenſam ſibi illatam, ut ferventius feratur in vindictam. De prima nonnihil actum fuit de motibus ſenſualitatis in §. de peccatis internis. Nunc aliquid dicendum ſupereſt; nam ſecundam augere voluntarium, nimis patet. Nota igitur, voluntarii triplicem eſſe gradum:

Quotuplex voluntarii gradus. primus in eo conſiſtit, quod actus ſit a principio intrinſeco cum cognitione finis, ſeu objecti; & dicitur actus voluntarius abſolute. Secundus in eo, quod actus ſit cum cognitione etiam circumſtantiarum objecti, ac dignitatis ipſius; & dicitur actus voluntarius perfecte. Tertius, in eo, quod actus etiam exeat cum indifferentia, & libertate; & dicitur actus voluntarius liber.

Quando augeat, vel minuat voluntarium? II. Concupiſcentia antecedens auget voluntarium in primo gradu explicatum; quia voluntatem excitat, ut ardentius feratur in objectum; experientia namque compertum eſt, quod quo major excitatur concupiſcentia antecedens, eo majori impetu feramur in objecta propoſita. Concupiſcentia antecedens minuit voluntarium in ſecundo, & tertio gradu explicatum; quia paſſio vehemens quandoque ita mentem perturbat & abſorbet, ut illam auferat, & in delirium rapiat; tunc igitur nedum minuit voluntarium, ſaltem formale (quidquid ſit de cauſali, nam ſi potuit, & debuit prævideri, peccatum dicitur in cauſa volitum); ſed etiam tollit voluntarium tertii gradus. Aliquando autem impedit, ne meritum, & excellentia objecti attendatur, aut ne ejuſdem circumſtantiæ animadvertantur; & ita minuit voluntarium ſecundi gradus. Aliquando etiam accidit, quod paſſio vehemens non cauſet involuntarium ſecundum quid, quia evenire poteſt, ut ex nulla parte ſibi appareat malum, ſed tantummodo delectabile, & bonum ſaltem apparens, nec proponat voluntati quidquam ipſi repugnans; ac proinde quod, ex mera inductione paſſionis, nihil inveniatur, quo quidquam involuntarium admiſceri poſſit. Aliquando demum efficere poteſt, quod per accidens aliquid involuntarii admiſceatur; quia frequenti experientia docemur, quod V. G. amatores impudici, dum pro ſcortis ſuis multas divitias prodigunt, divitiarum amore ſimul detenti, in illis prodigendis non levi diſplicentia afficiuntur, quæ diſplicentia quid involuntari per accidens, & indirecte refundit in ſcorti proſecutionem.

Omnia ad hanc materiem ſpectantia paucis complexus eſt, nitideque expoſuit D. Th. 1. 2. qu. 77. art. 6. ejus verba placet hic addere ad majorem doctrinæ traditæ lucem affundendam: *Dicendum*, inquit, *quod peccatum eſſentialiter conſiſtit in actu liberi arbitrii, quod eſt facultas voluntatis, & rationis: paſſio autem eſt motus appetitus ſenſitivi; appetitus autem ſenſitivus poteſt ſe habere ad liberum arbitrium & antecedenter, & conſequenter: Antecedenter quidem ſecundum quod paſſio appetitus ſenſitivi trahit, vel inclinat rationem, vel voluntatem, ut ſupra dictum eſt. Conſequenter autem ſecundum quod motus ſuperiorum virium, ſi ſint vehementes, redundant in inferiores; non enim poteſt voluntas intenſe moveri in aliquid, quin excitetur aliqua paſſio in appetitu ſenſitivo. Si igitur accipiatur paſſio, ſecundum quod præcedit actum peccati, ſic neceſſe eſt, quod diminuat peccatum; actus enim intantum eſt peccatum, inquantum eſt voluntarium, & in nobis exiſtens: eſſe autem aliquid in nobis dicitur per rationem, & voluntatem: unde quanto ratio, & voluntas ex ſe aliquid agunt, non ex impulſu paſſionis, magis eſt voluntarium, & in nobis exiſtens: & ſecundum hoc paſſio minuit peccatum inquantum minuit voluntarium: paſſio autem conſequens non diminuit peccatum, ſed magis auget, vel potius eſt ſignum magnitudinis ejus; inquantum ſcilicet demonſtrat intentionem voluntatis ad actum peccati, & ſic verum eſt quod quanto aliquis majori libidine, vel concupiſcentia peccat, tanto magis peccat.* Itaque juxta S. D. paſſio antecedens peccatum diminuit. Cum enim peccatum eſſentialiter conſiſtat in actu liberi arbitrii, eo, cæteris paribus, eſt majus, vel minus, quo eſt magis, vel minus liberum: paſſio autem antecedens minuit rationem libertatis. Paſſio enim antecedens dicitur, quæ præcedit motum rationis; & voluntatis, eamque trahit, vel inclinat: Id autem quod ratio, & voluntas operantur ex impulſu paſſionis, non eſt tam liberum, quam id quod agunt omnino ex ſe ſine illius paſſionis impulſu. Illa autem paſſio, quæ dicitur conſequens, eo quod ſequatur motum voluntatis, ſicut eſt, dum aliquis cupiens de ſuo inimico ulciſci, ſponte aſſumit iram, ut tanto vehementius agat, non diminuit peccatum, ſed magis auget,

vel potius eſt ſignum magnitudinis ejus; quia vel auget voluntarium, ac liberum, vel eſt ſignum voluntatis vehementioris, vel propenſioris. Sic Cl. Sylvius *ſuper laudatum art. D. Th.*; qui etiam plura exhibet ſcitu digna in ſolutionibus argumentorum, quæ tamen brevitati conſulentes miſſa facimus.

Motus deliberate excitati.

III. Motus concupiſcentiæ, & paſſionum, ſi deliberate excitentur a voluntate, & ſint circa materiam gravem, jam patet eſſe peccata mortalia: ſi vero circa materiam levem, patet eſſe venialia. Si autem vel a dæmone, vel a corrupta natura excitentur; & ſemiplene advertantur, & aliquali imperfecto aſſenſu admittantur, etiamſi ſint in materia gravi, erunt peccata venialia; quia deeſt perfecta advertentia, & deliberatio ad mortale requiſita: id patet in ſemidormientibus: ſi vero hæc accedat, jam liquet eſſe lethalia. Quantumvis autem vehementes fuerint, & inordinati motus concupiſcentiæ & paſſionis, omnem deliberationem prævenientes, ſi perſonæ illos patienti revera diſpliceant, eiſdemque contradicat, nullum peccatum incurrit, immo grande meritum adipiſcitur; quia ſunt omnino involuntarii; & alioquin eiſdem reſiſtens, pugnat pro lege Dei, & pro animæ ſuæ ſalute.

§. V. *De Ignorantia.*

Quid ſit ignorantia, & a quot capitibus diviſionem ſumat?

I. IGnorantia generatim ſumpta eſt carentia cognitionis alicujus rei: Ejus diviſio poteſt depromi, vel per comparationem ad ſubjectum, vel per comparationem ad Objectum, vel per comparationem ad effectum, vel per comparationem ad Voluntatem, & culpam.

Ejus diviſio per comparationem ad ſubjectum.

II. Per comparationem ad ſubjectum, dividitur ignorantia in Negativam, Privativam, & Poſitivam. Negativa eſt carentia cognitionis in ſubjecto incapaci ad illam; ut carentia cognitionis Chriſti in perpetuo amente. Privativa eſt carentia cognitionis in ſubjecto capaci ad illam, ut ignorantia Chriſti in adulto mentis compote. Poſitiva eſt carentia cognitionis cum poſitivo errore contrario, puta ignorantia Chriſti, adjuncta errori, quod ſit purus homo. Privativa poteſt eſſe vel habitualis, ideſt diuturna; vel actualis, quæ melius dicitur oblivio.

Ignorantia reſpective ad Objectum.

III. Comparative ob Objectum, dividitur ignorantia in eam, quæ dicitur Juris, & eſt carentia cognitionis, quod extet Lex, ejuſque obligatio; puta quod tali die ſit jejunandum: & in eam, quæ dicitur Facti, quæ eſt carentia cognitionis alicujus facti, ſeu rei particularis, aut qualitatis ejuſdem rei, puta quod Petrus ſit perſona ſacra.

Ignorantia reſpective ad effectum.

IV. Comparative ad effectum, dividitur ignorantia in Antecedentem, Concomitantem, & ſubſequentem: prima eſt carentia cognitionis, quæ carentia eſt cauſa actionis, qua ignorantia abſente, actio nullatenus fieret: puta ignorantia quod hodie ſit jejunium, qua extante carnes comediſti; certe non comeſturus, niſi id ignoraſſes. Secunda eſt carentia cognitionis, non ob quam fit, ſed cum qua fit actio, quæ adhuc fieret, non ſubſiſtente ignorantia: puta jejunium fregiſti ignorans eſſe jejunium, illud fracturus, etiamſi non ignorasses. Tertia eſt carentia cognitionis conſequens voluntatem, nempe quia perſona aut directe noluit ſcire id quod tenebatur; aut indirecte neglexit, & non curavit id ſcire: puta ignorantia præceptorum in eo, qui poſitive non vult, aut non curat pergere ad locum, ubi explicantur: & hæc melius declarabitur numero ſequenti.

Ignorantia reſpective ad voluntarietatem.

V. Comparative ad voluntarietatem & culpam dividitur ignorantia in Invincibilem, & Vincibilem: prima eſt inculpabilis, & eſt carentia cognitionis, quæ morali adhibita diligentia, acquiri non potuit; & ideo nullo modo eſt voluntaria, diciturque omnino antecedens; puta ignorantia legis recenter emanatæ in ruſtico. Secunda eſt carentia cognitionis, quæ morali adhibita diligentia acquiri debuit & potuit; unde per acquiſitionem hujuſmodi cognitionis ignorantia tolleretur, & vinceretur; & propterea eſt culpabilis, & hæc eſt conſequens, quia fuit volita vel directe, ut cum quis noluit inquirere, an eſſet dies jejunii; vel indirecte; quia neglexit inquirere, dum poterat, & tenebatur. Ignorantia vincibilis directe volita, dicitur etiam Affectata, quia data opera noluit ſtudere, ſciſcitari, ſcire, vel ex tædio, vel ex aperta malitia. Indirecte autem volita cenſetur, quando ignorans non vult quidem expreſſe ipſam ignorantiam in ſe, ſicut quando eſt directe volita, ſed quia, cum poſſit, & ex vi ſtatus ſui quis teneatur ſcire quæ ad eumdem pertinent, levi, & ſuperficiali utitur diligentia, nec adhibet ſufficientem, quam poſſet & deberet impendere, ut neceſſariam cognitionem aſſequatur; & hæc etiam vocitari ſolet ignorantia lata, craſſa,

& ſu-

& ſupina. His additur ignorantia vincibilis levis, quæ eſt aliquis omiſſio diligentiæ debitæ ad notitiam aſſequendam: ut autem cum fundamento levis judicetur, debet confeſſario innoteſcere qualitas materiæ, perſonæ, & aliarum circumſtantiarum, præcipue ſollicitudinis adhibitæ in inquirenda veritate.

Ignorantia affectata auget voluntarium.

VI. Ignorantia vincibilis affectata auget voluntarium: ita S. Th. 1. 2. q. 76. a. 4. *Contingit quandoque quod talis ignorantia directe, & per ſe eſt voluntaria, ſicut cum aliquis ſua ſponte neſcit aliquid, ut liberius peccet, & talis ignorantia videtur augere voluntarium.* Rationem dat: *Ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit, quod aliquis vult ſubire ignorantiæ damnum, propter libertatem peccandi.*

Non affectata minuit voluntarium.

VII. Vincibilis non affectata minuit voluntarium: ita S. D. loc. cit. *Quandoque vero ignorantia, quæ eſt cauſa peccati, non eſt directe voluntaria, ſed indirecte, vel per accidens, puta cum aliquis non vult laborare in ſtudio, ex quo ſequitur, eum eſſe ignorantem ....; & talis ignorantia diminuit voluntarium*: quia peccatum illud minus efficaciter intenditur; unde remanendo voluntarium ſimpliciter, efficitur involuntarium ſecundum quid. Obſerva tamen, quod quando vincibilitas eſt gravis, quæ eſt menſuranda ex qualitate perſonæ, materiæ, ſtatus, officii &c., non transfert unquam peccatum de mortali in veniale: nam *propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum*, concludit S. Doctor.

Concomitans efficit non voluntarium.

VIII. Ignorantia Concomitans neque efficit voluntarium, neque involuntarium, ſed non voluntarium. Ita S. D. 1. 2. q. 6. art. 8. *Concomitans facit non voluntarium.* Nequit efficere voluntarium, quia objectum eſt omnino ignotum, & ſine debito cognoſcendi; nam ſi extaret debitum, eſſet antecedens vincibilis. Nequit efficere involuntarium, quia actus non diſplicet, nec repugnat voluntati: ergo efficiet non voluntarium.

Invincibilis efficit involuntarium ſimpliciter.

IX. Ignorantia antecedens Invincibilis efficit actum involuntarium ſimpliciter, ita S. D. loco ſupracit. q. 76. *Antecedenter ſe habet ignorantia ad voluntatem, quando non eſt voluntaria, & tamen eſt cauſa volendi, quod alias non vellet; ſicut cum aliquis ignorat aliquam circumſtantiam, quam non tenebatur ſcire: .... & talis ignorantia cauſat involuntarium ſimpliciter.* Ratio patet, quia cauſat effectum omnino repugnantem voluntati; & quem ipſa abſoluto non vult; & in tantum vult, in quantum illud inculpate ignorat.

Obſervatio notanda.

X. Notandum, quod hactenus dicta de Ignorantia, applicanda ſunt etiam Inadvertentiæ, quæ eſt privatio debitæ conſiderationis actualis: Inconſiderationi; quæ eſt privatio debitæ inſpectionis: & Oblivioni, quæ eſt privatio debitæ recordationis rei alioquin notæ. Quæ omnes redduntur culpabiles juxta gradum debiti & poteſtatis ad eas præcavendas; conſideratis circumſtantiis ſtatus, officii, & materiæ, & perſonæ illas incurrentis.

CAPUT III.
DE
HUMANORUM ACTUUM MORALITATE.

Poſt conſideratam humanorum actuum naturalem conſtitutionem; eorumdemque voluntarietatem, & libertatem, eum per hanc transferantur ad eſſe morale, operæ pretium poſtulat, ut de ipſorum Moralitate ſermo inſtituatur.

§. I. *De Natura & ſpecie Moralitatis.*

In quo conſiſtat moralitas?

I. Moralitas actus humani, quamvis ut fundamentum præſupponat libertatem, in ipſa tamen non conſiſtit, ſed in reſpectu quodam actus liberi ad objectum ſubditum regulis morum, ut proſequendum, ſi bonum; vel ut fugiendum, ſi malum. Quod non conſiſtat Moralitas in libertate, ex eo patet, quod libertas ſpectat ad perfectionem phyſicam actuum humanorum, & non ad moralem, quæ eſt perfectio alterius generis. Si enim per hypotheſim nulla extaret regula humanorum actuum, actus humani adhuc eſſent liberi, cum tamen non eſſent morales; quippe qui nulli regulæ morum ſubordinati. Eſt tamen libertas fundamentum moralitatis; quia efficit, ut actus dirigi poſſint a conſcientia, & a lege; actus enim neceſſarii non ſunt directionis capaces. Conſiſtet igitur moralitas in reſpectu actus li-

Digitized by Google

vel potius eſt ſignum magnitudinis ejus; quia vel auget voluntarium, ac liberum, vel eſt ſignum voluntatis vehementioris, vel propenſioris. Sic Cl. Sylvius *ſuper laudatum art. D. Th.*; qui etiam plura exhibet ſcitu digna in ſolutionibus argumentorum, quæ tamen brevitati conſulentes miſſa facimus.

Motus deliberate excitati.

III. Motus concupiſcentiæ, & paſſionum, ſi deliberate excitentur a voluntate, & ſint circa materiam gravem, jam patet eſſe peccata mortalia: ſi vero circa materiam levem, patet eſſe venialia. Si autem vel a dæmone, vel a corrupta natura excitentur; & ſemiplene advertantur, & aliquali imperfecto aſſenſu admittantur, etiamſi ſint in materia gravi, erunt peccata venialia; quia deeſt perfecta advertentia, & deliberatio ad mortale requiſita: id patet in ſemidormientibus: ſi vero hæc accedat, jam liquet eſſe lethalia. Quantumvis autem vehementes fuerint, & inordinati motus concupiſcentiæ & paſſionis, omnem deliberationem prævenientes, ſi perſonæ illos patienti revera diſpliceant, eiſdemque contradicat, nullum peccatum incurrit, immo grande meritum adipiſcitur; quia ſunt omnino involuntarii; & alioquin eiſdem reſiſtens, pugnat pro lege Dei, & pro animæ ſuæ ſalute.

§. V. *De Ignorantia.*

Quid ſit ignorantia, & a quot capitibus diviſionem ſumat?

I. Ignorantia generatim ſumpta eſt carentia cognitionis alicujus rei: Ejus diviſio poteſt depromi, vel per comparationem ad ſubjectum, vel per comparationem ad Objectum, vel per comparationem ad effectum, vel per comparationem ad Voluntatem, & culpam.

Ejus diviſio per comparationem ad ſubjectum.

II. Per comparationem ad ſubjectum, dividitur ignorantia in Negativam, Privativam, & Poſitivam. Negativa eſt carentia cognitionis in ſubjecto incapaci ad illam; ut carentia cognitionis Chriſti in perpetuo amente. Privativa eſt carentia cognitionis in ſubjecto capaci ad illam, ut ignorantia Chriſti in adulto mentis compote. Poſitiva eſt carentia cognitionis cum poſitivo errore contrario, puta ignorantia Chriſti, adjuncta errori, quod ſit purus homo. Privativa poteſt eſſe vel habitualis, idest diuturna; vel actualis, quæ melius dicitur oblivio.

Ignorantia reſpective ad Objectum.

III. Comparative ob Objectum, dividitur ignorantia in eam, quæ dicitur Juris, & eſt carentia cognitionis, quod extet Lex, ejuſque obligatio; puta quod tali die ſit jejunandum: & in eam, quæ dicitur Facti, quæ eſt carentia cognitionis alicujus facti, ſeu rei particularis, aut qualitatis ejuſdem rei, puta quod Petrus ſit perſona ſacra.

Ignorantia reſpective ad effectum.

IV. Comparative ad effectum, dividitur ignorantia in Antecedentem, Concomitantem, & ſubſequentem: prima eſt carentia cognitionis, quæ carentia eſt cauſa actionis, qua ignorantia abſente, actio nullatenus fieret: puta ignorantia quod hodie ſit jejunium, qua extante carnes comediſti; certe non comeſturus, niſi id ignoraſſes. Secunda eſt carentia cognitionis, non ob quam fit, ſed cum qua fit actio, quæ adhuc fieret, non ſubſiſtente ignorantia: puta jejunium fregiſti ignorans eſſe jejunium, illud fracturus, etiamſi non ignoraſſes. Tertia eſt carentia cognitionis conſequens voluntatem, nempe quia perſona aut directe noluit ſcire id quod tenebatur; aut indirecte neglexit, & non curavit id ſcire: puta ignorantia præceptorum in eo, qui poſitive non vult, aut non curat pergere ad locum, ubi explicantur: & hæc melius declarabitur numero ſequenti.

Ignorantia reſpective ad voluntarietatem.

V. Comparative ad voluntarietatem & culpam dividitur ignorantia in Invincibilem, & Vincibilem: prima eſt inculpabilis, & eſt carentia cognitionis, quæ morali adhibita diligentia, acquiri non potuit; & ideo nullo modo eſt voluntaria, diciturque omnino antecedens; puta ignorantia legis recenter emanatæ in ruſtico. Secunda eſt carentia cognitionis, quæ morali adhibita diligentia acquiri debuit & potuit; unde per acquiſitionem hujuſmodi cognitionis ignorantia tolleretur, & vinceretur; & propterea eſt culpabilis, & hæc eſt conſequens, quia fuit volita vel directe, ut cum quis noluit inquirere, an eſſet dies jejunii; vel indirecte; quia neglexit inquirere, dum poterat, & tenebatur. Ignorantia vincibilis directe volita, dicitur etiam Affectata, quia data opera noluit ſtudere, ſciſcitari, ſcire, vel ex tædio, vel ex aperta malitia. Indirecte autem volita cenſetur, quando ignorans non vult quidem expreſſe ipſam ignorantiam in ſe, ſicut quando eſt directe volita, ſed quia, cum poſſit, & ex vi ſtatus ſui quis teneatur ſcire quæ ad eumdem pertinent, levi, & ſuperficiali utitur diligentia, nec adhibet ſufficientem, quam præſtet & deberet impendere, ut neceſſariam cognitionem aſſequatur; & hæc etiam vocitari ſolet ignorantia lata, craſſa, & ſu-

& ſupina. His additur ignorantia vincibilis levis, quæ eſt aliquis omiſſio diligentiæ debitæ ad notitiam aſſequendam: ut autem cum fundamento levis judicetur, debet confeſſario innoteſcere qualitas materiæ, perſonæ, & aliarum circumſtantiarum, præcipue ſollicitudinis adhibitæ in inquirenda veritate.

Ignorantia affectata auget voluntarium.

VI. Ignorantia vincibilis affectata auget voluntarium: ita S. Th. 1. 2. q. 76. a. 4. *Contingit quandoque quod talis ignorantia directe, & per ſe eſt voluntaria, ſicut cum aliquis ſua ſponte neſcit aliquid, ut liberius peccet, & talis ignorantia videtur augere voluntarium.* Rationem dat: *Ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit, quod aliquis vult ſubire ignorantiæ damnum, propter libertatem peccandi.*

Non affectata minuit voluntarium.

VII. Vincibilis non affectata minuit voluntarium: ita S. D. loc. cit. *Quandoque vero ignorantia, quæ eſt cauſa peccati, non eſt directe voluntaria, ſed indirecte, vel per accidens, puta cum aliquis non vult laborare in ſtudio, ex quo ſequitur, eum eſſe ignorantem ....; & talis ignorantia diminuit voluntarium*: quia peccatum illud minus efficaciter intenditur; unde remanendo voluntarium ſimpliciter, efficitur involuntarium ſecundum quid. Obſerva tamen, quod quando vincibilitas eſt gravis, quæ eſt menſuranda ex qualitate perſonæ, materiæ, ſtatus, officii &c., non transfert unquam peccatum de mortali in veniale: nam *propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum*, concludit S. Doctor.

Concomitans efficit non voluntarium.

VIII. Ignorantia Concomitans neque efficit voluntarium, neque involuntarium, ſed non voluntarium. Ita S. D. 1. 2. q. 6. art. 8. *Concomitans facit non voluntarium.* Nequit efficere voluntarium, quia objectum eſt omnino ignotum, & ſine debito cognoſcendi; nam ſi extaret debitum, eſſet antecedens vincibilis. Nequit efficere involuntarium, quia actus non diſplicet, nec repugnat voluntati: ergo efficiet non voluntarium.

Invincibilis efficit involuntarium ſimpliciter.

IX. Ignorantia antecedens Invincibilis efficit actum involuntarium ſimpliciter, ita S. D. loco ſupracit. q. 76. *Antecedenter ſe habet ignorantia ad voluntatem, quando non eſt voluntaria & tamen eſt cauſa volendi, quod alias non vellet; ſicut cum aliquis ignorat aliquam circumſtantiam, quam non tenebatur ſcire: .... & talis ignorantia cauſat involuntarium ſimpliciter.* Ratio patet, quia cauſat effectum omnino repugnantem voluntati; & quem ipſa abſoluto non vult; & in tantum vult, in quantum illud inculpate ignorat.

Obſervatio notanda.

X. Notandum, quod haſtenus dicta de Ignorantia, applicanda ſunt etiam Inadvertentiæ, quæ eſt privatio debitæ conſiderationis actualis: Inconſiderationi; quæ eſt privatio debitæ inſpectionis: & Oblivioni, quæ eſt privatio debitæ recordationis rei alioquin notæ. Quæ omnes redduntur culpabiles juxta gradum debiti & poteſtatis ad eas præcavendas; conſideratis circumſtantiis ſtatus, officii, & materiæ, & perſonæ illas incurrentis.

CAPUT III.

DE

HUMANORUM ACTUUM MORALITATE.

Poſt conſideratam humanorum actuum naturalem conſtitutionem; eorumdemque voluntarietatem, & libertatem, cum per hanc transferantur ad eſſe morale, operæ prætium poſtulat, ut de ipſorum Moralitate ſermo inſtituatur.

§. I. *De Natura & ſpecie Moralitatis.*

In quo conſiſtat moralitas?

I. MOralitas actus humani, quamvis ut fundamentum præſupponat libertatem, in ipſa tamen non conſiſtit, ſed in reſpectu quodam actus liberi ad objectum ſubditum regulis morum, ut proſequendum, ſi bonum; vel ut fugiendum, ſi malum. Quod non conſiſtat Moralitas in libertate, ex eo patet, quod libertas ſpectat ad perfectionem phyſicam actuum humanorum, & non ad moralem, quæ eſt perfectio alterius generis. Si enim per hypotheſim nulla extaret regula humanorum actuum, actus humani adhuc eſſent liberi, cum tamen non eſſent morales; quippe qui nulli regulæ morum ſubordinati. Eſt tamen libertas fundamentum moralitatis; quia efficit, ut actus dirigi poſſint a conſcientia, & a lege; actus enim neceſſarii non ſunt directionis capaces. Conſiſtet igitur moralitas in reſpectu actus li-

beri ad objectum regulis morum, legi nempe, & conſcientiæ ſubditum; quia actus moralis non reſpicit legem, niſi reſpiciendo immediate objectum lege affectum, quemadmodum nec lex ipſa reſpicit actum humanum, niſi proponendo objectum: & quamvis jubeat exercere actus, illos tamen jubet per ordinem ad diverſa objecta variaſque materias.

Recenſentur moralitatis ſpecies.

II. Moralitatis ſpecies ſunt bonum, & malum; indifferens autem probabilius nobis eſt, tertiam eſſe moralitatis ſpeciem. Quod bonum, & malum ſint ſpecies, clarius eſt, quam probatione indigeat; cum enim ordo moralis a regulis morum deſumatur, neceſſario deducitur, quod id, quod eſt regulis conforme, ſit bonum; & quod difforme, malum. Quod vero etiam indifferens ſit ſpecies moralitatis, in obſequium S. Doctoris aſſerimus, cujus verborum ex 1. 2. q. 92. a. 2. nullam ſolidam explicationem invenire potuimus. *Lex habet tres actus, ſcilicet præcipere, prohibere, & permittere: ſunt autem tres differentiæ actuum humanorum, quidam ſunt boni ex genere ſuo; & reſpectu horum ponitur legis actus præcipere, ſeu imperare: quidam autem ſunt actus mali ex genere ſuo, ſicut actus vitioſi; & reſpectu horum lex habet prohibere: quidam vero ex genere ſuo ſunt actus indifferentes; & reſpectu horum lex habet permittere.* Si igitur indifferens cadit ſub lege, quæ eſt vera morum regula, erit morale; & proinde tertiam moralitatis ſpeciem conſtituet. Et iterum q. 2. de malo a. 5. *Si ergo loquamur de actu morali ſecundum ſuam ſpeciem, ſic non omnis actus moralis eſt bonus, vel malus, ſed aliquis indifferens.* En quomodo actum indifferentem accenſet ſpeciei morali.

Non poteſt dari actus indifferens in individuo.

III. Quamvis autem detur indifferentia tertia moralitatis ſpecies, nequit tamen, ſecundum conſtantem, & clariſſimam S. D. mentem inveniri in individuo actus indifferens, ſed debet neceſſario eſſe bonus vel malus; ideſt homo deliberate operans, nequit elicere actum, qui ſit mere indifferens. Ita ex profeſſo docet S. Thom. 1. 2. q. 18. a. 9. quem ſequuntur Bellarminus, Azorius, Suarez, Valentia, Navarrus, & alii cum integro diſcipulorum agmine. Ratio allata a S. Thoma ita proponitur: homo deliberate operans non poteſt licite tendere in objectum indifferens; nam homo deliberate operans, & deliberate tendens in objectum indifferens, hoc ipſo male agit; etenim homo deliberate agens tenetur tendere in objectum, & finem honeſtum, quia tenetur operari ut homo utens ratione, & juxta exigentiam naturæ rationalis; hæc autem exigentia poſtulat reſpicere objectum, & finem honeſtum, quod eſt bonum rationis; igitur non poterit deliberate operari ut homo, & ut rationalis, niſi tendat in bonum rationis, quod eſt honeſtum; ergo non indifferens: itaque ſi ab hoc deliberate deflectat, eo ipſo male operabitur, & non indifferenter. Unde Sanctus Auguſtinus in Epiſtol. 19. veteris editionis ait: *Cavendum eſſe, ne quædam facta hominum media dicamus, inter recte facta, & peccatum*: quem Doctorem eximium, tum propter hæc verba, tum propter illa, quæ profert in libro de peccatorum meritis cap. 18. fatetur Pater Vaſquez adverſæ opinionis dux, ſibi eſſe contrarium, una cum Sanctis Proſpero, Fulgentio, & Thoma, Auguſtini diſcipulis. Idem confirmat S. Thom. 1. p. q. 79. a. 12. dicendo: quod omnis actio deliberata tendens in objectum indifferens non concordat primis principiis rationis practicæ, quorum principale eſt, honeſte eſſe vivendum; & proinde in actionibus deliberatis honeſtos fines eſſe reſpiciendos; hujuſmodi autem ex terminis non eſt finis indifferens: unde ſicuti omnis concluſio ſpeculativa non concordans primis principiis rationis ſpeculativæ, neceſſe eſt quod ſit falſa; ita omnis actio deliberata, quæ eſt quid conſecutum ex concluſione practica, non concordans principiis rationis practicæ, neceſſe eſt, quod ſit mala. Denium idem confirmat in laudato ſuperius art. 9. Quia omnis actio deliberata non reſpiciens finem honeſtum, eſt otioſa, otioſum namque eſt, quod non deſervit ad finem, propter quem fuit inſtitutum, ut patet in ſingulis rebus: atqui homo deliberate agens fuit inſtitutus, ut agat ſecundum finem rationis, & ſecundum honeſtatem: quotieſcumque ergo honeſtatem non reſpicit deliberate agendo, deviat a fine ſuæ inſtitutionis; & proinde otioſe operatur.

Solvuntur objecta.

IV. Neque obeſt, quod quærere in actione deliberata commoditatem naturæ, ſit indifferens, & tamen non malum. Reſpondet enim S. Th. ad 3. *Hoc ipſum quod aliquis agit ordinate ad ſuſtentationem, & quietem ſui corporis, ad bonum virtutis ordinatur.* Quæcumque ergo ad levamen, & recreationem diriguntur, dummodo exceſſus non interveniat, ſunt honeſta. Exempla igitur ab adverſariis allata, ſi ratio-

nabilia

rabilia ſint, eo ipſo honeſta ſunt: ſi vero expreſſe intendantur ob finem indifferentem, volendo ſiſtere in ipſo, decidunt a rationali modo operandi, qui conſiſtit in quærendo bono rationi conſentaneo, & inde, ex terminis ipſis, honeſto. Neque prodeſt addere, quod qui ex ignorantia invincibili putat, non male operari ex fine indifferenti, eo ipſo non male operabitur. Reſpondetur enim, ita eſſe, ſi ignorantia invincibilis ſit in idiota aliquo; cæterum in homine culto ignorantia ſemper eſt vincibilis; cum nimis perſpicuum ſit, hominem deliberate operantem debere operari ad finem homini convenientem, qui eſt finis honeſtus. Neque id nimis durum eſt judicandum, niſi apud deſidioſos, & otio marceſcentes; quomodo enim durum videri poteſt, quod homo vivat ut homo? Et non potius videri abſonum, quod vivat ſoli delectationi acquieſcens, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus? Propterea habemus reprobatas ab Innoc. XI. has theſes n. 8. *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*. Et n. 9. *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum, penitus caret culpa, & defectu veniali*, quarum proſcriptione mire confirmatur aſſertio noſtra, ut illas perpendentem non latebit.

Moralitas deſumitur etiam ex circumſtantiis.

V. Cum moralitas actus deliberati principaliter deſumatur, ex dictis, ab objecto ſubdito regulis morum, deſumitur etiam ſecundario ex circumſtantiis objectum afficientibus, ut docet S. Th. 1. 2. q. 19. a. 3., & cum eo communis. Quia circumſtantiæ ut tales importare poſſunt aliquem reſpectum convenientiæ, vel diſconvenientiæ ad rationem, ſupra convenientiam, vel diſconvenientiam objecti: quis enim ambigat, quod nedum furari diſſonet rationi, ſed eo magis diſſonet, ſi fiat in loco Sacro? & etiam eo magis ſi rei ſacræ? Circumſtantias jam recenſuimus, & explicavimus in tract. 2. cap. 1. de peccatis §. 3. n. 7. Ubi etiam obſervavimus, quaſdam circumſtantias augere dumtaxat moralitatem, quaſdam vero etiam novam ſpeciem moralitatis addere; ob ſpecialem convenientiam, aut diſconvenientiam cum regulis morum: vide ibidem tradita.

Circumſtantia finis præ cæteris addit moralitatem.

VI. Inter circumſtantias ſpecialem addentes actui moralitatem eſt *Cur*, nempe Finis, qui duplex eſt, ut etiam alibi innuimus, intrinſecus nempe, ſeu operis; & extrinſecus, ſeu operantis: intrinſecus eſt idem ac objectivus; puta, ſublevare alienam miſeriam in actu miſericordiæ; & hic eſt idem ac objectum actus: extrinſecus autem eſt ille, qui præter objectivum intenditur ab operante ſupra finem operis, & hic proprie eſt circumſtantia; puta, intendere ſatisfactionem pro peccatis commiſſis in erogatione eleemoſinæ. Propterea tot poſſunt moralitates addi actioni operantis, quot fines intenduntur ab operante. Verb. Grat. in dicto actu, præter levamen alienæ miſeriæ, quod, ut dixi, eſt finis operis & objectivus, poteſt intendi, & ſatisfactio pro peccatis, qui eſt actus pœnitentiæ, & gloria Dei, qui eſt actus charitatis erga Deum, & cultus ejuſdem, qui eſt actus religionis, & ſuffragium animæ degentis in purgatorio, qui eſt actus miſericordiæ ſpiritualis, & impetratio divinorum auxiliorum, qui eſt actus orationis & religionis, & charitatis erga ſeipſum &c.: Vide quot moralitates bonas ſpecie diſtinctas. Ita ab oppoſito qui v. g. furatur talem ſummam pecuniæ, poteſt furari ut illa ſpoliet proximum, qui eſt finis objectivus furti, deinde ut illa abutatur ad ſeducendam conjugatam, qui eſt finis adulterii contra juſtitiam, ad occidendum inimicum, qui eſt finis homicidii pariter contra charitatem & juſtitiam, ad fornicandum cum ſcorto, qui eſt finis fornicationis contra caſtitatem &c.

Idem actus non poteſt ſimul habere duplicem moralitatem bonitatis, et malitiæ.

VII. Idem numero actus humanus nequit ſimul habere duplicem moralitatem oppoſitam, neque ut ſit ſimul partim bonus, & partim malus: bonus ſecundum quid, & malus ſimpliciter: unde qui v. g. erogat eleemoſinam ob inanem gloriam, committit actum totum malum, ita probabilior etiam inter Thomiſtas, & procuIdubio menti S. Doctoris conformis, qui illam docet pluribus in locis, tum in 2. d. 38. q. 1. a. 4. *Cum aliquis vult dare eleemoſinam propter inanem gloriam, hic eſt unus actus voluntatis, & hic actus totus eſt malus, licet non ab omni eo, quod in ipſo eſt, malitiam habet*. Iterum 1. 2. q. 19. art. 7. ad 2. *Voluntas non poteſt dici bona, ſi ſit intentio mala, cauſa volendi: qui enim vult dare eleemoſynam propter inanem gloriam conſequendam, vult id quod de ſe bonum eſt, ſub ratione mali, & ideo, prout eſt volitum ab eo, eſt malum, unde voluntas ejus eſt mala*. Et tandem ad 3. *Sive voluntas ſit ejus quod eſt ſecundum ſe malum, & ſub ratione boni, ſive ſit boni ſub ratione mali, ſemper* volun-

Digitized by Google

voluntas eſt mala. Ratio eſt, quia actio illa, quæ alioquin eſſet bona, inficitur ab intentione pravi finis, nam eligitur bonum illud, non ut bonum, ſed ut medium ad finem illum pravum aſſequendum. Quod autem diximus de circumſtantia finis, docet S. Thomas de qualibet alia corrumpente actum alioquin materialiter bonum: ait enim q. 18. a. 5. ad 4. *Circumſtantia quandoque ſumitur ut differentia eſſentialis objecti, ſecundum quod ad rationem comparatur, & tunc poteſt dare ſpeciem actui morali: & hoc* (nota bene) *oportet eſſe quandocumque circumſtantia tranſmutat actum de bonitate in malitiam; non enim circumſtantia faceret actum malum, niſi per hoc quod rationi repugnat*: quibus verbis docet, quod circumſtantia quæcumque mala adveniens actui, alioquin bono ex objecto, tranſit in objectum, & dat ſpeciem actui; neceſſe eſt igitur ut corrumpat bonitatem illam, quæ ex objecto erat deſumenda; alioquin dicere compelleremur, eumdem actum eſſe in duplici ſpecie oppoſita, nempe ſimul eſſe & eſſentialiter bonum, & eſſentialiter malum; quod hactenus eſt inauditum.

An actus exterior addat bonitatem vel malitiam actui interiori?

VIII. *Actus exterior, ſi loquamur de bonitate, aut malitia, quam habet ex fine ad quem ordinatur, non addit moralitatem actui interiori*; Ita S. Th. 1. 2. q. 20. a. 4. Quia tota ejus bonitas, vel malitia eſt ab actu interiori voluntatis. Excipit S. Doctor; *niſi contingat, ipſam voluntatem ſecundum ſe fieri meliorem in bonis, vel pejorem in malis* ex ipſo actu exteriori; quod autem fiat melior, vel pejor, ſequitur S. Doctor, contingit tripliciter, *uno modo ſecundum numerum, puta cum aliquis vult aliquid facere bono fine, vel malo, & tunc quidem non facit; poſtmodum autem vult, & facit, duplicatur actus voluntatis, & ſic fit duplex bonum vel duplex malum*, ex multiplicato actu volendi. *Alio modo quantum ad extenſionem; puta cum aliquis vult facere aliquid bono fine, vel malo, & propter aliquod impedimentum deſiſtit; alius autem continuat motum voluntatis, quouſque opus perficiat; manifeſtum eſt quod hujuſmodi voluntas eſt diuturnior in bono, vel malo: & ſecundum intenſionem; ſunt enim quidem actus exteriores, qui inquantum ſunt delectabiles* (puta comeſtio actualis) *vel pœnoſi* (puta inedia) *nati ſunt intendere voluntatem, vel remittere; conſtat autem, quod quanto voluntas intenſius tendit in bonum, vel malum, tanto eſt melior vel pejor*: & hic eſt tertius modus, nempe ex intenſione actus voluntatis, quam intenſionem ſuſcipit vel ex delectatione actus exterioris, puta comedendi carnes in die vetito, vel ex pœna quam vincit, tolerando reipſa inediam, & vincendo difficultatem inediæ. Sequitur S. D. *Si autem loquamur de bonitate actus exterioris, quam habet ſecundum ſuam materiam, & debitas circumſtantias* (puta erogare eleemoſinam, prout eroganda eſt) *ſi comparatur ad voluntatem ut terminus & finis, & hoc modo addit bonitatem, vel malitiam voluntati; quia omnis inclinatio, vel motus perficitur in hoc, quod conſequitur finem vel attingit terminum; unde non eſt perfecta voluntas, niſi ſit talis, quæ, opportunitate data, operetur. Si vero poſſibilitas deſit, voluntate exiſtente perfecta, ut operaretur, ſi poſſet, defectus perfectionis quæ eſt in actu exteriori, eſt ſimpliciter involuntarius, involuntarium autem ſicut non meretur pœnam, vel præmium in operando bonum, vel malum, ita non tollit aliquid de præmio vel pœna, ſi homo involuntarie ſimpliciter deficiat ad faciendum bonum vel malum*.

Deductiones ex Angelica Doctrina perutiles.

IX. Ex hac D. Thomæ doctrina inferas primo hallucinationes illorum, qui ex bono deſiderio, quod ſibi videntur habere ad aliquod opus virtutis præſtandum, ſibi aſſentantur, æquale ſe meritum adipiſci, ac illos, qui illud reapſe præſtant, quando & ipſi illud quoque præſtare non impediuntur; eo quia *non ſit perfecta voluntas, niſi ſit talis, quæ, opportunitate data, operatur*. Similiter deceptionem eorum, qui minus peccatum ſe commiſiſſe, arbitrantur, quia illud opere non compleverint, quando revera ne complerent, impediti fuere, illud alioquin completuri, niſi impedimentum offendiſſent, quia *defectus complementi eſt involuntarius*. Inferas ſecundo, quod quando actus exterior *non eſt natus ſequi ex interiore*, ſed exterior multas habet difficultates vincendas, multiſque aliis interioribus indiget, ut perficiatur, tunc notabiliter augeat moralitatem, malitiam, aut bonitatem ſupra interiorem: propterea qui efficaciſſimo deſiderio exoptat v. g. converſionem infidelium alicujus Regionis, non aſſequitur tantum in ſuo deſiderio valorem, quantum ille, qui deſiderio addit operam convertendi infideles illos, ob ingentes difficultates, quæ ſibi ſuperandæ occurrunt, a quibus vacat ſolis deſideriis æſtuans, & ad quas vincendas multis aliis actibus interioribus, charitatis præcipue, vacare debet, ut provinciam ſuſceptam feliciter conſummet: & iſti ſunt actus illi *pœnoſi qui nati ſunt intendere voluntatem*, ut ait S. D.; ad differen-

tiam

tiam illius, qui v. g. infirmitate detentus efficaciter optat audire Sacrum, facile eumdem honeſtatis gradum conſequi poteſt, quem aſſequitur audiens; quia hujuſmodi actus natus eſt ſequi interiorem, eidemque conjungi, tanquam habens cum illo eamdem rationem voluntarii & liberi. Inferas tertio, illum non eximi a debito exponendi in confeſſione eos actus exteriores, qui non augent malitiam; quia hæc non eſt ratio, cur ſint in confeſſione exponendi; ſed ratio cur exponi debeant illa eſt, quia extat obligatio confitendi integra peccata, ad quorum integritatem ſpectat actus exterior, quicumque ille ſit. Tum quia plerumque ex actu exteriori magis intenditur voluntatis malitia, quæ alioquin tota dignoſcitur ex actu exteriori. Tum item, quia præcepta expreſſe vetant actus etiam exteriores. Tum denique, quia ex actibus exterioribus non raro multa ſequuntur inconvenientia, de quibus judicare confeſſarius tenetur.

Quomodo addatur moralitas actui facto ab eventibus eo ſecutis?

X. Eventus ſequentes actum addunt moralitatem actui jam facto: id aſſerit, & probat S. Doctor in articulo 5. his verbis: *Eventus ſequens actum, aut eſt præcogitatus, aut non; ſi eſt præcogitatus, manifeſtum eſt quod addit ad bonitatem vel malitiam; cum enim aliquis cogitans, quod ex opere ſuo multa mala poſſunt ſequi, nec propter hoc dimittit, ex hoc apparet voluntas ejus eſſe magis inordinata. Si autem eventus ſequens non eſt præcogitatus; tunc diſtinguendum eſt, quia ſi per ſe ſequitur ex tali actu, & ut in pluribus, ſecundum hoc eventus ſequens addit bonitatem, vel malitiam actus; manifeſtum eſt enim, meliorem eſſe actum ex genere ſuo, ex quo poſſunt plura bona ſequi; & pejorem, ex quo nata ſunt plura mala ſequi; ſi vero per accidens, & ut in paucioribus; tunc eventus ſequens non addit ad bonitatem, vel ad malitiam actus, non enim datur judicium de re aliqua, ſecundum illud quod eſt per accidens, ſed ſolum ſecundum illud quod eſt per ſe.* Jam de prima parte aſſertionis patet, quia qui vult cauſam, vult effectum per ſe ex illa ſecutum. Quoad ſecundam vero partem de non prævidente, obſervandum eſt, an debuerit prævidere; hoc autem debitum ex eo colligitur, quando effectus ille plerumque evenit, ſive ex natura actionis, ſive ex conditione ſubjecti: unde ille qui expertus eſt, ſe ebrietate correptum, plerumque in fornicationes labi; reus eſt fornicationum illarum, quia debuerunt prævideri, utpote plerumque ſibi ebrio ſuccedentes; & quamvis non prævideriit, debuit prævidere. Ita qui publice concubinam alit, reus eſt ſcandalorum inde profectorum, quamvis nil de illis animadverterit, quia ſunt connexa per ſe naturæ actionis, nempe publici concubinatus; ex his ſimilia inferas.

Circa moralitatem procedentem ex habitu vitioſo jam diximus tract. 2. cap. 1. de peccatis §. II. num. 9. & 10.

Finis Quæſtionum Proœmialium.

DE-

Digitized by Google

DE
PRÆCEPTIS DECALOGI.

RESolutis his, quæ ad procemiales Theologiæ Moralis diſputationes pertinere cenſentur, accedimus ad obligationes Chriſtiani Hominis pertractandas, circa quas principaliter Moralis Theologia verſatur. Cum autem præcipue fidelium obligationes in Decalogo contineantur, fit inde, quod in diſcuſſione præceptorum Decalogi prius, prolixius, & operoſius immorandum ſit, de quibus ita ſcribit S. Th. 1. 2. q. 100. a. 3. *Illa præcepta ad Decalogum pertinent, quorum notitiam homo habet per ſeipſum a Deo: hujuſmodi vero ſunt illa, quæ ſtatim ex principiis communibus primis cognoſci poſſunt modica conſideratione: & iterum illa, quæ ſtatim ex fide divinitus infuſa innoteſcunt: Inter præcepta ergo Decalogi non computantur duo genera præceptorum: illa ſcilicet quæ ſunt prima & communia, quorum non oportet, aliquam eſſe editionem, niſi quod ſunt ſcripta in ratione naturali, quaſi per ſe nota; ſicuti quod homo nulli debet male facere, & alia hujuſmodi: & iterum illa, quæ per diligentem inquiſitionem ſapientum inveniuntur rationi convenire; hæc enim proveniunt a Deo ad populum mediante diſciplina Sapientum: utraque tamen horum præceptorum continentur in præceptis Decalogi, ſed diverſimode: nam illa, quę ſunt prima & communia continentur in eis ſicut principia in concluſionibus proximis; illa vero quæ per ſapientes cognoſcuntur, continentur in eis e converſo, ſicut concluſiones in principiis.*

Ex Angelici verbis primo doceris, Decalogum eſſe Catalogum quemdam omnium præceptorum naturalium, quorumdam formaliter expreſſorum, quorumdam virtualiter dumtaxat contentorum: Cum autem precepta naturalia; ex dictis in §. de lege Naturali, quædam ſint omnino prima & notiſſima; quædam veluti ſecunda, ex primis facile deducta; & quædam tertia operoſiori ſtudio e ſecundis illata; idcirco prima contrinentur in Decalogo tanquam principia in concluſionibus; qualia ſunt: *bonum eſt faciendum, malum eſt fugiendum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* hæc, inquam, continentur in Decalogo veluti principia in concluſionibus immediate illatis; & hæ concluſiones ſunt ipſa præcepta in Decalogo recenſita, quippe quæ facillimo negotio ex dictis principiis deducantur; & ideo dici poſſunt præcepta naturalia ſecundi ordinis: præcepta vero tertii ordinis per Sapientes deducenda ex præceptis Decalogi, in ipſis continentur tanquam concluſiones ex principiis deducendæ; quædam quidem utpote proximiores non multo ſtudio, quædam vero utpote remotiores operoſiori labore; & eo majori, quo magis ab illis elongantur. Hinc oritur magna illa diſſenſio inter Doctores circa plurimas deductiones, quæ quamvis in Decalogo virtualiter contentæ, tamen quia remotiores, aditum dubitandi imbecillitati humanæ mentis relinquunt, an revera a Decalogo vetentur, nec ne: & exinde tanta opinionum diverſitas, & tam grandis Doctorum diſſenſio. Hinc ſtatim evincitur, quod cum circa hujuſmodi veritas clare non illuceat, ab homine cordato, & ſincere veritatem quærente id eligendum ſit, quod magis ad veritatem appropinquat, eo ſepoſito, quod minus ad illam accedere cognoſcit: & exinde ſequendum eſſe id, quod rationabilius & probabilius apparet, eo relicto, quod minus probabile ſincere judicatur, ut fuſe probavimus in tract. 1. cap. 1. de Conſcientia §. 6.

Dixit præterea Angelicus, in Decalogo quodammodo contineri etiam illa, quæ ſtatim ex fide infuſa innoteſcunt, quatenus, præſuppoſita revelatione credendorum, ſperandorum, & diligendorum, ſtatim lex naturalis dictat, illa eſſe credenda, actuſque fidei eſſe exercendos, præſuppoſito quod fuerint a Deo revelata: illa eſſe ſperanda; atque ſpei actus eſſe faciendos, præſuppoſito quod fuerint a Deo promiſſa: illa eſſe diligenda, & actus amoris eſſe emittendos, præſuppoſito quod eorum amabilitas fuerit a Deo ſignificata. Dixi quodammodo, quia, ut ſtatim videbimus ex eodem Angelico, præcepta fidei, & ſpei non ſunt de ſubſtantia Decalogi, ſed quædam præambula ad illum, quamvis deductiones ex illis ad Decalogum pertineant. Do exemplum. Revelatio, & fides v. g. Purgatorii directe ad Decalogum non pertinet: pertinet autem ad Decalogum, præſuppoſita fide hujus veritatis, obligare ad ſuffragandas animas in eo degentes, & præcipue illas, quæ ſunt de nobis benemerentes, ex præcepto naturali gratitudinis; vel quæ ſibi reliquerunt Miſſas celebrandas, ex præcepto

pto naturali juſtitiæ &c. Et etiam circa hujuſmodi, illa quæ proxime deducuntur, ſine diſceptatione, facilique negotio reſolvuntur; quæ autem aliquo modo elongantur, ſtatim diſſidia excitant, & eo acriora, quo, quæ definienda ſunt, ab illis remotiora eſſe comperiuntur; & quidem ob idem motivum, quia videlicet veritas non illucet; quam clare illucentem omnes amplecti tenentur: & etiam quoad hoc, ne in definiendo erretur, quid aliud ſupereſt, niſi id eligere, quod magis ad verum accedit, eo relicto, quod minus appropinquare invenitur? Ut inde ſemper validius ſuadearis, quanto periculo ſe exponant qui eligunt probabilem & minus ad verum accedentem, relicta ea opinione, quam probabiliorem agnoſcunt, magiſque ad verum appropinquare; manifeſte demonſtrantes, ſe corde ſincero non quærere veritatem.

Decem eſſe Decalogi præcepta ex ipſa Decalogi Ethymologia ſignificatur, quæ tam Exodi 20., quam Deuteronomii 4. deſcribuntur., quæque a fidelibus memoriæ mandari conſueverunt, ut ſupervacaneum ſit illa recenſere. Sic autem docet S. Thomas loc. cit. a. 4. fuiſſe diſcreta, ut in prima tabula tria prima inveniantur ad Deum pertinentia, in ſecunda vero tabula cætera ad proximum ſpectantia.

Præcepta fidei & ſpei, juxta S. Thom. 2. 2. q. 22. a. 1. cui plures extranei ſubſcribunt, quos inter Navarrus cap. 11. n. 5. non ſunt de ſubſtantia Legis: *Dicendum*, ait S. D. *quod præceptorum, quæ in Sacra Scriptura inveniuntur quædam ſunt de ſubſtantia legis, quædam vero ſunt præambula ad legem. Præambula quidem ſunt ad legem illa, quibus non exiſtentibus, lex locum habere non poteſt, hujuſmodi autem ſunt præcepta de actu fidei, & de actu ſpei; quia per actum fidei mens inclinatur, ut recognoſcat auctorem legis talem, cui ſe ſubdere debeat: per ſpem vero præmii homo inducitur ad obſervantiam præceptorum: præcepta vero de ſubſtantia legis ſunt, quæ homini jam ſubjecto, & ad obediendum parato imponuntur pertinentia ad rectitudinem vitæ; & ideo hujuſmodi præcepta* (nempe Decalogi) *ſtatim in ipſa legis latione proponuntur per modum præceptorum: Spei vero, & fidei præcepta non erant proponenda per modum præceptorum, quia niſi homo jam crederet, & ſperaret, fruſtra ei lex proponeretur*. Quamvis igitur in Decalogo non extent hæc præcepta, extant tamen in aliis Scripturis, ut ſuis locis videbitur.

Exordiendo itaque a primo Decalogi præcepto, quo jubentur ea, quæ ad Divinum cultum ſpectant, illaque prohibentur, quæ eidem adverſantur; & cum doceamur a S. Auguſtino c. 2. Enchiridii, quod Deus præcipue *colatur Fide, Spe, & Charitate*, de obligationibus propterea ad has virtutes pertinentibus in primis ſermo eſt nobis habendus; deinde de peccatis eiſdem adverſantibus: ſit igitur.

TRACTATUS IV.

DE

SPECTANTIBUS

AD PRIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

CAPUT PRIMUM.

De Pertinentibus ad Fidem Theologalem.

§. I. *De Natura, Diviſione, & Subjecto Fidei.*

Fides theologalis eſt habitus, ſeu virtus a Deo infuſa, qua firmiter aſſentimur veritatibus a Deo revelatis, atque ab Eccleſia propoſitis. Dicitur virtus a Deo infuſa, quippe quæ nullo naturali conatu poſſit acquiri, ſed ſit *Donum Dei*, teſte D. Paulo Epheſ. 5. Dicitur, qua firmiter aſſentimur &c., quia proprium eſt cujuſcumque habitus firmare potentiam circa proprium objectum; quod reſpectu fidei ſunt omnes veritates, a Deo revelatæ, ſive in Verbo Dei ſcripto, ſive in Verbo Dei tradito, quibus mens per fidem firmiter aſſentitur ob indicatum motivum divinæ revelationis, nempe quia dictæ a Deo: cum autem hæc divina dicta nobis certo non innoteſcant; eo quod de ipſis tot extent controverſiæ tam circa textus illa continentes, quam circa ſenſum multiplicem, quem verba habere poſſunt, unde tot hæreſes prodiere; idcirco ad Divinam Providentiam pertinuit aſſignare legitimum Miniſtrum, qui nobis proponeret, tum verborum Divinorum exiſtentiam, tum eorumdem

Quid eſt Fides Theologalis, et quodnam illius objectum.

dem verborum genuinum ſenſum; tum Traditiones, quæ ſcriptæ non habentur ab eorum Divino Auctore, quibus mediantibus aliæ veritates fide tenendæ ad nos fuere tranſmiſſæ. Hic autem legitimus Miniſter eſt vera Chriſti Eccleſia, quæ quidem eſt ſola Catholica, Romana, quippe quæ ſola inſignita ſit characteribus, & notis collective ſumptis veram Chriſti Eccleſiam oſtendentibus; ipſa enim dumtaxat eſt una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica; ſolaque fruitur omnibus argumentis, reddentibus evidenter credibile, eam eſſe talem, ut fuſe probant Controverſiſtæ noſtri contra Hæreticos. Creduntur igitur fidei myſteria propter revelationem eorumdem a Deo factam, tanquam propter motivum formale fidei; quæ revelatio eſt ratio, cur & myſteria credantur, & ipſa quoque revelatio credatur; cum primum in omni genere ſit cauſa ſui, & cæterorum; ſicut lux eſt cauſa, cur omnia videantur, & videatur ipſa quoque lux: ſimiliter credimus myſteriis, & revelationi propter propoſitionem Eccleſiæ, tanquam propter conditionem neceſſario requiſitam, ut nobis divina eorumdem revelatio legitime applicetur; unde Eccleſia proponit Myſteria revelata, ut objecta credenda; ſimulque proponit ſeipſam ut legitimum miniſtrum illa proponentem; ob rationem indicatam; quia cum ipſa ſit primus proponens non indiget alio proponente, qui illam proponat, ne detur proceſſus in infinitum.

Multiplex Fidei acceptio.

II. Fides ſumitur & Habitualiter, nempe pro primo habitu infuſo inter theologales, & Actualiter pro actu videlicet fidei, qui elicitur; qui actus ſi mere interne eliciatur, dicitur fides actualis interior; ſi etiam exterius emittatur, dicitur fidei profeſſio. Dicitur præterea fides Mortua, & Viva; ſeu Formata, & Informis: Viva eſt Gratiæ & Charitati theologali conjuncta, qualis eſt in juſtis; mortua eſt a gratia & charitate ſeparata, qualis eſt in peccatoribus mortali culpæ obnoxiis. Dividitur præterea in Hiſtoricam, & in Promiſſoriam, ratione objectorum, quæ credit: prima eſt, qua creduntur facta, documenta, myſteria a Chriſto revelata, & ab Eccleſia propoſita: Fides promiſſoria, ſive promiſſionum, quæ quamvis hiſtorice ſumptæ pertineant ad fidem theologicam; effective acceptæ pertinent ad ſpem; & eſt fiducia quædam, ſeu firma ſpes conſequendi bona a Deo promiſſa, mediantibus operibus requiſitis; & qua credimus, Deum vere pœnitentibus peccata dimittere; & juſtis in ſtatu juſtitiæ decedentibus largiri vitam æternam; item precantibus, ſicut oportet, concedere petita &c., quia ita ſpopondit. Præterea dividitur fides in Theologalem, & in eam quæ dicitur Gratia Gratis data: de prima jam dictum fuit; ſecunda vero eſt, quæ a Spiritu Sancto impertitur ad patranda miracula, & ita afficit animum illius, cui confertur, ut extraordinaria fiducia ſperet, ſe exauditum iri; de qua plura apud S. Thom. Tandem dividitur fides in Implicitam, & Explicitam: implicita illa eſt, quando credendo expreſſe unum articulum, creduntur alii in illo contenti, v. g. credens expreſſe Trinitatem Perſonarum in Unitate eſſentiæ, credit implicite Proceſſionem Verbi a Patre, & Proceſſionem Spiritus Sancti ab utroque. Explicita eſt illa; qua expreſſe creduntur articuli fidei aut illi, aut alii in ſe ipſis.

Fides non eſt in damnatis.

III. Fides theologalis non reperitur in damnatis, juxta omnes, cum ſint omni ſupernaturali dono juſte privati; ſicut neque in Dæmonibus; qui licet credant, & contremiſcant, ut ait S. Jacobus in ſua Epiſtola: credunt fide, non ſupernaturali, ſed naturali & coacta, orta ex evidenti ſignorum, & præcipue ex tormentorum experientia, quibus ſunt in æternum juſte addicti.

Neque in Beatis

IV. Fides non remanet in Beatis, ita docere videtur Sanctus Paulus 1. Corinth. 13. *Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt:* & 2. Corinth. 3. *Quouſque ſumus in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem:* in Patria autem ambulant Beati per ſpeciem, ideſt per viſionem claram myſteriorum hic obſcure revelatorum; impoſſibile igitur eſt, quod illa ſimul credant: ubi autem impoſſibilis eſt actus virtutis, inutilis eſt virtus.

Remanet in animabus Purgatorii.

V. Fides perſeverat in Animabus purgatorio addictis; tum quia nondum vident myſteria; tum quia retinent ſpem; igitur etiam fidem; cum fides ſit ex Apoſtolo *ſperandarum ſubſtantia* (ideſt fundamentum) *rerum, argumentum non apparentium.*

Remanet in peccatoribus non infidelibus.

VI. Fides remanet in peccatoribus non infidelibus, ita fide docemur; cum Apoſtolus dicat: *Si habuero omnem fidem .... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* 1. Corinth. 13. unde fatetur, remanere fidem ſine charitate, & gratia: & propterea ita definivit Tridentinum ſeſſ. 6. can. 28. *Si quis dixerit, amiſſa per pecca-*

tum

tum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, ... anathema ſit.

Nonremanet in hæreticis circa articulos, quos credunt.

VII. Fides non remanet in hæreticis, neque reſpectu eorum articulorum, quos ſe credere profitentur. Sententiam hanc docet ex profeſſo S. Thom. 2. 2. q. 5. art. 3. Eamque docuiſſe videtur S. Paulus 1. Cor. 1. ubi loquens de nonnullis hæreticis, qui circa aliquos articulos errare ſolent, dicit abſolute, quod *circa fidem naufragaverunt*. Et poſt S. Thomam eam docuiſſe videtur Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 15. ubi dicit indifferenter, & abſolute, quod *infidelitate fides amittitur*. Ratio allata a S. Doctore loc. cit. in hoc repoſita eſt. Quia in hæretico, quamvis unum dumtaxat neget articulum, corrumpitur totus habitus fidei; eo quod deficiente motivo formali habitus, perit habitus; in negante autem unum etiam articulum corrumpitur motivum formale fidei, quod eſt Divina revelatio, non quomodocumque, ſed ut propoſita ab Eccleſia; & non ut propoſita a proprio judicio, quod eſt, ut experientia conſtat, tot ſibi adverſantium hæreſum ſeminarium; unde Auguſtinus in lib. contra epiſtolam fundamenti cap. 5. proteſtatur: *Ego Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret auctoritas*: hæreticus autem rejiciens unum etiam articulum ab Eccleſia propoſitum, credit alios, quia proprio judicio, & non auctoritate Eccleſiæ illos recipit; non igitur illos credit fide divina; quia, ut dixi, licet dicat, ſe credere alios propter revelationem factam a Deo, hanc revelationem tamen ipſo ſuo judicio ſibi applicat, cum alioquin ſuum judicium non ſit miniſter legitimus a Chriſto inſtitutus, a quo applicentur, & proponantur revelata, ſed ſola Eccleſia ſit hic miniſter, de qua dicitur, quod qui *Eccleſiam non audit, ſit nobis ſicut ethnicus & publicanus*; Matth. 18. Et D. Paulus 1. Timoth. 3. dicit quod ſit *Columna & firmamentum veritatis*. Cum igitur hæreticus accipiat revelationem non ab Eccleſia, quæ etiam articulum ab ipſo negatum ut credendum proponit, ſed accipiat a proprio judicio; amittit motivum formale fidei, quod, ut dixi, eſt quidem revelatio Divina, ut non utcumque propoſita, ſed dumtaxat propoſita ab Eccleſia.

§. II. *De Neceſſitate Fidei circa credenda, & ſcienda.*

Neceſſitas fidei unius Dei Auctoris, & Remuneratoris ſupernaturalis.

I. Adulti tenentur credere explicite Unum Deum æternæ ſalutis Auctorem, & ſibi obſequentium Remuneratorem æternæ gloriæ; atque ad id credendum tenentur neceſſitate medii. Neceſſitas autem medii in eo conſiſtit, quod, deficiente hoc medio ex quocumque capite, finis ſalutis non obtineatur; ad differentiam ejus, quod eſt neceſſarium dumtaxat neceſſitate præcepti; ſine quo, inculpabiliter omiſſo, adhuc ſalus obtineri poteſt; non tamen ſi culpabiliter omittatur. Loquimur autem de fide explicita ſuperius explicata. Item loquimur de utraque ſalute, nempe de prima, quæ eſt juſtificatio, & de ſecunda, quæ eſt glorificatio. Aſſertio eſt certa de fide, quam publicavit Paulus Hebræor. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum; quia eſt; & inquirentibus ſe, Remunerator ſit.* Unde Innocent. XI. reprobavit hanc theſim num. 22. *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.* Debet igitur eſſe fides Dei auctoris Gratiæ, & Gloriæ, quæ ſunt objecta ſupernaturalia credenda fide theologali explicite, ut propoſita ab Eccleſia. Hinc idem Innocent. damnavit ſequentem theſim num. 23. *Fides late dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilique motivo, ad juſtificationem ſufficit.*

Neceſſitas fidei Incarnationis & Trinitatis.

II. In præſenti Eccleſiæ ſtatu, per ſe loquendo, & ſecundum ordinariam providentiam præſentem quilibet adultus tenetur credere explicite myſteria Incarnationis, & Trinitatis, ut ſalvus fiat. Ita S. Th. in 3. d. 25. q. 2. a. 2. quæſtiunc. 2. cui ſubſcribunt diſcipuli, & multi extranei, quos inter Valentia, Molina, Duvalius, Coninchus & alii. Conjungimus autem Myſterium Trinitatis Incarnationi, quia ut ait S. D. 2. 2. q. 2. a. 8. *Myſterium Incarnationis Chriſti explicite credi non poteſt, ſine fide Trinitatis.* Multi ſunt textus novi Teſtamenti in hanc rem a noſtris allati; unum, vel alterum afferamus: Dixit Chriſtus Jo: 3. *Qui non credit in eum*, nempe Filium hominis, *jam judicatus eſt, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei*: Ne igitur ſit judicatus ad perditionem, debet credere in nomine Unigeniti Filii Dei in carne aſſumpta, nam ibidem loquebatur Chri-

Chriſtus de ſemetipſo; atqui non ſolum non credit qui negat; ſed etiam qui ignorat, cum impoſſibile ſit credere Chriſtum, quem ignorat; ergo &c. Poſt Magiſtrum ita docuere Diſcipuli: Petrus quidem Actor. 4. *Nec enim eſt ſub cœlo aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*: & loquebatur de Nomine Jeſu, inſtruebatque auditores circa neceſſaria ad ſalutem: ſi igitur eſt neceſſaria notitia nominis Jeſu, profecto & myſterii Incarnationem ejus complectentis. Similiter Paulus ad Galat. 2. *Non juſtificatur homo, ... niſi per fidem Jeſu Chriſti .... & nos in Chriſto Jeſu credimus; ut juſtificemur ex fide Chriſti*: igitur eſt neceſſaria fides Jeſu Chriſti: quis enim dicat, in his textibus nil aliud ſignificari niſi fidem Chriſti contentam in fide Unius Dei Auctoris, & Remuneratoris, cum adeo expreſſe loquantur de Perſona Chriſti? Verum etiam Patres ita eos textus intellexerunt de fide explicita Chriſti; aliquos ſeligo, cæteris omiſſis. S. Hieronymus in cap. 1. epiſt. ad Epheſ. *Non autem filii eſſe poſſumus, niſi Filii ejus Jeſu Chriſti fidem, & intelligentiam* (nota bene) *& intelligentiam recipiamus*. Ly intelligentiam Chriſti, quid aliud ſignificat, niſi expreſſam Chriſti notitiam? S. Jo: Chryſoſt. Hom. 37. in Matth. *Tunc ſufficiebat, unum Deum noſſe: nunc autem ita non eſt, ſed neceſſaria eſt ad ſalutem Chriſti cognitio*. Decretoria verba! S. Auguſtinus lib. de corrept. & gratia c. 7. *A damnatione non ſe liberabunt, qui dicere poterunt, ſe non audiviſſe Evangelium*. Quid autem eſt Evangelium, niſi hiſtoria Perſonæ, & doctrinæ Chriſti? & in lib. de peccato origin. c. 14. *Sine fide Incarnationis, & mortis, & Reſurrectionis Chriſti, neque antiquos juſtos, juſti eſſent, a peccatis potuiſſe mundari, & Dei gratia juſtificari, veritas Chriſtiana non dubitat*. Si id poſtulavit Auguſtinus ab illis, ut ſalvarentur; idem non poſtulabit a nobis? Demum, cæteris ejus verbis omiſſis, rem noſtram omnino conficiunt quæ protulit in lib. 1. de prædeſt. c. 7. *Si poſſet Cornelius ſine fide Chriſti ſalvus eſſe, non ad eum ædificandum mitteretur Petrus Architectus*. His verbis, fateor, me neſcire, quid reſponderi queat. Poſt auditos veteres Eccleſiæ Doctores, audiatur S. Thomas, qui inter illos quintum tenere locum dignus fuit habitus. Hæc habet loco primum citato: *Poſt adventum Chriſti, quia jam Myſterium redemptionis completum eſt; & corporaliter, & viſibiliter prædicatum, tenentur omnes ad credendum explicite; & ſi aliquis inſtructorem non haberet, Deus ei revelaret, niſi ex ſua culpa remaneret*. Quibus verbis jam manifeſtat neceſſitatem medii, cum recurrat ad miram, extraordinariamve Dei revelationem, ne adultus ſalvaretur abſque hujuſmodi myſterii notitia; niſi ob ſuam culpam hujuſce revelationis ſe redderet indignum.

Animadverſio notatu digna pro Theologis.

III. Ex poſtremis S. Doctoris allatis verbis habes, quomodo Deus non deneget ulli adulto notitiam horum myſteriorum, niſi ex propria culpa ipſius; quia videlicet non bene utitur auxiliis ſaltem remote ſufficientibus, quæ ipſe omnibus quibuſcumque infidelibus elargitur. Ex quo non ſequitur, quod non exiſtent infideles negative tales, contra id quod docet idem S. Thomas variis in locis. Reſpondetur enim, quod infidelitas negativa utique haberi poteſt cum auxiliis tantum remote ſufficientibus; quandoquidem non quælibet diſpoſitio efficit, ut ſubjectum carens forma, dicatur privatum illa, ſed oportet, ut ſit proxime diſpoſitum: ſicut videre eſt in ligno habente unum, vel duos caloris gradus, non dicitur proxime privatum forma ignis, ſed adhuc perſeverat eadem negatum; ita in caſu noſtro auxilia remote ſufficientia ad ſuſcipiendam fidem, adhuc relinquunt carentem fide, negatum illa, & non efficiunt proprie privatum, niſi proximiora auxilia recipiat.

Monet tandem doctiſſimus Bannez in 2. 2. q. 2. a. 8. queſt. ultima concl. 3. quod *fides explicita Chriſti, quam diximus neceſſariam ad vitam æternam, debeat eſſe de morte, & reſurrectione Chriſti: quia per mortem, & reſurrectionem Chriſti conſummatur noſtra ſalus & redemptio*.

Idem dicendum de myſterio Trinitatis.

IV. Quod dictum fuit de neceſſitate notitiæ Incarnationis intelligitur etiam de notitia Trinitatis; tum quia, ut obſervavimus ex D. Th., nequit haberi notitia Incarnationis ſicut oportet, abſque notitia Trinitatis; tum etiam quia myſterium Trinitatis eſt Legis Chriſtianæ præcipuum.

Qui illa ignorat incapax eſt abſolutionis.

V. Adultus ignorans hæc duo myſteria eſt incapax abſolutionis Sacramentalis: ita definivit Innoc. XI. reprobans theſim, quæ oppoſitum affirmabat n. 6. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſteria SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. Jeſu Chriſti*. Neque ſufficit illa myſteria

ſe-

Digitized by Google

ſemel credidiſſe: quia id reprobatur in proſcriptione theſis 65.

Idem tenetur repetere Confeſſiones cum hac ignorantia factas.

VII. Ex his legitime infertur, quod ignorans illa teneatur ad repetendas confeſſiones cum hujuſmodi ignorantia factas. Ratio urgentiſſima eſt, quia erat incapax effectus abſolutionis; quod probatur; quia modo eſt incapax; cur igitur non ante? Ratio præſentis incapacitatis eſt ignorantia; hæc extitit etiam antea: ergo etiam antea fuit incapax: atqui abſolutio, impertita ſubjecto incapaci, eſt ſine effectu: igitur abſolutiones ab illo receptæ fuerunt ſine effectu, erunt ergo confeſſiones illæ renovandæ. Quid ſolidi reſponderi poteſt ratiocinio adeo evidenti? Et tamen a plurimis recentiorum defenditur oppoſitum: interrogabis, quibus momentis? Legeſis ipſa in ſuis propugnatoribus; & videbis, an ſint ne quidem fundamento noſtro comparabilia.

Quæres. Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum pœnitente, qui hebes adeo eſt, ac debilis, ut non valeat præcipuos etiam fidei articulos memoriæ mandare, ac retinere?

Reſp. P. Thomas Du Jardin *de Officio Sacerdotis, qua judicis Sect.* 1. §. 3. " Tunc
„ ſaltem ſubſtantiam eorum ei a confeſſa-
„ rio ante abſolutionem proponendam eſſe,
„ ſimul cum formali motivo fidei, ut pœ-
„ nitens fidem explicitam de iis actu con-
„ cipiat. Ex. gr. in hunc modum: Non-
„ ne firmiter credis dari unum Deum,
„ Creatorem cęli & terrę, omnipotentem,
„ æternum, ſumme bonum &c. Item tres
„ dari Perſonas divinas realiter inter ſe di-
„ ſtinctas, Patrem, Filium, & Spiritum
„ Sanctum, & tamen has Perſonas non eſ-
„ ſe niſi unum Deum: item ſecundam Per-
„ ſonam Sanctiſſimæ Trinitatis, ſcilicet Dei
„ Patris Filium, eique coæternum, in tem-
„ pore hominem factum pro redemptione
„ humani generis e captivitate diaboli,
„ conceptum de Spiritu Sancto in utero
„ Virginis Mariæ, & ex ea natum, paſ-
„ ſum, ac mortuum in Cruce, deinde a
„ mortuis propria virtute reſurrexiſſe, Cœ-
„ lum conſcendiſſe, venturum denique Ju-
„ dicem, ut reddat unicuique ſecundum o-
„ pera ſua aut præmium, aut ſupplicium
„ ſempiternum! Item *a Deo juſtificari im-*
„ *pium per gratiam ejus, per redemptionem,*
„ *quæ eſt in Chriſto Jeſu*, ideſt gratioſe Deum
„ remittere peccata intuitu meritorum
„ Chriſti Salvatoris? Nonne, inquam, hiſce,
„ aliiſque Catholicæ fidei veritatibus, in-
„ dubitanter ac firmiter aſſentiris, & qui-
„ dem fide divina, quia Deus ipſe prima
„ veritas fallere, & falli neſcia eas reve-
„ lavit, & ut ſic revelatæ ab Eccleſia nobis
„ credendæ proponuntur? Maxime autem,
„ *ſubdit idem*, tales propoſitiones, ac in-
„ terrogationes faciendæ ſunt, ubi pericu-
„ lum fuerit in mora, ex. gr. ſi pœnitens
„ myſteriorum fidei ignarus extremo mor-
„ tis periculo laboret. Quando vero pœ-
„ nitens prælucente fide illa actuali ſuffi-
„ cientem de peccatis elicuerit contritio-
„ nem abſolutionis capax cenſendus erit,
„ licet eorumdem myſteriorum exactam
„ notitiam memoria tenere non poſſit. „

§. III. *De Præcepto actus fidei eliciendi.*

Fides cadit ſub ſpeciali præcepto.

I. Certum eſt, extare præceptum divinum ſpeciale de habenda fide Chriſtiana. Nam Chriſtus Marci 1. dixit: *Credite Evangelio*, in quo Chriſti fides annunciatur: & cap. ult. *Prædicate Evangelium... qui crediderit .... ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*: non credit autem tam qui fidem non præſtat, quam qui ignorat; quamvis ille non credat privative, ſeu contrarie, hic vero negative: unde Innoc. XI. hanc theſim confixit nu. 16. *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.*

Adultus tenetur ſcire articulos ſymboli Apoſtolici.

II. Cum autem dixerimus de credendis neceſſitate medii; supereſt dicendum circa credenda, & ſcienda neceſſitate præcepti: hæc ſunt ex S. Th. 2. 2. q. 2. a. 5. *Quantum ad prima credibilia, quæ ſunt articuli fidei* (nempe in ſymbolo contenti) *tenetur homo explicite credere, ſicut & tenetur habere fidem.* Unde S. Carolus Borromæus in ſua inſtructione Confeſſariorum. *Quiſquis ad uſum rationis pervenit, tenetur ſub pœna peccati mortalis ſcire omnes illos Symboli Apoſtolici articulos, qui ſolemniter ab Eccleſia celebrantur, ſaltem quoad ſubſtantiam.* Ratio eſt manifeſta, quia unuſquiſque tenetur ſcire principia, & regulas ſaltem principaliores profeſſionis ſuæ.

Item Sacramenta & diſpoſitiones ad illa digne recipienda.

III. Tenentur item adulti ſcire Sacramenta, ſaltem illa quæ recipere debent, reſpective ad eorum ſtatum & ætatem; eorumdemque efficaciam ad gratiam conferendam; diſpoſitiones ad digne illa recipienda requiſitas: item ſacrificium Miſſæ; Decalogi, & Eccleſiæ præcepta; nec non obligationes præcipuas ad proprium ſtatum pertinentes. Præterea Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam; Symbolum, ut dixi; item Sanctorum invocatio-

nem: Reliquiarum Sacrarum, atque Imaginum cultum; Purgatorii exiſtentiam, & ſuffragiorum utilitatem: tandem quomodo elici debeant actus Fidei, Spei, & Charitatis? opera miſericordiæ, nec non quæcumque alia, quæ communiter a fidelibus ſciuntur, & ad praxim uſitatiſſimam deducuntur: hæc, inquam, omnia ſub mortali tenentur ſcire reſpective adulti; eoque explicatius, quo majori intelligentiæ, & miniſterii gradu donantur; quandoquidem ait S. D. loc. cit. a. 6. ad 1. *Explicatio credendorum non æqualiter quantum ad omnes eſt de neceſſitate ſalutis; quia plura tenentur explicite credere majores, qui habent officium alios inſtruendi, quam alii.* Hoc perpendant Parochi, Confeſſarii, Patresfamilias, Præceptores, Doctrinæ Chriſtianæ miniſtri, & quicumque alii, quibus aliquorum cura ſpiritualis incumbit.

Quibus temporibus obliget præceptum divinum de fidei actu eliciendo?

IV. Cum præceptum de eliciendis actibus fidei ſit affirmativum, & propterea obliget per ſe ex vi præcepti divini determinatis temporibus; idcirco, ex communi ſententia, hoc præceptum per ſe obligat primo in inſtanti morali uſus rationis; quia cum incipiat tunc homo moraliter vivere, ſtrictiſſimo debito tenetur Conditorem ſuum recognoſcere, & propoſitis tunc ſibi myſteriis fidei firmum aſſenſum præbere: unde S. Auguſtinus ſerm. 38. novæ editionis: *Hoc eſt primum præceptum, hoc eſt initium religionis, & vitæ noſtræ* (rationalis & Chriſtianæ) *fixum habere cor in fide.* Secundo, in quovis periculo probabili mortis, & a fortiori in extremis vitæ; quia tunc præcipue tenetur homo in Deum tendere, ſuæque ſalutis curam gerere; & tunc quam maxime *inimicus noſter diabolus circuit quærens quem devoret*, cui reſiſtendum eſt *fortiter in fide*; ajebat S. Petrus in epiſt. 1. c. 5. Tertio cum gravis ingruit tentatio contra fidem, quæ vinci non poſſe videatur, niſi contrarius actus fidei eliciatur: quippe cum præceptum fidei vetet omnem diſſenſum, ac dubitationem circa veritates revelatas, jubet quoque, ut mediis neceſſariis utamur ad hæc declinanda. Quarto, quando infidelis fidem amplectitur, vel fidelis in infidelitatem lapſus regreditur ad juſtificationem, tenetur actum fidei elicere, juxta doctrinam Tridentini ſeſſ. 6. cap. 6. cum tam infidelis ſit qui nunquam credidit, quam ille, qui, poſt fidem habitam, ab ipſa lapſus eſt; uterque igitur, ut ad juſtitiam diſponatur, ad actus fidei eliciendos tenebitur. Quinto, quando emittenda eſt fidei profeſſio vel a legibus, vel a Superiore impoſita; quia cum exigatur tunc profeſſio vera, & non ſimulata fidei, profeſſionem illam emittere formaliter & ex animo tenetur.

Propoſitiones circa hoc conuexæ!

V. Ut autem ſtatuatur, quo alio tempore hoc præceptum per ſe obliget, præmittendæ ſunt theſes circa illud a S. Sede reprobatæ. Alexander VII. hanc reprobavit num. 1. *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actus fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Deinde Innoc. XI. hanc damnavit num. 17. *ſatis eſt actus fidei ſemel in vita eligere*, & illam n. 6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis*: & idem intelligendum de Fide, & Spe; quarum actus fideli viatori æque ſunt neceſſarii. Igitur certum eſt, teneri fidelem pluries in vita actum fidei elicere ex vi præcepti Divini: item certum eſt, ad illum teneri ſæpius quam infra quinquennium: quo igitur tempore? Reſpondent doctiſſimi noſtri Bannez in 2. 2. q. 22. art. 1. cap. 8. concluſ. ult., & Tapia lib. 1. quæſt. 2. art. 2. num. 6. citati a PP. Salmanticenſibus tract. 21. c. 2. punct. 3. num. 30. ſaltem ſemel ſingulis annis. Multi tamen exiſtimant, pluries per annum teneri fidelem ad actus fidei eliciendos, & præcipue dum commemoratio myſteriorum Chriſti celebratur; præſertim ſi menti occurrat de actu fidei eliciendo. Ratio, & quidem gravis, eſt, quia ex præcepto divino tenetur fidelis pie vivere juxta inſtituta chriſtiana, atque ab offenſis Dei præcipue gravibus abſtinere, & proinde in ſtatu juſtitiæ ſe conſervare: atqui abſque fidei exercitio vix eſt id moraliter poſſibile, cum fides illa ſit, quæ menti proponat motiva fugiendorum peccatorum, juſtitiæ proſequendæ, mandatorumque ſervandorum, & idcirco dicitur a Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. *Humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis*; igitur qui diu vacat a fidei actibus exercendis, vix poterit moraliter ſe in juſtitiæ ſtatu conſervare: videtur ergo, quod ſæpius quam ſemel in anno actus fidei elicere homo teneatur.

Obligat ſaltem ſemel in anno.

Sed aliis rationabiliter placet ſæpius.

Tenetur per accidens ex præcepto aliarum virtutum.

VI. Tenetur homo per accidens, ideſt ex præcepto aliarum virtutum, ad eliciendum actum fidei, quando in vehementi tentatione contra aliam virtutem, puta caſtitatem, videt, ſe moraliter non poſſe a lapſu evadere, niſi actus vivæ fidei eliciendo, quibus retundat carnis petulantiam; pu-

Digitized by Google

puta ſe confirmando in veritate pœnarum æternarum peccato debitarum &c. Ratio patet; quia cum teneatur omnia media adhibere, ne labatur, & vincat, alia media parum prodeſſe, & exiſtimet, hoc ſibi profuturum; eo uti tenetur; quia in hypotheſi eſt neceſſarium.

Tenetur confiteri fidem in caſu, quo fides detrimentum patiatur?

VII. Cum *fides officium a nobis exigat & cordis & linguæ*, ut ait Auguſtinus lib. de fide & ſymbolo cap. 1., idcirco ex vi præcepti divini affirmativi tenemur ex Angelico 2. 2. qu. 3. art. 2. fidem ore confiteri, *Quando per omiſſionem hujus confeſſionis ſubtraheretur honor debitus Deo, aut etiam utilitas proximi impendenda: puta ſi quis interrogatus de fide, taceret; & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide: in hujuſmodi enim caſibus confeſſio eſt de neceſſitate ſalutis*. Et ad 2. *In caſu neceſſitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem ſuam aliis propalare, vel ad inſtructionem aliorum fidelium ſive confirmationem; vel ad reprimendum infidelium inſultationem*. Quia bonum Religionis eſt bonum commune, cui cedere debet bonum particulare cujuſcumque perſonæ privatæ. Sed de hoc iterum num. 10.

Et etiam interrogati a poteſtate publica.

VIII. Hinc certum eſt, quod ſi quis a poteſtate publica de ſua fide interrogetur, tenetur ſub mortali illam profiteri, cum Innoc. XI. damnaverit oppoſitam doctrinam in theſi 18. *Si a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo; tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno*. Si autem interrogetur quis a perſona privata; certum eſt, quod teneatur reſpondere, ſi, ut dixit S. Thom., aliquod detrimentum Religioni, aut proximis immineat: Si autem nullum certo immineat detrimentum, dicunt Abulenſis, Cajetanus, Sylveſter, Suarez, & Prado a Colleg. Salmant. citati t. 21. c. 2. punct. 6. n. 67. quod adhuc teneatur ſub mortali reſpondere. Id verum exiſtimo, ſi ex reſponſione nullum timeat grave damnum ſibi inferendum, non in odium religionis, ſed ob malitiam interrogantis, & ex odio quod habet in catholicos, illos graviter vexando, v. g. negando tranſitum &c. Si autem ſibi timeat grave malum, & nulla ſperetur gloria Deo, & Religioni, ſed dumtaxat timeatur anſam præberi improbitati interrogantis; tunc putarem cum Binnez, Azorio, Ledeſma, Bonacina, & aliis apud laudatum Collegium, quod tacere, declinare reſponſum, aut alia indirecta reſponſione ſe ſubtrahere, non eſſet mortale; quia nullum intervenit Religioni dedecus, ut ſupponitur, & alioquin grave incurreretur malum, abſque ullo bono effectu. Dixi conſulto, tacere, vel declinare reſponſum directivum; quia nunquam poteſt quis, abſque culpa lethali, ſe profiteri non catholicum; id namque continet mendacium pernicioſum graviter Religioni, quamvis ſolo verbo id dicat; & ex ſe redundat in grave dedecus fidei catholicæ.

Etiam aliquando interrogati a privato; aliquando non.

Nunquam licet, quamvis ſolo verbo, ſerio ſe profiteri non catholicum.

Quinam teneantur ad profeſſionem fidei ex præcepto Eccleſiaſtico?

IX. Ex præcepto Eccleſiaſtico, *Proviſi de beneficiis quibuſcumque curam animarum habentibus, tenentur a die adeptæ poſſeſſionis, ad minus intra duos menſes in manibus Epiſcopi, vel eo impedito, coram Generali ejus Vicario, ſeu Officiali, orthodoxæ ſuæ fidei publicam facere profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant, ac jurent*. Ita Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. de Reformat. quod præceptum obligat ſub mortali, ut notant Garcia 3. p. de benef. cap. 3. num. 23. Barboſa de pot. Epiſc. 3. p. allegat. 61. n. 12. & alii. Item *Proviſi de Canonicatibus, & dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus, non ſolum coram Epiſcopo, aut ejus Officiali, ſed etiam in Capitulo id facere teneantur, alioquin prædicti omnes proviſi, ut ſupra, fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragatur*. Ita Concilium loco citato. Unde quando Epiſcopus non eſt in Capitulo, bis debent emittere hanc profeſſionem, nempe coram Epiſcopo, & coram Capitulo: & ſi emittatur coram Capitulo, Sede vacante, debet iterum emitti coram Vicario Capitulari juxta probabiliorem Barboſæ loco cit. n. 18. Hinc Canonicus promotus in Eccleſia non Cathedrali, ſed tantum Collegiata, non tenetur ad hanc profeſſionem; quia non eſt Canonicus Cathedralis; neque coadjutores Canonicorum Cathedralium; quia non ſunt Canonici; neque Cappellani, aliique proviſi beneficio ſimplici in illis Eccleſiis, quia non ſunt beneficia cum cura animarum: ita ex laudatis Auctoribus. Item Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii omnes qui de jure, vel de conſuetudine Concilio Provinciali intereſſe debent, tenentur in prima Synodo Provinciali, profeſſionem præfatam emittere. Ita ex Concil. laud. ſeſſ. 25. cap. 2. cum & hi comprehendantur in capite Concilii, quod hoc titulo inſcribitur: *Profeſſio fidei emittenda eſt ab omnibus*

bus gradum aliquem hic nominatum adepturis, aut beneficium Eccleſiaſticum obtenturis &c. Imo Gregor. XIV. in Bulla data anno 1591. die 15. Martii, quæ incipit *Onus Apoſtolicæ ſervitutis*, obſtringit prælatos ad hanc profeſſionem emittendam in manu Epiſcopi illius, cui per Summum Pontificem, aut ejus Legatum fuerit commiſſum. Item Magiſtri, Lectores, & Doctores antequam ad hujuſmodi gradus promoveantur, & antequam onus publice docendi ſuſcipiant ſive ſacra, ſive profana, tenentur profeſſionem emittere; ita jubente Pio IV. in Bulla quæ incipit *In Sacroſancta*, quæ in Bullario Edit. Rom. eſt in ordine 102., ubi addit præceptum omnibus Principibus, & Rectoribus cujuſvis gradus, aut dignitatis exiſtant, ne permittant, ullum præfatorum publicorum profeſſorum docendi provinciam ſuſcipere, niſi poſt emiſſam profeſſionem; ſub pœna Antiſtitibus interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ; aliis vero excommunicationis latæ ſententiæ, & privationis dignitatum &c. Declarans præterea electiones, & promotiones factas, eſſe nullas. Demum Prælatos Regulares ex conſuetudine jam præſcripta non videri obſtrictos ad hanc profeſſionem, docent Aſcanius Tamburinus de jure Abbatum tom. 2. diſput. 8. quæſt. 3. num. 3. & plures alii cum ipſo: & Sorbo in compendio Privilegiorum Mendicantium, verbo *Profeſſio fidei* refert, Sacr. Congregationem ita declaraſſe. Nihilominus Barboſa Allegat. 61. num. 7. contrarium ſuſtinet, afferens plures auctores innixos Bullæ Pii IV. quæ incipit *Injunctum*; & profecto ſi Bullis ſtandum ſit, hæc ſententia eſt vera: cum Prælati Regulares ſint in Eccleſiaſtica dignitate, habente curam animarum, conſtituti; neque apparet unde eximi poſſint, niſi probetur conſuetudo contraria legitime præſcripta. Nota demum, hanc emiſſionem profeſſionis fidei faciendam eſſe perſonaliter, & non per procuratorem, ut conſtat ex laudatis Bullis.

Nemini laico licet diſputare de fide cum infidelibus.

X. Dictorum occaſione, & ad hujus §. complementum, animadvertendum eſt, nemini laicorum licitum eſſe diſputare ſive publice, ſive private de rebus fidei cum infidelibus, aut hæreticis: Ita Canon in c. *Quicunque §. inhibemus* de hæreticis in 6. *Inhibemus, ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publice, vel privatim diſputare de fide catholica. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Quæ excommunicatio eſt ferendæ ſententiæ, ut explicat Gloſa ibidem. Neque eximitur ab hac prohibitione laicus doctus, ut docet probabilior Navarri lib. 5. Conſil. tit. de hæreticis Conſil. 24. n. 2. & aliorum, contra alios Cajetano in 2. 2. q. 10. a. 7. dub. 1. adhærentes. Quia cum lex iſta ſit fundata in præſumptione juris ſeu periculi, vim ſuam retinet, etiam ceſſante per accidens periculo in caſu particulari, ut late probavimus in cap. de legibus §. V. num. 13. & ſequent. & manifeſte patet, Canonem neminem laicum excipere, ſicut excipere facillime potuiſſet, ſi voluiſſet. In aliquo tamen caſu, prævalente lege naturali de impedienda injuria Religionis, aut ſubverſione animarum, quando nimirum nulla perſona idonea adeſſet, quæ reprimere poſſet infidelem aliquem religioni inſultantem, cum auditorum fidelium periculo; poſſet laicus vere doctus & ſufficiens coercendæ obloquentis temeritati, ipſi reſpondere, eumdemque revincere; ad fidei decus ſuſtinendum, & ad præcavendum auditorum periculum. Eccleſiaſticis item perſonis ſive ſæcularibus, ſive Regularibus non ſufficienter doctis diſputare de fide, eſt vetitum ſub mortali, non quidem ex vi prædicti Canonis, qui de illis nil meminit, ſed ex lege naturali ſuadente, non eſſe ab indocto exponendam religionem periculo irriſionis cum adſtantium ſcandalo: & eſt communis. Solis itaque viris Eccleſiaſticis doctis id conceditur ex communi ſententia. Animadvertant autem, quod non ſufficit quicumque doctrinæ gradus, aut qualiſcumque in Theologia ſcientia, ad hujuſmodi provinciam ſuſcipiendam, ut dicatur quis doctus ad eam feliciter conſummandam; ſed requiritur peritia in Eccleſiaſtica hiſtoria, in Sacra Scriptura, in SS. Patribus, & præcipue in Theologia Dogmatum; ſcire etiam oportet, varia hæreſum ſyſtemata, multaque effugia, quibus argumenta noſtra declinare conantur; quia peritia quamvis non pauci ſe potiri ſibi ſuadeant, multi reapſe ſunt aut leviter dumtaxat eadem aſperſi, aut omnino in eadem peregrini, ea propter imparati, ut cum heterodoxis hujuſce temporis, quorum plurimi ſunt eruditiſſimi, ſigna conferre feliciter valeant. Vir itaque prudens prius exacte perpendat proprias, & adverſarii vires, antequam dogmaticam diſputationem ſuſcipiat,

Niſi in aliquo neceſſitatis caſu.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV. *De illicita, aut licita fidei diſſimulatione.*

Quot ſignorum genera falſæ religionis, qualiſque eorum uſus illicitus?

I. TRia ſignorum, aut veſtimentorum genera inveniuntur; primum juxta morem regionum, & commune incolis illarum; quorum uſus etiam fidelibus ibi degentibus non eſt illicitus v. g. Veſtis talaris colorata in regionibus Orientalibus. Secundum eſt genus ſignorum ad profitendam ſectam inſtitutorum, vel ad profitendum cultum auctori ſectæ, vel ad ſignificandum honorem magiſterii in tali ſecta: Et hæc deferre vetitum eſſe ſub mortali fidelibus, docet fere communis, & vera ſententia cum Cajetano in Sum. verbo Habitus: Quia id eſt profiteri exterius falſam ſectam, atque peccatum grave contra præceptum negativum fidei de nunquam profitenda, etiam duntaxat exterius, falſa religione. Tertium eſt illorum ſignorum non inſtitutorum ad profitendam ſectam, ſed ad ipſam diſtinguendam ab aliis, & propterea conceduntur, aut imponuntur tantummodo perſonis talis ſectæ, & non aliis: puta pileus rubri coloris Venetiis ad Hebræos ab omnibus aliis diſtinguendos; quemadmodum Romæ pileus flavi coloris: & de his ſignis contentio eſt inter Doctores etiam noſtrates; probabilior tamen videtur opinio Sancti Antonini p. 2. tit. 12. c. 6., & Cajetani 2. 2. q. 3. a. 2. & aliorum docentium, talia ſigna eſſe fidelibus ſub mortali vetita, non obſtante quocumque damno, aut periculo. Ratio eſt, quia qui verbo ſe declarat Judæum, aut Turcam, juxta omnes peccat lethaliter; igitur etiam peccabit ille, qui facto talem ſe prodit. Confirmatur, quia tale ſignum nequit diſtinguere fidelem ab infideli, niſi ſignificando, illum, qui eo utitur, eſſe infidelem, & dum quis vult eo uti, vult etiam ab aliis ſe reputari infidelem: atqui velle ſignificare ſe infidelem, & talem ab aliis reputari, ex terminis eſt gravis fidei injuria, & actio oppoſita exteriori confeſſioni fidei, immo ſaltem indirecte, & facto exterior negatio fidei; igitur non poteſt eſſe immunis a peccato mortali. Hæc momenta ſunt adeo ſolida, ut collata cum adductis ab alioquin doctiſſimo Bannez 2. 2. q. 3. a. 2. dub. 2., nedum longe graviora appareant, ſed ita eadem eliduant, ut ſolida probabilitate illa expolient: videſis loc. cit., & judices.

Nunquam licet etiam ſolo verbo negare fidem, ſe eſſe fidelem, ſimulare falſam religionem.

II. Hinc a fortiori nunquam licet, ob quodvis motivum, exterius negare fidem; ait enim Chriſtus Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Propterea, in hujuſmodi exceſſum etiam ab antiquioris Eccleſiæ praxi ſtatuti ſunt Canones pœnitentiales, indicati a SS. Gregorio Thaumaturgo, Nyſſeno, Cypriano, & aliis. Similis peccati reus efficitur, qui etiam oretenus negat, ſe eſſe Chriſtianum, Catholicum, Papiſtam, & ſe aſſerit Turcam, Hebræum &c., ut etiam ſupra indicavimus; hæc enim omnia opponuntur præcepto negativo fidei de eadem nunquam directe, aut indirecte neganda etiam oretenus. Eodem præcepto vetatur ſimulatio falſæ religionis, ob idem motivum gravis injuriæ Religioni illatæ.

Neque ſacris, aut concionibus hæreticorum intereſſe.

III. Eſt ſemper mortale communicare cœnæ hæreticæ, aut hæreticorum ſacris ceremoniis, precibus &c.; quia facto & ſigno externo eſſet virtualiter profiteri eorum religionem. Similiter neque licet, eorum concionibus intereſſe, præcipue data opera, & frequenter, ob idem motivum; & multo minus liceret, ſi fidelis compelleretur a Principe hæretico illis intereſſe, titulo honoris exhibendi ſuæ ſectæ; cum enim id eſſet cooperari ad ſectæ falſæ commendationem, etiam cum vitæ jactura recuſandum eſt.

Licet in perſecutione fugere ſ aliquando non.

IV. Licet fideli fugere, vel ſe occultare tempore perſecutionis contra fideles excitatæ, dummodo ex hac fuga nullum ſequatur detrimentum Religioni, aut proximo. Ita docuit Chriſtus Matth. 10. *Cum perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam:* idque pluries ipſi quoque Sancti ſunt executi. Egregie de hoc diſſerit S. Athanaſius in ſua Apologia. Conſulto dixi, dummodo ex hac fuga &c.; quia ſi fugiens ſit moraliter neceſſarius ad cæteros confirmandos, tunc ex charitate ſub gravi obligante remanere tenetur, & ſimul ex juſtitia, ſi Parochus ſit, aut cura illarum animarum ſibi incumbit. Poterit nihilominus accidere, quod neque hic peccet ſe occultando, aut ſubtrahendo, ſi ex hac ſubtractione major utilitas Eccleſiæ, & fidelium prudenter ſperetur, dummodo tamen interea proſpiciat ovibus illis de opportuna aſſiſtentia per adminiſtros.

Aliquando eſt

V. Publica fidei confeſſio quandoque eſt illi-

* Adverſus qualecumque ſimulationes falſæ Religionis Conſtitutionem edidit S. P. Benedictus XIV. inſertam *Tom. 1. ſui Bull. n. 89.*, cujus initium eſt: *Inter omnigenas*

graviter illicita fidei profeſſio. illicita, & prohibita: primo quando quis ſponte, ac temere ſe offert, non requiſitus, tam ad fidem profitendam, quam ad tormenta ſubeunda; quibus forte impar eſt illius conſtantia, & exinde in negationem prolabi poſſit cum maximo Religionis dedecore, & aliorum ſcandalo. Neque excuſant exempla quædam Sanctorum, qui ſpecialiſſimo Spiritus Sancti impulſu id egerunt; qui impulſus raro evenit, neque eſt de facili præſumendus. Secundo, quando ex ſpontanea fidei profeſſione prævideretur inde ſecutura crudelior fidelium perſecutio, & injurioſior ſanctæ fidei inſultatio.

Famuli comitantes infidelem herum ad ſua ſacra quomodo ſe gerere debeant? VI. Famuli, milites &c. ex debito ſui muneris comitantes herum infidelem, aut hæreticum ad ſua templa, ibique ſtantes capite diſcooperto, aliaque ſigna reverentiæ hero ſuo exhibentes, illicite non agunt; quandoquidem illa faciant, non in reverentiam Idoli, aut Sacrorum illorum, ſed tantummodo ſui heri, cui civilem illum cultum debent; quem cultum etiam Naaman Syro permiſit Eliſæus 4. Reg. c. 5. ut ſuo Principi deſerret. Ceterum conſulendi ſunt, ut quamprimum poſſint de alio hero ſibi proſpiciant; quia in magno verſantur periculo, ne aliquando, humano reſpectu compulſi, aliquid exterius agant, quod graviter Catholicam Religionem lædere poſſit.

Peti ali quando poteſt Sacramentum ab infideli? VII. Excuſatur Catechumenus, qui in extrema neceſſitate conſtitutus Baptiſmum peteret ab hæretico, aut alio apoſtata, deficiente quolibet alio magis idoneo, qui illum adminiſtraret, quamvis compelleretur eorum templa adire; quia Baptiſmus eſt veræ Eccleſiæ Sacramentum ab apoſtatis ſecum aſportatum, ut ajebat Auguſtinus, & in eo caſu, a quocumque regeneretur, regeneratur a vera Eccleſia. Sicut non peccaret fidelis, in eadem neceſſitate poſitus, petens abſolutionem Sacramentalem a quovis Sacerdote apoſtata; ſi alius idoneus abſit; ita concedente Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. quod tunc a quibuſvis peccatis, & a quolibet ſacerdote abſolutionem obtinere licitum ſit. De hoc tamen iterum ſuo loco in tractatu 14. §. 13.

Intereſſe nuptiis, & funeribus in fidelium quando licitum? VIII. Intereſſe nuptiis, aut funeribus Infidelium, aut hæreticorum, ubi ſimul commorantur fideles. & conſuetudo invaluit ſe mutuo invitandi, non judicatur illicitum a Colleg. Salmant. tract. 21. cap. 2. punct. 11. n. 126. alios auctores afferente: dummodo tamen non communicent cum illis in aliquo ritu ſacro, & nulla ſit ſcandali ſuſpicio; &, adderem ego, dummodo recuſare invitationem, haberetur ut offenſa.

An liceat comedere carnes diebus vetitis in regionibus infidelium? IX. Ex Azorio & aliis, cenſet præfatum Collegium loc. cit. num. 129. excuſari Catholicum tranſeuntem per infidelium, & hæreticorum regiones, ob graviſſimum motivum vitæ tuendæ, aut alio ſimili, occultare ſuam religionem, veſcendo carnibus diebus vetitis, dummodo omnis tollatur ſcandali ſuſpicio, religioniſque contemptus; Quia plures poſſunt eſſe cauſæ ab abſtinentia a carnibus diſpenſantes, unde nullo modo judicatur profiteri falſam ſectam, ſed dumtaxat anteferre præceptum naturale de graviſſimo damno evitando legi poſitivæ de abſtinendo a carnibus. Aliter autem reſolvendum eſſet, quidquid diſſentiat laudatum Collegium, ſi veſci carnibus eſſet actio proteſtativa Sectæ, quemadmodum eſt in Anglia illas comedere die Veneris, ubi publice comeduntur in contemptum Eccleſiaſticæ legis, & in profeſſionem Calviniſmi; tunc enim etiam cum vitæ diſcrimine abſtinendum eſſet; quia tunc actio illa amitteret ſuam indifferentiam, & eſſet idem, ac ſe velle exterius teneri pro Calviniſta, quod, ut vidimus n. 5. hujus §., eſt grave ſacrilegium religioni ſumme injurioſum.

CAPUT II.

DE

VITIIS FIDEI

OPPOSITIS GENERATIM.

§. I. *De primo vitio Fidei oppoſito, quod eſt Infidelitas; Variæque explicantur Infidelitatis ſpecies.*

Infidelitas generatim quid, ex quotuplex? I. INfidelitas eſt defectio a vera fide. Triplex diſtinguitur infidelitas generatim accepta, videlicet Negativa, Privativa, & Poſitiva. Negativa eſt carentia fidei in illis, qui nihil unquam de fide audierunt, quæ infidelitas non eſt illis voluntaria, utpote ignota tam in ſe, quam in alio; cum ignorent unde ſequatur: & propterea juxta D. Th. 2. 2. q. 10. a. 1. & communem Theologorum, *Hæc infidelitas*

Digitized by Google

ſitas non habet rationem peccati, neque damnantur propter infidelitatis peccatum: & jure merito inter theſes Baii a S. Sede reprobatas hæc recenſetur: *Infidelitas pure negativa, in his in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt*. Privativa eſt carentia fidei in illis, qui cum aliquid de extantia fidei Chriſtianæ in confuſo ſaltem audierint, vel fidem audire nolunt, vel illuminari non curant, & de eadem inquirere; quamvis poſitive non diſſentiant: & hæc eſt peccatum lethale. Jo. 5. *Qui non credit jam judicatus eſt*. Quia eſt culpabilis omiſſio medii ad ſalutem neceſſarii, de quo medio tenentur inquirere, qui de eodem aliquid audierint. Poſitiva, ſeu contraria eſt poſitiva rejectio veritatum fidei, poſitivus diſſenſus earumdem, vel etiam aſſertio poſitiva erroris contrarii; & eſt graviſſimum crimen, irrogans graviſſimam injuriam Divinæ Veritati.

Quotuplex infidelitas poſitiva?

II. Infidelitas poſitiva triplex eſt: Paganiſmus, Judaiſmus, & Hæreſis. *Cum enim* (ait S. D. loc. cit. a. 5.) *peccatum infidelitatis conſiſtat in renitendo fidei, hoc poteſt contingere dupliciter; quia aut renititur fidei nondum ſuſceptæ: & talis eſt infidelitas Paganorum, ſeu Gentilium: aut renititur fidei Chriſtianæ ſuſceptæ, vel in figura; & ſic eſt infidelitas Judæorum; vel in ipſa manifeſtatione veritatis; & ſic eſt infidelitas Hæreticorum: unde in generali poſſunt aſſignari tres prædictæ ſpecies infidelitatis.*

§. II. *De Communicatione cum Infidelibus.*

Quomodo, & quando ſit communicatio cum infidelibus vetita?

I. DUplicem diſtinguas communicationem, Religioſam videlicet, & Civilem: prima eſt in rebus ſacris, & ad Dei cultum pertinentibus: ſecunda eſt in rebus ad civile commercium, politicamque ſocietatem ſpectantibus. Prohibitio in rebus ſacris, jam patet ex dictis capite antecedente §. ult. Circa autem communicationem in Matrimoniis celebrandis, fuſe dicetur, dum de impedimento Matrimonii, quod eſt diſparis cultus, diſſeremus in tract. 14. cap. 7. § 20. Circa communicationem mere civilem, profecto terrere debent verba Apoſtolorum Joannis, & Pauli; primi quidem in Epiſt. 2. dicentis: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum; nec ave ei dixeritis*. Secundus autem Rom. 16. ſcribit: *Rogo autem vos, fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis*. Quibus verbis ſaltem frequens, & intima, ſeu contubernalis communicatio civilis prohiberi videtur; quippe quæ ſit plena periculis, experientia teſte illorum, qui cum infidelibus præcipue Hæreticis, & etiam Judæis tali communicatione utuntur; etenim partim ex amicitiæ affectu, partim ex doloſa eorumdem collocutione, partim ex conſcientia diſſoluta fidelis communicantis, grave detrimentum propriæ fidei, pietatiſque reportant; exinde, præcipue indocti, in plures dubitationes rapiuntur, & non raro in apertas errorum approbationes labuntur.

Quoad quot capita prohibeatur cum Judæis?

II. Communicatio Civilis cum Judæis Eccleſiaſtico jure quoad decem capita eſt prohibita, nempe quoad cohabitationem in eadem domo; quoad convivia ſimul habenda; quoad veſcendum eorum azymis; quoad uſum ejuſdem balnei; quoad uſum medicinarum ab eis confectarum; quoad uſum medicorum Judæorum; quoad alendos eorum filios in eorum domo; quoad præſtandum famulatum eiſdem; quoad vinculum famulatus; quoad eos inſtituendos hæredes, aut legatarios. Ita ex cap. *Nullus*, & ex cap. *omnes* 28. q. 1. & ex cap. *Judæi* 2. Judæis. Quæ prohibitiones vigent etiam reſpectu Mahometanorum, ut notavit Suarez diſp. 18. ſect. 6. n. 10. tum quia id aliquando exprimatur in jure, tum quia eadem motiva ſubſiſtant, nempe eorum odium in Chriſtianos, & iſtorum periculum ſubverſionis.

Nonnullæ obſervationes circa indicatas prohibitiones.

III. Nonnulla circa indicatas prohibitiones obſervanda ſunt ex doctiſſimo Suarez diſp. 18. ſect. 6. & primo, quod ſicuti non licet famulo cohabitare in domo heri Judæi, ita probabilius neque liceat hero Chriſtiano tenere ad cohabitandum in domo ſua famulum Judæum; quia eadem imminent pericula reſpectu aliorum familiarium, lege inſpecta. Secundo, circa convivia, quod non fiant ex condicto, & data opera, tam ad ſua accedendo, quam ad propria invitando; non autem prohibentur, ſi contingant itinerando, vel alio ſimili accidentali eventu. Tertio, quoad comeſtionem azymorum, ne fiat more judaico, aut cum ſcandalo, aut ſimilibus circumſtantiis. Quarto, quoad balnea, ne ſimul fiant data opera, ſecus in accidentali eventu ob ſanitatem procurandam, vel alio ſimili caſu. Quinto, circa Medicos, ſi adſint alii ſufficientes, ſecus in caſu neceſſi-

tatis quod alius non adiit. Sed lex quoad hoc punctum in magnis etiam civitatibus impune violatur; & puto non ignorantibus Prælatis; unde dubitarem, an ibidem ſtricte obliget. Sexto, circa Medicinas, intelligitur prohibitio quoad miniſtrationem, & applicationem, non autem quoad emptionem earumdem ab ipſis confectarum, ſicuti emuntur alia utenſilia; eo quod miniſtratio illa familiaritatem, & affectionem conciliet. Septimo, circa lactandos eorum filios, intelligitur de officio nutricis permanentis in domo eorum: ſecus ſi Chriſtiana mulier aliquando extra eorum domos lac præbeat, ne parvulus fame pereat, aut alio rationabili motivo: immo probabilior cum Sylveſtro, Azorio & Suarez docet, neque licere Chriſtianis mulieribus id officium permanenter præſtare in domo ſua; quia adhuc ob frequentes viſitationes conjunctorum infantis, imminet periculum familiaritatis, & nocumenti ſpiritualis. Octavo, circa famulatum, hunc prohiberi ſive præſtetur commorando intra domum Judæi, ſive extra domum; dummodo famulatus ſit diuturnus: unde non prohibentur opifices laborare pro Judæis; neque eorum agros colere, eis jumenta locare &c.; quia id non eſt proprie famulari, nec inducens familiaritatem illam vetitam. Nono, circa hæreditatem, prohibetur non tantum ne communitas Judæorum hæres fiat, aut legataria, ſed neque perſonæ particulares, quamvis forte eſſent teſtatoris conſanguineæ; quia lex fuit inſtituta in favorem Religionis. Conceditur itaque dumtaxat communicatio civilis in contractibus, dummodo nimia familiaritas evitetur; quod ſi natura contractus ad hanc compelleret, abſtinendum eſſet a tali contractu.

§. III. *De notione Hæreſis, & de vario modo in illam incidendi.*

Quid ſit hæreſis? I. CUm *hæreſis nomen* ex D. Thom. 2. 2. q. 11. a. 1. *electionem importet* ex Græco, eo quod hæreticus eligat ſuum ſequi judicium contra judicium Eccleſiæ: idcirco definiri poteſt ex his, quæ tradit S. D. loc. cit. & a. 2. quod ſit error voluntarius, cum pertinacia, contra aliquam doctrinam, & veritatem fidei Catholicæ in eo, qui fidem Chriſti recepit; Quandoquidem ſit aſſenſus intellectus voluntarius, & cum advertentia, atque pertinacia, conſiſtente in deliberata voluntate diſſentiendi alicui doctrinæ, quam diſſentiens ſcit eſſe propoſitam ab Eccleſia, ut de fide tenendam; & ipſi eſt propoſita ut talis: dixi alicui doctrinæ; quia ſi omnes rejiceret, eſſet Apoſtata potius; quam hæreticus; ut autem ſit talis, oportet, ut fidem antea receperit; alioquin eſſet accenſendus Paganis, aut Judæis.

Explicatur melius. II. Requiritur itaque ad incurrendam hæreſim formaliter, ut ſit error in intellectu: unde ſi quis voce hæreſim proferret, addito etiam juramento, & quod profert mente non teneret; in illo non eſſet hæreſis formalis, & quamvis peccaret lethaliter peccato ſcandali, blaſphemiæ hæreticalis, & etiam perjurii, & eſſet denuntiandus ab auditoribus, & haberetur in Eccleſiæ foro ut hæreticus, tamen coram Deo non eſſet hæreticus, neque in foro conſcientiæ excommunicationem reſervatam incurreret, quæ contra hæreſim formalem dumtaxat eſt inflicta. Requiritur præterea, quod error ſit voluntarius & deliberatus, unde qui non plena deliberatione, ſeu inſufficiente ad mortale, hæreſim aut mente conciperet, aut etiam ore proferret, non eſſet formaliter hæreticus. Requiritur item aſſenſus errori cum pertinacia, ad quam non requiritur, ut errorem conceptum obſtinate defendat, ſed ſufficit, quod menti occurrat Eccleſiæ auctoritas illum reprobantis, & oppoſitum definientis de fide, & quod deliberate diſſentiat. Circa id notandum, quod quando ipſi ſufficienter proponitur Eccleſiæ definitio, adhuc ſit hæreticus, quamvis proteſtetur, ſe putare talem non eſſe Eccleſiæ definitionem, quam acceptaret, ſi ſciret eſſe talem: quia revera adhuc pertinaciter reſpuit Eccleſiæ auctoritatem, quippe quæ ſit illi ſufficienter propoſita, ut illam acceptare teneatur. Notandum præterea, hæreſim incurri, adhærendo propoſitioni ab Eccleſia damnatæ dumtaxat ut falſæ, aut temerariæ; quia eo ipſo cenſet Eccleſiam circa hujuſmodi errare poſſe, quod eſt hæreticum. Requiritur inſuper, quod diſſenſus verſetur circa propoſitionem immediate revelatam, & ab Eccleſia propoſitam: unde qui negaret propoſitionem mediate tantum revelatam, (qualis eſt concluſio theologica proprie talis, deducta nempe ex una revelata, & ex altera naturali) non eſſet hæreticus, ut contra Canum, & alios nonnullos ſuſtinet mihi probabilior. Ratio inter ceteras potior eſt, quia certitudo concluſionis Theologicæ non eſt æ-

qua-

Digitized by Google

qualis certitudini fidei, ut fatentur omnes: igitur neque diſſenſus veritati theologicæ erit æqualis in gradu, & reatu diſſenſui veritati fidei: ſi ergo diſſenſus veritati fidei inducit notam hæreſis, diſſenſus veritati theologicæ hanc non inducit, ſed notam illa inferiorem, & quidem cum peccato lethali. Dixi, quod debeat eſſe veritas fidei ab Eccleſia propoſita, ut indicarem, quod ſi quis diſſentiret revelationi privatim ſibi a Deo factæ, & ſufficienter propoſitæ, fortaſſe hæreſis crimen non incurreret, ut docent plures contra alios; eo quod objectum fidei theologicæ, per oppoſitionem ad quam dumtaxat hæreſis dicitur, eſt revelatio Divina, non quocumque modo, ſed tantum ab Eccleſia propoſita: unde veritates illæ, quæ in revelationibus privatis, & ſufficienter ſibi a Deo propoſitis creduntur, non creduntur fide theologica, ſed fide divina communiter dicta; ſola autem fides theologalis Eccleſiæ propoſitione dirigitur, qua mediante Deus ſuam Eccleſiam regit: Unde diſſentiens his revelationibus privatis, & ſufficienter propoſitis, quamvis graviter peccaret, quia ſunt ſufficienter ſibi a Deo propoſitæ, cenſuras contra hæreticos non incurreret.

Videtur magis conſona menti D. Thomæ ſententia Suarezii, Bellarmini, Contenſonii, Em. Gotti, Simonetti, aliorumque, qui cenſent, revelationem privatam, dummodo certo conſtet eſſe a Deo, credendam eſſe ab eo, cui fit, fide theologica. Quippe S. D. 2. 2. qu. 1. a. 1. hæc habet: *In fide, ſi conſideremus rationem formalem objecti, nihil aliud eſt, quam veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, aſſentit alicui, niſi quod eſt a Deo revelatum.* Cum igitur etiam in revelationibus privatis habeatur divinum teſtimonium, quod eſt motivum formale fidei theologicæ, ſponte fluit, has etiam credendas eſſe fide theologica ab eo, cui fiunt, dummodo tamen, ut jam diximus, certo conſtet, eſſe a Deo. Alia docet S. Thomas ibidem, ex quibus eadem poſitio magis firmatur, & roboratur. Legeſis inter cæteros laudatum Em. Gotti in 2. 2. q. 1. Dub. 3. §. 1. a. 2., qui etiam, omnia quæ in contrarium adferuntur, enervat, atque convellit.

Hinc præcitati Doctores recte colligunt, quod hæreticus foret coram Deo, qui revelationi ſibi divinitus factæ non crederet, quamvis in Eccleſia non haberetur ut hæreticus, quia non adverſaretur revelationi, quam communiter omnibus proponit Eccleſia.

Qui autem cupit callere regulas veras revelationes a falſis diſcernendi, adeat Em. Cardinalem Bona *Tract. de Diſcret. Spirituum cap.* 20.

Dubium de fide quotuplex?

III. Dubitare de rebus fidei poteſt evenire vel dubio poſitivo, vel negativo: dubio poſitivo, quando quis deliberate dubitat de aliqua fidei veritate ſufficienter propoſita, judicando, eam eſſe incertam, poſſe eſſe non veram, poſſe eſſe ambiguas veritates ab Eccleſia propoſitas &c. Dubio negativo, dum manet quis ſuſpenſus circa aliquam fidei veritatem inter aſſenſum & diſſenſum: & hoc dupliciter, vel ſuſpenſione imperata a voluntate, & deliberate volita, ob vim ſibi factam a motivis fidei oppoſitis; vel ſuſpenſione non imperata & volita ob dicta motiva oppoſita, neque ob metum errandi ſi aſſentiatur; ſed propter aliud motivum, nempe mentem alio divertendi, vel ad aliud honeſtum, quo præmiſſo.

Dubitans quando ſit hæreticus?

IV. Advertenter dubitans dubio poſitivo ſemper lethaliter peccat, & eſt vere hæreticus, juxta omnes: Colligitur ex cap. 2. de hæreticis, ubi dicitur: *Dubius in fide infidelis eſt.* Et ex Concil. Lateran. V. ſeſſ. 8., ubi tamquam hæretici damnantur dubitantes de animæ rationalis immortalitate. Ratio patet, quia putat, Eccleſiam in rebus fidei proponendis errare poſſe: & idem dicendum de dubitante dubio negativo, primo loco explicato, ob eamdem rationem; quia æquivalenter judicat, Eccleſiam errare poſſe. Dubitans autem dubio negativo ſecundo loco explicato, ſi non inſtet præceptum affirmativum de fidei actu eliciendo, non videtur graviter peccare, & multo minus eſſe hæreticus; tum quia nullum elicit judicium fidei oppoſitum, ſive formaliter, ſive æquivalenter; non enim ſuſpendit actum ob timorem errandi, neque ob vim motivorum adverſantium, ſed vel ne mentem plus æquo fatiget, vel ne phantaſiam torqueat, ſi ſcrupuloſus; vel ut aliquid aliud honeſtum cogitet, vel ob aliud honeſtum motivum.

Hæreſis alia formalis, alia materialis: formalis alia interna, alia externa.

V. Dividitur primo hæreſis in formalem, & materialem; prima illa eſt, cujus notionem tradidimus; ſecunda eſt, quando quis errorem tenet contra fidem, omnino ignorans eſſe talem; qui ſi ſit in debitu ſciendi, reus eſt ignorantiæ vincibilis lethalis, ſecus ſi non habeat debitum

ſcern.

Digitized by Google

ſciendi. Qui vero profert hæreſim, ſciens eſſe talem, ſed animo illam non tenet, non eſt quidem hæreſis materialis, ſed vera blaſphemia hæreticalis, & lethaliter peccat: imo eſt ab auditoribus denunciandus, ut dixi. Dividitur inſuper hæreſis formalis in internam, & externam: interna eſt quæ deliberate mente concipitur, & retinetur, nullo ſigno exteriori facto, illam ſignificante: externa vero, quæ & mente concipitur, & aliquo ſigno exteriori ſufficienter manifeſtatur; idque evenire poteſt vel manifeſte, vel occulte: manifeſte, quando aliquibus videntibus, vel audientibus manifeſtatur; & tunc dicitur omnino per ſe manifeſta: occulte autem, quando ſignificatio exterior erroris mente concepti occulte fit, idest nemine vidente, vel audiente; & tunc dicitur manifeſta per ſe, & occulta per accidens.

Externa, & hæc alia manifeſta, alia occulta.

Pœnæ temporales hæreticorum.

VI. Pœnæ contra hæreticos formales, & externos aliæ ſunt ſpirituales, aliæ temporales; iſtarum prima, ſi hæreſis ſit notoria, eſt infamia juris, reddens inhabilem ad quoſcumque honores, dignitates, & officia: ita in Cap. *Infames* 6. q. 1. & in cap. *Statutum* 2. de hæreticis in 6. Secunda eſt confiſcatio omnium bonorum hæretici: Ita in lege *Manichæos* Cod. de hæreticis, quæ non obligat ante judicis ſententiam. Tertia eſt pœna perpetui carceris. Ita in cap. *excommunicamus* 1. de hæreticis. Quarta eſt pœna mortis: ita in lege *Ariani* cod. de hæreticis & lege *culpa* cod. de Maleficiis, & alibi.

Pœnæ ſpirituales hæreticorum.

VII. Spiritualium prima eſt excommunicatio major latæ ſententiæ, quæ incurritur ipſo facto ac hæreſis ſigno ſufficienti ſignificatur, ut inferius explicabitur, & eſt Pontifici reſervata: ex multis locis juris, ſed præcipue ex Conſtitutione Bullæ Cœnæ Domini clauſula 1. Secunda eſt Irregularitas, ut patet in cap. *Nos* 51. diſt. §. *idem Daniel*. 2. qu. 7. & alibi; quæ pœna juxta multos apud Salmantic. tr. 10. cap. 8. punct. 8. n. 79. incurritur ſolum ob infamiam facti: qua ceſſante, ſive quia hæreſis fuit occulta, ſive quia correcta per emendationem, non incurritur. Oppoſita tamen opinio noſtri Donati Layneńſis tom. 2. tract. 5. qu. 21. n. 5. alios referentis eſt veroſimilior; tum quia Jura loquuntur univerſaliter; tum maxime; quia Clemens VII. RR. Inquiſitoribus conceſſit facultatem diſpenſandi ab irregularitate contracta propter hæreſim occultam; quæ profecto facultas eſſet ſuperflua niſi contraheretur irregularitas. Vide Sylveſtrum Verbo Crimen q. 2. n. 3. Reinffeſtuel lib. 4. decretal. tit. 1. n. 255. & hæc eſt communior. Tertia eſt privatio poteſtatis ſpiritualis juriſdictionis, & etiam Ordinis, quoad uſum licitum Ordinis ejuſdem; ita in cap. *ſi quis voluerit* 1. qu. 7. & alibi. Quarta eſt privatio Beneficiorum, officiorum rite acquiſitorum, & inhabilitas ad alia obtinenda: ita in cap. *Commiſſi* de hæreticis in 6. & alibi. Quinta eſt privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ; in cap. *quicumque* de hæreticis in 6. & alibi.

* Num autem ſublata Epiſcopis per Bullam Cœnæ facultate abſolvendi ab hæreſi occulta, ablata etiam cenſeri debeat facultas diſpenſandi ab irregularitate propter illam contracta, opportunius ad examen vocabimus, & diſcutiemus *tom. 2. tract. 15. cap. 6. de Irregularitate* §. 9.

VIII. Ad incurrendam excommunicationem majorem Pontifici reſervatam, requiritur primo, quod hæreſis mente concepta aliquo ſigno exteriori ſufficienter manifeſtetur, tametſi occultiſſime, atque nemine prorſus vidente, aut audiente: quapropter qui hæreſim ſola mente concepit, & mente tantum profitetur, quamvis coram Deo ſit vere hæreticus, talis in Eccleſiæ foro non habetur, neque excommunicationem incurrit; quemadmodum neque illam incurrit in foro conſcientiæ, qui hæreſim exterius profitetur ſive ſolus, ſive coram aliis, quam tamen mente & animo non tenet, ſed rejicit. Ad Excommunicationem igitur incurrendam utrumque requiritur, nempe & hæreſis advertenter mente concepta, & exterius ſignificata, quamvis a nemine id cognoſcatur; quia quamvis a nemine id ſciatur, cum tamen ſit exterius ſignificata, Eccleſiæ judicio ſubjici poteſt, & mere per accidens eſt, quod a nemine id ſciatur: Unde tametſi ad judicium faciendum per ſententiam particularem, & punitivam, & temporalem, ſit neceſſaria cognitio cauſæ ordine judiciali per teſtes &c.; neutiquam id requiritur in judicio per ſententiam juris generalem, medicinalem, & mere ſpiritualem; tunc enim pœna hujuſmodi conditionate infertur, nempe in hypoteſi, quod ab aliquo tale delictum, tali modo perpetretur; & propterea ſatis eſt, quod delictum externum puniendum innoteſcat peccanti, ſitque eo modo factum, quo ſub pœna prohibetur. Requiritur præterea ad cenſuram in-

Requiſita ad incurrendam excommunicationis pœnam.

incurrendam, ut ſignum exterius ſit determinate ſignificans hæreſim ſive ex ipſa natura ſigni, ſive ex conſuetudine, ſive ex quovis capite: eo quod ſi ſignum ſit indifferens, & indeterminatum, & aliquid aliud poſſit ſignificare, & determinate non ſignificet hæreſim, non verificatur, quod hanc ſignificet: Unde, juxta mihi probabiliorem, verba vere æquivoca non ſufficiunt ad incurrendam cenſuram; quia neque iſta verba determinate ſignificant hæreſim, & eadem videtur eſſe ratio pro his, ac pro indifferentibus, & indeterminatis, de quibus alioquin adverſarii non dubitant: vel igitur aſſignent quid interſit inter indifferens, ſeu indeterminatum, & æquivocum; vel nobiſcum ſentiant.

Quid dicendum de eo, qui vitam ex ſe gignentem hæreſis ſuſpicionem duceret?

IX. Qui autem vitam ducit ex natura ſua gignentem hæreſis ſuſpicionem vehementem; puta qui nunquam, aut rariſſime Miſſam audit, aut duas uxores habet, aut diebus jejunii ſemper aut quaſi ſemper ſine ulla neceſſitate cibis vetitis veſcitur, ſi animo teneat errores oppoſitos fidei, cenſuram incurrit; quia ſigno ſufficienter determinato hæreſim manifeſtat; & hujuſmodi eſt denunciandus.

Quis poſſit ab hæreſi & cenſuris abſolvere?

X. Ab hæreſi mere interna, & nullo ſigno ſufficienter externo manifeſtata abſolvere poteſt quilibet Confeſſarius approbatus; eo quod, ut plerique affirmant, reſervetur Pontifici ob cenſuram adnexam, quæ non afficit hæreſim mere internam. Etidem dicas de hæreſi exterius ſignificata, ſed revera animo non aſſerta; quia excommunicatio afficit veram hæreſim, quæ requirit errorem in intellectu. Quia tamen hæc eſſet vera blaſphemia hæreticalis, plerumque ab Ordinariis ſibi reſervata, idcirco carens facultate in reſervata, illam petere ab Epiſcopo deberet. Abſolutio ab hæreſi mente concepta, & ſigno externo manifeſtata, quamvis occultiſſime, ſpectat ad ſummum Pontificem; vel ſi crimen non fuerit publicum, ad Sac. Congregationem Pœnitentiariæ, quæ dumtaxat concedere ſolet facultatem pro foro conſcientiæ relinquendo reum expoſitum foro exteriori judiciali, caſu quo accuſaretur. Inquiſitores autem plerumque abſolvunt a vinculo excommunicationis, poſt præmiſſam abjurationem &c. qua ſublata, pœnitens poteſt a quocumque Confeſſario abſolvi a peccato: Imo aliquando poſſunt hanc facultatem aliis ſubdelegare.

* S. P. Benedictus XIV. *de Synodo Diœc. lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 3. abſque limitatione pronunciat, quod tam Inquiſitor, quam Epiſcopus poteſt reſipiſcentem hæreticum, aut ſponte coram ſe comparentem, aut ad ſuum forum quoquo modo deductum, Eccleſiæ reconciliare, & pro utroque foro abſolvere a cenſura, in quam propter hæreſim incidit. Hoc firmat ipſe auctoritate plurium Doctorum, ac deinde ſubdit: Quinimo uterque poteſt pœnitentem hæreticum, poſtquam ſuos ejuravit errores, ad ſimplicem confeſſarium remittere, ut ab eo abſolvatur; eamque abſolutionem, licet a Confeſſario datam in foro ſacramentali, prodeſſe etiam pro foro externo, a cujus juriſdictione promanat, recte obſervat Thomas del Bene *de Offic. S. Inquiſit. part.* 1. *dubit.* 57. Plura de ordinaria poteſtate Epiſcoporum inquirendi in hæreticos, eoſque Eccleſiæ reconciliandi, congeſta ſunt ab Alteſerra *de Juriſdict. Eccleſiaſt. lib.* 4. *cap.* 3. & noviſſime a P. Joanne Antonio Bianchi *de poteſtate Eccleſiæ tom.* 3. *lib.* 1. §. 10. num. 2. & 3. Plura itidem ad rem facientia legi poſſunt in Colloquiis Andegavenſibus menſis Maji 1713. *quæſt.* 4. *pag.* 110.

Oſtendit autem contra plures idem S. P. *ibidem num.* 5. *& ſeqq.* ademptam fuiſſe Epiſcopis per Bullam Cœnæ facultatem abſolvendi ab hæreſi occulta iiſdem tributam a Concilio Tridentino *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* adeoque qui interius Fidei articulo diſſentitur, ſuumque diſſenſum aliquo exteriori ſigno pandit, quin tamen idcirco ſit ad forum judiciale deductus, nequit ab Epiſcopo pro foro conſcientiæ abſolvi, licet ejus delictum ſit occultum.

Demum *cap.* 5. in quo argumenta evertit, quibus ſpeciatim ſuffulti nonnulli Auctores Gallicani, facultatem abſolvendi ab hæreſi, quam aliis ablatam haud difficulter admittunt, in ſuæ nationis Epiſcopis intactam perſeverare, aſſeverant; *num.* 5. obſervat quod Epiſcopi non debent quoad hoc poſtpoſitos ſe credere Inquiſitoribus (ſicut nonnullos Epiſcopos conqueri ſe audiviſſe teſtatur) quaſi Inquiſitoribus illa detur facultas, quæ ipſis denegatur. Etenim, ait, (uti jam prænotavimus) aut ſermo eſt de hæretico ad forum judiciale deducto, ſive ſponte ſuum delictum ad idem forum deferente; & tam Epiſcopus, quam Inquiſitor poteſt illum pro utroque foro abſolvere, & in Eccleſiæ gremium recipere: aut ſermo eſt de hæretico occulto, & illum

iſtum neque Epiſcopus, neque Inquiſitor poteſt abſolvere a vinculo excommunicationis, qua coram Deo, atque in foro conſcientiæ eſt innodatus; ac propterea Cardinalis Albitius *in ſuo tract. de Inconſt. in Fide cap. 25. n. 16.* opportune & fortaſſe ad prædictam præoccupandam Epiſcoporum quærimoniam, ſcripſit: *Quod dictum eſt de Epiſcopis, idem dicendum eſt de Inquiſitoribus, qui nullo modo habent facultatem abſolvendi hæreticos in foro conſcientiæ*: idemque animadvertit Cardinalis Petra *in Com. ad Conſtit. 18. Innoc. IV. tom. 3. num. 28.* inquiens: *Quamvis autem Inquiſitores ab hæreſi in foro judiciali abſolvere poſſint, & talis abſolutio pro utroque foro judiciali ſuffragetur, ut dixi, in foro tamen conſcientiæ ejuſmodi facultatem nec habent, nec expedit, ut habeant.* Legatur laudatus S. P. *locis citatis*, in quibus alia plura ſcitu digniſſima docet.

§. IV. *De Apoſtaſia.*

In quo conſiſtat Apoſtaſia?

I. **A**Poſtaſia ex S. Thoma 2. 2. q. 12. a. 1. *eſt retroceſſio hominis baptizati a tota fide*; ex quo patet ejus differentia ab hæreſi, quæ aliquos tantum fidei articulos rejicit; differentia quidem non ſpecifica, ut contendunt noſtri alioquin eximii Sylveſter, Cano, Turrecremata; ſed ex parte termini, a quo dumtaxat diſtat quoad magis & minus, ita aperte docente Angelico Magiſtro ad 3. *Apoſtaſia non importat determinatam ſpeciem infidelitatis; ſed quandam circumſtantiam aggravantem.* Quia idem eſt objectum ſpecificum utriuſque, cum ſola differt te majoris extenſionis materialis. Si autem inſpiciatur terminus ad quem Apoſtaſiæ, tunc novam poteſt afferre ſpeciem, ut ſi Apoſtata tranſeat ad Judaiſmum, aut Mahometiſmum, quæ reaple ſunt ſpecies diverſæ infidelitatis, & forte in hoc ſenſu loquuti fuere illi ſummi viri.

Quomodo Confeſſario exponenda?

II. Cum igitur Apoſtaſia ſit circumſtantia notabiliſſime aggravans infidelitatem hæreſis, erit in confeſſione exponenda; quemadmodum incidens in plures hæreſes, pluralitas hæreſium; dicendo, negavi tot veritates &c. quandoquidem unaquæque addat gravitatem admodum notabilem.

Diſſertationes de Blaſphemia opportunius transferimus ad tractatum de vitiis oppoſitis virtuti Religionis, nempe in cap. 13. §. 6. hujus tractatus quarti.

CAPUT III.

DE

LIBRIS PROHIBITIS.

Diſſerere de libris prohibitis eſt quid complens tractationem de vitiis fidei oppoſitis. Propterea antequam ad agendum de Spe Theologali accedimus, hoc caput completivum præſentis materiæ adducere lubet.

§. I. *De libris hæreticorum, ac de prohibitione tum ejuſmodi, tum alios libros afficiente.*

Quid liber hæreticus, liber hæretici & liber prohibitus.

I. **N**Ota in primis, librum hæreticum eſſe illum, qui vel in toto, vel in aliqua ſui parte errores continet contra fidem: librum hæretici dici illum, qui fuit ab hæretico compoſitus, quamvis hæreſim non contineat: librum prohibitum eſſe illum, qui in indice prohibitorum continetur, a quocumque fuerit editus.

Quid liber hæreſim continens?

II. Lex hæretici libri lectionem &c. prohibens eſt hujus tenoris in Bulla Cœnæ Domini Claus. 1. *Excommunicamus hæreticorum libros hæreſim continentes, vel de religione tractantes, ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes, ex quavis cauſa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore.* Expendamus modo ſingula verba: Debet igitur primo eſſe liber hæretici ab hæretico compoſitus; propterea ſub hac prohibitione non cadunt libri infidelium non baptizatorum, neq; libri auctorum catholicorum hæreſim referentes, vel continentes, vel hæretici alicujus adnotationibus, ſcholiis, obſervationibus referti: qui igitur hujuſmodi librum legeret, retineret &c. cum eſt prohibitus, peccaret quidem contra prohibitionem, & etiam excommunicationem Indicis incurreret; ſed non ageret contra hanc legem, eo quod hæretici nomine intelligitur primo, qui eſt damnatus ſive perſonaliter, & nominatim; ſive in ſua ſecta, de qua ortus eſt; ſecundo ille, qui tametſi inter Catholicos ortus & educatus, tamen liber ab eo compoſitus ex profeſſo hæreſes defendit, & catholicas veritates impugnat.

Quid intelligatur

III. Nomine Libri, juxta Romanæ Curiæ

Digitized by Google

riæ ſtilum, intelliguntur etiam Manuſcripta, etiam concio aliqua, epiſtola &c. de religione tractans: item Præfatio, Index; immo etiam paucæ lineæ, ſi vel errorem, vel præſumptum erroris ſundamentum contineant, & cum tali notitia legantur. Ratio eſt, quia reſpectu horum omnium viget motivum, & intentum legis relatæ. Datur nihilominus parvitas materiæ: quæ nec mortale, nec cenſuram inducat: quænam autem illa ſit, ſapientis, & prudentis judicio circumſtantias conſiderantis relinquitur decernenda. Illud docent auctores, quod eadem excommunicatione innodetur Bibliopola, qui folia libri hæretici jam diſſuti retinet ad modum maſſæ chartaceæ; ad involvendos alios libros; quia adhuc non deſtruitur liber hæreticus, ſed ejus venenum diffunditur; cum folia poſſint legi quocumque deferantur.

Quid ſignificet ly hæreſim continens?

IV. Sufficit, quod hæreſim contineat, quamvis in minima ſui parte, etiamſi cætera omnia ſana ſint; quia adhuc verificantur verba legis. Nec quidquam prodeſt abradere pauca illa verba, ut optime notat Sanchez lib. 2. Moral. cap. 16. n. 35., quia hæc raſio particulari auctoritate facta non eximit librum a communi opinione, quin ſit talis ordinis & claſſis. Idemque dicendum de libris hæreticorum, quorum præcipuus ſcopus ſit de hiſtoricis agere, quibus veluti per accidens interferuntur identidem errores; quia adhuc locum habent verba legis.

Quid ſignificet ly de Religione tractantes?

V. Sufficit etiam, quod liber hæretici de Religione tractet, quamvis eam non impugnet, immo defendat; quia finis legis eſt amovere ab omni periculo fideles, quod etiam ſubeſt legendo opera ſana (ſi quæ tamen talia ſint undequaque) hæreticorum in materia Religionis, ne lector afficiatur erga auctorem, & alliciatur etiam ad alia ejus opera legenda, & pedetentim diſponatur ad exſugendos errores. Nomine autem operis de religione tractantis intelliguntur Commentaria in Scripturam, Conciones, Diſputationes Theologicæ cujuſvis generis etiam moralis, de Inſtitutis Religionum, de Metaphyſica; ubi agitur de Deo, ejuſque Attributis, ut Auctore naturali, hiſque ſimilia.

VI. Diſtinguendum eſt inter libros hæreticorum, & hæreſiarcharum, qui ſunt hæreſis auctores; ſi enim ſint hæreticorum, comprehenduntur ſub lege præfata ſolum libri hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, non vero cæteri, puta de poeſi aut humana literatura, niſi aliunde ſint prohibiti: hæreſiarcharum vero omnes omnino libri ſunt prohibiti, & eos legens præter peccatum mortale, incurrit excommunicationem Indicis, quæ non eſt reſervata; non vero excommunicationem reſervatam, niſi legat de religione tractantes. Lege Contin. Præl. Theol. Hon. Tournely de Decal. c. 5. artic. 2. §. 2. concl. 2.

Quid denotetur ſcientis nomine?

VII. Legens vel retinens debet eſſe ſciens; ac proinde a cenſura incurrenda excuſat ignorantia nedum invincibilis, juxta omnes, verum etiam juxta plures ignorantia vincibilis, quæ non ſit affectata, (de quibus diſſeruimus in tract. 3. capite 2. de Involuntario §. 5. nu. 5.) Notandum tamen, quod quando lex non exigit, ut quis ſciens, data opera &c. faciat id, cui eſt adnexa excommunicatio; ipſa incurritur etiam ob ignorantiam vincibilem; & ſola invincibilis tunc excuſat: ut iterum dicetur in tr. 15. c. 1.

Quid ſignificetur legentis nomine?

VIII. Plures dicunt, quod legentis nomine non intelligatur qui legit librum, ſi nihil omnino idioma intelligat; (ſi enim aliquid intelligat, jam legens cenſetur;) tum quia hæc lectio eſt mere materialis, & nullo modo formalis; tum quia ceſſat omnino ſubverſionis periculum, unde cenſuram non incurrat. Bonacinæ autem, & aliis videtur, cenſuram incurrere, cum vere ſit legens. Qui legentem caſu audit, non incurrit cenſuram: poteſt tamen peccare lethaliter ob finem legis, quæ, vetando lectionem, arcere vult periculum ſubverſionis, quod etiam in audiente, præcipue ſi per aliquam moram temporis audiat, ſubſiſtit. Qui autem tradit alteri librum, & ſibi legere facit, incurrit in excommunicationem; aliter hæc lex manifeſte pateret illuſioni, & omnino enervaretur; qui enim per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, & moraliter cenſetur ipſe legere: eamdemque incurrit ipſe legens, ſaltem ſi intelligat. Idem dicendum, ſi ipſe auctor hæreticus librum ſuum legat, & dum illum ſcribit; quia utroque modo vere legit, & eſt legibus Eccleſiæ ſubditus, quamvis rebellis & contumax. Qui tamen legeret metu gravi adactus, videtur quod non incurreret cenſuram, cum in hoc caſu lex humana deſiſtere credatur ab obligando; dummodo nec in contemptum religionis, & legis legere obligetur; nec ipſi ſubſit periculum ſubverſionis, quia, ut ſæpe diximus, tunc lex naturalis obſtringeret etiam cum vitæ periculo.

Pauca

Pauca hic quædam adnectere non inutile erit. 1. Obſervandum eſt cum Petro Collet *Tract. de Decal. cap. 1. art. 1. Punct. 3. §. 2.* nec tutam eſſe, nec multum probabilem ſententiam, quam alias graves Theologi ſuſtinent, præſertim Suarez, Azorius, Sylvius, nempe immunem fore a cenſura qui in catholicorum libris legit hæreticorum dicta ex eorum libris ad verbum deſumpta, etiamſi hæc legat animo imbibendi erroris. Quippe dubio procul cenſuram incurreret, qui verba libri hæretici ex libro catholico ſolitarie tranſcripta, aut etiam typis mandata perlegeret; quia is vere legeret ſcriptum, vel librum hæreticum, aut partem ejus. Quare ergo, ſubdit præcitatus Theologus, cenſuram non incurrat, qui in libro catholico legit eadem verba ſolitarie ſumpta, & independenter ab antidoto ibidem contra venenum præparato? Sane liber Catholici tunc ſe ſe habet per accidens, cumque periculum non minuat, nec cenſuram auferre poſſe videtur. 2. Obſervandum eſt, cenſuræ quoque expertem non eſſe qui legit librum Catholici, cui addita ſunt ſcholia auctoris hæretici fidei contraria, ſi etiam ſcholia legat; quia volumen illud duos, ut ita dicam, continet libros, quorum alter eſt auctoris hæretici. 3. Obſervandum eſt, eum a cenſura eximi, qui partem aliquam libri hæretici memoriter recitat, dummodo nec ſcriptorem laudare velit, nec dicta ejus quaſi iis fidem adhibens referat; alioquin enim obnoxius foret excommunicationi contra hæreticorum fautores, vel defenſores latæ.

Quid retinentis nomine ſignificetur?

IX. Retinentes librum intelliguntur illi, qui ſine licentia retinent, etiam ad merum ornatum, vel ob antiquitatem, vel dumtaxat ut commodatum, vel in domo aliena; quia omnes iſti vel effective & realiter, vel moraliter & prudentum judicio retinere cenſentur. Item retinentes ad confutandum: item qui retinet, quamvis legere nunquam velit, neque ullum ſubiit periculum; quia lex ſubſiſtit etiam ceſſante periculo in particulari, ut diximus ſuo loco pluries citato.

Cui tradendus liber hæreticus comburendus?

Tenetur itaque qui habet librum ſine facultate, illum deferre ad Inquiſitores, qui ſi deſint, ad Epiſcopos; quibus onus incumbit illum comburendi; qua facultate nemo privatus uti poteſt; eo quod Pius IV. in Bulla quæ incipit *cum meditatio*, id vetet in virtute S. Obedientiæ; unde comburens propria auctoritate, peccaret lethaliter contra tale præceptum grave, niſi excuſaretur ob ignorantiam, ut docent communiter auctores: non tamen excommunicationem reſervatam incurreret, ut plures docent; quorum aliqui dicunt, eum incurrere non reſervatam Pii quarti, aliqui e contra nullam incurrere ſuſtinent.

Nequit ulli vendi, aut donari.

Neque liber hujuſmodi poteſt ulli, etiam habenti facultatem retinendi, vendi, aut donari, quia, dicunt communiter auctores, eo ipſo quod ab aliquo retineri nequeat, privatur omni jure in illum librum & applicatur per modum confiſcationis ad Inquiſitionis Tribunal eo ſolo fine, ut ab Inquiſitoribus publice comburatur, in deteſtationem & infamiam auctoris.

Olim fas erat unicuique, hæreticorum Libros propria auctoritate comburere, ut liquido conſtat ex variis juris textibus a Cardinali Petra *Tom. 3. Comment.* ad Conſtitut. II. Innocentii VI. *ſect. 1. num. 14.* relatis, & præſertim ex Conſtitut. Alexandri IV. incipiente *Romanus* &c. §. 6. ubi damnatur libellus *de Periculis noviſſimorum temporum*, & eum habentibus præcipitur, ut infra octo dies comburant. Nunc autem id omnino vetitum eſt, omnibuſque ſub gravibus pœnis injunctum, ut eoſdem libros Inquiſitoribus, aut Locorum Ordinariis deferant. Compertum eſt hoc, exploratumque ex Conſtit. Julii III. quæ incipit *Cum meditatio* &c., in qua ſtatuitur, ut infra duos menſes a die publicationis ejuſdem, *omnes & ſingulos libros lutheranos, aut alios hæreticos, ſeu lutheranam, aut aliam falſam doctrinam in ſe continentes a S. Sede quomodolibet reprobatos .... Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis conſignare debeant realiter & cum effectu*. Non cenſetur autem realiter, & cum effectu deferre libros Inquiſitoribus, qui eos propria auctoritate comburit. Et quamvis aliquibus viſum fuerit, hanc Conſtitutionem fuiſſe reſtrictam ad perſonas, quæ tunc temporis libros hæreticorum retinebant, tamen verius eſt, ait laudatus Emin. Petra, fuiſſe generalem & perpetuam, & ſaltem id habetur ex Conſtit. Pii IV. incipiente *Cum pro munere* relata a Pegna *in Direct. p. 2. Comment. 3. pag. 129.* in qua libros ad Inquiſitores generaliter deferri decernitur, & ſub virtute obedientiæ, aliiſque pœnis præcipitur, idemque pariter habetur ex *Conſtitut. 114.* Urbani VIII. Et licet non deferentes hos libros Inquiſitoribus, ſed ex ſeipſis comburentes non incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ, cum hæc

Bulla

Bulla prohibeat tantum retentionem, non vero præcipiat deferri Inquiſitoribus; nihilominus incurrunt excommunicationem ſtatutam in citata Conſtit. Julii III., in qua delatio librorum ad Inquiſitores realiter, & cum affectu facienda præcipitur.

Quia tamen, ſubdit præcitatus Cardinalis *num.* 16., obligatio deferendi libros Inquiſitoribus non comprehendit omnes libros prohibitos, ſed ſolum illos, quorum retentio ſeu lectio interdicta eſt ſub pœna excommunicationis, ut advertit Cardinalis Albitius *de Inconſt. in fide cap.* 30. *num.* 95. ideo licite quis comburere poterit libros prohibitos ſolùm ſub pœna peccati lethalis, non autem ſub cenſura.

Idem vero Eminent. Petra, ut patet *ex num.* 15. in ea fuit ſententia, cui & Auctor ſubſcripſit, nempe quod habens libros hæreticorum pœnas minime evitet, ſi eos tradat habentibus facultatem; etenim ſi, inquit, ob obligationem, quam habet deferendi Inquiſitoribus, non poteſt eos comburere, multo minus poterit alteri tradere; tum quia minus periculum eſt, ſi comburantur, quam ſi alteri quantumvis licentiam habenti tradantur; tum quia neutro modo ſatisfit præcepto eos realiter & cum effectu tradendi Inquiſitoribus.

Verum alii hoc ita generatim minime admittunt. Sentiunt quidem, eos excommunicationem incurrere, qui dictos libros tradunt aliis habentibus facultatem libros legendi, non abdicantes a ſe dominium, ſed tantum deponentes ad tempus, quia reipſa tales libros retinent apud alios; at eos excommunicationem incurrere inficiantur qui præfatos libros habentibus facultatem tradunt, abdicantes a ſe dominium, ac poſſeſſionem. Legatur P. Lucius Ferrari in ſua Bibliotheca *Tom.* 4. *V. Libri prohib. n.* 18. qui etiam poſt Anacletum Reinfeſtuel *Lib.* 5. *Decr. cit.* 7. *num.* 126., ſuſe oſtendit, plerumque melius & conſultius eſſe libros prohibitos modo ſupradicto caute aſſervari in Bibliothecis Monaſteriorum, ubi adſunt, & adeſſe ſolent Religioſi babentes licentiam illos legendi, quam comburi; non obſtante quod cortex verborum aliud inſinuare videatur; quia etiam *ad Reſcripta* applicari bene poſſunt, quæ de Legibus dicuntur pluribus in locis, & ſignanter *in cap. Humanæ aures* 11. cauſ. 22. quæſt. 5. *Non debet aliquis verba conſiderare* (intellige nude & ſimpliciter) *ſed voluntatem, & intentionem; quia non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni*. Fatetur tamen ipſemet P. Ferraris, tutiorem eſſe ſententiam, quam ſuſtinuit Em. Petra, cuique Auctor adhæſit.

X. Imprimentium nomine ſignificantur, Dominus officinæ impreſſoriæ; ordinantes typos, illoſque componentes; compoſitos attramento tingentes; torcularia prementes; chartas madefacientes; torculari ſupponentes; & operam præſtantes ut effective imprimatur. Item facientes expenſas ut imprimatur; impreſſionem mandantes; librum ut imprimatur tradentes; hi namque moraliter imprimere dicuntur: & quamvis nonnulli præfatos excuſent a cenſura tamquam imprimentes, illos tamen ſubjiciunt tamquam fautores. Tranſcribens librum, cenſuram incurrit proculdubio ut legens; & etiam ut imprimens; cum tranſcriptio æquivaleat typo. — *Quid ſignificetur imprimentium nomine?*

XI. Nomine defendentium intelliguntur illi, qui librum hæreticum ut talem, & ut opus hæretici, laudant, defendunt verbo, facto, aut ſcripto: qui impediunt, ne Inquiſitori tradatur. Item ſi laudet librum, quamvis aliqua bona contineat, tamen nil ſpecificando, cenſuram incurrit, quia abſolute laudat librum continentem hæreſim, nil diſcernendo. Qui vero laudat ingenium auctoris, ſtilum libri, eruditionem, aliquid utile quod in eo eſt, non incurrit cenſuram; poteſt tamen graviter peccare, niſi attente diſcernat, coram quibus hæc profert, ſi enim proferat coram perſonis ſimplicibus, & ſcandalo obnoxiis, proculdubio peccat graviter. Qui exercendi ingenii gratia, & abſque ullo prorſus mentis errore, in occulto ſcriptum edit, quo hæreticum librum defendat, ex communi ſententia hanc excommunicationem incurrit; eo quod expreſſe Bulla dicat, *quomodolibet defendentes, ex quavis cauſa, publice, vel occulte, quovis ingenio vel colore*: Et idem dicendum de eo, qui ſolius diſputationis gratia, librum defendendum ſuſciperet: verba Bullæ ſunt clara. Qui demum exprimeret, ſe velle librum hæreticum defendere, nullam tamen tunc defenſionem ſuſciperet, graviter quidem peccaret, ſed cenſuram non incurreret, quæ afficit defendentem, non autem habentem propoſitum defendendi. — *Quid ſignificetur defendentium nomine?*

XII. Sub præfata cenſura comprehendun- — *Quinam*

Igitur libri tali lege comprehendantur?

duntur omnes libri hæreticorum, continentes Propoſitiones hæreticas: hæreſim ſapientes, & equibus de facili hæreſis deduci poteſt: Male ſonantes, & quæ tametſi in catholico ſenſu intelligi queant, plerumque in hæretico uſurpantur: Temerarias, contra communem rationem, & auctoritatem ſcriptas: ſcandaloſas, quæ cauſam erroris in rebus fidei vel morum præbent: Hujuſmodi, inquam, libri auctorum hæreticorum, & quicumque alii quomodolibet de Religione etiam innoxie tractantes, prædicta lege, & cenſura omnibus interdicuntur, cujuſcumque dignitatis, & conditionis exiſtant; qui legi non poſſunt, aut retineri abſque obtenta a S. Sede facultate; & hi dicuntur prohibiti in prima claſſe, in qua comprehenduntur nedum editi, ſed etiam edendi a perſonis hæreticis.

Quid de aliis librorum prohibitorum claſſibus?

XIII. Cum libri in Romano Indice ad tres claſſes reducantur, & in prima contineantur indicati libri, ſed principalius Auctores; in ſecunda claſſe recenſentur non tam Auctores, quam libri, eo quod eorum auctores ſint catholici; quia tamen doctrinam non ſanam continent, idcirco prohibentur; & quia doctrina hæc non ſana conſiſtit in eo, vel quod ſit hæretica, vel falſi dogmatis ſuſpicionem generet; etiam iſti prohibentur ſub excommunicatione ipſo facto, tam reſpectu legentium, quam retinentium, quæ cenſura dicitur Indicis; & non eſt reſervata. Vel hæc doctrina non ſana in eo conſiſtit, quod ſit aut contra aliorum famam, aut obſcæna contra pudicitiam, aut continens propoſitiones laxas in materia morum, vel quidpiam ſimile, & iſti ſunt prohibiti abſque ulla cenſura, ſed tantum ſub mortali.

☞ Animadvertendum occurrit Libros etiam catholicorum prohibitos in uno, eſſe quoque in alio idiomate vetitos. Hoc liquido conſtat ex Inſtructione Clementis VIII. auctoritate Regulis Indicis adjecta; in ea quippe §. 6. ſequentia leguntur: *In univerſum autem de malis, & pernicioſis libris id declaratur, atque ſtatuitur, ut qui certa aliqua lingua initio editi, & deinde prohibiti, ac damnati a Sede Apoſtolica ſunt; eoſdem quoque in quacumque poſtea vertantur linguam, cenſeri ab eadem Sede, ubique gentium, ſub iiſdem pœnis interdictos & damnatos.*

Animadvertendum ulterius cenſemus, a S. P. fel. rec. Benedicto XIV. anno Incarnationis Dominicæ 1753. ſeptimo Idus Julii editam fuiſſe Conſtitutionem incipientem *Sollicitudo &c.* in qua provide, ſapienterque Ipſe præſcripſit methodum in examine, & proſcriptione Librorum ſervandam. Habetur hæc Conſtitutio *Tom. 4. Bullarii*, præmittiturque etiam noviſſimo Indici Librorum Prohibitorum ejuſdem S. P. juſſu anno 1758. in lucem emiſſo.

CAPUT IV.

DE SPE THEOLOGALI VIRTUTE.

§. I. *De Natura, Subjecto, & Obligatione Spei.*

I. SPes eſt virtus ſupernaturalis, qua ſperatur Deus tanquam ſummum bonum, poſſibile, arduum, futurum, beatos efficiens illum poſſidentes, atque conſequendus virtute auxiliorum ab ejus omnipotentia, & miſericordia conferendorum. Explico ſingula. Speratur Deus, quia cum Spes ſit virtus Theologalis, Deum pro objecto habere debet, Deum autem non utcumque, ſed ut ſummum bonum: quia autem etiam charitas ad illum, ut ſummum bonum adſpirat; idcirco adjungitur, beatos efficiens poſſidentes illum; Spes namque fertur in Deum ut ſummum bonum, nobis beatitatem afferens; charitas vero fertur in ipſum ut ſummum bonum in ſe: idcirco Spes tendit in ipſum ut a nobis aſſequendum, & quidem vi auxiliorum &c. quibus verbis innuitur objectum quo, ſeu motivum Spei; quod eſt omnipotentia valens hujuſmodi auxilia conferre, & Miſericordia prompta & parata ad eadem conferenda. Dicitur Deus quod ſit bonum poſſibile, nam ad impoſſibile non datur Spes. Dicitur futurum; etenim de eo, quod adeſt, & jam poſ-

Quid ſit Spes Theologalis.

poſſidetur, non datur Spes, ſed fruitio illius; *quod enim videt quis, quid ſperat?* ajebat Paulus Rom. 8. Dicitur arduum; non quidem ex parte ipſius Dei auxiliantis, ſed reſpectu imbecillitatis, & inſtabilitatis creaturæ pronæ ad malum, cui admodum ardua evadit Dei beatificantis aſſecutio ex parte mediorum ad illum aſſequendum neceſſario requiſitorum; quæ in genere ſunt tria illa a Chriſto præſcripta; *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me;* & quamvis hæc tria non virtute noſtra, ſed virtute auxiliorum ipſius ſint executioni mandanda; cum tamen etiam ad hæc auxilia cum fructu obtinenda requiratur ex parte noſtra orare frequenter ſicuti oportet, & cooperari hujuſmodi auxiliis, tam fugiendo peccatorum occaſiones, quam reprimendo proprii corporis ſenſus, aliaque præſtando, quæ a proprio cujuſlibet ſtatu poſtulantur, in quibus omnibus magnam humana imbecillitas experitur difficultatem; idcirco Deus beatificans in hoc ſenſu dicitur bonum arduum. Ex quo vides, quomodo ſpes differat a ſimplici Dei deſiderio, quod etiam in deſperatis inveniri poteſt, a quibus proculdubio ſpes exulavit. Spes igitur addit deſiderio quamdam animi erectionem contra difficultates, & arduitates indicatas; & quidem freta memoratis auxiliis Dei, opem ferre ſua omnipotentia valentis, & ſua miſericordia etiam volentis; conſtanter ſimul deliberata ſuam quantum poterit cooperationem exhibere; hoc autem prætermiſſo, neutiquam ſpes, ſed temeraria præſumptio convinceretur.

In quibus invenitur Spes?

II. S. Thomas 2. 2. q. 18. a. 2. docet, ſpem non inveniri in Beatis *Quia ſubtracto eo quod dat ſpeciem rei reſolvitur ſpecies, & non poteſt res eadem remanere ... Spes autem recipit ſpeciem a ſuo objecto principali .... objectum autem principale ejus eſt Beatitudo æterna, ſecundum quod eſt poſſibilis haberi ex auxilio Divino; quia ergo bonum arduum poſſibile non cadit ſub ratione ſpei, niſi ſecundum quod eſt futurum; ideo cum beatitudo jam non fuerit futura, ſed præſens, non poteſt ibi eſſe virtus Spei: & ideo ſpes, ſicut & fides evacuatur in patria.* Neque opponas, quod poſſint ſperare gloriam corporis. Reſpondet enim S. D. ad 4. *Principale objectum ſpei eſt gloria animæ, quæ in fruitione Divina conſiſtit, & non gloria corporis. Gloria etiam corporis, etſi habeat rationem ardui per comparationem ad humanam naturam, non habet tamen rationem ardui reſpectu habentis gloriam animæ; tum quia eſt minimum quiddam in comparatione ad gloriam animæ, tum quia habens gloriam animæ habet jam ſufficienter cauſam gloriæ corporis.* Neque invenitur in damnatis: *Quia ad conditionem miſeriæ damnatorum pertinet, ut ipſi ſciant, quod nullo modo poſſunt damnationem evadere, & ad beatitudinem pervenire; ... unde patet, quod non poſſunt; apprehendere beatitudinem, ut bonum poſſibile &c.* ait S. D. art. 3. In peccatoribus non deſperantibus ſpes remanet; quia non deſtruitur directe, niſi per deſperationem, & indirecte, niſi per infidelitatem; in quæ mala non incidunt peccatores non deſperantes, & fidem non negantes. In Animabus Purgatorii remanet Spes, eo quod beatitudo adhuc ſit illis futura & ardua, ut patet, & quamvis certitudo, quam de eadem habent, tollat arduitatem correſpondentem inconſtantiæ humanæ, relinquit illam, quæ correſpondet mediis, quibus illam aſſequantur, quæ ſunt atroces illæ pœnæ ſuſtinendæ.

Qualiter obliget præceptum Spei?

Extare præceptum Divinum Spei, nemo Theologorum ambigit, manifeſtatum in pluribus ſacræ paginæ locis: unde Sanctus Auguſtinus tract. 7. in Joannem: *De fide nobis quam multa mandata data ſunt? quam multa de Spe?* & præcipue illud D. Pauli. 1. Timoth. 9. ... *Præcipue ſperare in Deo vivo.* Ratio patet ex eo, quod inter diſpoſitiones neceſſarias ad ſalutem ſpes connumeretur, & ab Apoſtolo Rom. 8. *Spe ſalvi facti ſumus:* & a Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. *In ſpem eriguntur* &c. Iſtarum autem diſpoſitionum extat præceptum Divinum, ſicut & ſalutis adipiſcendæ. Hoc præceptum, quatenus eſt negativum de non deſperando, obligat ſemper, & pro ſemper; quatenus vero eſt affirmativum, eadem omnino ſunt dicenda, quæ dicta ſunt de præcepto affirmativo fidei, cum eadem ſit ratio & neceſſitas utriuſque virtutis; tam pro obligatione per ſe, quam pro obligatione per accidens: idcirco videſis quæ diximus de fide cap. 1. §. 3. n. 4. 5. 6. quin hic repetantur; eademque applices ad præſentem materiam. Unum dumtaxat hic addendum, ibi ex oblivione prætermiſſum, nempe, quod omiſſio actus tam Fidei, quam Spei, quan-

do præceptum obligat per ſe, eſt ſpeciale peccatum in confeſſione explicandum, puta in graviſſima tentatione contra fidem, & Spem: quando vero obligat per accidens, ſi omittatur, ſufficiat explicare peccatum, ad quod impediendum actus fidei, aut ſpei neceſſarius credebatur; puta ad lapſum carnis avertendum, & ſufficiet explicare talem lapſum.

CAPUT V.

DE

VITIIS SPEI OPPOSITIS.

§. Unicus. *Recenſentur, & Exponuntur vitia Spei oppoſita.*

Duo vitia Spei oppoſita.

I. DUo ſunt vitia Spei oppoſita, unum per exceſſum, nempe Præſumptio, alterum per defectum, nempe Deſperatio. Præſumptio definitur a S. Th. 2. 2. q. 20. a. 1. & 2. *Inordinata confidentia in Divina Miſericordia*: Deſperatio vero ex his quæ docet 1. 2. q. 40. a. 4. *Receſſus animi a re deſiderata propter æſtimatam impoſſibilitatem adipiſcendi*: & quamvis hac definitione tradat notionem deſperationis, prout eſt paſſio appetitus iraſcibilis, & oppoſita Spei paſſioni; tamen verificatur etiam de deſperationis vitio, Spei virtuti oppoſito; ac proinde hæc deſperatio eſt voluntas abjiciens beatitudinem æternam, ob exiſtimatam impoſſibilitatem aſſequendi illam.

Quale peccatum præſumptio, & quando committatur?

II. Præſumptio eſt peccatum mortale, tum quia graviter a Scripturis reprehenditur, & gravia contra illam ſupplicia denuntiantur: tum etiam quia eſt peccatum in Spiritum Sanctum gravi injuria afficiens Divinam Majeſtatem, ut patebit ex modis illud perpetrandi; qui ſunt: dum quis confidit, ſe poſſe ſalvari abſque neceſſaria peccatorum pœnitentia, aut abſque meritis bonorum operum; dum ſibi ſuadet, poſſe abſque auxiliis divinæ gratiæ ſalutem adipiſci: Dum quis data opera differt pœnitere, & in ſtatu peccati immoratur, confidens nihilominus, Deum ſibi fore propitium: Dum quis generatim ea conſequi ſperat, quæ Deus revelavit ſe non conceſſurum; aut eadem obtinere mediis inuſitatis & mirificis, quæ ordinariis, & conſuetis Deus largiri conſuevit; quod prætcrea eſt tentare Deum.

Præſumptio aliquando admixta hæreſi.

III. Ex his liquet, præſumptioni aliquando admiſceri crimen hæreſis, ſicuti in duobus primis caſibus modo relatis: aliquando non, ut in tertio. Sæpe tamen quamvis admiſceatur hæreſis, poterit ab hoc reatu excuſari, qui ex ignorantia, ruditate &c. ignoraret, illud judicium eſſe hæreticum, aut inadvertenter eidem adhæreret.

Deſperatio quale peccatum quando hæreſi admiſceatur?

IV. Deſperatio quoque eſt ex natura ſua lethalis, gravi injuria afficiens Divinam Miſericordiam; & contra eam denunciantur in Scripturis graves punitiones. Et etiam ipſi quandoque admiſcetur hæreſis, dum deſperans putat, Deum non poſſe illum ſalvare, quamvis veniam petat; vel majora eſſe ſua delicta, quam ſit Divina Miſericordia; vel Deum nolle ipſum ſalvare, quia eſt crudelis; vel decipiens homines ſuis promiſſionibus. Non eſt autem hæreſi conjuncta, ſi nulli judicio contrario fidei ſit admixta, ut dum deſperans vel nimis timet de ſua imbecillitate, vel putat de facto Deum ſibi non adjuturum, non quia non poſſit, ſed ob ſuam nimiam indignitatem &c.

In his peccatis non datur parvitas materiæ.

V. Tam in his peccatis, quam in peccato contra fidem non datur parvitas materiæ: unde tantum ex defectu plenæ advertentiæ poſſunt eſſe venialia: eo quod ſemper injuriam gravem irrogent Divinis attributis, ſi plena advertentia committantur. Nihilominus *præſumptio eſt peccatum minus quam deſperatio, quoniam magis eſt proprium Deo miſereri & parcere, quam punire*: ait S. D. loc. cit. a. 4. Deſperationis duas potiſſimas cauſas animadvertit S. D. loc. cit. a. 4. nempe Luxuriam, & Acediam: *Nam ex affectu harum delectationum contingit, quod homo faſtidit bona ſpiritualia, & non ſperat ea, quaſi quædam bona ardua, & ſecundum hoc deſperatio cauſatur ex Luxuria .... Et quia Acedia eſt triſtitia quædam dejectiva ſpiritus; ideo per hunc modum deſperatio ex Acedia generatur*. Hinc optare perpetuo frui bonis hujus mundi; optare nunquam mori ex neglectu vitæ æternæ; nullum habere ſenſum de bonis æternæ vitæ; & ex hoc habere animum diſpoſitum illorum incertæ aſſecutioni præferendi fruitionem certam deliciarum mundi; hos affectus & alios

Deſperationis duæ conſuetæ ſunt cauſæ.

Digitized by Google

aliós ſimiles admittere, ſunt peccata lethalia, ex Luxuria remote, & proxime ex Acedia profluentia.

C A P U T VI.

D E

CHARITATE

THEOLOGALI VIRTUTE ERGA DEUM.

§. I. *De Natura, & præcepto Charitatis & primo erga Deum.*

Notio Charitatis, et identitas ejuſdem.

I. DE Charitate diſſerit S. D. 2. 2. q. 23., & ex his, quæ ibidem tradit, Charitas definitur: Virtus ſupernaturalis a Deo infuſa, qua primario diligitur Deus ſuper omnia, ob motivum ſuæ infinitæ bonitatis; & qua ſecundario diligitur proximus in Deo, & propter Deum. Prima verba jam patent ex ſupradictis de Fide, & Spe: poſteriora vero denotant, quomodo Deus ut diligibilis ſuper omnia ſit objectum quod terminat dilectionem Charitatis: ly ob motivum ſuæ infinitæ bonitatis, indicat objectum motivum, propter quod a Charitate Deus diligitur, nempe ob ſuam infinitam bonitatem, & amabilitatem: propterea ſicuti Fides tendit in Deum, ut cognoſcibilem ſupernaturaliter, ob motivum ſuæ revelationis Eccleſiæ factæ; ſpes tendit in Deum ut conſequendum, ob motivum ſuæ omnipotentiæ & miſericordiæ auxilia præſtantium; ita Charitas diligit Deum ut amabilem propter ſe, ob motivum infinitæ ſuæ bonitatis. Additur, & proximus in Deo & propter Deum: nam Charitatis ſpecies eadem eſt, juxta S. Th. 2. 2. q. 25. a. 1. qua diligitur Deus, & proximus; ille quidem primario, hic autem ſecundario: eo quia *Ratio diligendi proximum Deus eſt: hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo ſit; unde manifeſtum eſt, quod idem ſpecie actus eſt, quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus; & propter hoc habitus charitatis non ſolum ſe extendit ad dilectionem Dei, ſed etiam ad dilectionem proximi.* Propterea Chriſtus in Evangelio ſemper hæc duo præcepta conjunxit: & manifeſte Joan. in 1. Ep. c. 4. *Hoc mandatum habemus a Deo. ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Hic frater eſt omnis creatura rationalis; quæ & eſt Chriſti Sanguine redempta, & capax beatitudinis conſequendæ. Agemus primo de dilectione Dei.

Objecta Charitatis.

Præceptum de actu Charitatis eliciendo.

II. Extare præceptum Divinum negativum nunquam odio habendi Deum, tam palam eſt, ut probatione non egeat. Item extare præceptum Divinum affirmativum de eliciendo actu dilectionis Dei, ignorare nequeunt Doctores fideles ex pluribus utriuſque Sacræ paginæ textibus, ut ſuperfluum ſit illos referre. Sufficiat illud ſolemne Deuter. 6. & non ſemel in Evangeliis confirmatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua:* & adjecit Chriſtus: *Matth. 22. 38. Hoc eſt maximum & primum mandatum.* Jure igitur merito confixit Alex. VII. theſim 10. etiam ſuperius relatam, dicentem: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum .... Charitatis ex vi præceptorum divinorum:* confixit item Innoc. XI. theſim n. 5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita elicuerit, condemnare non audemus:* item aliam n. 6. *Probabile eſt ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis poſſe obligare præceptum Charitatis erga Deum ....* Item aliam n. 7. *Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari; & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.* Igitur certum eſt, hoc præceptum divinum obligare ſub gravi aliquo tempore vitæ: igitur peccat mortaliter qui hunc actum tantum ſemel in vita eliceret: igitur homo tenetur frequentius quam ſingulis quinquenniis illum elicere: igitur obligatur ad illum eliciendum etiam extra neceſſitatem ſe juſtificandi, ſeu etiam quando non tenetur juſtificari, & etiamſi aliam viam haberet juſtificationem aſſequendi: hæc ſunt certa.

Theſes juſtiſſime reprobatæ.

Obligat in inſtanti morali uſus rationis.

III. Tenetur homo ex vi præcepti Divini affirmativi hunc actum elicere in principio vitæ ſuæ moralis. Oppoſitum damnavit Alexand. VIII. an. 1690. die 24. Auguſti in theſi in qua dicebatur, loquendo de ultimo fine qui eſt Deus: *Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.* Ergo tenetur Deum amare in principio vitæ ſuæ moralis: Quo judicio Alexander VIII. voluit damnare aliquid aliud præter illud, quod damnatum

ſuerat a prædeceſſoribus ſuis Alexand. VII., & Innoc. XI., quandoquidem reprobationes ab eiſdem factas eum latere non poterant; cum igitur in theſibus ab illis confixis nil dictum expreſſe fuiſſet circa principium vitæ moralis, cum hoc prolatum fuerit in hacce poſtrema, hoc ab ipſo damnatum fuit. Etenim ait S. D. 1. 2. qu. 89. a. 6. ad 3. *Ab aliis peccatis mortalibus poteſt incipiens habere uſum rationis per aliquod tempus abſtinere, ſed a peccato omiſſionis prædictæ* (ſe convertendi ad Deum per charitatem) *non liberatur, niſi quam cito poteſt, ſe convertat ad Deum. Primum enim, quod occurrat homini diſcretionem habenti, eſt, quod de ipſo cogitet, ad quem alia ordinet ſicut ad finem: Finis enim eſt prior in intentione. Et ideo hoc eſt tempus, pro quo obligatur ex præcepto Dei affirmativo.* Id autem præſtare tenetur eo modo, cujus illa ætas eſt capax, juxta indolis & mentis majorem aut minorem capacitatem; non enim intelligitur doctrina S. Th. de primo inſtanti mathematice accepto, ſed moraliter; ita ut admittenda ſint reflexio, diſcurſus & cætera omnia, quæ ad deliberandum, & eligendum poſtulantur. Si autem dicas: cui compertum eſſe poterit, ſe talem actum præſtitiſſe, aut omiſiſſe? Reſpondeo, idcirco Sapientiſſimos Cajetanum, & Navarrum affirmare, quod optime agant fideles omnes, ſi in confeſſione de hujuſmodi omiſſione conditionate ſe accuſent.

Obligat per ſe in articulo, et probabili periculo mortis.

IV. Præceptum hoc affirmativum, obligat in articulo, & etiam juxta omnes in probabili periculo mortis. Quid enim rationabilius, quam quod homo, imminente vitæ ſuæ termino, ad ſuæ ſalutis auctorem ſe toto corde convertat, eumdemque totis viribus diligat? nec non ſuæ ſaluti æternæ proſpiciat? ad quod efficaciſſime confluit præfatus dilectionis actus. Idque juxta probabiliorem intelligitur, etiamſi moriens Sacramenta ſuſceperit. Etenim quodnam ſolidum motivum afferri poterit, ut ab hoc præcepto eximatur in extremo vitæ ſuæ termino? Quis dicat, quod occurrente ſibi advertentia de hoc actu amoris erga Deum ſuum eliciendo, poſſit innoxie illum prætermittere, quia a Dei bonitate ſibi conceſſum fuit Sacramentis muniri? Immo hoc eſt novum beneficium, novumque urgens motivum, ad amorem erga tantum benefactorem compellens.

Etiamſi Sacramenta ſuſceperit?

Obligat ſaltem ſemel in anno, ſed aliquibus merito placet pluries.

V. Quoties vero ſingulis annis per ſe obliget, videas dicta cap. 1. hujus tractatus circa præceptum fidei §. 3. n. 5. eadem enim eſt ratio, quod ſaltem ſemel in anno ſub mortali. Dixi ibidem quod pluribus placeat ſæpius quam ſemel in anno ob motiva ibidem allata: & quidem pro hoc præcepto ſæpius implendo extant in verbo Dei urgentiſſima verba: nam Deuter. 6. cum expoſuiſſet Deus per Moyſem præceptum. *Diliges Dominum &c.* ſubdit: *eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo .... & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens, atque conſurgens; & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua; eruntque & movebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limite; & oſtiis domus tuæ.* Perpendat modo prudens, & doctus vir, an his verbis adeo urgentibus, & præceptum hocce inculcantibus ſatisfieri poſſit, ſemel in anno illud exequendo? Si enim ex 1. Joan. 3. *Qui non diligit manet in morte.* profecto qui ſemel tantum in anno diligit, non eſt procul a morte; ni forte jam obierit. Quis namque habitus conſervari poſſe cenſebitur, qui uno dumtaxat ſingulis annis actu foveatur? Propterea quamvis charitas habitus ſit infuſus, non acquiſitus, infunditur tamen, conſervatur, & perficitur in adultis a Deo dependenter a noſtris actibus auxilio divino elicitis, tamquam a diſpoſitionibus proximis ab ipſo Deo requiſitis ad eumdem infundendum, conſervandum, & augendum, ut docet S. Thomas cum omnibus Theologis: conſideres modo, an unicus actus in anno ad conſervandam charitatem ſufficere queat; eamque defendere valeat ab innumeris pene inſidiatoribus interioribus, & externis, qui eadem nos expoliare inceſſantem operam præſtant. Adigendi igitur fideles ſunt, ut excelſum iſtum actum emittant ſaltem feſtis ſolemnioribus; immo hortandi ſunt, ut ſingulis feſtis illum eliciant, præcipue dum Sacri celebrationi adſtatur; &, o utinam, ut a piis, & timoratis fieri ſolet; ſingulis diebus, & horis; *non enim amaritudinem habet converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium.* *Sap.* 8. docuit Spiritus Sanctus.

* Parochi, ſeu Rectores Animarum poſt Miſſam Feſto die celebratam, ante Aram provoluti, clara, & intelligibili voce Theologicarum virtutum actus debeant elicere, & præire Populo verba ab ipſis prolata devote reddituro ex Conſtit. Benedicti

nedicti XIV. incip. *Etſi minime* edita die 7. Februarii 1742. En S. P. verba, quæ habentur §. 18. *Complectatur Liber hujuſmodi* (nempe liber adhibendus in Doctrina Chriſtiana tradenda) *etiam Fidei, Spei, & Charitatis Actus, quo recte ſcienterque compoſitos eſſe, minime dubitandum, ſed ſi aliter ſe res habeat, caſtigati emendato prælo donentur. Actus prædicti paucis potius, quam multis verbis efferri gaudent; dum illis tamen tota vis, & natura virtutis explicetur. Et quia Chriſtianam Religionem profitenti maxime neceſſaria eſt conſuetudo, & exercitatio ſæpius eliciendi dictos actus, idcirco ne illorum uſus circumſcribatur anguſtis finibus, & exiguo numero a quibuſdam ſingulis annis præfinito; Epiſcopus ſuæ non minus, quam alienæ ſalutis ſtudioſus, provide ſtatuat, ut in Parochiis tum Urbis, tum Diœceſis, Rectores Animarum, poſt Miſſam Feſto die celebratam, ſtatim ante Aram provoluti, clara, & intelligibili voce dictos virtutum Actus eliciant, & præire ſatagant Populo, verba ab ipſis prolata devote redditturo. Hoc enim pacto Fideles ſenſim illos memoriæ mandabunt, & aſſueſcent, nedum Feſtis, ſed aliis etiam diebus, in hac pia exercitatione verſari.* Hoc idem repetit & inculcat etiam in Littera Encyclica incip. *Cum Religioſi* edita die 15. Julii 1756. *Quiluſque in Diœceſibus*, ait §. 4. *receptus eſt, ſervetur, cureturque recipiendus, ubi hactenus non obtinuit, uſus, juxta quem, ante, vel poſt Parochialem Miſſam, elata voce, per ipſummet Parochum recitantur Fidei, Spei, & Charitatis Actus recte compoſiti, Populo interim Parochi verba iterante.*

Quando præceptum hoc per accidens obliget?

VI. Quod etiam hoc præceptum per ſe obliget, quoties accidat vehemens tentatio odii Dei, patet ex dictis loc. cit. de fide; quia tunc per ſe ſtringit præceptum, quando imminet grave periculum ne violetur, ſicuti eveniret in præfata tentatione. Per accidens autem obligat ratione aliarum virtutum, ut diximus, in loc. cit. de præcepto fidei num. 6, quin hic repetatur.

Quæres: quodnam judicium efformare debeat Confeſſarius de illis rudibus, ac ſimplicibus, quos comperit ignorare modum, quo oporteat elicere actus fidei, ſpei, & charitatis, eoſque inſcios deprehendit motivorum ſupernaturalium; proinde non exercere actus virtutum theologicarum, ſicuti opus eſt? Debetne illos ut reos gravium peccatorum omiſſionis culpare?

Reſp. vel ſermo eſt de rudibus, ac ſimplicibus, quibus nulla aut certe exigua admodum cura eſt ſuæ ſalutis, & obſervantiæ præceptorum Dei, & Eccleſiæ; vel de illis, qui in primis ſolliciti ſunt de æterna animæ ſuæ ſalute, & ut Deum colant & ament, ejuſque mandata impleant. Quoad primos facile conceſſero, ait P. Fr. Thomas Du Jardin *Par. Pri. de Officio Sacerdotis qua Judicis Sect.* 3. §. 4., illos in gravibus peccatis omiſſionis verſari. Quoad alios, qui ſalutis ſuæ præcipuam curam gerunt; dico, etſi forte ſpeculative, & in actu ſignato ignorent modum virtutes theologicas exercendi, practice tamen, & in actu exercito rem ipſam ſatis noſſe, Spiritu Sancto ſcilicet interius ipſos docente ac dirigente, ut juxta monitum Apoſtoli, jam non ſibi vivant, ſed Chriſto, qui pro ipſis mortuus eſt. Immo tales ſimplices, ac rudes quandoque longe perfectius fidei, ſpei, & caritatis actus intenſiores eliciunt, quam conſummatiſſimi Theologi. Unde S. Bonaventura fertur dixiſſe cuidam fratri laico Minoritæ, quod ſimplex anus poſſet Deum æque perfecte, aut etiam perfectius amare, quam illuminatiſſimus Doctor. Porro ex bona, & Chriſtiana vita, atque cæterorum præceptorum impletione, tamquam a poſteriori, ſeu ſigno optime colligitur, aliquem implere, prout oportet, obligationes illas communes hominis Chriſtiani, credendi, ſperandi, amandi Deum, &c. cum ſine harum adimpletione alia præcepta non poſſint ſaltem longo tempore obſervari.

§. II. *De Neceſſitate Charitatis ad merendum.*

Ad meritum requiritur directio ſaltem virtualis a charitate procedens.

I. Ut homo fidelis eliciat opera meritoria vitæ æternæ, non ſufficit, quod habeat gratiam habitualem, habitumque charitatis, ſed requiritur aliquis charitatis actus, quo ſaltem virtualiter dirigantur ad amorem & gloriam Dei. Dixi ſaltem virtualiter, ne exigere videar actualem charitatis directionem, quæ eſt longe perfectior, & a piis, quantum fieri poteſt procuranda; ſed requiritur ſaltem virtualis, quæ videlicet remaneat in voluntate ex anteriori dilectionis, & directionis actu formali erga Deum elicito. Id perpetuo docuit S. Thom. tum in 2. Sent. d. 38. q. 1. a. 1. ad 4. tum in diſputatis q. 2. de malo a. 5. ad 11. tum in Comment. ſuper 1. ad Corinth. c. 10. lect. 7.: at clariſſime in loc. cit. Sent. diſt. 40. quæſt. 1. art. 5.

Digitized by Google

a. 5. ad 6. *Non ſufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum; quia ex hoc quod eſt in habitu, nullus meretur, ſed ex hoc quod actu operetur; nec tamen oportet quod intentio actualis ordinans in finem ultimum ſemper ſit conjuncta cuilibet actioni, quæ dirigitur in aliquem finem proximum; ſed ſufficit quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur, ſicut fit quando aliquis cogitat, ſe totum ad Dei dilectionem dirigere; tunc enim quidquid ad ſeipſum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et ſi quæratur, quomodo oporteat actum referre ad finem ultimum; hoc nihil aliud eſt, quam quærere, quomodo oporteat habitum charitatis exire in actum; quia quandocumque habitus charitatis exit in actum, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, & per conſequens omnium eorum, quæ in ipſum ordinantur ut bona ſibi.*

Quomodo interrumpatur hæc directio?

II. Ex his ergo habes, non ſufficere meram coexiſtentiam habitus charitatis, quæ dum in nullum actum exit, nullam ordinationem in Deum confert; ſed ſufficere virtualem ordinationem ex eo ortam, ut dixi, quod homo actum charitatis eliciens, ſe, & omnia ſua in Dei amorem, & gloriam dirigat, qui actus etiamſi tranſeat, relinquit in voluntate determinationem, ex qua cetera cenſeantur virtualiter directa. Et nota, hanc directionem non eſſe interrumpendam; quod dupliciter contingit, primo quando perſona peccando mortaliter ſe avertit ab ultimo fine, & tunc ceſſat totaliter dicta ordinatio reſpectu cujuſcumque actionis, quamvis bonæ, & virtuoſæ; & non renovatur, niſi peccator iterum juſtificetur vel per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per actum perfectæ contritionis, vel per actum dilectionis efficacis Dei ſuper omnia; qui duo actus includunt Sacramentum pœnitentiæ in voto. Secundo interrumpitur præfata directio non totaliter, ſed reſpectu dumtaxat alicujus actionis, quæ ad Deum referri nequit, nempe per peccatum veniale; & tunc ceſſat reſpectu illius actionis, perſeverat autem reſpectu aliarum actionum referibilium. Nota præterea, renovandam eſſe identidem directionem actualem; nam impreſſio, quam in voluntate relinquit, plus minuſve perdurat, juxta gradum fervoris, quo fuit elicita, ita ut niſi renovetur, ex ſe deficere poſſit. Itaque ſaltem quotidie conſultum eſt, illam renovare; immo a viris piis ſæpius in die renovatur; & a quibuſdam ex laudabili quadam conſuetudine, quotieſcumque actionem aliquam novam adoriuntur, unum aut alterum horum uſurpantibus: *Nomini tuo da gloriam: Anima mea illi vivet: Soli Deo honor, & gloria.* Certum namque eſt, eo majorem augeri gradum meriti, quo actualior eſt in Deum Charitatis directio.

CAPUT VII.

DE

VITIIS CHARITATI

ERGA DEUM OPPOSITIS.

§. I. *De primo vitio Charitati erga Deum oppoſito, nempe odio Dei.*

Odium Dei quid & quotuplex?

I. PRimum vitium charitati Dei oppoſitum eſt odium Dei. Dividitur in odium Abominationis, & in odium Inimicitiæ. Primum eſt illud, quo impius averſatur Deum, non in ſe ipſo, ſed ſecundum ſuas diſpoſitiones, quas experitur ſuæ pravæ voluntati contrarias; ſive quia ipſi denegatur conſecutio optatorum, ſive quia gravatur malis, aut privatur objectis deordinato amore proſequutis: ea propter excitatur in ejus corde affectus malignus contra Deum, quo illum abominatur tamquam ſibi malum, & nocentem: peccatum quidem horribile, ſed longe horribilius ſecundum, nempe odium inimicitiæ, quod eſt affectus malignus in Deum, quo ipſum in ſe ipſo averſatur, eique optat malum, nolletque ipſum eſſe; & hoc eſt propriiſſime odium Dei.

Horribilis hujus peccati deformitas.

II. Immanem hujus vitii deformitatem ita exponit S. D. 2. 2. q. 34. a. 4. *Defectus peccati conſiſtit in averſione a Deo, hujuſmodi autem averſio rationem culpæ non haberet, niſi voluntaria eſſet: unde ratio culpæ conſiſtit in voluntaria averſione a Deo. Hæc autem voluntaria averſio a Deo per ſe quidem importatur in odio Dei: in aliis autem peccatis, quaſi participative, & ſecundum aliud: ſicut enim voluntas per ſe inhæret ei quod amat, ita ſecundum ſe refugit id quod odit; unde quando quis odit Deum, voluntas ejus ſecundum ſe a Deo avertitur: ſed in aliis peccatis puta cum aliquis fornicatur, non avertitur a Deo ſecundum ſe, ſed ſecundum aliud, in quantum ſcilicet appetit inordinatam delectationem, quæ ha-*

let

bet adnexam averſionem a Deo: ſemper autem id quod eſt per ſe, eſt potius eo, quod eſt ſecundum aliud, unde odium Dei inter alia peccata eſt gravius.

Quædam peccata hujus ſpecie inficiuntur.

III. Ex his inferas, quod omnis motus malignæ affectionis in Deum, ſive verbis expreſſus, ſive corde retentus, dummodo deliberatus ſit, ad odium Dei pertinet: proinde convicia, quæ contra Deum non raro proferunt irati homines, blaſphemiæ, maledicta, detractiones contra ejus providentiam, bonitatem, juſtitiam, prodeuntia ex averſione Dei, & maligno affectu in Deum, quibus contra ipſum volunt ſuum furorem evomere, etiam ad hanc ſpeciem horribilis peccati proprie pertinent. Dixi etiam, quia jam in ſpecie blaſphemiæ vel ſimplicis, vel hæreticalis &c. recenſentur.

§. II. *De altero vitio Charitati Dei oppoſito.*

Aliud vitium charitati Dei oppoſitum.

I. ALterum vitium charitati Dei directe oppoſitum eſt inordinatus amor creaturarum, talis tamen, ut formaliter, ſeu affectu formali creaturam aliquam Deo præferat; ita ut, Deo formaliter poſthabito, creatura frui eligat, eamdem affectu formali Deo anteferendo. Conſulto dixi formaliter, & affectu formali; quia ſi interpretative loquamur, omnis mortaliter peccans id facit, qui tamen non cenſetur formaliter averſari Deum, ſed interpretative tantum, quatenus practice ultimum finem ponit in creatura: ut itaque in Dei odium peccans incidat, requiritur quod affectu formali Deum poſthabeat, & eidem delectationem, vindictam, &c. formaliter præferat. Hoc animadvertunt Doctores in eo evenire, qui ſciens & volens, ſe paratum declarat ad legem Dei tranſgrediendam in quocumque genere, ut ſibi, aut alteri creaturæ ſatisfaciat; quia cum hoc peccatum ad nullam ſpeciem particularem pertineat, nullique particulari virtuti adverſetur, contra charitatem Deo debitam ſpecialiter pugnans judicatur.

CAPUT VIII.

DE

CHARITATE

ERGA PROXIMUM

§. I. *De Obligatione diligendi proximum.*

Tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

I. PRæceptum de dilectione proximi obligat ad actum amoris formalem, & interiorem, quo ei bene velimus; unde non ſatisfit per ſolos actus exteriores. Etenim ſine actu interiori benevolentiæ, cæteri exteriores ſunt mera mendacia, eum amorem ſignificantia, quo animus caret. Propterea Innoc. XI. reprobavit theſes n. 10. *Non tenemur proximum diligere actu interiori & formali*, & n. 11. *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

Modus implendi hoc præceptum.

II. Ex hoc præcepto tenemur diligere proximum ex motivo Divino; quod ita explicat S. Thom. 2. 2. q. 44. a. 7. *Dicendum*, inquit, *quod hoc præceptum convenienter traditur. Tangitur enim in eo & diligendi ratio, & dilectionis modus. Ratio quidem diligendi tangitur, ex eo quod proximus nominatur. Propter hoc enim ex caritate diligere debemus alios, quia ſunt nobis proximi & ſecundum naturalem Dei imaginem, & ſecundum capacitatem gloriæ ... Modus autem dilectionis tangitur, cum dicitur, ſicut teipſum. Quod non eſt intelligendum, quantum ad hoc, quod aliquis proximum ſibi æqualiter diligat, ſed ſimiliter ſibi. Et hoc tripliciter. Primo quidem ex parte finis, ut ſcilicet aliquis diligat proximum propter Deum, ſicut ſeipſum propter Deum debet diligere, ut ſic ſit dilectio proximi ſancta. Secundo ex parte regulæ dilectionis, ut ſcilicet aliquis non condeſcendat proximo in aliquo malo; ſed ſolum in bonis ... ut ſic ſit dilectio proximi juſta. Tertio ex parte rationis dilectionis, ut ſcilicet non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem, vel delectationem, ſed ea ratione, quod velit proximo bonum, ſicut vult bonum ſibi ipſi, ut ſic dilectio proximi ſit vera. Nam cum quis diligit proximum propter ſuam utilitatem, vel delectationem, non vere diligit proximum, ſed ſeipſum.* Qui ergo diligit proximum quia conſanguineum, benefactorem, benevolentem, diligit qui-

dem amore naturali honeſto, ſed non charitate: multo minus qui diligit proximum, quia genio ſimilem, quia affabilem, quia lepidum &c. non diligit charitate, ſed amore quodam ſenſibili, plerumque venialiter culpabili: Unde egregie Auguſtinus & preſſe in ſerm. 335. *Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia eſt in illo, aut ut ſit in illo.*

Ad quid obliget hoc præceptum quatenus negativum & affirmativum?

III. Hoc præceptum quatenus negativum, nempe prout vetat odium proximi, & ne proximo malum velimus, & optemus, quatenus ipſius malum eſt, ex diſplicentia perſonæ, & ſine juſta cauſa, obligat pro ſemper, ut patet, quia nimis manifeſte adverſatur præcepto Divino Chriſti toties in Evangeliis repetito. Dixi quatenus ipſius malum eſt, ex diſplicentia perſonæ, & ſine juſta cauſa; quia *poteſt aliquis*, ait D. Thomas in 3. diſt. 30. art. 1. ad 4. *ſalva caritate optare malum temporale alicui, & gaudere ſi contingit, non in quantum eſt malum illius, ſed inquantum eſt impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, aut Eccleſiæ. Similiter de malo etiam ejus, qui in malum temporale incidit, ſecundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus.* Huculque S. D. Quod & docuimus Tract. 2. cap. 1. §. 7. n. 11. Quatenus autem eſt præceptum affirmativum, obſtringit ad proximum diligendum benevolentia charitatis identidem, & pluries. Si enim ex una parte conſideretur ſollicitudo & repetitio, qua Chriſtus hoc præceptum in Evangeliis, & per Apoſtolos in eorum Epiſtolis inculcavit; & ex alia parte perpendantur occaſiones frequentes, quæ occurrunt hanc dilectionem exequendi, quiſque cordatus inferet, identidem & pluries fore hanc dilectionem emittendam. Plures dicunt per ſe obligare ſaltem ſemel in anno; ut dictum fuit de dilectione Dei; per accidens autem, quoties urgens occurrit proximi neceſſitas ſpiritualis, vel temporalis, ſi aliter præſto eſſe non poſſit. Sed de his infra.

§. II. *De ordine tenendo in dilectione proximi.*

Ordo diligendorum ſpectat ad præceptum.

I. CErtum eſt, ordinem Charitatis reſpectu diligendorum cadere ſub precepto: rationem dat S. Th. 2. 2. q. 44. a. 8. *Quia modus, qui pertinet ad rationem virtuoſi actus, cadit ſub præcepto quod datur de actu virtutis: ordo autem charitatis pertinet ad ipſam rationem virtutis, cum accipiatur ſecundum proportionem dilectionis ad diligibile; unde manifeſtum eſt, quod ordo charitatis debet cadere ſub præcepto.* Ad tollendam vero omnem æquivocationem, nota, duplicem ordinem eſſe in dilectione ſervandum, unum circa perſonas, alterum circa res, ſeu bona. Circa perſonas homo debet, poſt Deum, amare primo ſeipſum, deinde proximos. Circa bona diligibilia, ideſt quæ poſſumus nobis, & aliis velle, tres ſunt ordines: primum ordinem tenent bona ſupernaturalia nempe gratia, virtutes, merita, gloria æterna: Secundum, bona corporis ſeu naturalia, ſanitas, membrorum incolumitas &c. Tertium tenent bona temporalia, ſeu exteriora, nempe fama, honor, dignitates juſte acquiſitæ, pecuniæ ſtatui cujuſque decentes &c. Obſerva item, quod inter bona, generaliter bonum totius, ſeu commune præferendum ſit bono partis, & particulari.

In bonis ſupernaturalibus homo tenetur ſeipſum proximo præferre in dilectione.

II. Tenetur homo prius diligere ſeipſum quoad bona ſupernaturalia, quam proximum: ita communis cum S. D. 2. 2. q. 26. a. 4. *Homo non debet ſubire aliquod malum peccati, ... ut proximum liberet a peccato:* Quod autem dicitur de peccato, aſſeritur etiam nedum de occaſione proxima peccati, cui ſe exponere, eſt peccatum, ſed etiam de valde propinqua ad peccatum; cura enim propriæ ſalutis, cæteris cunctis prævalere debet; & idcirco illa declinare neceſſe eſt, quæ evidenti periculo exponunt peccandi lethaliter: *Quam enim commutationem dabit homo pro anima ſua?* dixit Chriſtus Matth. 16.

In æquali neceſſitate temporali non tenetur homo potius alteri quam ſibi ſubvenire.

III. In quavis neceſſitate temporali æquali, non tenetur homo ſubvenire potius alteri privatæ perſonæ, quam ſibi ipſi, immo nec debet; niſi occurrat motivum alterius virtutis. Nam docemur a Chriſto diligere proximum ſicut nos ipſos, non plus quam nos ipſos. Unde S. Auguſtinus lib. de Mendacio cap. 6. *Si pro illius temporali vita ſuam ipſam temporalem perdat, non eſt jam diligere, ſicut ſeipſum, ſed plus quam ſeipſum, quod ſane doctrinæ regulam excedit:* & S. Th. 2. 2. q. 26. ad 3. *Non eſt de neceſſitate Charitatis, quod homo proprium corpus exponat pro ſalute* (corporali) *proximi, niſi in caſu, quo tenetur ejus ſaluti providere. Sed in caſu quod aliquis ſponte ad hoc ſe offerat, pertinet ad perfectionem charitatis.* Conſulto dixi pro privata perſona; id enim laudabile eſſet pro tuenda vita Principis, vel alterius perſonæ publico bono

no admodum utilis; quia tunc intervenit motivum alterius virtutis; circa quod docet S. Th. loc. cit. a. 4. ad 2. *Debet homo ſuſtinere detrimenta corporalia propter amicum; & in hoc ipſo ſeipſum magis diligit ſecundum ſpiritualem mentem; quia hoc pertinet ad perfectionem virtutis, quæ eſt bonum mentis.* Ut igitur laudabiliter hæc bonorum corporalium, & præcipue vitæ profuſio ad ſubveniendum proximo fiat, fieri debet ob motivum virtutis: puta ob amorem Patriæ, quia nempe proximus eſt Patriæ utilior, quam ego, vel aptior ad gloriam Dei promovendam; vel quia eſt inſignis meus benefactor &c.: Si enim id agerem ob ſolum motivum vitæ proximi, abſque ullo motivo virtutis, graviter peccarem; quia in re gravi delinquerem contra ordinem charitatis.

Bona ſupernaturalia proximi præferenda ſunt bonis corporalibus propriis.

IV. Unuſquiſque tenetur ex caritate magis diligere proximum in bonis animæ ſupernaturalibus, quam ſeipſum in bonis corporalibus. Ita S. Auguſtinus loc. citat. *Temporalem vitam ſuam pro æterna vita proximi non dubitabit Chriſtianus amittere: hoc enim præceſſit exemplum, ut pro nobis Dominus ipſe moreretur: ad hoc enim & ait: Hoc eſt mandatum meum ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Et S. Th. loc. cit. a. 5. *Proximum quantum ad ſalutem animæ magis debemus diligere, quam proprium corpus.* Ratio patet, cum ſalus animæ proximi ſit longe pretioſior, quam proprium corpus. Docet autem loc. cit. ad 1. Quod non ſemper id eſt faciendum, ſed dumtaxat in quibuſdam caſibus:

Non ſemper id eſt faciendum.

Cuilibet homini imminet cura proprii corporis, non autem imminet cuilibet homini cura de ſalute proximi, niſi forte in caſu aliquo; & ideo non eſt de neceſſitate charitatis, quod homo proprium corpus exponat pro ſalute proximi, niſi in caſu, quo tenetur ejus ſaluti providere: (audiant hæc Parochi, & omnes illi, quibus, ex officio quod habent, incumbit cura ſalutis animarum ſuæ cuſtodiæ commiſſarum.) *Sed quod aliquis ad hoc ſponte ſe offerat, pertinet ad perfectionem charitatis.*

Indicantur quidam caſus, in quibus urget debitum hoc Charitatis.

V. Caſus autem, in quibus quemlibet urget hæc obligatio poſtponendi etiam vitam pro ſalute æterna proximi, ab auctoribus hi indicantur. Si infans moriturus eſſet ſine Baptiſmo, niſi tu, etiam cum tuæ vitæ diſcrimine, tali neceſſitati occurras. Si ſcias certo moraliter aliquem in peccato mortali exiſtentem, eſſe in ſomno ab inimicis occidendum, ſi prudenter ſperes, te ipſius animæ profuturum, teneris ei ſubvenire, etiam cum periculo vitæ. Si inter Indos degens, ſcias multos eorum carere notitia Myſteriorum fidei neceſſitate medii neceſſariorum ad ſalutem; & prudenter ſperes, te eis profuturum, nec alius ſit, qui adjuvare, & inſtruere illos queat: ſimiliter ſuccurrere teneris rudi populo catholico, doctoribus Catholicis deſtituto, hæreſi undequaque ibidem graſſante, etiam cum tuæ vitæ periculo. Si peccator notorius ſit in vitæ ſuæ termino, ſitque adeo rudis, ut neſciat actus ad ſibi eo tempore conſulendum neceſſarios, neque alius inveniatur, qui præſto eſſe poſſit; teneris etiam cum periculo v. g. peſtis contrahendæ, eidem ſubvenire. Ad hæc, inquam, & alia hujuſmodi teneris, dummodo hæ verificentur conditiones, videlicet quod ſit ſpes prudens operam tuam illis profuturam, quod inde gravius damnum non ſequatur, puta, ut uni aſſiſteres, multos æque indigentes deſerere compelleretis; dummodo ſalus animæ tuæ gravi non exponatur periculo; dummodo neceſſitas ſpiritualis proximi ſit extrema: nam in gravi tantum neceſſitate ſpirituali, videtur nimis dura hæc obligatio. Hæc reſpective aſſeruntur a doctiſſimis Navarro, Soto, Suarez, Valentia, & Tannero; eaque eſſe intelligenda de obligatione ex ſolo charitatis titulo profecta.

Quinam ſtrictius obligentur titulo etiam juſtitiæ?

VI. Strictius proculdubio urget titulus juſtitiæ; Paſtores namque animarum, Epiſcopi videlicet, Parochi, & quicumque alii, quibus animarum cura ex officio incumbit, tenentur pro ſalute ovium ſpirituali vitam exponere, nedum in neceſſitate earum extrema, verum etiam in gravi; ipſi enim ob hoc præcipue reditibus dotantur, & ſtipendiis conducuntur. Verum & ipſis quoque Paſtoribus nonnulla quoad hoc conceditur œconomia; ne videlicet vitam inconſiderate prodigant, ut exinde alii plurimi adjutoribus deſtituti evidenti animæ periculo relinquantur: quamobrem ita ſuccurrere tenentur periclitantibus, ut, quantum neceſſitas patitur, etiam aliis indigentibus præſto eſſe valeant.

Strictior adhuc obligatio.

VII. Strictius adhuc vinculum obligat ſalutis proximorum procurandæ etiam cum vitæ periculo, quando ex meo delicto, periculo certo, aut probabili ſalus animæ proximi foret obnoxia. Puta in caſu, quo alteri hæreſim ſuaſiſſem, & ipſe ob hoc fidei Catholicæ renunciaſſet; tunc enim etiam cum vitæ periculo tenerer eidem catholicam fidem perſuadere: Puta, ſi obſtetrix aliqua, vel quia athea, vel ſaga,

vel

vel ob aliud motivum, baptizaſſet infantes Baptiſmo invalido, teneretur etiam cum vitæ periculo hoc graviſſimum delictum manifeſtare, tum ad conſulendum ſaluti illorum invalide baptizatorum; tum ad præcavenda innumera propemodum damna ſpiritualia, quæ aliis animalibus imminerent in caſu, quo aliqui illorum non baptizatorum initiarentur Sacerdotio, confeſſionibus excipiendis deſtinarentur, ad Epiſcopatum proveherentur. Quis enim ambigere poteſt, vitam naturalem hujuſmodi indignæ tot tantiſque damnis animarum eſſe poſtponendam? ac proinde eam eſſe a Confeſſario adigendam ad ſuum crimen patefaciendum?

Quoad dilectionem mere affectivam præferendi ſunt ſanctiores.

VIII. Quoad amorem mere affectivum & ſolius complacentiæ, præferendi ſunt ſanctiores: quod ita ſuadet Sanctus Thomas loco cit. art. 7. *Objectum charitativæ dilectionis Deus eſt ... Diverſitas ergo dilectionis, quæ eſt ſecundum charitatem quantum ad ſpeciem, eſt attendenda in proximis diligendis ſecundum comparationem ad Deum; ut ſcilicet ei qui eſt Deo propinquior majus bonum ex charitate velimus; quia licet beatitudo æterna ſit unum ſecundum ſe, habet tamen diverſos gradus ſecundum diverſas beatitudinis participationes; & hoc ad charitatem pertinet, ut velit juſtitiam Dei ſervari, ſecundum quam meliores perfectius beatitudinem participant; & hoc pertinet ad ſpeciem dilectionis;* & quoad amorem dumtaxat affectivum.

Quoad dilectionem effectivam conjunctiores ſunt præferendi.

IX. Quoad amorem affectivum ſimul & effectivum, quo ſcilicet aliis effective benefacimus, præferendi ſunt conſanguinei, juxta varios gradus, quoad bona ſpiritualia, & temporalia, aliis, quamvis melioribus, in pari neceſſitate. Ita docemur a S. Auguſtino lib. 1. de Doctr. Chriſt. c. 28. *Cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui conſtrictius tibi junguntur.* Et S. Th. loc. cit. art. 8. *Illi qui ſunt nobis magis conjuncti, ſunt ex charitate magis diligendi*, (in pari neceſſitate) *tum quia intenſius diliguntur; tum etiam quia pluribus rationibus diliguntur; intenſio autem dilectionis eſt ex conjunctione dilecti ad diligentem; & ideo diverſorum dilectio eſt menſuranda ſecundum diverſam rationem conjunctionis, ut ſcilicet unuſquiſque magis diligatur in eo, quod pertinet ad illam conjunctionem, ſecundum quam diligitur; & ulterius comparanda eſt dilectio dilectioni ſecundum comparationem conjunctionis ad conjunctionem; ſic ergo dicendum eſt, quod amicitia conſanguineorum fundatur in conjunctione naturalis originis; amicitia autem concivium in communione civili; & amicitia commilitantium in communicatione bellica: & ideo in iis quæ pertinent ad naturam, plus debemus diligere conſanguineos; in his autem, quæ pertinent ad civilem converſationem, plus debemus diligere concives: & in bellicis, plus commilitones ..... Si autem comparemus etiam conjunctionem ad conjunctionem, conſtat, quod conjunctio naturalis originis eſt prior, & immobilior, quia eſt ſecundum id, quod pertinet ad ſubſtantiam: aliæ autem conjunctiones ſunt ſupervenientes, & removeri poſſunt: & ideo amicitia conſanguineorum eſt ſtabilior, ſed aliæ amicitiæ poſſunt eſſe potiores, ſecundum illud, quod eſt proprium unicuique amicitiæ.*

Exempla dantur.

X. Ex his Angelici verbis deducitur, quod, abſolute loquendo, qui aliquo modo ſunt conjuncti aliqua conjunctione, juxta qualitatem conjunctionis, ſint aliis nulla conjunctione conjunctis præferendi in pari ſemper neceſſitate; quapropter Conſanguinei præferendi ſunt Affinibus; affines aliis conjunctis conjunctione mere civili, vel bellica, & ſic de aliis, habito ſemper reſpectu ad digniorem conjunctionem. Inter conſanguineos, aut alio modo conjunctos æqualiter in gradu, præferendi erunt digniores.

In neceſſitate extrema Genitores cunctis preponendi.

VI. In neceſſitate extrema inter conſanguineos, Genitores ſunt præferendi filiis, uxori, & cunctis aliis: nam præter arctiſſimam conjunctionem & communionem ſanguinis, habent iſti etiam, ut ſæpe repetit S. Thomas, rationem boni eminentioris, nempe rationem principii ſubſtantiæ filii, quæ cæterorum omnium eſt baſis. In caſu autem quod utrique ſubveniri nequeat, Pater præferendus eſt matri: *ideo per ſe loquendo magis diligendus eſt Pater*, ait Sanctus Thom.

Extra neceſſitatem extremam filii ſunt genitoribus ante ferendi & uxor; & hæres filius.

XII. Extra neceſſitatem extremam, & quando agitur de conſervatione proprii ſtatus juſte acquiſiti, uxor, & filii non emancipati anteferri debent genitoribus. Ita inſinuare videtur S. Th. 2. 2. q. 26. art. 9 ubi poſtquam ſtatuit, quod, ex parte diligentis, filius ſit magis diligendus quam pater, ad 2. docet: *quod filiis magis debetur cura proviſionis*: ubi ly magis intelligendum eſt per comparationem ad genitores, de quibus in articulo ſciſcitabatur: & rationem affert pro filiis: *Quia parentes diligunt filios ut aliquid ſui exiſtentes: Pater vero non eſt aliquid filii; & ideo dilectio*

ctio

ctio qua pater diligit filium, ſimilior eſt dilectioni qua quis diligit ſeipſum. *Secundo, quia parentes magis ſciunt aliquos eſſe ſuos filios, quam contra. Tertio, quia filius eſt magis propinquus parenti, utpote pars exiſtens, quam pater filio, ad quem habet habitudinem principii. Quarto quia parentes diutius amaverunt, nam ſtatim pater incipit diligere filium, filius autem tempore procedente incipit diligere patrem, dilectio autem quanto eſt diuturnior, tanto eſt fortior*. Quoad uxorem autem dicitur Matth. 19. ex Geneſ. 2. *Dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, quæ intelliguntur quoad amorem ſenſibilem, & intenſivum, quoad cohabitationem, & quoad conſervationem ſtatus: cum enim juxta verba a Chriſto ſubjuncta, *non ſint duo, ſed una caro*, etiam uxor erit quoad prædicta capita genitoribus anteferenda. Et, loquendo ſemper in pari neceſſitate, uxor præferenda eſt filiis: tum quia eſt una caro cum marito; tum quia eſt comprincipium filiorum.

Inter extraneos ſunt præferendi meliores attentis circumſtantiis.

XIII. Inter extraneos præferendi ſunt meliores; quod autem unus ſit melior alio ex pluribus circumſtantiis oriri poteſt; nempe vel ex ſanctitate, vel ex publica utilitate, vel ex majori beneficentia &c.: propterea conſulenda eſt prudentia, ut illi amore effectivo, & operoſo anteferantur in pari neceſſitate, & quando omnibus ſubveniri non poteſt, qui, attentis circumſtantiis perſonarum, temporum, locorum &c. ſunt digniores.

§. III. *De obligatione charitatis ergo inimicos*

Duplex odium abominationis & inimicitiæ.

I. Recole dicta cap. 7. §. 1. n. 1. de duplici odio Abominationis, & Inimicitiæ: & adde hic, quod odium Abominationis reſpectu inimici duplicem terminum habere poteſt, nempe vel perſonam inimici, vel qualitatem malam perſonæ: habet pro termino perſonam, quando averſamur perſonam tanquam quid diſplicens, & amore noſtro indignum; & propterea perſonam ipſam abominamur: habet pro termino qualitatem, quando non perſonam in ſe, ſed prout prava qualitate affectam averſamur, unde revera averſio reſpicit qualitatem, quæ eſt in tali perſona, neutiquam perſonam; averſando ipſam, quia eſt injuſta, maligna &c.; primum ſemper eſt mortale: ſecundum, ſi recte ſumatur, & vera præciſione, culpa vacat, & eſt laudabile; quia ſic eam abominari nil aliud eſt, quam abominari peccatum in ipſa. Odium Inimicitiæ ſeu malevolentiæ proximi eſt deliberatus voluntatis actus, quo volumus, & optamus malum proximo apprehenſo ut nobis noxio, vel de malo ipſius gaudemus: & hoc procedere ſolet ex odio abominationis.

Numquam poteſt proximus odio haberi.

II. Charitas ſub gravi vetat, ne proximus inimicus unquam odio habeatur, neque odio abominationis perſonæ, neque odio inimicitiæ. Nam primum directe adverſatur charitati, qua obſtringimur diligere perſonam proximi, quatenus eſt imago Dei, redempta Sangine Chriſti &c. Si averſeris proximum ob pravam qualitatem; ideſt ſi averſeris pravam illam qualitatem, & nullatenus perſonam, jam patet non eſſe malum ut jam diximus; num. præced. quia qualitas illa meretur odio haberi. At valde cavendum eſt, vel ne putetur qualitas illa prava, cum alioquin ſit bona, ſed quia noſtro corrupto genio nocentem experimur, idcirco prava judicetur: vel ne odium tranſeat de qualitate in perſonam; quod præcipue tempore iræ & commotionis animi valde periculoſum eſt. Hinc a fortiori non debet proximus inimicus odio haberi odio inimicitiæ, quod ut patet multo magis adverſatur charitati: unde ſemper eſt lethale, niſi parvitas mali optati excuſet. Hæc obligatio oritur ex præcepto negativo, videlicet numquam odio habendi inimicum: ſed inſtat etiam præceptum affirmativum, nempe remittendi eidem offenſam irrogatam: obtemperare præcepto negativo, eſt remittere negative: obtemperare autem præcepto poſitivo requirit inſuper, quod actu poſitivo interiore remittatur eidem ex corde offenſa facta: & circa hoc.

Quid remiſſio negativa, quid poſitiva?

Tenetur quis ad remiſſionem poſitivam in gravi tentatione.

III. Præceptum Charitatis obligat ſub gravi ad remittendam offenſam inimico remiſſione poſitiva, quoties graviter tentatur homo ad odium contra inimicum. Quia tunc maxime urget Chriſti præceptum Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros*: ubi notandum quod non dixit, ne odio habeatis, ſed *diligite*, ut declararet remiſſionem poſitivam: unde S. Hieronymus in commentario: *multi dicunt ſufficere virtutibus non odiſſe inimicos; cæterum diligere, plus præcipi, quam humana natura patiatur. Sciendum eſt ergo, Chriſtum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta*. Quando igitur urget gravis tentatio odii, vel vindictæ &c. tunc, ut evadatur imminens periculum peccandi, ex vi hujus præcepti affirmativi tenemur actum remiſſionis poſitivæ elicere.

IV.

Digitized by Google

Quid offenſa? Quid injuria? Quid damnum?

IV. Ut autem melius percipias, ad quid ſub mortali tenearis; nota, diſtinguendum eſſe inter offenſam, injuriam, & damnum. Offenſa eſt irritatio voluntatis proximi ſine cauſa; unde præbetur ipſi occaſio, ut indignetur; quamvis nullum jus ejuſdem violetur, v. g. cum quis petit aliquid commodato, & ſine ulla cauſa ab altero ipſi denegatur; eſt ſimplex offenſa, quia ſine juſta cauſa denegatur; & alioquin nullum jus violat. Si vero fiat cum aliqua juris læſione: additur offenſæ ſimplici etiam injuria, puta, cum repetenti commodatum, ſine juſta cauſa denegatur tunc a commodatario reſtitutio. Si vero huic injuriæ etiam addatur damnum; tunc evadit offenſa injurioſa, & damnoſa; puta ſi, eo quod commodans non potuit habere a commodatario rem commodatam, compulſus fuit expenſas facere, quas non feciſſet. His poſitis.

Tenetur remittere ex corde offenſam, non damnum honoris, aut rerum, illatum ex injuria, vel ex damnificatione.

V. Tenetur offenſus primo remittere offenſam ex corde: injuriam autem & damnum non tenetur remittere; ſed petere poteſt redintegrationem in honore, ſi fuerit læſus, & damnorum, ſi quæ illata fuere; dummodo tamen hæc redintegratio nunquam petatur ex livore, vindicta &c. ſed animo ſincero inducendi æqualitatem ab injuria, & damno illato ſublatam: Quod ad remittendam offenſam teneatur, liquet ex verbis Chriſti Matt. 6. *Si non remiſeritis hominibus peccata eorum; nec Pater veſter cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra* .... & iterum; *ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*. Niſi enim hanc remittere teneatur, ad quid obligabit præceptum? Quod autem nec jacturam honoris, nec damnum rerum teneatur remittere, ex eo patet, quod hæc ſint violativa juris ſui, cui cedere non tenetur. Attamen quando læſio horum eſt modica, ſicut illam remittere eſt animi vere remittentis indicium, ita redintegrationem prætendere, eſt non leve argumentum ſuſpicandi, quod petatur ex vindicta: & propterea incumbit prudenti conteſſario inducere offenſum ad illam remittendam.

Tenetur offenſus exhibere inimico ſigna dilectionis communia.

VI. Tenetur præterea offenſus, ex præcepto, exhibere inimico ſigna reſpective communia charitatis & dilectionis, quæ aliis proximis in communi exhibentur: ſigna autem ſpecialia exhibere non tenetur, niſi in aliqua circumſtantia, ita ex communi: & ad litteram S. Thom. 2. 2. q. 25. art. 9. *Effectus, & ſigna charitatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur; dilectio autem interior ad inimicum, in communi quidem, eſt de neceſſitate præcepti abſolute; in ſpeciali autem eſt non abſolute, ſed ſecundum præparationem animi: ſic ergo dicendum eſt de effectu, & ſigno dilectionis exterius exhibendo; ſunt enim quædam ſigna, vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi; puta cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo; aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati; & talia beneficia, vel dilectionis ſigna inimicis exhibere eſt de neceſſitate præcepti, ſi enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ. Alia vero ſunt beneficia, vel dilectionis ſigna, quæ quis exhibet particulariter aliquibus perſonis: & talia beneficia, vel dilectionis ſigna inimicis exhibere non eſt de neceſſitate ſalutis, niſi ſecundum præparationem animi, qua ſcilicet ſubveniatur eis in articulo neceſſitatis.*

Quot genera ſignorum communium?

VII. Ut hanc S. Th. Doctrinam ab omnibus receptam recte percipias, duo tibi ſunt animadvertenda: primum, quod ſigna dicuntur communia reſpective, videlicet in tali ſerie & ordine perſonarum: puta communia concivibus, communia ſimplicibus amicis, communia conſanguineis. Secundum, quod doctrina poſita loquitur abſolute; nam ratione circumſtantiarum evenire poterit, ut etiam ad ſpecialia ſigna inimico exhibenda quandoque teneatur offenſus ſub mortali. Idcirco doctrina caſibus particularibus eſt applicanda.

Applicatur doctrina ad caſus particulares.

VIII. Qui orans pro omnibus, inimicum excluderet; qui omnibus pauperibus parœciæ eleemoſinam diſtribuens, inimicum pauperem ibi commorantem præteriret; qui omnibus indifferenter medens, vocatus ab inimico ægrotante, eum inviſere recuſaret; qui omnibus mercem vendens, inimico vendere negaret; qui nuptias celebrans, & cæteros conjunctos invitans, inimicum conjunctum non invitaret; hi, inquam, omnes, ex communi, lethaliter peccarent: quia negant inimico ſigna exteriora communia tali generi perſonarum. Nec excuſatur dicens, ſe habere animum non offenſum; quia tenetur talem animum oſtendere etiam ipſi inimico ex charitatis præcepto, & id omittere eſt contra præceptum, & de ſe ſcandalum parit. Item qui inimicum ſalutantem non reſalutat, per ſe loquendo mortaliter peccat, juxta omnes; quia negat ſignum commune amicitiæ. Quidam per accidens ratione alicujus ſpecialis circumſtantiæ a mortali excuſant; puta quando, non reſalutans eſt lon-

ge

ge ſuperior ſalutante, puta Epiſcopus non reſalutans ſimplicem presbyterum, & offenſa fuerit notabilis, & non reſalutatio ad breve tempus; quia tunc eſſet ſignum non odii, nec inimicitiæ, ſed oſtendendi juſtum animi dolorem, & conſulendi decori proprio: nemini tamen ad hoc agendum conſilium darem.

Num offenſus teneatur primus ſalutare inimicum?

IX. Non ſalutare inimicum antequam ipſe ſalutet, excuſatur ab aliquibus a culpa lethali, dicentibus ſalutare eſſe ſpeciale benevolentiæ ſignum, cum non teneamur primi ſalutare omnes: Alii e contra judicant lethale, quibus adhæreo, præcipue ſi antea primus ſalutare conſueveras: quia tunc omiſſio ſalutationis eſt indicium internæ inimicitiæ: niſi forte aliqua notabilis circumſtantia aliter fieri prudenter compelleret: Et proculdubio omiſſio ſalutationis eſſet lethalis, ſi in gravem inimici injuriam redundaret; ſi ex hoc oriretur ſcandalum; ſi ſalutatione ſperaretur animum inimici conciliandum iri: in his, inquam, caſibus tenetur offenſus dubio procul inimicum primus ſalutare, alloqui, ſi ante conſueverat; unde non videtur excuſandus, niſi in caſu quo prudenter prævideatur, quod hac benignitate ſit inimicus abuſurus.

Signa ſpecialia quando inimico exhibenda?

X. Inimico exhibenti ſpecialia dilectionis ſigna tenetur offenſus conſimilia exhibere, per ſe loquendo, aliter, ea omittendo, non ſignificaretur ſufficienter animus pacatus. Eadem quoque ſunt exhibenda inimico in articulo neceſſitatis conſtituto, ut docuit S. Thomas in verbis n. VI. adductis. Immo ſunt exhibenda, quoties neceſſaria cenſentur ad gravem odii tentationem vincendam, necnon ad evitandum ſcandalum; ſi oriturum prævideatur ex eorum denegatione.

Quid obſervandum circa memorata ſigna?

XI. Duo igitur præ oculis ſemper habenda in memoratis ſignis aut negandis, aut exhibendis; nempe intentio interior, & ſignificatio exterior. Nam quoad intentionem internam, certum eſt, quod illa negare, quæcumque illa ſint, ex abominatione deliberata perſonæ, aut animo illum graviter affligendi, irridendi, aut exacerbandi, ſemper eſt mortale; quia hic animus eſt directe præcepto charitatis notabiliter adverſans, quamvis forte ſignum denegatum ſecundum ſe notabile non ſit. Quo vero ad ſignificationem exteriorem pertinet, ſi omiſſio eorum ſignorum reſpective denotet apud prudentes internam indignationem, inimicitiam; ſi ex eadem graviter contriſtetur inimicus, irritetur, ſcandalizetur, obdureſcat in inimicitia; ſi ſcandalum aliis pariat, lethalis erit hujus ſignificationis omiſſio, quamvis forte deſit intentio mortaliter prava: quia in his circumſtantiis hujuſmodi omiſſio eſt graviter charitatis læſiva. Niſi igitur aliqua circumſtantia interveniat, quæ prudenter compellat ad potius retinenda pro aliquo tempore præfata ſigna, quam ad eadem ſignificanda, (circa quod optimum erit viros doctos pioſque conſulere, ad evadendam violationem præcepti adeo gravis) ſatius erit abundare, quam parce ſe gerere; ita factis nos docente Præceptore noſtro Jeſu Chriſto.

§. IV. *De modo reconciliationis ineundæ.*

Quænam ſatisfactio eſt exhibenda offenſo ab offenſore?

I. QUI proximum graviter offendit, tenetur ſub mortali, quamprimum moraliter & prudenter poteſt, procurare reconciliationem, ſe illis humiliationibus, ſatisfactionibus, aut reſtitutionibus ſubmittendo, quæ a prudentibus & Chriſtianis viris judicabuntur reſpective opportunæ: Ita communis. Itaque non tenetur ad compenſationem longe majorem, niſi forte ex ſententia judicis eidem in pœnam imponeretur. Neque tenetur ad æqualem actu exhibendam, ſi certus moraliter eſſet, illam ab offenſo rejectam iri; tunc enim ſufficeret, ut eidem ſignificaret ſuam promptitudinem animi ad eam exhibendam, quando ſibi placuerit. Ad petendam veniam perſonaliter non videtur offendens teneri, niſi in caſu, quo alia ſufficiens ſatisfactio deeſſet; quod judicio prudentum, attenta qualitate perſonarum, locorum, conſuetudinum, & offenſionum, eſt mature decernendum; niſi forte a judice obligaretur.

Quid quando ſe invicem offendunt?

II. Quando duo ſe invicem offendunt, ſi prudentum judicio offenſæ cenſeantur æquales, a neutro eſt venia petenda; tenentur tamen ſe invicem reconciliare, ſibi viciſſim exhibendo ſigna ſpecialis benevolentiæ vel per ſe ipſos immediate, vel amicorum interpoſitione. Debet autem eſſe prior ad hæc ſigna præſtanda, qui eſt aut junior, aut inferior, aut graviori injuria offendit; ſi autem quoad omnia eſſent æquales, tunc conſulendi ſunt periti in arte conciliandarum inimicitiarum. Præſupponitur ſemper interior animi reconciliatio, & ſincera animi pœnitentia de offenſa irrogata.

Obligationes perſonæ offenſæ.

III. Offenſus tenetur ſub mortali primo ad internam animi reconciliationem, nedum negativam, ut ſupponitur; verum etiam poſitivam, poſitivo actu interno remit-

ten-

tendo offenſam; nec non ad externam, datis circumſtantiis paulo infra explicandis. De reconciliatione negativa jam patet, cum numquam licitum ſit velle malum inimico. De poſitiva autem in actu poſitivo amoris, & remiſſionis interno conſiſtente; ſatis clare loquutus eſt Chriſtus jubens: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos*: Quæ verba nedum ſignificant odii, & vindictæ rejectionem, verum etiam poſitivum actum dilectionis, & benevolentiæ, & beneficentiæ in caſibus a S. Thoma ſupra indicatis, etiamſi quoad ſigna communia, aut ſpecialia reſpective, juxta ſuperius dicta; & hæc omnia præſtanda ſunt ab offenſo erga inimicum, quamvis in inimicitia perſeverare volentem, ex communi. Circa reconciliationem externam, ad hanc tenetur offenſus ſub mortali, quando offendens reconciliari petit, exhibendo condignas ſatisfactiones, eamdemque ſignis ſpecialis benevolentiæ eidem offenſo ſignificando; (nam ad ſigna communia tenebatur etiam ante). Si tamen offenſus eſſet longe ſuperior, poſſet hic, non ad vindictam, ſed ad efficaciorem offendentis correptionem fraternam, aliquandiu reconciliationem differre; ex conſilio tamen docti & pii Theologi. Cavendum etiam videtur, ne petatur reconciliatio ſtatim ac gravis offenſa irrogata fuit; nimia enim videretur tentatio imbecillitatis humanæ, dicunt aliqui Doctores, illico poſt offenſam obſtringere ſub mortali offenſum ad exteriorem hanc reconciliationem. Dixi ad hanc exteriorem; nam ad interiorem negativam & ſtatim, & ſemper tenetur; & etiam ad interiorem poſitivam tenetur ſtatim, caſu quo ſubiret periculum proximum labendi in actus internos odii, vindictæ &c. In ſumma igitur, quoties reconciliatio ab offendente petitur opportunis ſuis circumſtantiis comitata; non poteſt ab offenſo denegari, aut differri ſub mortali, ut communiter docent omnes; quia tunc eam denegare, eſt omnino irrationabile, & repugnans præcepto Chriſti; manifeſtumque argumentum interioris odii, & malevolentiæ.

Quid agendum offenſo, dum offendens incidit in manus judicis?

IV. Quando offendens eſt publicus malefactor, occiſor, fur, &c. poterit ne offenſus inſtare apud judicem, ut puniatur? Reſpondet S. Th. 2. 2. q. 108. a. 1. *Vindicatio fit per aliquod pœnale malum inflictum peccanti; eſt ergo in vindicatione conſiderandus vindicantis animus: ſi enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam ſumit, & ibi quieſcat, eſt omnino illicitum; quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod charitati repugnat; qua omnes homines debemus diligere... Si vero intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis, vel ſaltem ad cohibitionem ejus; & quietem aliorum, & ad juſtitiæ conſervationem, & ad Dei honorem; poteſt eſſe vindicatio licita, aliis debitis circumſtantiis ſervatis.* Cavere itaque debet offenſus, ne offendentis punitioni cooperetur animo chriſtianæ charitati contrario; nempe ne ex ira; ex privata ſatisfactione ſui furoris, aut ſimili motivo inducatur ad cooperandum; vel ſi cooperetur, id agat ex mera & ſimplici intentione boni communis, publicæ quietis, juſti aliorum malefactorum terroris; quem rectum animum habere præcipue dum adhuc indignatio ebullit, non eſt adeo facile; idcirco eo maxime tempore cautius ſuæ conſcientiæ proſpiciet, ſi poſitive non cooperetur, ſed permiſſive ſe habeat, & quidem ſolo intuitu boni communis, relinquendo, ut judex muneri ſuo non deſit.

§. V. *De Correptione fraterna, ſeu Eleemoſyna ſpirituali.*

Quid ſit correptio, & quotuplex?

I. De hac ita diſſerit S. Th. 2. 2. q. 33. a. 1. *Correptio delinquentis eſt quoddam remedium, quod debet adhiberi contra peccatum alicujus... Duplex eſt correptio delinquentis: una quidem quæ adhibet remedium peccato, in quantum eſt quoddam malum ipſius peccantis; & iſta eſt proprie fraterna correptio, quæ ordinatur ad emendationem delinquentis: removere autem malum alicujus, ejuſdem rationis eſt, ſicut bonum ejus procurare: procurare autem fratris bonum, pertinet ad charitatem... unde etiam correptio fraterna eſt actus charitatis, quia per eam repellimus malum fratris, ſcilicet peccatum... Alia vero correptio eſt, quæ adhibet remedium peccato delinquentis; ſecundum quod eſt malum aliorum, & præcipue in nocumentum communis boni; & talis correptio eſt actus virtutis juſtitiæ, cujus eſt conſervare rectitudinem juſtitiæ unius ad alterum.*

Eſt in præcepto. Quos afficiat hoc præceptum?

II. Correptio fraterna eſt in præcepto cuilibet fideli: patet ex verbis Chriſti Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum*: unde Innoc. III. c. 12. de hæreticis: *Fratrem peccantem occulte corripere, unuſquiſque tenetur efficere ſecundum regu-*

regulam Evangelicam. Et S.Th. loco cit. a. 3. *Correptio quæ tendit ad emendationem fratris delinquentis per ſimplicem admonitionem, pertinet ad quemlibet charitatem habentem, ſive ſit ſubditus, ſive Prælatus*: Ratio patet, quia eadem obligatione, qua tenemur diligere proximum, eadem tenemur ab eo maximum malorum, quod eſt peccatum, removere quantum moraliter poſſumus.

Præſidentes tenentur inquirere delinquentes, ut eos corrigant.

III. *In correptione fraterna, quæ ad omnes pertinet, gravior eſt cura Prælatorum*, ait S. Th. loc. cit. ad 3. Nomine autem Prælati ſignificantur omnes præſidentes, quibus ex officio incumbit cura ſalutis proximorum: propterea intelliguntur Epiſcopi, Parochi, Rectores, Patres Familias, Superiores, Præceptores, Domini &c. quorum omnium obligationem ita diſtinctius exponit S.D. loc. cit. in art. 2. ad 4. *Illud quod debetur alicui determinatæ perſonæ, ſive ſit bonum ſpirituale, ſive corporale, oportet quod ei impendamus, non expectantes* (nota bene) *quod nobis occurrat: ſed debitam ſolicitudinem habentes, ut eum inquiramus: unde ſicut ille, qui habet pecuniam creditoris, debet eum requirere, cum tempus fuerit, ut ei debitum reddat; ita qui habet ſpecialiter curam alicujus, debet eum quærere, ad hoc ut eum corrigat de peccato. Sed illa beneficia, quæ non debentur certæ perſonæ, ſed communiter omnibus proximis ſive corporalia ſive ſpiritualia, non oportet nos inquirere, quibus impendamus; ſed ſufficit quod impendamus eis, qui nobis occurrunt*. Præſidentes igitur tenentur inquirere de peccatis ſibi ſubditorum, ut illos fraterne corripiant, ad quod non tenentur non præſidentes, quibus ſufficit ut corripiant ſibi occurrentes. Ratio eſt urgens; quia Præſidens tenetur ex vi officii ſui, nempe nedum titulo charitatis, verum etiam juſtitiæ, ut tenet probabilior; eo quod omittens indicatam ſollicitudinem privat ſubditos jure quod habent, ut a præſidente adjuventur, præcipue quoad animam; ex quo enim acceptavit præſidentis officium, ſe obligavit huic oneri, adſiſtendi ſibi ſubjectis, a quo ſi deficiat, injuſte agit.

Ut correptio obliget ſub mortali, quid requiritur?

IV. Ut hoc præceptum obliget ſub mortali, requiritur quod materia correptionis ſit mortalis; quia hæc dumtaxat affert animæ proximi notabile nocumentum. Excipiendi ſunt Superiores Religionum, qui non raro tenentur ſub mortali corripere defectus veniales, immo & defectus mere regulares, qui nullum peccatum ex ſe involvunt; ne ſubditi decidant ab obligatione quam habent tendendi ad perfectionem, & ne relaxetur diſciplina Monaſtica eorum vigilanti curæ commiſſa: Proinde ſæpe defectus, qui in ſubdito neque eſt venialis, diſſimulatus a Superiore, evadit diſſimulatio mortalis, contra juſtitiam legalem: de quo videri poſſunt theologi regulares de hoc differentes, & nos dicemus in tractatu ultimo. Requiritur ulterius, per ſe loquendo, quod proximus certo mortaliter peccaverit, aut peccaturus ſit. Ratio eſt, quia aliquin correptio eſſet injurioſa. Dixi per ſe loquendo, ut exciperem primo Superiores & alios præſidentes, qui etiam in dubio, tenentur, ex dictis a S. Thoma, inquirere de veritate facti, ut, hac detecta, corripiant delinquentem; vel ſi dubium perſeveret, alia remedia præſervativa adhibere poſſint, ne eveniat. Secundo, ut exciperem nonnullos caſus, in quibus etiam in dubio eſt correptio prudenter, & conditionaliter adhibenda: hi ſunt, ſi crimen dubium in grave cederet communitatis, vel tertiæ perſonæ damnum circa famam, animam, bona temporalia &c., ſi ei, qui admonendus eſt, mors eſt crimine ſuo dubio immineret; ſi prudenter tibi conſtaret, proximum, quamvis in dubio admonitum, non ægre correptionem recepturum.

Alia requiſita.

V. Requiritur ulterius, ut hoc præceptum obliget ſub lethali, per ſe loquendo, ſpes prudens, & probabilis aut emendationis, aut alicujus ſaltem fructus ejus, qui corrigendus eſt. Rationem dat S.Thomas 2.2.q.33.a.9. *Correptio fraterna, cujus finis eſt emendatio delinquentis, non habet coactionem, ſed ſimplicem admonitionem: & ideo ubi probabiliter æſtimatur, quod peccator admonitionem non recipiat, ſed ad pejora labatur, eſt ab hujuſmodi correptione deſiſtendum; quia ea quæ ſunt ad finem, debent regulari ſecundum quod exigit ratio finis*. Dixi per ſe loquendo, quia illi, ad quos pertinet etiam vis coactiva (a S.D. indicata) in ſubditos; eo quod ipſis incumbat nedum emendatio proximi, ſed etiam conſervatio legum, ac præſervatio aliorum, nec non ſatisfactio Communitati, eorum peccatis notoriis offenſæ tenentur illam exercere correptione judiciali; idcirco addit Angelicus. *Correctio pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactivam, non eſt dimittenda propter turbationem ejus, qui corripitur, tum quia ſi propria ſponte emendari nolit, cogendus*

Præſidentes tenentur etiam ad correptionem coactivam.

dus eſt per pœnas, ut peccare deſiſtat; tum etiam, quia ſi incorrigibilis ſit, bono communi per hoc providetur, dum ſervatur ordo juſtitiæ, & unius exemplo alii deterrentur.

Facienda correptio quamvis ſtatim non ſperetur fructus, ſed elapſo tempore.

VI. Præceptum hoc obligat, quamvis ſtatim fructus non ſperetur, ſed prudenter ſperetur ſucceſſu temporis, tametſi de præſenti exacerbandus ſit correptus. Ita S. Auguſt. epiſt. 210. *Quis facile invenitur, qui velit reprehendi? .... numquid tamen ideo non debemus reprehendere, & corripere fratrem, ne ſecurus tendat in mortem? ſolet enim fieri, & frequenter accidit, ut ad horam contriſtetur, cum reprehenditur, & reſiſtat, & contendat, & tamen poſtea ſecum conſideret in ſilentio, ubi nemo eſt, niſi Deus, & ipſe, nec timet diſplicere hominibus, quia corripitur, ſed timet diſplicere Deo, quia non corripitur, & deinceps non faciat illud, in quo juſte reprehenſus eſt; & quantum odit peccatum ſuum, tantum diligit fratrem, quem ſentit hoſtem peccati ſui.* Idcirco docet S. Thomas qu. 3. de verit. a. ad 24. correptionem pluries eſſe repetendam, quotuſque ſperatur fructus: *Cum Dominus dicit, corripe inter te & ipſum ſolum; non intelligendum eſt quod ſemel corripiatur, ſed bis, aut ter, & etiam pluries, quamdiu probabiliter ſpes remanet, quod ſecretius corripi poſſit.*

Correptio pluries repetenda.

Obligat præceptum etiam in caſu dubii an ſit profutura correptio.

VII. Hoc præceptum obligat etiam in dubio, an ſit nec ne profutura correptio, dummodo prudenter ſperetur non obfutura. Quia etiam in hoc caſu præceptum corripiendi peccatum certum eſt in poſſeſſione; quoties enim non eſt prudenter obfutura correptio, ſemper remanet ſpes, quod ſit aliquando profutura. Ut autem prudenter circa hoc procedatur, in caſu dubio an ſit profutura, vel obfutura, conferenda eſt utilitas quæ ſperatur, cum damno quod timetur; & tunc majus anteponendum eſt minori.

Obligat dum creditur proximus non facile emendandus, niſi corripiatur.

VIII. Obligat hoc præceptum, quando putatur proximus non aliter facile emendandus a lapſu, vel in eumdem relapſurus, niſi corripiatur. Quia tunc maxime proximus indiget hac ſpirituali eleemoſina: ſi autem alter ſit idoneus, qui poſſit & velit corrigere, abſolvor ego; quia jam ſubvenitur indigenti; ſi autem poſſit, ſed nolit; perinde ſe habet ac ſi non alius extaret, quam ego ſolus.

Circumſtantiæ in correptione ſervandæ & primo idoneitas.

IX. Obligat præceptum, ut correptio fiat opportune, attentis circumſtantiis perſonæ, & temporis. Idcirco perſona corrigens debet eſſe idonea; ſi enim eſſet notorie peccatrix, jam patet inconveniens inde oriturum: unde S. D. in 4. diſt. 19. q. 2. a. 2. quæſt. 2. *Alio modo quis corripit in zelo charitatis, non ut Eccleſiæ miniſter; & tunc in correptione non poteſt eſſe peccatum, niſi ratione ſcandali, quod non conſurgit, niſi de peccato notorio; & tunc verum eſt, quod exiſtens in peccato occulto poteſt corrigere:* unde ſi peccatum eſſet aliis quidem occultum, notum autem perſonæ corrigendæ, adhuc ſubſiſteret inconveniens. Superior autem, ad quem ex officio corrigere ſpectat, tenetur, ſe emendare a delicto notorio, ut idoneus evadat correptioni ſubditis faciendæ; & propterea graviter peccaret, non ſe emendando, contra obligationem ſui officii, ratione cujus tenetur, ſe non reddere inhabilem ad correptionem faciendam.

Obligatio ſpecialis Præſidentium.

X. Conſiderare item debet corrigens, quod alio modo corrigendus eſt inferior, & alio major, dum etiam hunc aliquando corrigere debet: alio modo ſenior, & alio junior; alio fœmina, alio vir: alio diſſolutus, alio verecundus &c.; & quidem tempore opportuno.

Secunda reflexio ad perſonas corripiendas.

§. VI. *De ordine in correptione a Chriſto præſcripto; inter te & ipſum ſolum.*

I. IN correptione fraterna privata, quando delictum eſt occultum, & non vergens in detrimentum ſpirituale communitatis, & adſint circumſtantiæ ſupra indicatæ de ſpe probabili fructus &c.; abſolute loquendo, non poteſt præteriri abſque gravi peccato ordo a Chriſto præſcriptus. Ita communis. Quia in his maxime circumſtantiis intelligendum eſt præceptum, quod collimat ad utilitatem proximi, cui conſulendum eſt nedum quoad animam, ſed etiam quoad famam, quæ graviter plerumque læderetur per manifeſtationem delicti occulti. Quando peccatum eſt publicum & ſcandalum gignit, eſt Superiori denuntiandum, prætermiſſa correctione ſecreta, a quo eſt pro merito corripiendum; Servandus eſt ordo, ut ſi peccatum ſit publicum, publice corrigatur, ait S. Thomas quodlib. 11. a. 12. Ratio eſt manifeſta, quia tunc conſulendum eſt publicæ utilitati, quæ ex publica hujuſmodi delictorum punitione reſultat.

Poſitis circumſtantiis nequit ſine peccato præteriri ordo a Chriſto præſcriptus.

Publica peccata publice corripienda.

II. Peccatum quamvis occultum proximi, ſi vergat in nocumentum ſive ſpirituale, ſive corporale multitudinis, plerumque denuntiandum eſt Superiori; non

Quædam peccata occulta ſunt denuntianda.

pix-

Digitized by Google

præmiſſa correctione ſecreta: ita S. Th. 2.2.q.33.a.7. *Quædam peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum vel corporale, vel ſpirituale, puta ſi aliquis occulte tractet, quomodo civitas tradatur hoſtibus, vel ſi hæreticus privatim homines a fide avertat, & quia ille, qui ſic occulte peccat, non ſolum in ſe peccat, ſed etiam in alios, oportet ſtatim procedere ad denunciationem, ut hujuſmodi nocumentum impediatur*. Quia periculum damni Communitatis certiori quo fieri poteſt modo præcavendum eſt. Dixi quod plerumque debeat denunciari; quia addit S. D. *Niſi forte aliquis firmiter exiſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet hujuſmodi mala impedire*. Cum tamen hæc firma exiſtimatio fere nunquam haberi queat circa indicata peccata, propterea fere nunquam eſt præmittenda ſecreta admonitio: & ideo Alexander VII. damnavit hanc theſim num. 5. *Quamvis evidenter tibi conſtat, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis*: Nam denuntiatio non affert onus probationis, ſicut accuſatio.

* Idem S.P. Alexander VII. in Congregatione S. Officii coram ipſo habita die 8. Julii anno 1660. illorum etiam reprobavit opinionem, qui docebant, crimina ad S. Officii juriſdictionem ſpectantia denuntianda illi non eſſe, niſi correctio fraterna præceſſerit. Integrum Decretum editum eſt in Opere Cardinalis Albitii *de Inconſt. in Fide cap. 35. num. 44. & ſeq.* Legatur & S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib. 6. cap. 11. n. 7.*

Quando nam crimen occultum denuntiari poſſit immediate Superiori tamquam patri?

III. Quando emendatio delicti occulti (hæreſi excepta) æqualiter ſperari poteſt, ex correctione mea privata, ac ex correctione Superioris tamquam patris, tunc teneor uti privata correctione mea, & omittere denuntiationem Superiori, quamvis dumtaxat tamquam Patri, & non judici: ita probabilior. Si autem non æqualiter ſed ſecurius ſperetur emendatio ex correctione Superioris ut Patris, qui ſit pius, manſuetus, non operans ex ira &c. tunc valde probabile eſt, poſſe prætermitti correctionem fraternam, & poſſe immediate denuntiari Superiori, non tamquam judici, ſed tamquam Patri, qui ſecreto corripiat, & moneat delinquentem. Ita S. Th. quodlib. 11. q. 10. a. 13. *Utrum ſtatim cum quis fratrem ſuum peccaſſe novit debeat denuntiare Prælato? Dico quod in his diſtinguendum eſt de conditionibus ſubditi, & Prælato. Nam ſi ego ſcio, quod frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denuntiare Prælato.* (intellige ut patri) *Si autem videtur quod hoc melius fiat per Prælatum; & Prælatus nihilominus ſit pius, diſcretus, & ſpiritualis, non habens rancorem, ſeu odium adverſus illum ſubditum, tunc licite poteſt hoc denuntiari ipſi; & tunc non dicit Eccleſiæ; quia non dicit ei ſicut Prælato, ſed ſicut perſonæ proficienti ad correctionem proximi, & emendam. Sed quia propter diverſas conditiones Prælatorum, & ſubditorum, non poteſt in hoc dari generale judicium, quia aliquando vel Prælatus movetur ad odium adverſus ſubditum; vel ſubditus non bene ferret verba Prælati; ideo tenendum eſt hoc pro regula, quod in omnibus iſtis ſemper ſervanda eſt charitas, & quod magis & melius expedire videtur: & ſi hoc intendat, ſcilicet emendam proximi, ſervet quantum poteſt bonum charitatis, tunc denuntiando non peccat.* Et in reſponſione ad 1.: *Si ſtatim aliquis referat Prælato, & adhibens debitas circumſtantias, & conſiderans magis expedire, non facit contra præceptum Evangelii; quia non dicit hoc Eccleſiæ ſed perſonæ proficienti: & ideo non peccat mortaliter*. S. Thomam ſequitur Suarez tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 9. n. 11. & de Charit. diſp. 8. ſect. 6. num. 17. Suarezio autem ſubſcribit communis ſenſus Patrum Societatis.

Occurritur textui Divi Thomæ.

IV. At Collegium Salmant. tract. VI. c. 7. punct. 4. docet oppoſitum, innixum auctoritate S. Th. 2. 2. q. 33. a. 7. ad 5., qua contendit, S. Doctorem retractaſſe doctrinam modo traditam. Cum enim animadverterit, verba a nobis allata nulla poſſe tergiverſatione declinari; idcirco recurrit ad conſuetum effugium nonnullorum, nempe S. Doctorem in ſumma mutaviſſe opinionem. Hæc ſunt verba ſummæ: *Dicendum quod Prælato non eſt obediendum contra præceptum Domini, ... & ideo quando Prælatus præcipit, ut ſibi dicatur, quod quis ſciverit corrigendum, intelligendum eſt præceptum ſane, ſalvo ordine fraternæ correctionis; ſive præceptum fiat communiter ad omnes, ſive ad aliquem ſpecialiter, ſed ſi Prælatus expreſſe præcipiat contra hunc ordinem a Domino inſtitutum, & ipſe peccaret præcipiens, & ei obediens.* Quid amabo ex his verbis deduci poteſt doctrinæ Angelici a nobis relatæ contrarium? Quodnam verbum affertur in hocce textu ab Angelico, quo ſignificet, ſe mutaſſe opinionem, quod tamen ſignificare ſolet his verbis, *Quamvis alibi aliter dixerimus*? nul-

lium omnino: nam & ibi vera docuit; & hic vera docet, quin hæc ullo pacto illis repugnent: etenim certum eſt, injuſte agere Prælatum ita præcipientem; in hoc enim loco diſſerit Angelicus de Prælato abſque ulla limitatione, & abſolute: in textu noſtro loquitur de Prælato in ſolo caſu, quo prudenter creditur & ſperatur melior emendatio ſequutura: in hoc textu loquitur de Prælato in actuali viſitatione, qui ſe gerit, non ut pater, ſed ut judex, & in perſona Eccleſiæ punitionem infligentis: in noſtro textu loquitur de Prælato non ut judice, ſed ut patre, qui non debet uti poteſtate judicis, ſed amore patris procurantis ſecretiori modo emendationem delicti, non punitionem ejuſdem: ubi igitur contradictio? ubi retractatio doctrinæ in utroque loco veræ? Et hæc quoque videtur altera hallucinatio illius alioquin Sapientiſſimi Collegii, ſimilis illi quam indicavimus in Capite de Legibus §. VII. n. 14., & 15.

Regula denunciandi Superiori ut patri.

V. Si autem ſciſciteris, ad quem gradum aſcendere debeat ſpes melioris emendationis, ut licita ſit prætermiſſio correctionis fraternæ, & delatio ad Superiorem tamquam ad patrem? Reſpondeo, tunc dumtaxat id eſſe licitum, quando comparato præjudicio delinquentis, quod ipſi evenit ex ipſius diffamatione apud Superiorem, cum fructu prudenter ſperato ex admonitione Superioris; apparet ſano judicio præſtantiorem eſſe hujuſmodi fructum ex Superioris ut patris admonitione ſperatum, præjudicio delinquenti orto ex ipſius diffamatione apud ſolum Superiorem ut patrem.

Reſolvitur quæſitum momenti pro Regularibus, de deferendo delicto ad Superiorem ut patrem.

VI. Quoniam autem peccata carnalia cum complice extraneo, vel extranea ſint admodum perniciosa famæ Religionum, & grande ſcandalum afferant eadem ſcientibus, multumque obſtent fructui ſpirituali, quem Sacra Inſtituta in proximos provehere tenentur; idcirco quæritur, an ſciens peccatum carnale alicujus alumni ſuæ religionis cum complice extra clauſtrum, occultum tamen, teneatur ad occultam correctionem fraternam, an poſſit illud immediate ad Superiorem deferre, & primo tanquam ad Patrem? Hanc quæſtionem egregie pertractat P. Ludovicus Caſpenſis Capucinorum Hiſpaniæ doctiſſimus ſcriptor, fidelis Doctrinæ Angelicæ ſectator tom. 2. tract. 17. diſp. 6. ſect. 3., & affirmative reſpondet, afferens pro ſua opinione Sylveſtrum verb. Correctio. Gabrielem lect. 74. in Canonem Miſſæ littera U; S. Antoninum 2. p. tit. 9. c. 6., Richardum in 4. ſent. diſt. 19. Angelum in Summ. verb. denuntiatio, n. 10. Gerſonem 2. part. Alphabet. 24. littera T, Turrecrematam in cap. ſi peccaverit 2. q. 1. Orbellium in 4. ſent. diſt. 19. q. 1. Graffium lib. 2. cap. 69. & aſſerit, eam eſſe communem inter Doctores inclytæ Societatis Jeſu.

Afferuntur auctoritates.

VII. Et primo eam probat auctoritatibus S. Thomæ a nobis ſupra relatis ex quodlib. 11. q. 10. a. 13. quibus addit alteram ex eodem loco ad 3. *Si quis referat Prælato culpam proximi intendens vel cautelam in futurum, vel aliquid hujuſmodi, quod ad emendam proximi viderit expedire, non peccat.* Sancti Bonaventuræ in cap. 19. Lucæ: *Et quo datur forma, quod Prælato, qui vult prodeſſe, etiam nulla præcedente correctione, poteſt, & debet culpa proximi accuſari extra judicium, ſi ſit occulta, & in judicio ſi habeatur probatio certa.* Capituli Generalis Barchinonenſis Ordinis Seraphici: *Ex ſententia Bonaventuræ, & Magiſtrorum Ordinis, & totius Capituli Generalis definitum eſt, quod contraria ſententia ſit peſtifera in deſtructionem ordinis, & regularis diſciplinæ: cum Prælati ſcire debeant ſubditi exceſſus, non ſolum ut puniant, ſed ut poſſint præcavere.* Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum c. 18. lectione ſeu textu 6.: *Si quis autem tale quid extra Monaſterium commiſerit, frater qui cum eo eſt, ſtudeat ejus exceſſum Prælato quantocius corrigendum intimare.* Regulæ S. Benedicti cap. 32., ubi in perſona Abbatum Pauli, & Stephani, dicitur: *Si quis alterum quacumque parte viderit, quodcumque illicitum vel ſermone, vel opere facientem, & Priori diſtulerit publicare, cognoſcat, ſe eſſe nutritorem peccati, & per omnia æqualem peccanti, quia & animæ ſuæ, & illius quem tegit; eſt duriſſimus inimicus.* Propterea juſte admiratur P. Caſpenſis, P. Lorca dixiſſe hanc ſententiam eſſe improbabilem, tot Sapientum virorum munitam auctoritate. Audiatur tandem Eminentiſſimus Cajetanus circa hæc expertiſſimus, quippe qui tum Prioris, tum Provincialis, tum Generalis Magiſtri totius Prædicatorum Ordinis munera egregie obierit: in opuſc. 1. reſponſ. 5. ad ultimum dubium. *Non facile credendum eſt, religioſum correctione fraterna emendandum, ſed dubitandum potius fore, ut fingat ſe emendatum, ut ſocium deludat, denuntiationemque vitet, & interim manebit in peccato, donec in ſcandalum aliorum prorumpat.*

VIII.

Digitized by Google

Afferuntur rationes.

VIII. Ratio eſt, quia inter clauſtrales raro concurrunt illæ circumſtantiæ, quæ ad ordinem fraternæ correctionis ſervandum obſtringant; ut patet ex laudatis Cajetani verbis. Præterea intantum ſervandus eſt correctionis ordo, in quantum id charitate præſcribitur, charitas autem intendit id, quod magis expedit ſpirituali ſaluti delinquentis: ſi ergo utilior, brevior, & efficacior ſperetur correctio facta per Superiorem ut patrem, cur id procurare adverſabitur charitati, cum conſpiret ad finem charitatis? Proinde inſert Caſpenſis cum doctiſſimo Suarez diſp. 8. ſect. 6. num. 2., quod quando frater non eſt plene emendatus, & eſt probabile periculum relapſus, idem tenor ſit obſervandus, delationis nempe ad Superiorem ut patrem, nulla præmiſſa correctione, eo quod, dicunt hi auctores, vix alio modo poſſit concipi ſpes prudens emendationis. Quandoquidem, ait Suarez loco cit., aut Clauſtralis peccat ex malitia, aut conſuetudine, aut fragilitate: ſi hoc tertio modo, tollendæ ſunt occaſiones, quibus non ſublatis, non poteſt prudenter ſperari conſiſtens emendatio: hæ autem vix tolli poſſunt, abſque Superioris auctoritate, vigilantia, & ſolertia; eo quod, illis eidem ignotis, evenire poterit, ut ſubditum, alioquin imbecillem, eiſdem magis exponat. Si vero peccet ex malitia aut conſuetudine, jam augetur difficultas emendationis: igitur ſecurius habetur intentum charitatis, ideſt emendatio delinquentis, ſi Superiori ut patri reveletur.

Alia ratio.

IX. Deinde ex verbis Sanctorum Chryſoſtomi, & Auguſtini alteram adornat rationem laudatus Caſpenſis: verba Chryſoſtomi ſunt hom. 40. in Matth. *Quis aliquando vidit clericum cito pænitentiam agentem? ſed & ſi deprehenſus humiliaverit ſe, non ideo dolet, quia peccavit, ſed confunditur, quia perdidit gloriam ſuam.* Verba Auguſtini in Epiſt. 137. vet. edit. ſunt: *Ex quo Deo ſervire cœpi, quomodo difficile ſum expertus meliores, quam qui in Monaſteriis profecerunt; ita non ſum expertus deteriores, quam qui in Monaſteriis ceciderunt*, & loquens de ſæcularibus Eccleſiaſticis perſonis inſidiantibus, ibidem dicit: *Ad quid aliud ſedent iſti, aut quid aliud captant, niſi ut quiſque Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes teſtes eſſe credant, jactent, contendant; ſed non omnes poſſe manifeſtari .... Cum de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur.* Quod lacrymabili experimento nimis compertum ſit. En igitur ratio altera: Si quando crimen alicujus, quamvis occultum, vergit in damnum tertii, vel communitatis, omnes docent, prætermiſſa correctione, eſſe ad Superiorem deferendum; cum nimis verum ſit, gravia clauſtralium delicta, præcipue in materia caſtitatis cum complice, in grave cedere Religionis detrimentum; ſi enim complex ſit intra clauſtra, heu quanta infectio! Si vero ſit extra clauſtrum, heu qualis infamia! quantum dedecus religioni reſultat! cur ergo non erit Superiori ut patri revelandum? Quis enim prudenter judicare poterit hujuſmodi male olentium criminum fœtorem ad aliorum nares non eſſe preventurum, & illa non eſſe in lucem proditura? cum tot malæ ſuſpiciones præire ſoleant, tot murmura comitari, tot irriſiones, tot contemptus; tot ſcandala & dicteria ſubſequi? Deferatur ergo crimen ad Superiorem tamquam ad Patrem; vix enim alia patet via, ſecuram reddendi delinquentis emendationem, & impediendi infamiam Religionis.

Reſolvitur item quando ſit crimen deferendum ad Superiorem tamquam ad judicem?

X. Progreditur ulterius Caſpenſis, & contendit, poſſe etiam deferri ad Superiorem ut judicem. Diſtinguit tamen peccata, primo in ea, quæ cedunt in ſolum detrimentum peccantis, puta mollitiem; & de his certum eſt non poſſe Prælato tamquam judici denuntiari: ſecundo in ea quæ redundant in damnum Reipublicæ, v. g. hæreſis, proditio civitatis, &c. & hæc ex communi ſunt ad Superiorem reſpective tamquam ad judicem denuntianda: tertio in ea quæ cedunt in detrimentum tertii v. g. adulteria, immo & fornicationes, quæ cedunt in dedecus religionis certe apud perſonam complicem, & plerumque apud alias crimen ſuſpicantes: & de his eſt ſecunda pars hujus quæſtionis; & reſolvit in ſectione 4. n. 39. peccatum fornicationis apud clauſtrales, & a fortiori adulterii, & nefandi criminis cum perſona extranea, reputanda eſſe inter excepta ab ordine correctionis fraternæ; & debere denunciari Prælato nedum ut patri, verum etiam ut judici, dummodo tamen immineat periculum quod evulgentur.

Probatur Auctoritatibus.

XI. Et quidem vir exactiſſimus in ſuis citationibus, quamvis fateatur paucos admodum inveniri, qui de hoc puncto ex profeſſo diſſerant, affirmat nihilominus, eos qui illud attingunt, in hanc opinionem conveniſſe: hi ſunt Alderete lib. 1. de tuenda diſci-

Digitized by Google

plina c. 5. dub. 4. n. n. 25. 30. S. Antoninus 2. part. tit. 19. c. 6. §. 5. Gabriel in Can. Miſſæ lect. 74. lit. S. Angelus verb. denuntiatio, Navarrus Conſil. 2. de Accuſationibus, Miranda de ordine judiciali q. 11. a. 2., Joſeph a S. Maria tract. 2. cap. 3., Ximenes in declarat. Regulæ Minorum cap. 10. quæſt. 2, Aretinus in pract. criminali cap. 11. in additionibus, Valerius Carthuſianus de differentiis inter utrumque forum verb. Inquiſitio, Suarez de Religione tom. 4. lib. 10. cap. 12. n. 5. Præterea affert verba loquentium peculiariter de peccatis contra caſtitatem, qui ſunt Cardinalis Turrecremata in cap. ſi peccaverit. 2. q. 1. n. 29. Fagundez de 2. Eccleſiæ præcep. lib. 4. cap. 4. Hurtadus de Mendozza diſp. 165. n. 103.

Probatur ratione.

XII. Probat autem aſſertionem hac ratione. Duobus modis peccatum aliquod in publicum damnum vergit, vel quia habet pro objecto proximo damnum publicum, utpote ex ſpecie ſua contagioſum, & infectivum aliorum; vel quia ob ſcandala, quæ ex eodem apud laicos proficiſcuntur, dedecus magnum, & notabilis infamia Religioni reſultat, ſi ad eorum notitiam perveniat; atqui peccatum carnis cum complice præcipue extranea utroque modo eſt Religioni pernicioſum, cum ſit ex ſpecie ſua contagioſum, & infectivum aliorum, eo quod qui tali peccato detinetur, ſocios habere procurat ad ſui excuſationem, & occultationem; & eſt pernicioſiſſimum Religioni, in quam etiam ex unius ſolius alumni impudicitia, dedecus magnum redundat, ex quo minuatur notabiliter ejuſdem fama & opinio; erit igitur denuntiandum Superiori tanquam judici, ſi immineat publicationis periculum.

Quando immineat publicationis periculum?

XIII. Sciſcitaberis, quando cenſebitur imminere publicationis periculum? Reſpondet Alderete loc. cit. *Tunc impendere morale periculum publicationis, ubi unus, vel alter ſæcularium, aut Religioſorum crimen reſciret.* Quis autem judicabit crimen immune a publicationis periculo, dum etiam ſoli fœminæ complici, quę ſit effrons, & meretrix, notum eſt? Quid magis lubricum, minuſque ſecretum lingua fœminæ, & fœminæ impudicæ? Concludamus hanc quæſtionem æquo, prudentique judicio P. Zachariæ a Saluſſio inſignis Definitoris Generalis inclytæ Religionis Capucinorum viri ſpectabilis tum ſanctitate vitæ, tum doctrinæ copia. Hic diſtinguit lapſus carnis ex fragilitate accidentales, & ex occaſione non quæſita, ſed fortuito oblata; & lapſus procedentes ex malitia, ex condicto, & occaſione quæſita, qui ſolent eſſe eorum clauſtralium, qui vagationibus, vanitatibus, viſitationibus ſuperfluis, munuſculis dandis & recipiendis, epiſtolis mittendis, & reſcriptis, ſunt aſſueti, & converſationibus muliebribus facile ſeſe immiſcent: horum, inquam, difficile ſperari poteſt ex correctione fraterna emendatio; ac proinde eorum lapſus Superiori, ſaltem tamquam Patri ſtatim ſunt denuntiandi, & habito conſilio prudentum, ſuppreſſo nomine perſonæ reæ, etiam tamquam judici, ſi opus fuerit, ut & efficacius pro ipſis, & utilius pro aliis corripiantur, & puniantur.

§. VII. *De Eleemoſina Corporali.*

Quid ſit eleemoſina, & quale ſit illius præceptum?

I. E*Leemoſina* juxta D. Thomam 2. 2. q. 32. a. 1. *eſt opus, quo datur aliquid indigenti, ex miſeratione, propter Deum*: Ly ex miſeratione denotat motivum formale ſpecificum miſericordiæ: Ly propter Deum additur, ut eleemoſina nedum ſit actus moralis; ſed ut etiam ſit meritorius vitæ æternæ. Præcepum de eleemoſina facienda eſt divinum, repetitum in Scriptura Sacra tum veteris cum novi Teſtamenti: unum vel alterum textum afferre ſufficiat: Deuter. 15. *Ego præcipio tibi, ut aperies manum fratri tuo egeno & pauperi*, tum cæteris omiſſis, ſolemniter apparet Matth. 25. ubi illi condemnandi a Chriſto judice leguntur ſpecialiter, qui eleemoſinam non fecerunt; nemo enim condemnatur niſi ex violatione præcepti graviter obligantis. Rationem autem affert S. Th. loc. cit. a. 5. *Cum dilectio proximi ſit in præcepto, neceſſe eſt, omnia cadere ſub præcepto, ſine quibus dilectio proximi non conſervatur; ad dilectionem autem proximi pertinet, ut non ſolum proximo velimus bonum, ſed etiam operemur, ſecundum illud 1. Jo. 1. non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate: ad hoc autem quod velimus, & operemur bonum alicujus, requiritur quod ejus neceſſitati ſubveniamus, quod fit per eleemoſinarum largitionem; & ideo eleemoſinarum largitio eſt in præcepto.*

Obſervandus varius neceſſitatis gradus.

II. Triplex diſtinguitur neceſſitas a Theologis, nempe extrema, gravis, & communis: extrema illa eſt, juxta omnes in qua periclitatur vita, & juxta Bannez, in 2. 2. q. 32. a. 6. dub. 2. quando malum judi-

judicio prudentum morti æquivalens ſubeundum eſt: ac proinde quidam cum laudato Bannez ad extremam reducunt morbum gravem periculoſum diuturnum, vel incurabilem; amiſſionem alicujus membri principalis, puta brachii dexteri, amborum oculorum, libertatis in perpetuum: addendam putarem, ſalvo meliori judicio, amiſſionem injuſtam famæ, in perſona ingenua, non amplius recuperandæ. Gravis neceſſitas illa dicitur, in qua homo vitam cum magna difficultate tranſigere compellitur, atque ex ſtatu ſuo juſte acquiſito decidere; quando diuturno morbo torquetur, quando fame diu laborare cogitur; ſi in gravem infamiam non perpetuam incidat; ſi a conditione nobili ad mechanice laborandum, vel aliis famulandum obligetur; ſi a conditione honeſti civis dilapſus, ad mendicandum obſtringatur; uno verbo, quando, niſi ipſi ſubveniatur, cogitur tale ſubire malum grave, talemque gravem miſeriam, a quibus reddatur vita admodum moleſta. Neceſſitas communis illa eſt, quæ affert aliquod incommodum quoad neceſſaria ad vitam, & ſtatum perſonæ, ita tamen ut vitam nimis moleſtam aut miſeram reſpective ad perſonam non efficiat; unde non decidat notabiliter a ſtatu ſuo, ita ut laborando, atque cum aliqua ſollicitudine & anxietate poſſit ordinario modo ſuis neceſſitatibus ſufficienter providere; & hæc eſt neceſſitas pauperum, qui communiter mendicare ſolent, qui mendicando non decidunt notabiliter a ſtatu ſuo: nec non illorum, qui ut ſe ſuoſque alant, duro labori operam dare compelluntur.

Obſervanda item varia genera bono rum. III. Quæ haſtenus animadvertimus reſpiciunt illos, quibus eroganda eſt eleemoſina: alia tria obſervanda ſuperſunt ab iis, qui eleemoſinam impendere debent, circa bona quæ poſſident; quæ triplici modo dici queunt neceſſaria, vel ſuperflua. Alia ſunt neceſſaria naturæ ſeu vitæ, ſine quibus vita noſtra, & aliorum, quorum cura nobis incumbit, conſervari non poteſt. Alia dicuntur neceſſaria ſtatui, ſine quibus non poteſt perſona convenienter vivere juxta conditionem ſtatus præſentis ſui, & ſuorum, juſte acquiſiti; quæ bona ſtatui neceſſaria, alia ſunt neceſſaria ſtatui ſimpliciter, ſine quibus a ſtatu decidendum eſſet; alia ſunt neceſſaria ſtatui quoad decentiam, ſine quibus quamvis ſtatus conſervaretur abſolute, non tamen ea decentia, qua conſervari conſuevit: unde neceſſarium ſtatui complectitur omne id, quod requiritur ad onera familiæ ſuſtinenda, ad conveniens famulitium, ad filios educandos, filias dotandas, ad honeſtas donationes faciendas, ad hoſpitalitatem, ad honeſtas recreationes; immo ad illum ſtatum conſervandum in quolibet calamitoſo caſu probabiliter eventuro, quales ſunt infirmitates, ſterilitates, bella, & alia hujuſmodi, quæ probabiliter evenire ſolent: nam ait S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 4. ad 3. *Debet dijudicari ſuperfluum, & neceſſarium ſecundum ea, quæ probabiliter, & ut in pluribus occurrunt*: idemque intelligas etiam de neceſſariis ad vitam. Ex his deducas, ſuperfluitatis gradus eſſe duus; nempe ſuperfluum naturæ & vitæ, ſine quibus vita propria & ſuorum congruenter ſuſtentari poteſt; quæ tamen non ſunt ſuperflua ſtatui: & ſuperfluum ſtatui, ſine quo ſtatus proprius & ſuorum decenter conſervari poteſt. His neceſſario pro luce dicendorum præmiſſis.

Doctrina notabilis S. Thomæ. IV. S. Thomas loc. cit. ar. 6. ita docet: *Neceſſarium dupliciter dicitur. Uno modo, ſine quo aliquid eſſe non poteſt, & de tali neceſſario omnino eleemoſina dari non debet: puta ſi quis in articulo neceſſitatis conſtitutus, haberet ſolum unde poſſet ſuſtentari, & filii ſui, vel alii ad eum pertinentes; de hoc enim neceſſario eleemoſinam dare, eſt ſibi & ſuis vitam ſubtrahere; ſed hoc dico, niſi forte talis caſus immineret, ubi ſubtrahendo ſibi, daret alicui magnæ perſonæ, per quam Eccleſia, vel Reſpublica ſuſtentaretur; quia pro talis perſonæ liberatione, ſeipſum, & ſua laudabiliter* (dicit laudabiliter, non neceſſario) *periculo mortis exponeret, cum bonum commune ſit proprio præferendum. Alio modo dicitur aliquid neceſſarium, ſine quo non poteſt convenienter vita tranſigi ſecundum conditionem, & ſtatum perſonæ propriæ, & aliarum perſonarum, quarum cura ei incumbit; hujuſmodi neceſſarii terminus non eſt in indiviſibili conſtitutus ſed multis additis, non poteſt dijudicari eſſe ultra tale neceſſarium; & multis ſubtractis, adhuc remanet, unde poſſit convenienter aliquis vitam tranſigere ſecundum proprium ſtatum. De hujuſmodi ergo eleemoſinam dare eſt bonum, & non cadit ſub præcepto, ſed ſub conſilio. Inordinatum eſſet autem, ſi aliquis tantum ſibi de bonis propriis ſubtraheret, ut aliis largiretur, quod de reſiduo non poſſet vitam tranſigere convenienter ſecundum proprium ſtatum, & negotia occurrentia.*

Digitized by Google

Illata communia ex data doctrina.

V. Ex quibus certum eſt apud omnes, quod habens ſola neceſſaria ad ſui & ſuorum vitam, & ſtatus conſervationem, non tenetur proximo æquali neceſſitate laboranti dare eleemoſinam, ita poſtulante charitatis ordine. Certum item eſt, quod habens tantum neceſſaria vitæ, & naturæ pro ſe & ſuis, non poſſit eadem ſibi, ſuiſque ſubtrahere ad ſubveniendum aliis, etiam in extrema neceſſitate conſtitutis; ob eandem rationem; & ſimiliter in pari neceſſitate gravi, aut in pari ſtatu, nemo tenetur alios præferre ſibi & ſuis: ſicuti etiam in communibus pauperum neceſſitatibus nemo tenetur erogare bona ſua, requiſita ad ſtatum ſuum conſervandum, & pro neceſſitatibus, quę prudenter timeri poſſunt.

Anteferenda eſt proximi neceſſitas etiam integritati proprii ſtatus.

VI. Innocentius XI. hanc theſim num. 12. proſcripſit: *Vix in ſæcularibus invenies, etiam in regibus, ſuperfluum ſtatui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſinam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.* Inveniri ergo poteſt, & ſæpe invenitur ſuperfluum ſtatui; & quidem ſermo eſt de ſtatu præſenti, de quo tantum diſſeritur a Theologis in hac materia: ſi enim attendendum eſſet ad aviditatem ambitionis humanæ, cupientis ſemper aſcendere, profecto hæc nunquam reputaret habere ſuperfluum. Hoc præmiſſo. Proximo in neceſſitate extrema conſtituto, ſub mortali ſuccurrendum eſt nedum ex ſuperfluis ſtatui, ut ſupponitur, verum etiam ex neceſſariis ad decentiam & ſplendorem ſtatus, quem explicuimus num. 3., immo etiam ex neceſſariis aliquo modo ad integritatem ſtatus: ita communior, & probabilior. Ratio hujus ultimæ partis, quæ a fortiori concludet pro prima, eſt, quia integritas illa ſubſtantialis proprii ſtatus eſt bonum ex debito poſtponendum bono proximi extreme indigentis; quandoquidem vita proximi eſt natura ſua bonum plus a charitate diligendum quam integritas proprii ſtatus; ſi igitur aliquid minuere poſſim de eadem integritate, dummodo ab illo ſtatu non excidam, tenebor ſubminiſtrare proximo, ut ipſum a morte eximam, & in vita conſervem.

Elucidatur hæc doctrina nonnullis limitationibus.

VII. Non quidem ut procurem proximo extreme indigenti media inuſitata & extraordinaria; cum ad id nemo teneatur, neque pro vita propria. Neque ut teneas inquirere proximos extreme indigentes; niſi forte eſſem Epiſcopus, Parochus, Præſidens &c., qui ad hoc tenentur ex juſtitia; aut niſi prudenter dubitarem, aliquem extrema neceſſitate laborare: tunc enim tenerer inquirere illum, ne me exponerem periculo omiſſionis gravis. Neque ut ſuccurram proximo extreme indigenti, etiam decidendo a ſtatu meo juſte acquiſito, puta de ſtatu nobilis ad ſtatum plebei, vel famuli, de ſtatu mercatoris, opificis, ad ſtatum mendici; ſed neque ad notabilem jacturam ſtatui inferendam, ſine ſpe eandem redintegrandi; quia ad id nemo tenetur, neque pro conſervanda vita propria: quis enim dicat, teneri aliquem nobilem ad vitam ſuam tuendam, & ſanitatem recuperandam tali remedio uti, quo grave & notabile detrimentum, quod ſuppleri nequit, afferat proprio ſtatui ſuæque familiæ? nemo unquam: ſimiliter ergo neque pro vita proximi. Hæc ſunt communia apud Doctores. Alteram limitationem addit Bannez 2. 2. q. 32. a. 6. dub. 2. in reſponſ. ad 1. quod neque teneatur quis ex bonis fortunæ valde notabilem ſummam, puta tria, vel quatuor millia aureorum erogare ad tollendam a proximo neceſſitatem extremam: rationem affert his verbis: quod licet vita hominis „ nobilior ſit, quam totus cenſus, nihilo- „ minus ad bonum publicum, quod eſt „ magis diligendum, magis valet illa quantitas ſubſtantiæ, & pecuniæ, quam vita „ alicujus: pecunia enim eſt inſtrumentum „ virtutis, ad bonum publicum manutenendum, & defendendum: unde homo „ privatus non tenetur pro conſervatione „ propriæ vitæ expendere totum cenſum „ ſuum: v. g. habet quis tria millia ducatorum, ſed habet infirmitatem multis „ ſumptibus ſanandam, non tenetur id facere, eo quod magis tenetur diligere „ ſuum ſtatum, & filiorum. “ Hæc doctiſſimus ille: igitur, neque pro aliis ad id tenebitur. Putarem nihilominus, huic Bannez doctrinæ addendam limitationem: ſi enim quis eſſet ſolus, nec familiam haberet, & cenſum illum erogando, prudenter ſperaret, & ſibi ſupereſſe quo ſufficienter viveret, & a præſente infirmitate evaſurum, puto ad cenſum illum erogandum teneri; nam tunc nemini præjudicium afferret, & alioquin ſibi conſuleret in eo capite, quod eſt ſuper omnem cenſum diligibilius, nempe vita propria.

Occurritur interrogationi ſciſcitantis.

VIII. Sciſcitaberis: poterit ne ſaltem qui eſt in extrema neceſſitate conſtitutus tam notabilem ſummam ſibi accipere ex alienis bonis ut a neceſſitate illa evadat. Reſpondendum cum diſtinctione: ſi vel in extremam vel in graviſſimam neceſſitatem redu-

cere-

ceretur ille, a quo ſummam illam ſurriperet, non poſſet licite auferre; quia inhumaniter ageret, & contra jus; non enim eſt providendum neceſſitati propriæ cum æquali vel quaſi æquali gravamine proximi, qui primus habet jus ex rebus ſuis utilitatem percipiendi; Si vero ille, a quo ſummam illam ſurriperet, vel in extremam, vel in graviſſimam neceſſitatem non reduceretur, poſſet licite auferre; eo quod in extrema neceſſitate omnia ſunt communia quoad neceſſarium uſum, ſalva injuria domini æquali, vel quaſi æquali neceſſitate laborantis, vel certo moraliter laboraturi.

Qui negat rem extreme indigenti, non tenetur illam ei reſtituere: bene vero qui illum impedit, ne ſibi provideat.

IX. Qui extreme indigenti impie negavit ſubvenire, non tenetur, ſi ille evadat, ad reſtituendum eidem quod denegavit: ita probabilior cum Bannez, Navarro, Suarez, & aliis. Quia ille denegans non peccavit contra juſtitiam, ſed contra charitatem, quandoquidem non privavit extreme indigentem aliquo jure in re, ſed dumtaxat ad rem; neque abſtulit ab eo aliquid, quod eſſet in ſua poteſtate. E contra autem ſi quis impediret extreme indigentem, ne uteretur re aliena, peccaret contra juſtitiam, nempe contra jus, quod actu habet, ne impediatur; & teneretur illum reſtituere ſuæ libertati, ut poſſet uti re aliena: Immo Bannez obligat hujuſmodi impedientem ad ſupplendum pro eo, quod ille indigens ſibi ſumere poterat.

Quando non poſſit repeti ab extreme indigente quod datum fuit?

X. Quando extreme indigens eſt talis abſolute, ideſt nec de præſenti habens, nec unquam prudenter habiturus, non poteſt qui eidem ſubvenit dare commodato, mutuo, vel alio titulo inducente obligationem reſtituendi, in hypotheſi quod aliquando habiturus ſit: ſi vero indigens ille ſpem habeat aliquando aſſequendi bona, tunc poteſt ſubveniens ſub illis titulis dare. Ita Sotus, Bannez, Suarez, Azorius Bonacina, & alii. Ratio primi eſt, quia in eo caſu indigenti debetur ſuſtentatio; igitur non poteſt imponi obligatio. Item in eo caſu, juxta omnes, eſt debitum erogandi eleemoſinam, eleemoſinæ autem nomine ſemper ſignificata fuit datio liberalis, & non oneroſa. Ratio ſecundi eſt, quia quamvis ſubveniens tali pacto non agat liberaliter, neque agit contra charitatem, nam ſuccurrit indigenti juxta gradum ſuæ indigentiæ, quæ eſt ut de præſenti ſuccurratur; onus autem impoſitum non reſpicit tempus præſens, ſed tempus, quo habebit unde reddat, Ita etiam docuit S. Thom. quodl. 5. a. 17. *Unuſquiſque tenetur ad liberandum proximum a morte ſecundum ſuam conditionem, & modum: & hoc quidem convenienter implevit ille, qui pecuniam mutuavit; non autem tenebitur condonare in caſu, quo ille poterat per mutuum liberari:* & quamvis S. D. loquatur de habente, quo liberari poſſet; tamen eadem eſt ratio in caſu propoſito.

Notabile obſervandum.

XI. Notandum, quod quando extreme indigens utitur re proximi ſui, ſi de eadem, poſt evaſionem ab illa neceſſitate, aliquid ſuperſit, vel tota etiam perſiſtat, quippe quæ uſu non conſumptibilis, ut e.g. equus ad ſugiendum a morte, vel a captivitate; reſtituenda eſt domino; quia neceſſitas illa non confert indigenti dominium in rem, ſed dumtaxat in uſum illius; unde ſi totam uſu conſumat, puta panes, triticum &c. ad nihil tenetur de eo quod neceſſario conſumpſit, quia circa illud habebat dominium uſus; ſi vero quidquam ſuperſit; patet quod remanet domino ſuo.

In neceſſitate gravi tenemur ex ſuperfluis ſtatui ad eleemoſinam præſenti.

XII. In neceſſitate gravi & urgente proximi, quam ſupra explicavimus n. 3. tenetur fidelis ſub mortali ad eleemoſinam ex bonis ſuperfluis ſtatui præſenti, quæ bona ſimiliter ſupra explicavimus num. 3. ita communiter contra nonnullos. Patet ex parabola Matth. 18., in qua refertur a Domino ſuo condemnatus ille conſervus, qui conſervi ſui miſereri noluit in gravi neceſſitate conſtituti. Idem docet S. Ambroſius lib. 1. offic. c. 3. *Grandis culpa eſt, ſi, ſciente te, fidelis egeat; ſi ſcias eum fame laborare, ærumnam perpeti, præſertim ſi mendicare erubeſcat, & non adjuves:* profecto intelligendus eſt ſaltem de ſuperfluis. Eodem modo S. Auguſtinus tract. 5. in Jo. *Eſurit frater tuus; in neceſſitate poſitus a creditore anguſtiatur: non habet ipſe; habes tu... Quid ad me pertinet? forte dicis: ego daturus ſum pecuniam meam, ne ille moleſtiam patiatur? ſi hoc tibi reſponderit cor tuum, dilectio Patris in eo non eſt:* ideſt privaris gratia Dei: & hic ſaltem de ſuperfluis intelligi debet. Idem docet S. Th. 2. 2. q. 32. a. 5. ad 3. *Eſt aliquod tempus, in quo mortaliter peccat, qui eleemoſinam dare omittit: ex parte quidem accipientis, cum apparet evidens & urgens neceſſitas,* (nota bene ly urgens, non extrema) *nec apparet in promptu, qui ei ſubveniat, ex parte vero dantis, cum habet ſuperflua, quæ ſecundum ſtatum præſentem non*

ſunt ei neceſſaria, (nota iterum ly præſentem) *prout probabiliter æſtimari poteſt; Nec oportet quod conſideret omnes caſus, qui poſſunt contingere in infinitum...., ſed debet dijudicari ſuperfluum, & neceſſarium ſecundum ea quæ probabiliter, & in pluribus occurrunt*. Ratio etiam liquet, quia id præſtare poteſt abſque gravi ſuo detrimento; cum nullum omnino detrimentum ſit, erogare ſuperflua ſtatui præſenti; erit quidem detrimentum avaritiæ, at non perſonæ, nec ſtatus: alioquin autem omnes docent, quemlibet teneri ex charitate ſub lethali proximum a gravi malo liberare, quoties id facere poſſit abſque gravi ſuo detrimento.

Quid de eo qui congregat ut ad ſtatum nobiliorem aſcendat?

XIII. Si objicias: nemo igitur congregare poterit cenſum & pecuniam, ut ſtatum nobiliorem acquirat, ſi teneatur de ſuperfluis ſtatui præſenti eleemoſinam erogare. Reſpondeo, quod juxta ea, quæ docent Patres, & præſertim S. Thomas, id valde periculoſum judicandum eſt, ne videlicet ſollicitudo congregandi pecuniam ad gradum, & ſtatum nobiliorem aſſequendum, ſit offendiculum, quo eleemoſinas debitas facere detineamur. Ad ſummum igitur id permitti poterit, dummodo, ſtudio aſcendendi gradum majorem, aſſocietur coram Deo chriſtiana ſollicitudo non omittendi debitas eleemoſinas; ſi enim utrumque conjungi poteſt, id illicitum non erit; ſi autem alterum deficere debeat, cedat cupiditas charitati, ne in hora mortis convincamur rei ſuperfluorum pauperibus non erogatorum: nam ait S. Auguſtinus in Pſal. 147. *Multa ſuperflua habemus, ſi nonniſi neceſſaria teneamus; nam ſi inania quærimus, nihil ſufficit, fratres: quærite quod ſufficit operi Dei, non quod ſufficit cupiditati veſtræ: cupiditas veſtra non eſt opus Dei*.

Subveniendum proximo graviter indigenti etiam ex bonis ad decentiam ſtatus ſpectantibus.

XIV. Subveniendum eſt proximo in gravi & urgente neceſſitate conſtituto bonis etiam ad integram decentiam proprii ſtatus aliquatenus neceſſariis explicatam n.3. ita communior cum Suarez, & Valentia. Deducitur ex 1. epiſt. Jo. c. 1. *Qui habuerit ſubſtantiam* (non dicit ſuperfluum) *hujus mundi; & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere* (non dicit extremam) *& clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Ratio eſt; quia qui nullam omnino diminutionem pati vult quoad decentiam ſui ſtatus, (nota bene; non dico quoad ſtatum ſuum, ſed quoad decentiam ſui ſtatus) ut ſub veniat proximo graviter indigenti, & non habenti alium adjutorem, (de quo eſt ſermo) videtur carere vera charitate a Chriſto commendata. Quænam enim comparatio eſt, gravis neceſſitatis proximi alio adjutore carentis, & modicæ imminutionis decentiæ mei ſtatus? Ait enim S. Th. in 4. diſt. 15. q. 2. a. 4. in reſp. ad 1. quæſt. *Talis decentia non conſiſtit in aliquo indiviſibili; quia multis additis, homo non excedit ſtatus ſui conditionem; multis etiam ſubtractis* (nota bene) *multis etiam ſubtractis, conditio ſui ſtatus decenter conſervatur*. Quid enim tollitur de ſtatus ſubſtantiali decentia, ſi dum quatuor ſervos tenere conſueveram, unum imminuam? ſi de quinque, aut ſex equis, duos tollam? Hinc deducitur; quam facile omiſſionem mortalem incurrere poſſint Medici, Advocati, Opifices &c. qui proximum graviter opera ſua indigentem, & ab aliis certo prudenter non ſubveniendum, quamvis ab eo rogati, prætereunt, nullum ſubſidium præſtantes. Sed præcipue divites in hujuſmodi periculo omiſſionis lethalis verſantur, qui nedum quidquam de ſplendore ſtatus imminuere detrectant, ſed neque de expenſis voluptuoſis, quas frequenter faciunt, aliquid reſecare volunt, ut ſuccurrant inopiæ, fami, nuditati, honeſtati periclitanti, tot pauperum, tot virginum, tot viduarum, in ſuiſmet parœciis degentium, quibus certi moraliter ſunt, neminem ſuppetias allaturum; cum nemo ſit, qui cum minori incommodo quam quod ipſe pati debeat, eiſdem ſubvenire poſſit: Non igitur ſine cauſa dixit Chriſtus Matth. 19. *Dives difficile intrabit in Regnum cælorum: facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cælorum*: væ ergo divitibus!

Tenemur ſub mortali ſubvenire indigentibus communi neceſſitate laborantibus ex ſuperfluis ſtatui præſenti.

XV. Tenentur fideles de ſuperfluis ſtatui præſenti, & decentiæ ejuſdem, ſub mortali facere eleemoſinam proximo, quamvis ſola communi neceſſitate laboranti. Id mire oſtenditur in Evangelio Matth. c. 25. dum in Chriſti judicio condemnabuntur, qui fame, ſiti laborantibus, nudis, infirmis &c. non ſubvenerunt; hæ in primis ſunt neceſſitates communes pauperum: præterea qui condemnabuntur, quia prædictis indigentibus non ſuccurrerunt, profecto quia non ſuccurrerunt ſaltem ex ſuperfluis; ſi enim damnarentur quia non tribuerunt ex neceſſariis, adhuc majorem vim haberet argumentum: tandem ſi condemnabuntur, quia omiſerunt ſuccurrere, extat igitur obligatio ſuccurrendi ſub mor-

tali

tali. In eodem ſenſu loquuntur SS. Patres, quorum loca indigitare ſufficiat iis, qui illos videre cupiunt, ne nimius ſim in referendis eorum verbis. S. Ambroſius libro de Nabute cap. 12., S. Gregorius Nazianzeus Orat. de amore pauperum. S. Baſilius hom. in Lucæ verba. S. Hieronymus in epiſt. ad Hedibiam, S. Auguſtinus in Pſal. 147. S. Gregorius Magnus lib. 3. paſtor. c. 22. & alii. Sed audiamus S. Th. in 4. d. 15. q. 2. a. 4. *Illud autem quod neceſſarium reputatur ad aliquid, quod eſt ultra decentiam ſtatus, debet in Eleemoſinam diſpenſari; & hoc cadit ſub præcepto*. Nil clarius dici poteſt: & 2. 2. q. 87. a. 1. ad 4. *Dominus non ſolum decimam partem, ſed etiam omnia ſuperflua pauperibus jubet exhiberi, juxta illud Lucæ 11. quod ſupereſt date eleemoſinam*. Ratio etiam naturalis conſtat: quia rerum diviſio, jure gentium facta, fuit facta abſque pauperum præjudicio, ut ſit juſta: igitur fuit cum virtuali conditione, ut egentibus ſuccurratur, ſaltem ex ſuperfluis ſtatui, & decentiæ ejuſdem.

Animadverſio notanda. XVI. Quid ergo dicendum de illis; qui magnum cenſum congregant, & modicum dum vivunt erogant indigentibus, committentes deinde, ut, poſt eorum mortem, totum diſtribuatur in pauperes, ad dotandas virgines, ad erectionem hoſpitalis &c.? Reſpondeo cum gravioribus Auctoribus, eos dum vivunt lethaliter peccare; quia præceptum eleemoſinæ obligat ad diſtribuendum viventes, & non tantum morituros; quapropter, ſi dum vivunt non erogent juxta gradum ſui poſſe, & ſuæ obligationis, ſunt in continuo ſtatu peccati mortalis, quia continui tranſgreſſores præcepti graviter obligantis: & quamvis hunc defectum ſuppleant, committendo indicatas eleemoſinas, hoc tamen non efficit, quod non peccaverint; & proinde teneantur pœnitere, atque proponere, quod ſi ſupervixerint, eleemoſinam juxta debitum erogabunt. Aliter eſſet dicendum, ſi viventes, erogando interea aliquas decentes eleemoſinas, ſummam illam congregent, ut ipſis adhuc viventibus, Deo vitæ eorum propitiante, pias illas intentiones per ſe exequantur.

Uxoribus quomodo liceat eleemoſinas facere. XVII. Certum eſt, illos dumtaxat teneri eleemoſinas facere, qui dominium bonorum habent; nulli enim licet ex alieno facere eleemoſinas, niſi in ſolo caſu neceſſitatis extremæ. Et primo circa Uxores: ita diſſerit S. Thomas 2. 2. q. 32. a. 8. *Si uxor habeat alia præter dotem ... vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, poteſt dare eleemoſinas, etiam irrequiſito aſſenſu viri, moderatus tamen, ne ex earum ſuperfluitate vir depauperetur. Alias autem non debet dare eleemoſinas, ſine conſenſu viri vel expreſſo, vel præſumpto, niſi in articulo neceſſitatis*. Et in 4. diſt. 15. q. 2. a. 5. quæſt. 1. addiderat: *Non debet dare eleemoſinas ſine conſenſu viri*, (intellige de bonis familiæ) *niſi aliquas eleemoſinas communes, & modicas, de quibus ſatis ei conſtare poteſt, quod viro placeret; ſi neceſſitatem pauperis inſpiceret*. Addunt Navarrus, Bonacina, & alii, poſſe uxorem, ſi propria bona, vel ex legato, dono, arte &c. non habet, facere de bonis viri moderatas eleemoſinas, ad placadum Deum iratum aut contra familiam, aut contra virum in profundo iniquitatum prolapſum: Item ad ſuccurrendum propriis genitoribus, aut filiis indigentibus ex priori marito ſuſceptis; immo addunt aliqui, etiam propriis fratribus; idque convenientiſſimum apparet; tum quia circa hæc poſſit maritus putari non invitus; tum quia id redundat etiam in decorem mariti, bona jam habentis, ut ſupponitur; nam quod perſonæ uxori adeo conjunctæ mendicent, aut lacere, & ſeminudæ appareant, profecto in dedecus ejuſdem reſultat. Si tamen id expreſſe prohiberet, uxor obedire teneretur; tum ex debito aliena non diſtribuendi; tum ad avertendas rixas domeſticas, ne exulet domo pax conjugalis.

Quomodo liceat filiis? XVIII. De Filiis ita diſſerit S. Th. in 4. d. 15. q. 2. a. 5. in ſolutione quæſtiunculæ 2. *Filius familias non poteſt dare eleemoſinam ſine conſenſu parentum, niſi panem, & hujuſmodi, quæ non inferunt ſenſibile damnum, de quibus ſatis conſtare poteſt, quod parentibus placeat*. Et 2. 2. q. 32. a. 8. ad. 3. *Ea quæ ſunt filii familias, ſunt & patris, & ideo non poteſt eleemoſinam facere, niſi forte aliquam modicam, de qua poteſt præſumere, quod Patri placeret; niſi forte alicujus rei ſibi eſſet a patre diſpenſatio commiſſa*. Bona autem filii, quæ cadunt ſub dominio patris quoad adminiſtrationem illa ſunt quæ dicuntur adventitia, nempe quæ filio adveniunt vel ex ſucceſſione in bona materna, vel ex legato, vel ex amicorum dono, vel ex propria induſtria, proprioque labore: Item bona quæ dicuntur profectitia; quæ nimirum proveniunt ipſi filio a patre vivente; vel acquirit filius ex bonis patris, addita Explicantur varia bonorum genera

ad filios pertinentia ex quibus poſſunt vel non eleemoſinas facere.

ſua induſtria; vel donata ſunt filio intuitu patris: de his, inquam, bonis non poteſt, ex communi, facere eleemoſinam, niſi juxta menſuram a S. Doctore præſcriptam. Si tamen a patre dentur filio pecuniæ ad ſui congruam ſuſtentationem; quemadmodum poteſt id quod ſibi ſubtrahit in alios honeſtos uſus impendere, ita & multo laudabilius in eleemoſinas erogare. Ita ſi Pater mittat filio in Collegio moranti pecunias ad ſui honeſtam ſuſtentationem, in hac debent etiam computari moderatæ eleemoſinæ, quas facere conſueverunt Chriſtiani adoleſcentes ſuæ conditionis. Bona autem de quibus filius plenum dominium habet, qualia ſunt quæ dicuntur Caſtrenſia, & quaſi Caſtrenſia, poteſt filius inconſulto patre quaslibet eleemoſinas facere: Caſtrenſia ſunt, quæ filius acquirit in militia, vel occaſione militiæ, nempe ſtipendia militaria, ſpolia hoſtium, dona Ducum, vel commilitonum; item quæ obtinet propter obſequium Principis in aula: quæ ipſi dantur eunti ad prælium, vel ad obſequium Principis, nec non omnia lucra quæ ex hujuſmodi bonis proficiſcuntur vi alicujus contractus initi. Quaſi Caſtrenſia ſunt, quæ filius acquirit ex miniſterio publico nempe Judicis, Advocati, Tabellionis &c. item ex profeſſione alicujus artis liberalis, videlicet Medici, Oratoris, &c. item quæ ipſi ex Principis liberalitate donantur: item quæ ipſi proveniunt ex officio clericali, ex beneficio Eccleſiaſtico; quæ ipſi donantur, ut non pater, ſed ipſemet uſum fructum habeat. De his, inquam, omnibus poteſt omnino libere quaslibet eleemoſinas facere.

Quid de famulis & Ancillis.

XIX. Circa famulos, & ancillas ita diſſerit S. Th. in 4. q. 2. a. 5. quæſt. 3. *Dicendum de ſervis, & ancillis, & etiam de famulis, quantumvis ſint liberæ coditionis, quod non poſſunt eleemoſinas dare de rebus Dominorum, ſine eorum conſenſu.* Et quamvis ſubjungat, quod poſſint dare panem, & hujuſmodi, quæ non inferunt ſenſibile nocumentum, intelligendus eſt non de famulis, ſed de illo, qui eſt dipenſator ſeu magiſter domus: nam addit: *quia etſi ſit diſpenſator rerum, non tamen ponitur diſpenſator quaſi poteſtatem habens aliquam in rem domini, ſed quaſi tractans eam ad utilitatem Domini.* Conſulant igitur Dominos, & juxta facultatem quæ ab eiſdem concedetur, eleemoſinas faciant, aut a faciendis deſiſtant.

XX. Circa Religioſos ita diſſerit S. D. 2.2. q. 32. a. 8. ad 1. *Monachus ſi habet diſpenſationem a prælato commiſſam, poteſt eleemoſinas facere de rebus monaſterii ſecundum quod ſibi eſt commiſſum. Si vero non habet diſpenſationem, quia nihil proprium habet, tunc non poteſt facere eleemoſinam ſine licentia ſuperioris vel expreſſe habita, vel probabiliter præſumpta.* Quæ poſteriora verba intelligenda ſunt, quando non adeſt opportunitas adeundi Superiorem; nam ſi adſit, debet ipſum adire; & ſi non adſit, eroget, eleemoſinamque deinde ipſi manifeſtet, ut rata habeatur. Si autem Religioſus eſſet Beneficiarius, id quodupereſt congruæ ipſius ſuſtentationi, tenetur erogare in eleemoſinas, etiam independenter a Superiore; cum ad id teneatur ſtricto jure, ratione beneficii; quambrem circa id quod ſibi ſupereſt, neque Superior ullum jus habet. Si autem aliquid ſibi ſubtrahat de congrua ſuſtentatione, ut in eleemoſinas eroget, debet petere a Superiore licentiam; cum illud ſibi ſubtractum non ſibi, ſed monaſterio acquirat; unde ſine licentia non poteſt illud diſtribuere in uſus pauperum.

Quid de Religioſis?

XXI. Pupilli & minores poſſunt aliquid in eleemoſinas errogare juxta eorum ſtatum, & prout alii ſibi æquales facere conſueverunt, & præcipue ſi eorum Tutores, & Curatores facere omittant: tum quia ſunt Domini ſuorum bonorum, quamvis careant adminiſtratione eorumdem; tum quia id decet Chriſtianam pietatem. Similiter Tutores, & Curatores decentes eleemoſinas facere poſſunt de bonis pupillorum, & minorum, utpote quid condecens pietatem Chriſtianam, & in utilitatem pupillorum, & minorum redundans.

Quid de Pupillis & minoribus?

Digitized by Google

CAPUT IX.
DE
VITIIS CHARITATI
PROXIMI OPPOSITIS.

De Vitiis charitati proximi oppoſitis diſſerit S. Thomas 2. 2. a. 1. q. 34. uſque ad 44. & hæc ſunt: Invidia, Odium, Diſcordia, Contentio, Seditio, Scandalum, Schiſma, Bellum, Duellum, & Rixa. De Invidia jam diſſeruimus in tract. 2. cap. 3. de Peccatis, ubi de vitiis capitalibus §. 6. De Odio pariter ſatis dixiſſe putamus in cap. præce. de charitate proximi in §. 3. ubi oſtendimus quod inimicus odio habendus non ſit; de cæteris vero modo diſſeremus, expediendo primum faciliora.

§. I. *De Diſcordia, & Contentione.*

Quid ſit diſcordia & quando lethalis?

I. Diſcordia ex his quæ tradit S. D. 2. 2. q. 34. a. 1. *Eſt cordium diviſio, & diſſenſio voluntatum a bono divino, & proximi, in quo debent conſentire.* Nota ex Cajetano in comment. quod ly *in quo debent conſentire* ſignificat, quod ut diſcordia ſit lethalis, debet tollere concordiam in re graviter debita, in qua debeat eſſe concordia voluntatum. Nam ſi quis diſcordaret a proximo in re bona non debita, ſed ſolius ſupererogationis, non eſſet peccatum diſcordiæ, ſed vel indevotionis, vel tepiditatis &c., & forte nullum, ſi haberet rationabile motivum nolendi. Diſcordia eſt ex genere ſuo peccatum lethale, quia ex genere ſuo adverſatur notabiliter charitati, cum ſit disjunctio voluntatum in re debita: poteſt tamen eſſe venialis vel ex parvitate materiæ debitæ, vel ex inadvertentia.

Quid ſit contentio & quando mortalis.

II. Contentio ex S. D. q. 38. a. 1. definiri poteſt *vitium voluntatis ad inordinate altercandum, impugnando veritatem*: unde patet, quod involvit oppoſitionem in loquendo, ſicut diſcordia in volendo. Eſt ex genere ſuo lethalis, ſicut alia quæ charitati adverſantur. Quare Apoſtolus ad Gal. 5. contentiones enumerat inter opera carnis, quæ excludunt a regno Dei. Contentio autem eſt ſemper culpa mortalis 1. ſi impugnetur veritas ad fidem, bonos mores, pietatem, & juſtitiam, vel grave proximi bonum pertinens, ex intentione eam impugnandi ſerio, & non ſolum exercitii gratia. 2. Si veritas quamvis impugnetur ſolius exercitii, & inquiſitionis cauſa, attamen impugnetur vel cum gravi aliorum ſcandalo, vel cum exceſſu notabili in verbis, conviciis, maledictis. Eſt vero dumtaxat venialis, ſecluſis conviciis, ac ſcandalo, ſi ſit de re modici momenti; vel inordinatio in modo ſolummodo conſiſtat, puta ſi ſolummodo fiat cum aliqua acrimonia, clamoribus, aut ex ſtudio vincendi adverſarium.

§. II. *De Seditione, & Rixa.*

Quid ſit ſeditio & qualis gravitatis?

I. Seditio ex traditis a S. D. 2. 2. q. 42. a. 1. *Eſt tumultus ad pugnam unius partis Reipublicæ contra aliam*; quæ ſi fiat contra Principem, vocatur Rebellio; & tunc ſpecie diſtinguitur a ſeditione; quia includit formalem inobedientiam, & irreverentiam. Seditio eſt ſemper peccatum mortale, nedum contra charitatem, cum ſemper adverſetur paci, & quieti communi; ſed etiam contra juſtitiam, cum ſit uſurpatio juris, quod ſubditis non convenit; nam bellum agere, ſolius eſt Principis, vel Reipubilcæ ſuperiorem non habentis.

Quid ſit Rixa, & quando lethalis?

II. Rixa ex traditis a S. D. q. 41. a. 1. *Eſt quædam contradictio in factis uſque ad percuſſionem*, ſeu privatum bellum, ex privata auctoritate ſuſceptum, quo unus alterum lædere conatur. Ex quo patet quod ex ſuo genere ſit peccatum mortale, quamvis etiam parvam læſionem inferat, ſi in affectu gravem inferre procuraverit; eſt autem venialis ex levitate læſionis, & ex levi affectu lædendi; vel ex parte rixantium, ut cum pueri rixantur: ſi tamen quis eorum haberet affectum læſionem gravem inferendi, jam patet, quod eſſet lethalis.

§. III. *De Schiſmate.*

Quid ſit Schiſma & quale peccatum?

I. Schiſma juxta S. Thom. 2. 2. q. 39. a. 1. *Eſt voluntaria ſeparatio ab unitate Eccleſiæ:* & eſt graviſſimum peccatum, & mortale in toto ſuo genere, unde non admittit parvitatem materiæ; cum ſemper ſcindat unitatem Eccleſiæ, & ſubtrahat ſubditum Eccleſiæ ab obedientia Capitis ejuſdem.

II. Schiſ-

Schiſma purum & hæreſi admixtum.

II. Schiſma quandoque eſt purum, quandoque & plerumque hæreſi conjunctum: purum contingit, cum quis credendo omnes veritates ab Eccleſia propoſitas, nec non ſummum Pontificem eſſe Eccleſiæ Caput viſibile, nihilominus ex malitia, vindicta, ſuperbia, aut alio motivo hæreſim non involvente, non vult ſummo Pontifici ſubeſſe, eidemque obtemperare. Schiſma mixtum cum hæreſi evenit, quando quis a præfata obedientia ſe ſeparat ad hæreſim tuendam, quam abjurare non vult. Hinc omnes Hæretici ſunt Schiſmatici, non vero e contra.

Pœnæ Schiſmaticorum.

III. Pœnæ Schiſmaticorum ſunt excommunicatio ipſo facto, Pontifici reſervata: Privatio omnis juriſdictionis Eccleſiæ, & exercitii Ordinum ſuſceptorum: Inhabilitas ad beneficia obtinenda: Suſpenſio ab ordine, forte in Schiſmate ſuſcepto: Irritatio collationis omnium beneficiorum a Schiſmatico aliis collatorum: Subjectio judici Sæculari quoad pœnas temporales: Facultas procedendi contra Schiſmaticum, ut de hæreſi ſuſpectum: Hæc ex variis Canonibus.

§. IV. *De Bello.*

Quid ſit Bellum? quas conditiones requirit, ut ſit licitum?

I. Bellum ex traditis a S.Thom. 2.2.q. 40. definiri poteſt. *Congreſſio plurium vi, & armis facta contra extraneos*: ſi enim ſit paucorum contra paucos, eſt Duellum; ſi contra concives, eſt Seditio. *Ad hoc autem quod aliquod bellum ſit juſtum tria requiruntur*, ait S.D. loc. cit. a. 1. *Primo quidem auctoritas Principis, cujus mandato bellum eſt gerendum. Secundo requiritur juſta cauſa, ut ſcilicet illi qui impugnantur propter aliquam culpam, impugnationem mereantur*; quia videlicet ſatisfacere nolunt; ſi enim congruam ſatisfactionem offerant, vel oblatæ acquieſcant, non licet bellum indicere, quia eſſet vindicta. *Tertio requiritur, ut ſit intentio bellantium recta, qua ſcilicet intenditur velut bonum promoveatur, velut malum vitetur*. Idque

Duplex Bellum.

intelligendum, & media mitiora non ſuperſint. Igitur: *Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus, & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi quæ ſunt ſimilia, hæc ſunt, quæ in bellis jure culpantur*, ait S. Auguſt. lib. 22. Fauſt. cc. 72. 75. Hinc duplex eſt bellum, aliud Defenſivum, quo injuſta invaſio & aggreſſio jam ſuſcepta repellitur: aliud Offenſivum, quod ſuſcipitur ad injuriæ, vel gravis damni juſtam compenſationem, poſt petitam, & expectatam, & negatam ab adverſario ſatisfactionem. De quibus infra.

Ad quid teneatur Princeps antequam bellum indicat?

II. Urgentiſſimum procul dubio debet eſſe motivum indicendi bellum, propter graviſſima damna, quæ quamplurimis innocentibus inde emergere conſueverunt; unde non indicatur bellum, niſi judicio vere Chriſtianorum prudentum ſit indicendum: ſi enim Sapient.6. *judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet*, quoad omnia regiminis capita, profecto ſpecialiſſime quoad hoc. Ut igitur Princeps ſupremus ab hoc judicio duriſſimo evadat, tenetur primum rem diligentiſſime examinare cum viris probis & doctis circa ſubjectam materiam, ſine quorum conſilio bellum non indicat. In caſu dubio, an provincia, civi-

In caſu dubio non poteſt bellum indicere.

tas &c. ad ſe pertineat, & hæc actualiter poſſideatur ab altero, cum in dubiis in materia juſtitiæ, melior ſit conditio poſſidentis, non poteſt bellum inferre, juxta communem ſententiam; & a fortiori in opinione minus probabili ſui juris ad poſſidendum, contra probabiliorem de jure alterius. Si enim nullus judex, poſt damnatam ab Innoc. XI. theſim ſecundam, poteſt judicare ſecundum minus probabi-

Et a fortiori in caſu opinionis minus probabilis.

lem de bonis proximi, ſed judicare tenetur juxta probabiliorem; & quando eſt ferenda ſententia capitis, debet judex ſecundum omnia jura eſſe certus delictis; multo magis Principes, qui ſunt ſupremi judices, non poterunt inferre bellum, & ſententiam capitis in tot millia perſonarum, & in cauſa propria, ſequendo minus probabilem: aures arrigant Principum Conſeſtarii, & Conſiliarii.

In caſu opinionis probabilioris, poterit, ſed quomodo?

III. In caſu autem quod major probabilitas Principi faveat, & expoſuerit adverſario ſuo motiva, ut pro rata majoris probabilitatis redintegretur; ſi hic nolit, & perſiſtat, dicunt ex noſtris Bannez, Ledeſma, Prado, Victoria; ex extraneis vero Suarez, omnes relati a Colleg. Salmant. tract. 21. cap. 8. punct. 3. n. 24. quod poſſit reluctantem bello cogere ad reſtituendum. E contra negant id licite poſſe agere, Vaſquez, Villalobos, Salas, Perez, Monteſinus, Palaus, & ex noſtris Tapia, & alii relati ab eodem Collegio, qui requirunt certitudinem quod res ad ipſum pertineat. Perpenſis utriuſque opinionis motivis, ſalvo meliori judicio, probabilior apparet prima ob validiorem rationem in eo conſiſtentem, quod, ſi qui poſſidet, nullum habeat motivum poſſiden-

ſidendi, injuſte poſſidet, & totum reddere tenetur: igitur, qui poſſidet cum motivo probabili tantum, extante ex adverſo motivo probabiliore, quod juſte non poſſideat; tenebitur reſtituere pro rata probabilioritatis. Huic argumento numquam fit ſatis, & illud confer cum allatis a contrarie opinantibus, quæ ſunt.

Fundamenta contrariæ opinionis ſolvuntur.

IV. Primum: Non poſſunt reges bellum indicere, niſi ob injuriam certo & maniſeſte illatam. Reſpondeo, id eſſe petere principium; & afferire id, de quo eſt controverſia. Secundum: Nemo obligatur reſtituere poſſeſſa, niſi ſibi maniſeſte conſtet injuſtitia poſſeſſionis. Reſpondeo negando: quia quamvis hoc verum ſit in caſu meri dubii, & æqualium motivorum; non tamen in caſu probabilioris motivi, cui pro rata eſt ſatisfaciendum. Tertium: ſequeretur diviſio Regni eidem admodum perniciosa. Reſpondeo: ſequatur pro juſtitia; quia nemo fortior fieri debet ex alieno. Quartum: barbarum eſt indicere bellum ob motivum probabile. Reſpondeo negando, quod indicatur ob motivum tantum probabile, ſed probabilius; & quidem notabiliter probabilius, ut ſupponitur, & verſetur circa rem notabilem; abſonum enim eſſet vel pro re non magni momenti, aut motivo in modico tantum probabiliori bellum excitare: pro re igitur notabili, & innixa motivo longe probabiliori non eſt abſonum; neque, ut dicunt quinto loco, ſcandali occaſio, indicere bellum, immo ſcandalum parit nolle redintegrare pro rata longe probabilioris rationis.

A bello indicendo abſtinendum, quoties pejora mala ſoboleſcere prævidentur.

V. Certum eſt apud omnes Theologos, bellum a Chriſtiano Principe non eſſe ſuſcipiendum, ſi ex ipſo bello prudenter prævideantur ſecutura mala pejora illis, quibus reparandis bellum ſuſcipitur: quapropter ſi ex bello ſuſcipiendo ad reparanda damna temporalia certo moraliter prævidentur ſecutura jactura Religionis, hæreſis dilatatio, aut aliud ſimile malum, a bello indicendo eſt abſtinendum; quandoquidem debitus rerum ordo poſtulat, ut bonum inferioris ordinis cedat bono ordinis longe ſuperioris, ſi, ad illud promovendum, hoc lædi notabiliter debeat: Dei autem cultus, Religionis conſtantia, animarum ſalus ſunt bona longe majora, quam redintegratio mere temporalis privati Principis: igitur ſi hæc mala certo prudenter ex bello profectura prævideantur, abſtinendum erit a bello; & Deo Divinoque cultui offerendum, quod ſine illius jactura conſequi non valemus. Neque dicas, indicata mala ex quocumque bello profluere; unde nunquam licitum eſſet bellum indicere: Reſpondetur enim, mala indicata tunc non provenire ex natura belli, ſed ex malitia privata pugnantium; quod non verificatur in caſu noſtro, de bello videlicet, quod prævidetur ex natura ſua indicata mala progignere.

Recenſentur cauſæ juſtæ.

VI. Prima juſta cauſa indicendi bellum communiter admiſſa eſt graviſſima Principis, vel ſubditorum injuria, pro qua denegetur juſta ſatisfactio petita: nomine autem graviſſimæ injuriæ ſignificantur & perſonalis, & realis: addunt aliqui denegationem tranſitus copiarum abſque damno, qui tranſitus de jure gentium concedi ſolet: item auxilium præſtitum inimicis injuſte bellantibus: item rebellionem ſubditorum, aut defenſionem injuſtam malefactorum, ne pœnas luant. Addunt alii publicam Principis vel ſubditorum gravem contumeliam, violationem fœderis initi in re gravis momenti. Antequam autem Princeps bellum indicet, tenetur in conſcientia cum peritis & probis gravitatem cauſæ perpendere; omnia alia media opportuna adhibere; & ſola neceſſitate adigi ad bellum indicendum.

A bello ſuſcepto eſt deſiſtendum oblata plena redintegratione.

VII. Poſt bellum jam ſuſceptum & inchoatum ob redintegrationem bonorum temporalium, ſi Principi offenſo condigna offeratur ſatisfactio omnium damnorum, tenetur nedum titulo charitatis, verum etiam juſtitiæ deſiſtere a bello inchoato: ita communis. Ratio pro charitate eſt, quia oblata omnium damnorum redintegratione, ceſſat omne motivum proſequendi bellum: non erit igitur ejus proſequutio niſi mera vindicta, odiique exſaturatio, charitati repugnans. Ratio vero pro juſtitia, quia ceſſante cauſa juſta inferendorum damnorum, agitur contra jus, ſi damna inferantur; atqui oblata integra reſtitutione, ceſſat cauſa juſta damnorum per bellum inferendorum; ergo agitur contra jus. Quot enim damna nedum Principi reſtitutionem offerenti, verum etiam tot innocentibus plerumque bella non inferunt? quæ damna ſi in bello juſte continuato præter intentionem eveniunt, a quibus, ne inferantur, debes Princeps bellum agens toto niſu procurare, ut bellantes abſtineant; quomodo excuſari poterit, qui bellum continuat ſine juſto motivo? Dices, juſtum motivum eſſe injuriam irrogatam ex rejecta ante-

riori

riori petitione redintegrationis, & ex inducta neceſſitate bellum ſuſcipiendi. Sed reſpondetur, huic injuriæ ſatisfieri per humiliationem ab inimico manifeſtatam in pacis petitione, & per oblationem redintegrationis quoad omnia.

Similiter dicendum etiam pro injuriis perſonalibus Regi illatis.

VII. Idem dicendum eſt cum probabiliori etiam de bello inchoato propter injurias Principis perſonales. Ratio, qua ſimul evertitur fundamentum contrariæ opinantium, eſt: quia quoties injuriæ illatæ inveniri poteſt ſatisfactio condigna, tenetur offenſus injuriam remittere, & deſiſtere a juſta vindicta inchoata; ita ut vindictam proſequens cenſeatur certo agere contra charitatem, & moveri ex odio ad proſequendum; immo & agere contra juſtitiam; quia, redintegratione adæquata exhibita, violatur jus alterius, ſi aliquid ultra prætenditur: atqui ita eſt in caſu noſtro: igitur &c.

Excipiuntur aliqui rariſſimi caſus ſed cum limitatione.

IX. Excipiunt aliqui injurias quaſdam rariſſimas vix eventuras, puta trucidationem injuſtam filii unigeniti Regis, vel Reginæ uxoris; iſtius, vel filiæ regiæ publicam, & violentam dehonorationem per adulterium, aut ſtuprum, vel quidpiam ſimile; quibus vix inveniri poteſt condigna ſatisfactio, niſi plectendo Principem inimicum, qui hæc immania aut attentaſſet, aut juſſiſſet; & ideo dicunt, quod titulo juſtitiæ non videtur Princeps offenſus obligari poſſe ad deſiſtendum a ſuſcepto bello; quia injuriæ indicatæ videntur compenſari non poſſe niſi omnimoda deſtructione offendentis. In hypoteſi autem quod inveniretur prudentum judicio condigna ſatisfactio, & hæc exhiberetur; dubio procul teneretur deſiſtere, ob allata momenta. Titulo tamen charitatis adhuc obligatum cenſent multi Principem dictis modis offenſum, deſiſtendi a bello, quoties tota illa ſatisfactio offertur, quæ ab humano Principe offerri poteſt; tunc enim facit totum id quod humanitus, & moraliter fieri poteſt: facienti autem totum quod poteſt, non eſt deneganda venia ex lege chriſtianæ charitatis, cum ad impoſſibile nemo teneatur.

Fœdus inire cum infidelibus contra Principem Catholicum in praxi illicitum.

X. An vero Principes Catholici bellantes juſte contra alios Principes Catholicos, poſſint fœdus inire cum infidelibus aut hæreticis contra eoſdem? S. Antoninus, Sylveſter, Prado, & Tapia noſtrates, Suarez, Egidius, Caſpenſis, Bonacina, & alii plures extranei dicunt, quod per ſe, objective, & abſolute loquendo, ſtatutis prius conventionibus, quibus ab omni detrimento præcaveatur catholica religio, non ſit illicitum; per accidens autem, & ob damna quæ nihilominus plerumque eveniunt religioni, illicitum in praxi reputatur. Probatur ratione urgentiſſima Sancti Thomæ doctrinæ innixa qui in diſp. de Malo q. 1. art. 3. ad 15. hæc habet: *Aliquando per accidens alicujus effectus conjungitur ei, ut in paucioribus & raro; & tunc agens, dum intendit effectum per ſe, non apparet, quod aliquo modo intendat effectum per accidens: aliquando vero hujuſmodi accidens concomitatur effectum principaliter intentum ſemper, vel ut in pluribus; & tunc accidens non ſeparatur ab intentione agentis: ſi ergo bono quod voluntas intendit, adjungitur aliquod malum, ut in paucioribus, poteſt excuſari a peccato, ... ſed ſi ſemper, vel in pluribus adjungatur malum bono, quod per ſe intendit, non excuſatur a peccato, licet illud malum non per ſe intendat.* Huic propoſitioni majori de ſe clariſſimæ adjungitur hæc minor: atqui præjudicium religionis, & fidei ſequitur non ut in paucioribus, ſed plerumque ex hujuſmodi confœderationibus, quamvis conventiones religioni innocuæ fuerint conſtitutæ, igitur hujuſmodi fœdera in praxi non excuſantur. Veritatem hujus minoris teſtantur hiſtoriæ tum veteres, tum recentes. Audiamus teſtem oculatum, & hæc damna expertum; hic eſt Rev. Pater Sebaſtianus a S. Joachim curſus Salmanticenſis doctiſſimus continuator, in tract. 21. c. 8. pun. 3. §. 2., qui ſcribebat Salmanticæ, inchoante hoc ſæculo, ubi hæc habet: „ Minorem probant experientiæ antiquæ, & modernæ: ſufficiat domeſticas prælibare. „ Quid Catholicam religionem in tota ſere Hiſpania deſtruxit, & Mahumetanam ſuperſtitionem induxit, niſi confœderatio Marchionis D. Joannis cum Mauris contra Rodericum Gothorum Regem? Quid nunc non diſſimilia damna in Portugalia, Catalonia, Valentia, aliiſque Hiſpaniæ regnis gignit, niſi cum Anglis, & Batavis fœdus? Quæ damna hæc Salmantina Urbs, & Diœceſis, immo & tota Hiſpania paſſa non eſt ab Anglis, & Hollandis, quando duobus ab hinc annis, nullo impediente, per eam ut amici tranſierunt? Nulli, niſi qui oculis perſpeximus ſanguineis, abunde enarrare poſſunt. „ Hæc laudatus ſcriptor teſtis expertus. Si igitur ſolus tran-

tranſitus amicabilis tam grandia damna religioni intulit, qualia inferri præſumendum eſt a diu ſimul conviventibus copiis hæreticorum, & catholicorum? ab iiſdem hæreticis diu commorantibus in oppidis, & urbibus in præſidium? ab ipſiſmet, dum victores intrant fortalitia expugnata, urbeſque ſubactas? Nedum Patres noſtri annunciaverunt nobis, ſed & nos ipſi hiſce ferreis temporibus auribus noſtris audivimus. Vera igitur exiſtente majori, tum quia S. Thomæ, tum quia lumini rationis perſpicua; vera exiſtente minori, factis ineluctabilibus comprobata, conſequentia eſt legitima.

Solvitur objectio.

Objiciunt aliter opinantes factum Abrahæ Gen. 14., qui fœdera iniit cum principibus infidelibus; ſicut & Judas Machabæus illud iniit cum Romanis 1. Mach. 8. Verum hæc exempla nihil concludunt cum fœdera illa inita fuerint contra Principes infideles; eo quod illis temporibus vera religio apud Abrahami gentem, & tempore Machabæorum apud ſolos Judæos conſiſteret; quid igitur timendum erat Religioni? Immo retorqueo argumentum, duo alia exempla afferendo: primum ex 2. Paralip. cap. 16. ubi Aſa Rex Juda fœdus iniit cum Benadad rege Syriæ infideli, ut pugnaret contra Baaſam regem Iſrael: propterea reprehenſus fuit a Propheta Domini, qui illi comminatus eſt pęnam hujus criminis: *Stulte igitur egiſti; & propter hoc præſenti tempore adverſum te bella conſurgent*. Alterum eſt Joſaphat, qui cum affinis effectus fuiſſet impio Achab, fœdus cum eodem iniit ad pugnandum contra regem Syriæ infidelem, ad recuperandam Ramoth Galaad: exercitus confęderatorum fuit profligatus; & rationem ei reddidit Jehu Propheta, nempe quia fędus inierat cum Rege Achab impio, quamvis contra regem Infidelem. *Impio præbes auxilium, & bis qui oderunt Dominum amicitia jungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris*, 2. Paralip. cap. 18. 19. Quæ facta mire concludunt pro aſſertione noſtra.

Poteſt Princeps uti militiam hæretica ſubdita in juſto bello contra Catholicum Principem.

XI. Princeps habens inter ſubditos etiam hæreticos poteſt illis uti ad bellandum contra Principem catholicum: ita Sotus in 4. d. 25. q. 2. a. 1. concl. 4. & cum eo plures. Ratio eſt quia non eſt difficile præcavere damna, quæ Religioni evenire poſſunt; quandoquidem ſibi facile eſt eiſdem præcipere, ut abſtineant ab omni injuria, & ſi deobediant, facillimum illos punire. Quemadmodum igitur illos in pace ſubditos retinere poteſt; ita & in bello ipſis uti ſubditis ad pugnandum.

Damna bello illata contra præſcriptum Principis ab inferentibus reſarcienda?

XII. Duces, Milites &c. damna inferentes contra præſcriptum Principis bellum gerentis, quæ neceſſaria non ſunt ad victoriam obtinendam, tenentur reſpective ad horum damnorum redintegrationem: eſt communis, & patens, quia ſunt cauſæ injuſtæ illorum damnorum propria auctoritate illatorum. Dixi reſpective; quia ſi damna inferrent ex juſſu Generalis Supremi, cui parere tenentur, ad ipſum ſpectaret omnia damna redintegrare: & idem dices de aliis Officialibus ſubalternis, quibus milites gregales obedire tenentur.

Non eſt peccatum occidere indirecte & præter intentionem innocentes.

XIII. Certum eſt, licitum eſſe in juſto bello, nam de hoc loquimur, occidere hoſtes, occiſione tamen non crudeli, ſed quæ communiter fieri ſolet; quia illa occiſio eſt medium ad victoriam neceſſarium. Non licet tamen directe occidere innocentes, quamvis ſubditi principis inimici, quia ipſi ſunt membra inculpata illius corporis civilis; quæ membra directe occidere numquam licet. Dixi directe, quia indirecte, per accidens, & præter intentionem illos occidere in bello juſto, non eſt illicitum: puta dum non poteſt alio modo ſubigi civitas, niſi uſu balliſtarum incendiariarum, in quo caſu per accidens, & præter intentionem obſidentium evenit, ut plures innocentes occidantur &c., quia in eo caſu bonum commune victorię obtinendę prevalet bono privato illarum perſonarum innocentum. Nomine autem perſonarum innocentum ſignificantur Eccleſiaſtici utriuſque Cleri, Moniales, ſenes, mulieres, pueri, opifices, mercatores, ruſtici, extranei, omneſque illi qui non pugnant, nec bello inferendo operam ſuam contulerunt.

Qualiter licitum ſit expoliare ſubditos inimici.

XIV. Licitum eſt per ſe ſpoliare bonis temporalibus, & ipſa quoque libertate, niſi aliter conventum fuiſſet, innocentes ſubditos principis inimici in bello juſto, ſi hoc neceſſarium ſit ad finem belli; non autem extraneos, qui ibi inveniuntur, peregrinos & Eccleſiaſticas perſonas; niſi forte abſque illorum ſpoliatione victoria obtineri non poſſet; tunc enim & ipſi quoque huic calamitati ſubjicerentur: finita tamen pugna, iſti reſarciendi eſſent. Ratio primæ partis eſt; quia licitum eſt ſpoliare inimicum in membris ſuis quoad ea bona, quorum princeps inimicus dominium ſupremum habet, & talia ſunt indicata. Ratio ſecundæ partis eſt: quia tunc expoliatio illorum eſt indirecta &

præ-

præter intentionem; unde reſtituenda eisuntiilis bona, quæ ſuperfuerint, & redintegranda conſumpta, quippe quæ proprie non ſubſint dominio principis inimici.

Non eſt licitum permittere deprædationem civitatis, niſi in aliquo caſu.

XV. Abſolute loquendo, non eſt licitum tradere civitatem capiendam, vel captam militum deprædationi, niſi ex urgentiſſima cauſa: ita communis; & hoc propter innumera mala, graviſſimaſque Dei offenſas, quæ immiſceri ſolent. Qualis autem poſſit eſſe hæc urgentiſſima cauſa, ut tanta mala permittantur, & eveniant præter intentionem; quidam dicunt, quod una ſit, rebellio obſtinata civitatis: altera, nimia obſeſſorum pertinacia, qui cum rationabiliter multo ante ſe ſubmittere debuiſſent, maluerunt & proprios milites, & obſidentes inutiliter cædibus, ignibus, ærumnis, & vexationibus conſumere; unde judicetur neceſſarium, eorum pertinaciam frangere, ne in aliis obſidionibus ita crudeliter ſe gerant: tertia, in caſu quo exercitus obſidens nimium fatigatus, deſiſtere ab obſidione minitetur, niſi præda ipſi ſpondeatur; quæ tamen, nonniſi multa conſultatione præmiſſa, & depoſito coram Deo omni vindictæ, avaritiæ, inanis gloræ appetitu, præmitti debet, tamquam medium omnino neceſſarium ad victoriam: & tunc tenentur Duces, quoad fieri poteſt, inhibere militibus ea peccata, quæ in hujuſmodi depopulationibus committere, ſolent, eos abſterrendo minis &c.

Qualiter licitum ſit uti inſidiis.

XVI. Licitum eſt bellando uti ſtratagematibus, & inſidiis non proditoriis: de quibus ita diſſerit S. Thomas 2. 2. q. 40. a. 3. *Inſidiæ ordinantur ad fallendum hoſtes: dupliciter autem aliquis poteſt falli ex facto, vel ex dicto alicujus: uno modo ex eo, quod ei dicitur falſum, vel non ſervatur promiſſum; & iſtud ſemper eſt illicitum; & hoc modo nullus debet hoſtes fallere: ſunt enim quædam iura bellorum, & fœdera etiam inter ipſos hoſtes ſervanda, ut Ambroſius dicit in libro 1. de officiis. Alio modo aliquis poteſt falli ex dicto, vel facto noſtro, quia ei propoſitum, vel intellectum non aperimus; hoc autem ſemper facere non tenemur; quia etiam in doctrina ſacra multa ſunt occultanda, maxime infidelibus, ne irrideant; ... unde multo magis ea, quæ ad impugnandum inimicos paramus, ſunt eis occultanda: unde inter cætera documenta rei militaris, hoc præcipue ponitur de occultandis conſiliis, ne ad hoſtes perveniant, ut patet in libro ſtratagematum Francorum; & talis occultatio pertinet ad rationem inſidiarum, quibus licitum eſt uti in bellis juſtis. Nec proprie hujuſmodi inſidiæ vocantur fraudes, nec juſtitiæ repugnant, neque ordinatæ voluntati; eſſet enim inordinata voluntas, quod aliquis vellet, nihil ſibi occultari.*

XVII. Ex his poteſt deduci, non eſſe graviter illicitum, conſtruere pontem ruinoſum; fingere fugam, fingere oppugnationem unius arcis loco alterius vere obſidendæ: ſe fingere amicæ nationis, utendo eodem idiomate, & his ſimilia; in quibus quamvis ſæpe immiſceantur varia mendacia; tamen in circumſtantiis non excedunt, juxta doctores, venialem culpam. Injuſta autem ſtratagemata ſunt, immiſcere cibis, vino &c. venena, ut iis præda captis, inimici perimantur, frangere pactum initum; corrumpere excubias; nam eſt cooperari efficaciter gravi peccato alterius; & his ſimilia. Immo ſi conventum fuiſſet, nullis utendum inſidiis: ſtandum eſſet conventioni factæ ſub mortali. Quod intelligendum eſt, niſi hoſtes ipſi fidem fregerint, nam tunc eſt quædam compenſatio & pacta cenſentur fieri ſub hac conditione, ſi alter promiſſis ſteterit, atque fidem ſervaverit.

Indicantur aliquæ inſidiæ licitæ, et quædam illicitæ.

Etiam pro delicto ſolius principis nolentis ſatisfacere licitum eſt bellum, qui tamen ad omnia damna ſubditorum teneretur.

XVIII. Quando bellum fuit ſuſceptum propter vindicandum delictum a ſolo principe inimico patratum, & nolente pacifice ſatisfactionem dare, adhuc docent eſſe licita omnia ſuperius dicta, ob rationes allatas pro bello juſto. Teneretur tamen ſub gravi ipſe princeps reus ad omnia damna ob ſui obſtinationem ſubditis emerſa, & eſt communis; quia eſſet injuſta cauſa omnium illorum damnorum, ut patet.

Quinam captivi occidi poſſint?

XIX. Licitum eſt, captivos nocentes occidere, eo quod ſint jam morte digni: charitas tamen Chriſtiana hoc horret; & ideo plerumque a ducibus Chriſtianis id vetatur. Si autem ſe ſe dediſſent eo pacto, ne morte afficiantur, nequirent occidi abſque gravi injuſtitiæ crimine, ut patet. Innocentes autem captivos nunquam fas eſt occidere, cum ſit ab intrinſeco malum.

Nequit majus damnum inferri quam ſit debitum.

XX. Ex communi, nequit bellando inferri majus damnum, quam poſtulet redintegratio; eo quod, ut patet, violaretur æqualitas, & juſtitia.

Bona capta quorum ſint?

XXI. Ex communi pariter, bona juſto bello capta ſi ſint immobilia, cedunt Principi; ſi ſint mobilia, communiter ſunt capientium; niſi tamen aut conſuetudo, aut conventio aliter fieri obſtringat.

Quid dicendum de repreſaliis?

XXII. Repreſaliæ ſunt conceſſio alicui vel aliquibus facta, ut pro rebus injuſte

ab

Digitized by Google

ab alio ereptis, poſſit tantumdem ab eo auferri etiam violenter, & pugnando: unde ſunt quoddam partiale bellum. Hæ licitæ ſunt, ſi quinque conditionibus aſſocientur: prima, ut fiant auctoritate Supremi Principis: ſecunda, quod qui damnum intulit, nolit ſatisfacere, petita ſatisfactione; tertia, ut damnum ſibi illatum ſit omnino certum: quarta, ne plus damni inferatur, quam æquitas patitur: quinta, ne exerceantur in perſonas Eccleſiaſticas, quæ ſi damnum intulerint, deferendæ erunt Pontifici, vel Epiſcopo, qui eas compellat ad redintegrationem. Dicunt aliqui, quod in bellicis repreſſaliis invadi etiam poſſunt bona innocentium ſubditorum Principis rei; qui deinde tenebitur ſub mortali compenſare eiſdem damna, quæ ob ſui cauſam paſſi fuerunt.

Licet bellum gerere diebus feſtivis.

XXIII. Licitum eſt bellare diebus feſtivis: ita S. D. 2. 2. q. 40. a. 4. *Quia obſervatio feſtorum non impedit ea, quæ ordinantur ad hominis ſalutem etiam corporalem: unde Dominus arguit Judæos dicens Jo. 7. mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbatho: & inde eſt, quod medici licite poſſunt medicari homines in die feſto: multo autem magis eſt obſervanda ſalus Reipublicæ per quam impediuntur occiſiones plurimorum, & innumera mala temporalia & ſpiritualia, quam ſalus corporalis unius hominis; & ideo pro tuitione Reipublicæ fidelium, licitum eſt juſta bella exercere in diebus feſtis, ſi tamen hoc neceſſitas expoſcat; hoc enim eſſet tentare Deum ſi quis imminente tali neceſſitate, vellet a bello abſtinere*. Notandum ex Doctiſſimis Cajetano, & Bannez, quod limitatio addita a S. Doctore *ſi neceſſitas expoſcat* non efficit, ut ſi tanta non adſit, bellare evadat peccatum mortale, ſed eſſet veniale tantum: Putarem autem vix inveniri poſſe certamen juſtum, quod abſque neceſſitate actum ſit; nam Duces ſemper illud committere expectant in talibus circumſtantiis, quod ſi vel præveniatur, vel differatur, evaneſcit ſpes victoriæ obtinendæ cum magna publici boni jactura.

Notabile magni momenti pro militiæ profeſſoribus.

XXIV. Illud autem notare debent militiæ profeſſores, quod una cum Cajetano verbo *Bellum*, docet communior, & probabilior, nempe, quod bello juſto opem ferre, nullum peccatum eſſe conſtat, ſi certum ſit, eſſe juſtum: ſi vero certum non ſit, ſubditi principis indicentis bellum excuſantur, obedientes Domino ſuo, dicente Auguſtino, qui refertur a Gratiano in c. qui culpatur 23. q. 1. *Vir juſtus, ſi forte etiam ſub rege & homine ſacrilego militet, recte poteſt, illo jubente, bellare, ſi quod ſibi jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt; ita ut fortaſſe reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi*. „ Excuſatur ergo ſubditus in bello, de quo neſcit, „ an ſit juſtum, ratione obedientiæ; ſicut etiam excuſatur miniſter judicis occidens damnatum per ſententiam, ſi non „ contineat errorem manifeſtum; & univerſalis ratio, quare in dubiis obedientia excuſet, eſt, quia non eſt ſubditorum diſcutere conſilia, definitioneſque „ dominorum ſuorum, ſed præſumenda „ ſunt juſta, niſi manifeſtam contineant „ iniquitatem. Nec excludo a ſubditis milites illos mercenarios, qui ſub continuis ſtipendiis Regis alicujus degunt, „ tam pacis, quam belli tempore; hi ſiquidem tamquam ſubditi habendi ſunt. „ Fac ergo, Confeſſarie, differentiam inter extraneos, qui tempore belli dubii inveniuntur prius ſtipendiati ad bellica exercitia talis Regis abſolute, & „ illos, qui tunc conducuntur; nam primi reputantur tamquam conducti ad „ juſti belli miniſterium, & ordo ſerviendi, quo ſubeſſe Regi noſcuntur, efficit, „ ut non ſit eorum, diſcutere adamuſſim „ juſtitiam belli: ſecundi autem ideſt non „ ſubditi, ſimiles ſunt illis, qui ſub dubio judice conduci vellent, quos conſtat, non tute exponere ſe periculo injuſtitiæ exercendæ". Hæc Eminentiſſimus ille. Milites ergo, Duces &c. qui non ſunt ſubditi, ſed ſolum conducuntur inchoante bello, tenentur prius certiores reddi de belli juſtitia, vel ſaltem quod probabilius ſit juſtum. A fortiori, qui nulla habita ratione juſtitiæ, vel injuſtitiæ belli, primo conducentibus, & ſolo pecuniæ ſonitu ſe offerunt, ſunt in manifeſto ſtatu peccati mortalis; quia nil curant, juſtene, an injuſte damna illaturi ſint illis, contra quos pugnare ſunt diſpoſiti.

Varii caſus, in quibus milites graviter peccant.

XXV. Poſito igitur quod nullo reatu teneatur ex parte belli, in quo pugnant, mortaliter peccare poſſunt variis modis etiam juſto bello inſervientes: & quidem ſi a caſtris occulte fugiant, ea deſerendo: ſi a loco ſeu ſtatione ſibi commendata recedant: ſi arcem ſibi commiſſam non defendant quamdiu poſſunt: ſi fugiant arte deſperatam victoriam, aut aliis metum incutiant: ad quæ omnia tenentur cum vitæ periculo, quia ad hoc ſunt conducti.

Item ſi non contenti propriis ſtipendiis, ab incolis innocentibus victualia, vel alia extorqueant; & ad hoc abſtinere tenentur, etiam imminuto ſibi ſtipendio pacto; quia bona incolarum non ſunt oppignorata pro ſtipendiis militum: quod ſi diſſimulatio Ducum videatur hujuſmodi extorſiones approbare, injuſte agunt tam Duces diſſimulando, quam milites extorquendo, ſolo caſu urgentiſſimæ neceſſitatis excepto, in quo niſi ita ſibi providerent, inhabiles ad pugnandum redderentur; & dummodo illa exigant, quæ ſoli præſenti neceſſitati reparandæ ſunt requiſita. Item mortaliter peccant; ſi temere & abſque nulla neceſſitate, vel Ducis commiſſione mortis periculo vitam exponant; quia ſe obligarunt illam exponere debitis temporibus, & juſſu ſuorum Ducum; illamque prodigentes injuſte agunt nedum apud Deum, ſed etiam apud Principem. Item ſi receptores, a quibus in tranſitu, vel ad hyemandum hoſpitio excipiuntur, ultra ea, quæ debent ipſis miniſtrare de mandato Principis, aliis moleſtiis, & damnis gravent. Et pro pleriſque horum peccatorum fiunt obnoxii reſtitutioni vel pro toto, vel pro rata reſpective, quippe quod peccant contra juſtitiam commutativam.

Varii caſus, in quibus Duces graviter peccant.

XXVI. Peccant graviter Duces, ſi ex gravi incuria, aut modico erga milites amore, faciant exercitum caſtrametari in locis inſalubribus, ſibi fluxus, aliaque gravia incommoda contrahere poſſit: & hinc ad omnia damna tenentur tam Principi, quam privatis reſultantia. Si applicent ſibi pecunias vel in toto, vel in parte pro militum ſtipendiis acceptas, vel ſi pro majori numero militum, quam revera ſit, ſtipendia exigant, & recipiant, pro quo tenentur Principem redintegrare. Si militibus veteranis dimiſſis, novos congregent minori ſtipendio a ſe conductos, ſibique retinendo partem majoris ſtipendii, quod veteranis dabatur, idque cum magno exercitus detrimento, qui victoria non raro privatur ob talem mutationem propria auctoritate factam; & etiam pro hoc ad omnia damna tenentur. Si vel ex toto vel ex parte ſtipendio militum ſibi applicato, permittant, milites exactiones, & extorſiones exercere in incolas, ruſticos &c. ut ſibi neceſſaria provideant; cum onere reſtitutionis omnium damnorum. Si victualia non adminiſtrent militibus prout debent, ſive negligendo eorumdem procurationem, ſive diſpenſando minus quantitate taxata, ſive corrupta victualia miniſtrando, ut carius vendant optima aliis, ſive illos conſtringendo ad illa emenda, quæ emere non tenentur: & etiam pro hoc ad omnia damna reſpective inde ſecuta tenentur. Si pecuniam accipiant ab incolis pagorum & locorum per quæ tranſeunt cum exercitu, ne apud ipſos diverſentur, cum revera alibi diverſari decreverant; quia fraudem committunt: vel tametſi non decreverint, non poſſunt illam pecuniam accipere, ſub promiſſione apud ipſos non diverſandi; id namque in aliorum locorum finitimorum præjudicium reſultat; quia quo pluribus promittunt, accepta pecunia, eo magis gravantur illi apud quos diverſantur, cum jam alicubi diverſari debeant: cum igitur in Ducum libertate ſit in aliquo pago diverſari, quem reputant opportuniorem, contra juſtitiam eſt, accipere pecuniam ab incolis talis loci, data ſecuritate apud ipſos non diverſandi; hæc enim ſecuritas illis data, aliis eſt injurioſa; omnes enim pagi debent quoad hoc æqualiter conſiderari; itaut in illo diverſentur, qui opportunior judicatur. Tandem ſi dum de mandato juſto Principis, vel Generalis ſupremi colligere debent duces ſubalterni ex hoc pago, V. G. decem mille ducatos, recipiunt munus ſibi applicandum, puta ſex ducatorum ab aliquo privato, ne ab ipſo exigant portionem illam, quæ ipſi contingeret, puta triginta ducatorum, Principi, vel Generali conſignandam, ex hoc enim neceſſe eſt, magis gravari reliquos incolas ad præfatam ſummam decem millium ducatorum congregandam, ac proinde tenentur ad reſtituendum aliis id, in quo magis gravati fuere ob munera ab exemptis recepta.

Varii caſus in quibus Principes graviter peccant bellando.

XXVII. Principes Supremi bella ſuſcipientes peccare poſſunt graviter: Primo, ex defectu juſtæ cauſæ, ut ſuperius innuimus, nempe vel nolendo admittere oblatam ſatisfactionem; vel bellum ſuſcipiendo ex cauſa dubia, aut, quod eſſet pejus, minus probabili; vel intentione odii exſaturandi. Secundo, ex defectu debiti modi, nempe majora inferendo damna, bello alioquin juſto, quam æquitas patiatur; vel quia debitam ſollicitudinem non habent, ne innocentes damno afficiantur. Tertio, ex defectu ſtipendiorum, quæ ſi vel non erogentur, vel differantur, vel imminuantur, innumera propemodum mala a militibus perpetrantur furtorum, rapinarum &c. Excipiendus eſt caſus, quo

Prin-

Princeps de repente aggreſſus non potuerit ſe præparare, & pecuniam congregare &c., tunc enim cum afflicto capite etiam membra pati congruentiſſimum eſt, unde & ipſi duces, milites, cæteriſque officiales ſuſtineant reſpective dilationem, diminutionem &c. quouſque poſſit, & integre, & prompte ſtipendia dare. Caveant igitur a nimia circa hoc negligentia, matre infelici innumerabilium damnorum, queis reparandis ipſi tenerentur. Quarto, ex defectu vigilantiæ, præcipue ſupra Duces, aliosque dignitate præditos, an ſua munera adimpleant, circa ſtipendia militum, circa diſciplinam eorumdem; ne milites prætergrediantur confinia chriſtianæ, & catholicæ militiæ, ne in exercitu alantur ſcorta, ne divina Majeſtas blaſphemetur, ne finitimi innocentes vexentur, ne honeſtæ mulieres dehonorentur, ne delicta a militibus perpetrata impunita evadant.

Clericis & Monachis non licet bellare. XXVIII. Bellare eſt ſub gravi interdictum perſonis Eccleſiaſticis utriuſque Cleri, & quidem jure poſitivo pluribus in locis, a Gratiano in 2. part. Decret. congeſtis. Rationem ſeu congruentiam affert S. Th. 2. 2. q. 40. a. 2. quæ ad duo capita reducitur, nempe primum: *Quia bellica exercitia repugnant illis officiis, quibus Clerici deputantur*. Secundum *quia omnes Clericorum Ordines ordinantur ad altaris miniſterium, in quo ſub Sacramento repræſentatur paſſio Chriſti.... & ideo non competit eis occidere, vel effundere ſanguinem &c.* Cum autem Canones loquantur de clericis in ſacris conſtitutis, propterea, non judicatur mortale peccatum, ſi clerici in minoribus bellent, quamvis irregulares evadant, ut ſupponitur. Regularibus autem converſis, ideſt non choriſtis, & profeſſis eſt ſub mortali vetitum, ut docet Bonnez loc. cit. Sum. dub. 1. Concluſ. 2. Quia Canones aperte id prohibent omnibus Monachis, ſub quorum nomine comprehenduntur dicti profeſſi; & quidem ob magnam indecentiam.

Aliquando excuſantur. XXIX. In aliquibus caſibus tamen omnes præfati excuſantur ſi armis pugnent: 1. ex neceſſitate ſe ſuoſque tuendi ab injuſtis aggreſſoribus: 2. quando bonum commune fidei, aut Patriæ id poſtulat in earum gravi periculo, & neceſſitate: 3. Quando ſuſcipiuntur bella contra infidelem motivo ſolius Religionis Catholicæ defendendæ. In quibus caſibus, ſi occidant vel mutilent aliquem, incurrunt Irregularitatem, non ob delictum, ſed ob lenitatis defectum, ut pluribus Sacrorum Canonum textibus oſtendit P. Lucius Ferrari in ſua Bibliotheca Canonica, verbo Bellum, art. 5. a num. 3. uſque ad 10. incluſive: quam non incurrunt, ſi tantummodo vulnerent, aut percutiant, ſine occiſione aut mutilatione.

Rem hanc ſedulo expendit, ac perſpicue declarat Eminentiſſimus Cardinalis Lambertinus poſtea S. P. Benedictus XIV. *Inſtit.* 101. In primis videndum eſſe aſſerit, an bellum æquitati conſentaneum ſit, vel non, ſeu num bellum juſtum ſit, vel injuſtum?

Si bellum ſit injuſtum „ irregulares „ fiunt, *inquit n.* 8., illi etiam, qui nullum ex hoſtibus necarunt, aut mutilarunt, dummodo militum aliorum opera „ aliqui ex hoſtibus mutilati, vel interfecti fuerint. Id unanimes fatentur Theologi. Recentiores vero ſic explicant, ut „ illos ſolum irregulares exiſtiment, qui „ licet neminem occiderint, aut mutilaverint, operam tamen ſuam præbuiſſe cenſeantur illis, qui necem hoſtibus intulerunt, aut illos parte aliqua corporis imminuerunt. Porro vicinioribus, & circumadſtantibus id tribui poteſt, non vero illis, qui remota in parte exercitus „ conſiſtunt. Excogitari quidem nequit „ poſt aciem inſtructam, quæ longiſſimum „ agri ſpatium occupat, eos milites, qui „ in ſiniſtro cornu poſiti neminem mutilarunt, aut occiderunt, eos, inquam, „ contuliſſe operam reliquis militibus, qui „ in dextero complures hoſtes morti dederunt, aut ferro mutilarunt. Nonnulli „ quoque arbitrantur irregulares fieri Laicos, qui bellum injuſtum capeſſunt, ſi „ ipſorum comites occiderint, aut aliquem „ ex hoſtibus mutilaverint, quamvis illis „ nihil tale quidpiam commiſerint; Clericum vero injuſte decertantem putant irregularitati penitus obnoxium, licet „ nec ipſe, nec cæteri milites gladio interfecerint hoſtes, nec eos quidem mutilaverint. At vero cum jus Pontificium „ id Clerico ejuſmodi nequaquam decernat, hæc ſententia probari nequit, uti „ Suarez luculenter oſtendit.

„ Sin autem bellum juſtiſſimum appareat, tunc bellum defenſionis a bello „ offenſionis oportet ſecernere, & bellum „ pariter, ubi quis hoſtem manu interfecit, vel mutilavit, & bellum, ubi nullum ipſe ex his facinus, ſed alii ejus „ milites admiſerunt. Cum bellum juſtum „ ad defendendam Patriam, Eccleſiamque „ ſuſcipitur, Laicus, qui pugnando hoſtem

Digitized by Google

„ interficit, nulla irregularitate devinci-
„ tur. Idem prorſus de Clerico ſtatuendum
„ eſt, ſi juſſus bellum ineat, nec pro Ec-
„ cleſia, vel Patria tuenda Laici ſufficiant.
„ Quod ſi bellum juſtum ad offendendum
„ ſuſcipiatur, accurate perpendi debet,
„ utrum Laicus, aut Clericus hoſtem ma-
„ nu ſua peremerint, vel mutilaverint.
„ Nam ſi ipſi nihil horum patraverint,
„ omni prorſus irregularitate immunes
„ habentur, licet alii milites in eadem
„ acie hoſtes morte affecerint, aut aliqua
„ parte corporis imminuerint. In bello
„ ejuſmodi nihil intereſt, quid alii geſſe-
„ rint, & ſolum oportet expendere, quid
„ Clericus, aut Laicus, de quibus agi-
„ mus, manu ſua perfecerint, ut inde
„ ſtatuatur, utrum irregularitatem ſubie-
„ rint. Ita fuſe demonſtrat Schmalzgrue-
„ ber, qui plures alios ejuſdem ſententiæ
„ Theologos enumerat.

„ Honorii III. reſponſum rem totam fa-
„ cilius declarat. Ipſum datum fuit Sa-
„ cerdoti Pelagio, ſeu Serotino, qui an-
„ xius, ac ſollicitus de interfectis Turcis,
„ qui oppidum ſuum invaſerant, ad Pon-
„ tificem confugerat: *Petitio tua* (inquit
„ Pontifex) *nobis exhibita continebat, quod*
„ *cum inimici Dominicæ Crucis, ac blaſphe-*
„ *mi nominis Chriſtiani, caſtrum quoddam,*
„ *in quo morabaris, graviter invaſiſſent,*
„ *exeuntibus inde habitatoribus tam Cleri-*
„ *cis, quam Laicis contra eos, ac invi-*
„ *cem confligentibus, hinc inde occiſi quam-*
„ *plurimi extiterunt: Unde cum pro eo quod*
„ *aliquos percuſſiſti, irregularitatem metuas*
„ *incurriſſe: Mandamus, quatenus ſi de*
„ *interfectione cujuſquam in illo conflictu*
„ *tua conſcientia te remordet, a miniſte-*
„ *rio Altaris abſtineas reverenter, cum*
„ *ſit conſultius in hujuſmodi dubio abſti-*
„ *nere, quam temere celebrare*; Ex his
„ ſane verbis deſumitur irregularitati non
„ eſſe obnoxium Sacerdotem, qui bellum
„ juſtum offenſionis iniverit, incertuſque
„ eſt, utrum aliquem in conflictu neca-
„ verit, aut mutilaverit, quamvis alii
„ multos interfecerint, aut mutilos red-
„ diderint. Id Pontas ductus eadem Pon-
„ tificis auctoritate, & Conventus Con-
„ domi habiti recte, ac ſapienter per-
„ pendunt..

„ Poſtremo etiam accedit irregularem
„ haud fore Clericum, aut Laicum, qui
„ manu ſua aliquem peremerit, aut mu-
„ tilaverit, ſi has cædes patravit, ut vi-
„ tam ſuam in diſcrimine poſitam vindi-
„ caret: ſic decernitur in *Clementina ſi fu-*
„ *rioſus, de homicidio*. Equidem plures in
„ dubium revocant, utrum hæc Pontificis
„ Conſtitutio non ſolum privatas rixas,
„ ſed etiam pugnas, & conflictus comple-
„ ctatur: tamen unanimi conſenſu major
„ pars Theologorum exiſtimat tum priva-
„ tis in diſſidiis, tum in præliis locum
„ obtinere rationem tutandæ vitæ, & pro
„ qua hoſtis necandus eſt. Quapropter, ſi
„ Pontifex immunem irregularitate decla-
„ rat eum qui *cum moderamine inculpatæ*
„ *tutelæ* privatim rixando adverſarium
„ ſuum interficit, immunis quoque irre-
„ gularitate cenſendus eſt, qui in acie pu-
„ gnando, ſervatoque eodem moderamine
„ cædem committit. Hinc memoriæ pro-
„ ditur, Patrem Anſelmum Petramella-
„ ram Capuccinum, qui manu ſua ſe-
„ ptem Turcas obtruncavit, cum victo-
„ ria ſuperbi atque inſolentes navim ejus
„ invaſerunt, ad pedes S. Pii V. ſuppli-
„ cem, ac provolutum, ut irregularita-
„ tis vinculo ſolveretur, omni prorſus
„ irregularitate immunem a Pontifice de-
„ claratum fuiſſe, eo quod parumper de-
„ poſito Crucis ſigno, quod manibus ge-
„ rebat, enſem diſtrinxerat, ut vitam de-
„ fenderet, pro qua tuenda ſeptem ex
„ hoſtibus neci tradiderit. Id Bove-
„ rius, idemque Raynaldus commemo-
„ rant."

§. V. *De Duello.*

Quid ſit Duellum, & quotuplex?

I. DUellum definitur duorum, vel paucorum ſingulorum contra ſingulos certamen, adverſus ſe invicem pugnantium, ad vulnerationem, mutilationem, vel mortem alterutris inferendam, initum auctoritate privata, & ex condicto, mutuoque conſenſu, cum determinatione loci, & temporis. Omnes & ſingulæ iſtæ conditiones requiruntur, ut duellum ſit proprie tale, pœniſque Eccleſiaſticis obnoxium. Duellum eſt duplex, Solemne, & Simplex: primum fit interventu quarumdam cæremoniarum a dæmone adinventarum, nempe provocationis per litteras, electionis armorum, præſidentiæ patrinorum, & aliorum forte diabolicorum rituum. Secundum caret dictis ſolemnitatibus; fit tamen cum omnibus circumſtantiis in definitione expoſitis; & idcirco æque ac illud pœnis Eccleſiaſticis punitur.

Omne Duellum vetitum jure naturali.

II. Omne duellum tam quoad provocationem, quam quoad acceptationem, quam, a for-

a fortiori, quoad pugnam, auctoritate privata aut indictum, aut acceptatum, aut, a fortiori, executum, eſt juxta omnes peccatum mortale, jure naturali prohibitum in quinto Decalogi præcepto; quia per duellum voluntarie, & irrationabiliter propria, ac proximi vita evidenti gravi periculo obiicitur; quod nemini privata auctoritate unquam licet: & alioquin eſt medium omnino ineptum ad probandam innocentiam, ad veritatem demonſtrandam, ad litem dirimendam, ad injuriam vindicandam; ad ignominiam evadendam, ut egregie ſæculo noſtro demonſtravit percelebris ille vir Marchio Scipio Maffejus in ſuo libro inſcripto *la Scienza Cavallereſca*. Nam quoad ultimum (a quo adhuc non pauci obcæcati detinentur) verus honor, etiam humanus, non a judicio perditorum hominum pendet, ſed a judicio ſapientum, cordatorum, prudentum, & vitam honeſte ducentium: atqui omnes hujuſmodi homines deteſtantur dementiam illorum, qui ob tam futile motivum, quale eſt ob timorem incurrendi timiditatis notam apud paucos perditos & exleges, vitam evidenti periculo exponere eligunt; cum alioquin extet alia chriſtiana, & honeſta via, excutiendi talem notam, ut ſtatim indicabimus: ergo ineptum eſt duellum etiam ob hoc motivum. Jure igitur merito Alexander VII. confixit theſim ſecundam in qua dicebatur: *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Quomodo evadatur nota timiditatis?

III. Quomodo itaque hæc nota evadetur? eam evadet provocatus, ſi reſpondeat, ſe, utpote Chriſtianum, & Eccleſiæ filium, ſuoque Principi fidelem ſubditum, duella non acceptare, a Deo lege naturali, ab Eccleſia legibus canonicis, a Principe legibus civilibus ſevere interdicta: nihilominus ſe intrepide eſſe paratum ad juſtam defenſionem propria manu, & enſe ſuſcipiendam contra quoſcumque injuſtos aggreſſores. Dic mihi, quæſo, ita ſe gerendo, quam timiditatem oſtendit? nullam profecto, niſi forte apud ſtultum aliquem, impiumque ſicarium; & niſi dicere velimus, quod valor oſtendatur, non ſe ſtrenue defendendo, ſed alios injuſte, impie, & contra obedientiam in determinato loco, & tempore invadendo; quo nil abſurdius dici poteſt.

Reſolvuntur varii caſus.

IV. Si igitur in tuum inimicum, vel in alium perditum hominem offendas, qui te ad ſecum ſtatim pugnandum provocet; & niſi acceptes, minatur tibi mortem, mutilationem &c. & tu prudenter timeas illum minas executurum, niſi acceptes; licitum eſt tibi acceptare, pugnare, te defendere, & etiam, niſi aliter te defendere poſſis, quam illum occidendo, etiam occidere, (ut fuſius dicetur in tractatu de quinto præcepto) in hoc enim caſu non duellum acceptas, ſed tuam vitam neceſſario defendis. Similiter ſi Judex iniquus tibi innocenti accuſato mortem indicat, niſi in duello pugnes cum tuo accuſatore, non peccas pugnando, & te defendendo juxta dudum dicta, ob eamdem rationem: immo, quamvis Judex comminaretur tibi non mortem, ſed aliud grave malum; quia ſicut licet ſe defendere a gravi læſione intentata ab injuſto aggreſſore, vel res ſuas in ſumma valde notabili ab injuſto raptore; ita etiam in hoc caſu. At quid dicendum, quando non acceptans eſt moraliter certus ſe amiſſurum Magiſtratum, Officium &c. quo ſe & familiam alit, ſe perpetua infamia notatum iri, ita ut ab exercitu, cui eſt aggregatus, ſit expellendus, cum certo moraliter periculo ſe non amplius inventurum modum, quo vitam tranſigat, præterquam victum emendicando, niſi acceptet, & pugnet? Doctus quidam recentior tract. 5. in 5. Decalogi præceptum ſect. 4. n. 104. reſpondet acceptare poſſe; & affert plures Auctores; circa quod monendum puto, illos ſcripſiſſe antequam Alexander laudatus configeret theſim relatam; & propterea eorum auctoritas in hoc caſu ſit prætermittenda.

Caſus difficilis, et praxi obnoxius.

Solutio caſus.

V. Nobis videtur diſtinctius eſſe procedendum, ne in theſim damnatam, aut in doctrinam eidem finitimam impingamus. Et primo dicimus, eſſe illicitum, & cenſuris obnoxium, ſi a viro equeſtri, vel militari acceptetur duellum ob motiva non amittendi dignitatem, aut favorem Principis, quæ tamen admittit laudatus recentior ut ſufficientia, ad talem virum excuſandum; hoc enim videtur coincidere ſaltem virtualiter cum doctrina theſis reprobatæ, ut etiam notavit P. Viva ſuper dictam theſim num. 10. ubi monet non eſſe audiendum P. Laymam, quem ſecutus eſt laudatus recentior; eo quod vir ille equeſtris, aut militaris poſſit reſpondere, ſicuti ſupra indicavimus; quo reſponſo nedum ullam timiditatem oſtendit, verum etiam magnam audentiam manifeſtat. Reducto igitur caſu ad illas anguſtias,

Digitized by Google

ſtias, quod, niſi acceptet, certus moraliter ſit, ſe ad mendicitatem redactum iri; ita ut acceptare & pugnare, non tam ſit duellum inire, quam ſe defendere ab injuſto omnium ſuorum bonorum expoliatore; qui caſus reducitur ad illum ſuperius poſitum; & putamus longe diverſum ab illo theſis damnatæ: aliud enim eſt acceptare, ne timiditatis nota incurratur; & longe aliud, ne ab injuſto invaſore de ſtatu honeſto ad mendicitatem redigatur; idcirco, ſecluſo omni ſcandalo, fortaſſe apparere poteſt licitum acceptare ob purum motivum defendendi illa bona, ad honeſtam vitam viri equeſtris, aut militaris neceſſaria: dixi fortaſſe; quia non ſine metu hæc proferimus; & ſapientiori judicio emendanda ſubjicimus. Ita ſcribebam in prima editione, quia nondum emanaverat Conſtitutio Regnantis Pontificis Benedicti XIV., data quarto Idus Novembris anni 1752. quæ incipit *Deteſtabilem*, in qua quinque ſequentes reprobantur Propoſitiones.

I.

Vir militaris, qui, niſi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidoloſus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo ſe ſuoſque ſuſtentat, privaretur; vel promotionis, alias ſibi debita ac promeritæ, ſpe perpetuo carere deberet, culpa & pœna vacaret, ſive offerat, ſive acceptet duellum.

II.

Excuſari poſſunt etiam, honoris tuendi, vel humanæ vilipenſionis vitandæ gratia, duellum acceptantes; vel ad illud provocantes, quando certo ſciunt pugnam non eſſe ſecuturam, utpote ab aliis impediendam.

III.

Non incurrit Eccleſiaſticas pœnas, ab Eccleſia contra duellantes latas, Dux, vel Officialis militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amiſſionis famæ, & officii.

IV.

Licitum eſt in ſtatu hominis naturali, acceptare, & offerre duellum, ad ſervandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulſari nequit.

V.

Aſſerta licentia pro ſtatu naturali, applicari etiam poteſt ſtatui Civitatis male ordinatæ, in quo nimirum, vel negligentia, vel malitia Magiſtratus, juſtitia aperte denegatur.

Ne igitur videar, vel ſpecietenus, ad primam harum damnatarum theſium accedere, rejicio animadverſionem, quam ſapientiori judicio examinandam, & emendandam propoſueram nu. V., atque, poſt S. Sedis Oraculum, conticeſcat omnis lingua.

Reſolvitur alius caſus.

VI. Mortale procul dubio eſt provocare, acceptare &c. quamvis ex prævia & occulta conventione pugnantium non ſe lædendi, & ex firmo pacto quod patrini ſint vix cæptam pugnam impedituri, immo etiam ne incipiatur prohibituri; unde duellum ineatur ad meram pompam. Ratio eſt, quia eſt manifeſtum ſcandalum, ad ſpeciem etiam duelli reducendum. Cum igitur hoc non ſit duellum niſi apparenter, propterea non videntur incidere in cenſuras contra duellantes inflictas, ſaltem in foro conſcientiæ; quia cum forum judiciale externum verſetur circa actiones externas, quæ in caſu reatum duelli præſeferunt, poterunt ab Eccleſia ut vere duellantes puniri. Vide ſecundam ex relatis theſibus confixis.

Quo caſu poſſit eſſe licitum?

VII. Poteſt duellum eſſe licitum in caſu, quo Principes inimici bellantes convenirent, ne exercitus totus exponatur cladi, ut duo, ſelecti ab ipſis, ſoli pugnarent, & victoria adſcriberetur exercitui duellantis victoris; tenerentur tamen Principes illi cautiſſime perpendere, an affulgeat prudens & probabiliſſima ſpes victoriæ in illo ſingulari certamine, quæ ſperari nequiret, ſi exercitus contra exercitum præliaretur.

Pœnæ contra duellum.

VIII. Pœnæ ab Eccleſia contra duellum inflictæ ſunt ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 19. *Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris ſuis inter chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſunt excommunicati, ac juriſdictione & dominio Civitatis, Caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, privati intelligantur; & ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquirantur: Qui vero pugnam commiſerint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationi, ac omnium ſuorum bonorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrere, & ut homicidæ juxta ſacros canones puniri debeant; & ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuo careant Eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam qui conſilium in cauſa duelli tam in jure, quam in facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam ſuaſerint; nec non ſpectatores excommunicationis, ac perpetuæ maledi-*

diſtionis vinculo teneatur, non obſtante quocumque privilegio, ſeu prava conſuetudine, etiam immemorabili: Hactenus Concilium: quæ a Doctoribus intelligebantur de duello ſolemni ſuperius explicato.

Aliæ pœnæ.

IX. His pœnis S. Pius V. in Conſtitutione incipiente: *Ea quæ a prædeceſſoribus*, addit etiam crimen læſæ majeſtatis, carceris, inhabilitatis ad condendum teſtamentum, aliaſque conſimiles; quas extendit etiam ad ſubſcribentes chartas procuratorias circa hoc, eaſdem affigentes, aut publicantes; nec non privationem beneficiorum, atque inhabilitatem ad ea expetenda, vel alia obtinenda, ſi forte hujuſmodi res perpetrantes, fuerint Eccleſiaſticæ perſonæ.

Extenſio pœnarum.

X. Gregorius XIII. Pii ſucceſſor in Conſtitutione quæ incipit: *ad tollendum* extendit pœnas a Tridentino inflictas etiam ad duella ſimplicia ſupra explicata, & idem fecit Clemens VIII. in Conſtitutione incipiente *illius vices*; & ambo nedum extendunt præfatas pœnas ad duella ſimplicia, ſed etiam ad provocantem, & acceptantem, quamvis pugna non ſequatur, ſi ad locum acceſſerint deſignatum, & per eos non ſteterit, quominus pugnarent. Et Clemens VIII. in eadem Conſtitutione reſervavit abſolutionem ab hac excommunicatione S. Sedi, quam reſervationem cum pœnis ſupra recenſitis extendit etiam ad ſuadentes, vel ſtimulantes ad ineundum duellum, ad ſpectatores de induſtria, ad ſcribentes, mittentes, & vulgantes folia provocantia, nec non ad eorum fautores, & complices, ad præbentes conſilium, commeatum, arma, equos, auxilium; vel quamvis hæc non præſtiterint, tamen ut ab aliis præſtarentur procuraverint, quocumque modo, quamvis pugna ſecuta non fuerit: immo comprehendit ſubdictis pœnis, & reſervatione illos, qui paciſcuntur de dirimenda pugna, ſtatim ac alter pugnantium fuerit etiam leviter vulneratus. Tandem idem Clemens alia Conſtitutione privavit Regulares, non obſtantibus eorum privilegiis, poteſtate abſolvendi a præfata excommunicatione delinquentes intra Italiam, & extra Urbem.

Decedens in certamine eſt privandus Eccleſiaſtica ſepultura quam.

XI. Quæres, an moriens in conflictu, ſi det ſigna pœnitentiæ veræ, & confeſſarium ortet, quem habere nequeat, & decedat ſine abſolutione, ſit privandus Eccleſiaſtica ſepultura, & ſuffragiis, quæ fieri optet defunctis conſuevere. Reſpondeo ex communi, eſſe privandum ſepultura Eccleſiaſtica, quia obiit excommunicatus in foro Eccleſiæ; cum autem non fuerit vitandus, quippe quod nec per cedulones denunciatus, neque publicus percuſſor Clerici, poſſunt pro ipſo ſuffragia offerri; eo quia ex ſignis pœnitentiæ datis, hæc ſibi applicari poſſe promeruit. Si tamen cadaver ab excommunicatione juſſu Superioris facultatem habentis, abſolveretur, poſſet etiam honorari Eccleſiaſtica ſepultura. At novo jure in dudum laudata Benedicti Conſtitutione, non ita dicendum; ait enim: *Præterea ſimili motu & auctoritate decernimus, ac declaramus, ſepulturæ ſacræ privationem, a Sacroſancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli, & conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante ſententiam Judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, ſive duellum publice, ſive privatim indictum fuerit; ac etiamſi vulneratus ante mortem non incerta Pœnitentiæ ſigna dederit, atque a peccatis & cenſuris abſolutionem obtinuerit; ſublata Epiſcopis & Ordinariis locorum ſuper hac pœna interpretandi ac diſpenſandi facultate; Quo cæteris documentum præbeatur fugiendi ſceleris, ac debitam Eccleſiæ legibus obedientiam præſtandi.*

Vis pœnitens; non tamen Suffragus.

§. VI. *De Scandalo.*

Quid & quotuplex ſit Scandalum in prima ſui diviſione?

I. INter vitia ab Angelico Doctore recenſita contraria charitati proximi eſt Scandalum, cujus diſcuſſionem quia diffuſiorem poſtremo loco reſervavimus. Scandalum, juxta eumdem S. D. 2. 2. q. 43. a. 1., *eſt dictum, vel factum minus rectum præbens proximo occaſionem ruinæ ſpiritualis. Ly minus rectum* ſignificat malum, vel quia reipſa eſt malum, vel quia habet ſpeciem mali; in ly *dicto, vel facto* comprehenditur etiam omiſſio ſcandalum pariens: puta omiſſio correctionis in genitore reſpectu filii &c. Dividitur Scandalum ab Angelico ibidem ad 4. in Activum ſeu datum, & Paſſivum ſeu acceptum: Datum eſt, *quando quis ſuo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccatum inducere, vel etiamſi ipſe hoc non intendat, ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet, quod ſit inductivum ad peccandum: puta cum quis publice facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati.* Acceptum eſt, *quando etiam præter intentionem operantis, & præter conditionem operis, aliquis male diſpoſitus ex hujuſmodi opere inducitur ad peccandum: puta cum quis invidet bonis aliorum: & tunc ille qui facit hujuſmodi actum rectum non dat occaſionem quantum eſt in ſe, ſed alius ſumit occaſionem ...*

& hoc eſt ſcandalum paſſivum, ſine addito.

Scandalum Activum, Directum, & Indirectum.

II. Ex his igitur dividas ſcandalum Activum ſeu datum in Directum ſeu Formale, & in Indirectum ſeu Interpretativum: Directum eſt illud de quo S. D. ait, quando quis intendit ad peccatum inducere, illum tentando, rogando, ſuadendo, ut conſentiat in actionem malam. Interpretativum tunc evenit, quando, ait S. D., etiamſi ipſe peccans non intendat alterum ad peccatum inducere, ipſum factum tamen eſt tale, & de ſui ratione habet, quod ſit inductivum; ut cum quis publice verſatur in concubinatu: unde etiam hoc indirectum eſt in confeſſione explicandum, tum ex verbis S. D. aſſerentis, *quod ſit inductivum ad peccandum*; igitur vere ſcandalum; tum ex ratione; quia ſicuti qui facit actionem de natura ſua inducentem damnum proximi, peccat peccato injuſtitiæ quoad reatum, etiamſi damnum non intendat; ita in præſenti peccabit peccato ſcandali, qui facit actionem de ſe inductivam ad peccandum; etiamſi inducere non intendat: & tenetur etiam ſaltem numerum perſonarum exponere, quibus ſcandalum indirecte dedit: ad differentiam ſcandalum præbentis directe, qui tenetur etiam exponere qualitatem perſonarum; ſi virgo, ſi monialis &c.

Non ſolum qui directe, ſed & qui indirecte dumtaxat ſcandalum præbet, videtur teneri ad exprimendam in confeſſione qualitatem perſonarum, quibus occaſionem peccandi dedit, v. g. ſi virgines ſint, ſi uxoratæ, ſi moniales &c. ut integra ſit ejus confeſſio. Quoad hoc enim ſpectat, qui ſcandalum indirecte præbet ejuſdem videtur eſſe conditionis ac ille, qui ſcandalum præbet directe, ſeu qui aliquid agit ea intentione, ut alios ad peccatum inducat. Lege Petrum Collet. *in Inſtitut. Theolog.* quæ ad uſum Seminariorum contraxit *Tom. I. Tract. de Peccatis. Par. I. cap. 3. art. I.*

Quotuplex ſcandalum Paſſivum?

III. Ex verbis S. D. infertur, ipſam ruinam ſpiritualem a proximo voluntarie admiſſam eſſe vere & proprie ſcandalum Paſſivum. Et diſtinguitur in illud quod dicitur Phariſaicum, & in illud quod dicitur Puſillorum: Phariſaicum non oritur ex actione mala alicujus, ſed ex mera malitia patientis ſcandalum: exemplum dedit S. D. *cum quis invidet bonis aliorum*: idest videndo bona proximi, accipit motivum invidendi, quod ex ejus mera malitia prodiit: aliud exemplum dat S. D. in art. 7. *Cum qui ex reſipiſcentia mulieris fucos & luxus deponentis, trahit occaſionem ad ipſi detrahendum.* Scandalum Puſillorum ita exponit S. D. art. 7. *eſt illud quod procedit ex infirmitate vel ignorantia* ſcilicet peccantis, non ex actione mala alicujus.

Si factum reticultum innoteſcat, non intervenit peccatum ſcandali.

IV. Ex his inferri poteſt, quod qui omnem diligentiam ponit, ut occulte & nemine ſciente peccet, & factum tale ſit quod ita occultari queat, non peccet peccato Scandali, ſi per accidens factum in aliorum notitiam deveniat; quia de hujuſmodi facto, & actione nequit verificari tradita definitio; nempe quod ſit inductiva ruinæ ſpiritualis aliorum, quippe quæ eſt talis naturæ quod occultari poterat, & reapſe omni diligentia occultata fuerit.

Scandalum non excuſat bona intentio.

V. Habes item ex verbis S. D., Scandalum activum inveniri etiam in actione quæ *habeat ſimilitudinem peccati*; ut inſtruaris, quomodo non ſufficiat recta intentio, neque conſcientia non remordens, ut immunis evadat a ſcandalo, qui actionem facit, ſpeciem & ſimilitudinem mali præſeferentem: unde retinere contubernales quaſdam perſonas, ſtatum clericalem dedecentes; certas frequentare viſitationes importunas; quædam munuſcula mittere & recipere; & quædam conſimilia facere, quæ aliis ea videntibus, & ſcientibus prudentem ſuſpicionem ingerunt amoris non chriſtiani, conſuetudinis, non honeſtæ, alteriuſve criminis, non excuſantur a ſcandali reatu, ſive fiant intentione bona, ſive conſcientia non remordente: *Quod ſi dixeris*, ajebat S. Hieronymus in epiſt. de vitando ſuſpecto contubernio, *Quod ſi dixeris: & mihi ſufficit conſcientia mea: habeo Dominum judicem, qui meæ vitæ teſtis eſt; non curo quid loquantur homines: audi Apoſtolum ſcribentem: providentes bona, non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Abſtinendum igitur nedum a peccato ſcandalum afferente, verum etiam ab actionibus ſpeciem, & ſuſpicionem peccati ingerentibus; quæ a ſcandali crimine non eximuntur, neque ab intentione, neque a conſcientia non bene formata.

Quædam bona opera propter ſcandalum omitti non debent.

VI. *Opera bona quæ ſunt de neceſſitate ſalutis quæ prætermitti non poſſunt ſine peccato mortali, ... prætermitti non debent propter ſcandalum vitandum*, ait S. D. 2. 2. q. 43. art. 7. puta ingredi domum concubinæ ad vocandum Sacerdotem, qui forte cum eadem verſatur, dum alius haberi non poteſt, ut morientem abſolvat. Similiter præcepta juris naturalis negativa ad

ad ſemper obligantia nunquam omitti poſſunt, ad ſcandalum evitandum; *nemo enim debet mortaliter peccare, ut alterius peccatum mortale impediat* ait S. D. ibidem. Opera autem bona jure naturali affirmativo, vel lege humana præſcripta, poſſunt aliquando omitti, vel differri, ad ſcandalum puſillorum declinandum: ita S.D. loc. cit. *Quandoque ſcandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia, & hujuſmodi eſt ſcandalum puſillorum, propter quod ſunt ſpiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quouſque, reddita ratione, hujuſmodi ſcandalum ceſſet.* Oſtenditur exemplis. Correctio peccatorum eſt de lege naturali affirmativa; ſicuti etiam eoſdem punire, ſi in malo perſiſtere velint: & tamen ceſſat hæc obligatio, ſi aut ex correctione, aut ex punitione prudenter prævideatur oritura ſeditio in Republica. Præterea certum eſt, præceptum de vitando ſcandalo eſſe juris naturalis: cum igitur obſervatio præcepti naturalis prævaleat obſervationi juris poſitivi humani, hæc obſervantia ſuſpendenda erit, quoties exequi nequeat abſque puſillorum ſcandalo. *Si autem poſt redditam rationem*, ſequitur S. D., *ſcandalum duret, jam videtur ex malitia eſſe; & ſic propter ipſum, non ſunt hujuſmodi ſpiritualia opera dimittenda.*

Quedam autem aut occultari, aut differri.

Afferuntur varia exempla.

VII. Hinc deberes abſtinere a Sacro audiendo, etiam die feſtivo, ſi prudenter prævideres, te domo diſcedente, gravem rixam inter domeſticos eſſe exurrecturam. Similiter teneretur mulier abſtinere ab eodem pio opere, & aliquoties ſe domi continere, ſciens, talem hominem impudico erga ipſam amore deperditum, illam expectare, ut, quo pergit, eamdem ſequatur, & in Eccleſia impudicitiam ſuam aſpiciendo, & delectando depaſcatur: dixi aliquoties; nam ſi inhoneſtus ille non deſiſteret ab ea ſingulis feſtis expectanda, neque ullus ſupereſſet modus illum avertendi a ſpirituali hac perſecutione, contempto ſcandalo phariſaico, deberet mulier modeſte compoſita Eccleſiam adire, & chriſtianorum munera adimplere: ex his ſimilia deducas.

Opera de conſilio ob ſcandalum puſillorum dimittenda vel

VIII. Opera bona de conſilio; & ſupererogationis, ob ſcandalum puſillorum ſunt dimittenda, quouſque eiſdem ratio reddatur, qua reddita, ſi perſiſtant, poſſunt libere fieri. Quia, quouſque reddatur ratio, imprudenter & male agitur; tenemur enim malum proximi ex charitate declinare, quoties ſine gravi incommodo id præſtare poſſumus, quod incommodum non occurrit relinquendo indicata opera: unde ſi tu V. G. pergens ad domum pauperis viduæ mendicare erubeſcentis, ut eidem ſubvenias, tibi aſſociaretur quiſpiam, quem ſcis erga illam impudice affectum, dicens, velle tecum ingredi quocumque intraveris, & non poſſes te ab illo expedire; tenereris tunc eleemoſinam omittere, & ad aliud tempus differre. Ex hoc alia ſolvas. Quod autem, reddita ratione, poſſimus hujuſmodi opera libere exercere, ex eo conſtat, quod tunc ſcandalum pati volentes, phariſaice ſcandalizarentur; proinde in caſu poſito, ſi te eleemoſinam private erogante præfatæ honeſtæ viduæ pauperi & erubeſcenti, prudenter timeres, vicinos ſcandalum paſſuros; declarato eiſdem ſecrete juſto motivo, poſſes proſequi tuum miſericordiæ opus; adhibitis tamen ſemper debitis circumſpectionibus, breviſſimæ moræ cum eadem, & habita ſemper ratione ætatis & conditionis tuæ &c. Sed melius faceres, illi providendo per miniſterium Parochi pii & prudentis.

differenda quouſque ratio reddatur.

IX. Opera de ſe non mala quandoque eſſe dimittenda ad evitandum ſcandalum, quandoque vero licite poſſe fieri, eſt communis. Explico utramque partem exemplis; & primam quidem; Quia, cum nulla ratio, nullumque motivum aut neceſſitatis, aut utilitatis propriæ vel alienæ poſtulat actionem illam, a qua prævidetur ſcandalum, quamvis phariſaicum, ſecuturum, cur non erit ab eadem abſtinendum? lege namque charitatis compellimur impedire malum ſpirituale proximi, (quale eſt ſcandalum phariſaicum a ſola malitia ortum) quando facile, & abſque ullo incommodo, aut ſolum leviſſimo, poſſumus; in caſu autem poſito nullius neceſſitatis, aut utilitatis propriæ vel alienæ, omittere illam actionem nullum affert incommodum, vel dumtaxat leviſſimum; erit igitur abſtinendum, ſi ſcandalum afferat, quamvis phariſaicum. Propterea ſi confiteri velis peccata tua, & poſſis facile habere confeſſarium, de cujus malo ſtatu nihil ſcias; peccas graviter, ſi adeas alium quem ſcis eſſe V. G. concubinarium. Pariter, indiges pecunia, peccas graviter, ſi adeas illum quem ſcis petiturum injuſtas uſuras, cum poſſis adire alterum, qui mutuum dabit innocenter, aut exiget juſto titulo lucri ceſſantis &c. Item fœmina ſcit ex-

Opera non mala aliquando dimittenda, aliquando non.

Exempla pro dimittenda actione.

tate

tare in via hominem in ejus concupiſcentiam exardentem, & expectantem vel ut domo exeat, vel ut ſe feneſtræ exponat, ut turpiter in ejuſdem aſpectu delectetur; peccabit graviter mulier, ſi abſque ullo motivo neceſſario, aut utili, domo exeat, aut feneſtræ ſe exponat; idque tenebitur, juxta omnes ſaltem aliquoties ſervare; & juxta alios ſemper, quoties nullum habeat exeundi, vel feneſtræ ſe exponendi motivum. Item indiges emere aliquid, & dum potes, abſque ullo gravi incommodo, & ullius utilitatis jactura, adire venditorem honeſtum; eligis adire illum, quem ſcis omni pene verbo in juramenta erumpere, ſæpiſſime falſa; peccas graviter ita te gerendo. Item perambulas Civitatem, potes æqualiter eligere viam alteram, nihilominus vis eligere illam in qua habitat artifex ille, qui te odio habet, qui quoties te videt, ſolet tibi mala imprecari; peccas graviter illac tranſeundo. Tandem loqueris cum Petro, quem ſcis graviter detrahere Paulo, quoties audit ipſius mentionem fieri: tu ſine ulla neceſſitate, advertenter tamen, aliquid de Paulo ſciſcitaris; peccas graviter ita ſciſcitando. Ex his alia ſexcenta ſolvas. Quod autem aliquando actionem illam non malam dimittere non teneamur, ex eo probatur; quia ſcandalum mere acceptum & paſſivum vere non datur ab operante actionem de ſe non malam, neque mali ſpeciem habentem exercente; igitur ad hujuſmodi ſcandalum evitandum, non ſemper tenebimur actionem talem dimittere; nam lex charitatis quoad hoc duo præcepta habet, unum negativum, obligans ad ſemper, & conſiſtit in non afferendo nocumentum proximo, & huic præcepto opponitur ſcandalum activum ſeu datum, a quo propterea ſemper eſt abſtinendum: alterum præceptum eſt affirmativum, & conſiſtit in avertendo malum a proximo, illudque impediendo, & hoc non obligat ad ſemper, ſed aliquando, & dumtaxat quibuſdam poſitis circumſtantiis, ac proinde vidimus ſcandalum phariſaicum eſſe deſpiciendum, quando impedit opera bona; erit igitur etiam deſpiciendum, quando impediret opera non mala, ſi ex motivo alicujus utilitatis propriæ, vel alienæ fieri exigerentur: & ſimiliter erit deſpiciendum ſcandalum puſillorum, quoties per rationem illis redditam, debuiſſet tolli; quia ſi perſiſtat, tranſit in phariſaicum: & proinde quoties utilitas, vel convenientia poſtulet,

Ratio ob quam poſſit actio lici te fieri aliquando.

actio non mala licite fieri poterit: propterea, redeundo ad caſus paulo ante poſitos; ſi non adſit alius confeſſarius, niſi ille concubinarius, vel alium non poſſis habere ſine graviſſimo incommodo, poteris illum adire, ut mortalia tua confitearis: & ſimiliter ſi non ſit alius qui pecuniam det, niſi uſurarius ille, poteris illum adire ſi neceſſitas urgeat, non offerendo illi uſuras, ſed ab eo petitas promittendo, & dando; ſi non ſit alius vendens illam mercem, niſi ille perjurus, licite ad eum vadis; ſi homo ille impudice amans nimis frequenter in via ſiſtat, ita ut mulier illa nimium gravetur ſe domi continendo, aut feneſtram clauſam tenendo, licite poterit exire &c. & ſic de ſingulis; quia tunc rationabiliter uteris jure tuo.

Exempla dantur.

X. Quædam autem Æconomia chriſtiana circa hujuſmodi eſt obſervanda, quod nimirum requiratur motivum majoris neceſſitatis, vel utilitatis propriæ, aut alienæ ad permittendum ſcandalum puſillorum, quam ad permittendum ſcandalum phariſaicum; unde ſi ad permittendum illud ſufficiat V. G. utilitas ut decem; ad hoc permittendum ſufficiat utilitas ut quatuor. Dixi, ad permittendum; quia numquam intendi poteſt; immo dum permittitur, ſincero corde eſt optandum, ne ſequatur.

Æconomia circa id obſervanda.

XI. Bona temporalia, quorum dominium habemus, ſi abſque notabili incommodo noſtro vel alieno fieri poſſit, quandoque ſunt dimittenda, ad ſcandalum puſillorum avertendum, niſi alio modo averti queat; ita communiter cum Angelico 2.2.q.43.a.8. *Temporalia bona, quorum nos ſumus domini, dimittere, ea tribuendo, ſi penes nos habeamus; vel non repetendo, ſi apud alios ſint, propter ſcandalum quandoque debemus, quandoque autem non. Si enim ſcandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam, vel infirmitatem aliorum, quod eſt ſcandalum puſillorum, tunc vel totaliter dimittenda ſunt temporalia, vel aliter ſcandalum eſt ſedandum; ſcilicet per aliquam admonitionem.... Aliquando vero ſcandalum naſcitur ex malitia, quod eſt ſcandalum phariſaicum, & propter eos qui ſic ſcandala concitant, non ſunt temporalia dimittenda; quia hoc & noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occaſio; & noceret rapientibus, qui retinendo aliena, in peccato remanerent.* Ratio autem pro eo quod ſpectat ad evitandum ſcandalum puſillorum dimittendo propria temporalia, eſſe poteſt; quia juxta charitatis ordinem, bonum ſpirituale proximi præfe-

Digitized by Google

rendum eſt bono temporali proprio: & ſimiliter damnum ſpirituale proximi damno temporali proprio, abſolute loquendo: & præſcindendo a limitationibus quæ hoc principium afficiunt: atqui ſcandalum paſſivum eſt ipſummet malum ſpirituale proximi; igitur ſi ſit puſillorum, erit præferendum damno temporali proprio.

Nonnulla obſervatu digna. XII. Nonnulla circa datam doctrinam ſunt obſervanda, & primo ex Cajetano in Commentario laudati articuli, quomodo etiam Prælati, qui non ſunt Domini proventuum Eccleſiæ, ſicut nec Superiores Regulares proventuum ſuorum monaſteriorum, caute debent procedere in exactionibus eorumdem, quando debitores ſunt pauperes, & quoad fieri poteſt patienter differre, ne illos nimis vexent; quia inde facillime oritur ſcandalum puſillorum: quando igitur eos vexare compelluntur, manifeſtent juſtitiam vexationis inferendæ, & obligationem quam habent, tanquam meri cuſtodes proventuum, & non domini, eoſdem non deperdendi.

Alterum obſervandum. XIII. Notandum præterea, raro evenire caſum, in quo bona temporalia in notabili quantitate dimittere compellamur, ad impediendum ſcandalum paſſivum puſillorum; nam plerumque ſufficere poteſt dilatio temporis, donec illuminentur de juſtitia poſſeſſionis, acquiſitionis, hæreditatis &c.; quod ſi, facta admonitione, adhuc perſiſtant in ſcandalo, jam evadit phariſaicum. Poteſt nihilominus dari rarus caſus, in quo bona temporalia etiam in notabili quantitate propter evitandum ſcandalum puſillorum ſint dimittenda: en caſus qui communiter affertur. Si perſona Eccleſiaſtica ſine familia, habens jam bona patrimonalia ſufficientiſſima ad ſuum ſtatum, inſtituatur ab amico aliquo hæres vel omnium, vel fere omnium bonorum, cum defunctus conſanguineos habeat tametſi laterales etiam in tertio gradu inopia magna laborantes, qui, ſe conſpiciendo privatos hæreditate, relinquantur expoſiti maximo periculo multa crimina perpetrandi, præcipue ſi adoleſcentulæ nubiles; eo quod aliunde humanum ſubſidium prudenter ſperare nequeant, niſi ſtipem & victum emendicando, vel alio infelici modo vitam tranſigendo; in hoc caſu teneretur Eccleſiaſticus ille hæres vel cedere hæreditatem indicatis conſanguineis, vel eorum curam ſuſcipere, ad avertendum ſcandalum ab ipſis, & præcavenda pericula animæ, quibus forent expoſiti; tum etiam ad avertendum ſcandalum prudentum, qui profecto juſte commoverentur contra retinentem hæreditatem, & nolentem curam gerere illorum derelictorum. Quod ſi hæreditas illa eſſet ſuperflua ſtatui, & decentiæ ſtatus illius Eccleſiaſtici, jam teneretur illam cedere etiam ex titulo ſuprefluitatis, ut dictum fuit in §. de eleemoſina. Eadem omnino dicas de hærede laico divite in ſimili caſu.

Aliud obſervandum. XIV. Obſerva item me dixiſſe, ſi abſque notabili incommodo noſtro, vel alieno fieri poſſit, quia communis Doctorum ſententia, neminem teneri cum notabili damno proprii ſtatus, & decentiæ ejuſdem (nam de ſuperfluis jam tenetur, etiam alio titulo, ex dictis de eleemoſina) evitare ſcandalum puſillorum; tum quia, adhibita opportuna admonitione, poteſt facile præcaveri; tum etiam quia nimis durum eſſet, quod quis teneretur cum gravi proprii ſtatus jactura avertere ſcandalum ſolum ex ignorantia & imbecillitate nonnullorum proveniens, & nullatenus datum: id namque idem eſſet, ac conjicere alios in graviſſimam, & periculoſiſſimam tentationem ſe privandi neceſſariis ſuo ſtatui, ad auxiliandum illis, qui non ſunt in extrema neceſſitate temporali, ut ſupponitur, nec ſpirituali, quippe qui poſſint, & debeant ab eorum Parochis, aliiſque præſidentibus inſtrui, & adjuvari, ne labantur.

Quando mulier ſcandalum afferat excedenti ornatu? XV. Circa ornatum muliebrem in primis dicendum, mortaliter peccare illam mulierem, quæ ſe ornando præter ſuam conditionem, prudenter prævidet, ſe in aliqua determinata perſona affectum turpem excitaturam, quia cum, abſtinendo a tali ornatu, nullum incommodum pati debeat, tenetur illum dimittere, ad impediendam ruinam animæ proximi. Dixi præter ſuam conditionem, quia modeſtus, & decens ornatus juxta mulieris gradum non videtur dimittendus ob ſcandalum paſſivum; eſſet enim in caſu hoc phariſaicum: Addunt tamen Theologi etiam benigni, quod ſi ſperaret, demiſſiori cultu utendo, ſe repreſſuram impudici amatoris æſtum, teneretur ſaltem aliquoties id agere.

Nudando pectus graviter peccat. XVI. Quando ornatus eſt vitioſus circa modeſtiam, diſcooperiens quod tegendum eſt circa brachia, ſcapulas, & præcipue circa pectora, communis ſententia eſt, quod mulieres talem nuditatem introducentes peccent mortaliter: videri poſſunt Cajetan. 2. 2, q. 169. a. 2., & in ſumma

mula verbo *ornatus*; Navarrus cap. 23. n. 19., Leſſius lib. 4. c. 4. n. 12., Layman lib. 2. tract. 3. c. 13. n. 11. Salmant. de præcept. Decal. cap. 8. punct. 5. §. 2. n. 161. Sporer tract. 5. in 5. Decal. præcept. c. 1. ſect. 2. n. 39., & alii plures: qui deinde mulieres excuſant, quando conſuetudo ſic incedendi jam communiter invaluit. E contra, & ut nobis videtur, rationabilius dicunt alii, quod etiamſi conſuetudo ſit communiter introducta gerendi mammillas compoſito modo detectas, ſit peccatum mortale. Et primo deduci poteſt ex S. D. 2. 2. loco dudum citato ad 1. docente: *prohibetur mulieribus ornatus ſuperfluus, inverecundus, & impudicus*: nimia autem pectoris nuditas, quid aliud niſi impudicitiam refert? S. Antoninus 2. p. tit. 4. c. 5. §. 3. hæc habet: *Si de uſu patriæ eſt, ut mulieres deferant veſtes verſus collum ſciſſas, & apertas uſque ad oſtenſionem pectoris, & mammillarum, valde turpis & impudicus eſt talis uſus; & ideo non ſervandus*: Et ſimiliter Sylvius 2. 2. loc. cit.; Genettus tom. 1. tract. 1., cap. 17., Pontas verbo *ſinus*, & alii: Sed præ omnibus gravitatem mortalem hujuſmodi nuditatis evincit Decretum Summi illius laudabiliſſimæ memoriæ Pontificis Innocentii XI. datum ſub die 30. Novembris 1683., quo tempore vigebat hujuſmodi ſcandali plena conſuetudo, quemadmodum hiſce noſtris temporibus; in quo jubebatur ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, *ut mulieres omnes ad collum uſque denſo velo coopertæ in publico eſſent*; & eadem excomunicatione ligarentur *Confeſſario, qui tales perſonas abſolvere præſumerent*. Si igitur pœna tam gravi judicavit Pontifex adeo eximius dictam nuditatem punire, quamvis univerſali conſuetudine protectam, proculdubio cenſuit illam eſſe peccatum lethale.

Idem probatur ex ipſis adverſariis.

XVII. Præterea idem deducendum videtur ex inconſequenti modo loquendi adverſariorum: Quandoquidem omnes conveniunt, mortale crimen committi a mulieribus talem conſuetudinem introducentibus; at unde hoc? Quia, ait Cajetanus, *eſt ornatus provocativus ad laſciviam*: Quia, ait Layman, *multi paſſuri ſunt ſcandalum*: Quia, ait Sporer, *ex ſe eſt nimis turpis, & ad laſciviam provocans*. Si igitur hæc motiva efficiunt mortale crimen introducere conſuetudinem adeo animabus pernicioſam; quare mortale non erit illam continuare, fovere, ſuſtinere? Continuatio, & fomentum conſuetudinis expoliat ne eamdem ſua pernicie? an efficiet, ne amplius ſit *provocans ad laſciviam*, ne amplius *multi paſſuri ſint ſcandalum*, ne ſit amplius *ex ſe nimis turpis & ad laſciviam provocans*? minime gentium; immo eo magis hæc mala multiplicabit, quo magis diffunditur, & per continuationem fovetur & ſuſtinetur; igitur ſi ob ſuam perniciem lethale eſt, juxta omnes, illam introducere, non poteſt vacare a lethali, illam continuare; cum continuatio nedum illam non expoliet ſua pernicie, verum etiam eamdem augeat, & propaget. Neque opponas illud nullius roboris, nempe gravari mulieres, ſi non ſe conforment conſuetudini: heu ruinoſum fundamentum! Quodnam gravamen eſſe poteſt, modeſte tegere, quod eſt adeo pernicioſum, & inverecundum oſtendere? Quodnam gravamen, diſtingui ab aliis modeſtia, honeſtate, & verecundia? non privamus mulieres pretioſitate veſtium, gemmarum, aliorumque ornamentorum earumdem gradum decentium; ſed privamus eo tantum, quod eaſdem immodeſtas, inverecundas, laſcivientes denotat; & hoc eſt illud gravamen adeo decantatum, quod juſtum reddere queat continuare conſuetudinem, quæ tantarum eſt laqueus animarum? Ruinoſum, iterum dico, fundamentum! de quo reddituri erunt Chriſto judici rationem qui eodem innixi, permittunt mulieribus, conformari conſuetudini adeo animabus ab ipſo Chriſto redemptis exitioſæ.

Quæ de virilis, ac muliebris habitus promiſcua mutatione habent Sorbonicæ Familiæ, & Societatis Doctores de Lamet, & Fromageau V. *Habitus Mutatio*, hic ſummatim adjicere, operæ prætium exiſtimamus, ut clare innoteſcat; quando peccet, vel non, aut vir qui habitum muliebrem, aut mulier, quæ habitum virilem induit.

Sentiunt 1. generatim dedecere, & ab ordinis ratione nonnihil abeſſe, ut mulier virilem, aut vir muliebrem habitum ſumant, & ſpecie id appareant quod reipſa non ſunt. D. Th. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 3. ita pronunciat: *De ſe vitioſum eſt, quod mulier utatur veſte virili, aut e converſo, & præcipue, quia hoc poteſt eſſe cauſa laſciviæ*. Jamque 1. 2. q. 102. art. 6. ad 6. eamdem rationem attulerat in hæc verba: *quod mulier induatur veſte virili, & e converſo, incentivum eſt concupiſcentiæ, & occaſionem libidini præſtat*.

Sentiunt 2. mutationem hanc ex earum genere minime eſſe, quæ ita per ſe malæ ſunt,

ſunt, ut nullo in caſu uſui eſſe poſſint. Immo contingere poteſt in aliqua neceſſitate, aut ob aliquod magnum bonum, id culpa vacare. *Poterit tamen*, inquit idem D. Th. loco laudato 2.2. *quandoque fieri ſine peccato propter aliquam neceſſitatem, vel cauſa ſe occultandi ab hoſtibus, vel propter defectum alterius veſtimenti, vel propter aliquid hujuſmodi*. Videri poſſunt exempla plura apud Patrem Nicolai in locum citatum D. Thomæ, & apud Bonfrerium in cap. 22. Deut.

Sentiunt 3. peccare mortaliter, qui ex prava intentione, vel cum voluntario Dei lædendi periculo, vel denique cum gravi ſcandalo, proprii ſexus habitum deponit, ut alterum ſumat. Monet id Sylvius in textum D. Thomæ 2.2. *Mortale vero, ſi ſit intentio, vel periculum laſciviæ, aut alioquin notabile ſcandalum*. Et Navarrus in Manuali cap. 23. n. 22. ubi ait, id vacare lethali culpa, niſi finis, aut alicujus circumſtantiæ pravitas adſit.

Subdunt 4. contendere plures, alterius ſexus habitum utentes tantum ex levitate, & citra ullam pravam circumſtantiam, nonniſi venialiter peccare, citantque præſertim laudatos Navarrum, & Sylvium.

Referunt 5. Theologos nonnullos exiſtimare extra pravas circumſtantias, nullius peccati reum eſſe, qui alterius ſexus habitum ſumit ad ſuam ipſius, atque aliorum oblectationem. Nihilominus concludunt tandem ipſi, quod in praxi perdifficile factu eſt, ut ne quid licentius hujus veſtium mutationis occaſione occurrat, & aliqua adſit circumſtantia, quæ eam pravam efficiat. Quamobrem, *ajunt*, fere nec probandum eſt, nec permittendum alio habitu, quam ſexus proprio Fideles uti, exceptis caſibus n. 2. recenſitis, ad præveniendos pravos effectus, quos ea mutatio producere poteſt, cujuſmodi eſt ſcandalum, & periculum vel proprii, vel alieni peccati.

Quid circa ſpectacula? XVIII. Circa ſpectacula, ſic ſcribit S. Thomas in 4. Sent. diſtinct. 16. q. 4. art. 2., quæſtiuncula 2.: *Spectacula, ſi ſint rerum turpium, & ad peccatum provocantium, ſtudioſa eorum inſpectio peccatum eſt, & quandoque in eis tanta poteſt libido adhiberi, ut ſit etiam mortale: unde a tali inſpectione omnes ſe arcere debent*. Et de ludis Theatralibus ita ſcribit loco citato quæſtiuncula 1. *Quidnam ludi ſunt, qui ex ſeipſis turpitudinem habent, & tales ludi ab omnibus vitandi ſunt.., Sicut ludi qui in Theatris agebantur, ad luxuriam provocantes*. Et in 2. 2. q. 168. art. 3. diſſerens de exceſſu qui poteſt evenire in ludo ratione ipſarum actionum, ait: *Ludicra poſſunt excedere regulam rationis... ex ipſa ſpecie actionum, quæ aſſumuntur in ludum, quod quidem jocandi genus, ſecundum Tullium, dicitur illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum; quando ſcilicet utitur aliquis, cauſa ludi, turpibus verbis, vel factis, vel etiam his quæ vergunt in proximi nocumentum, quæ de ſe ſunt peccata mortalia; & ſic patet quod exceſſus in ludo eſt peccatum mortale*.

Licet ne unquam cooperari peccato alterius? premittuntur ſcitu neceſſaria. XIX. Quod ſpectat ad cooperationem, quam quis poteſt præbere peccato alterius, ante omnia diſtinguas neceſſe eſt cooperationem remotam a cooperatione proxima; remota conſiſtit in actione de ſe non mala, & quo alter uti poteſt ſine peccato, puta vendere pannos, gemmas meretrici, ſuere veſtes ejuſdem, quibus actionibus & rebus ipſa uti poteſt ſine peccato: proxima conſiſtit in actione vel de ſe influxiva in peccatum alterius, vel quæ ex circumſtantiis evadit hujuſmodi: puta qui ſcribendo deſervit alteri dictanti epiſtolam amatoriam, & ſeductricem, ut eam mittat ad alienam; hæc eſt actio de ſe influens in peccatum illius: aut ſi quis jam iratus, & vindicta fervens petat ab alio gladium, & hic eumdem illi commodet, dicitur ex circumſtantiis, ut ſupponitur, ſibi notis, influere in vindictam; quia tametſi commodare gladium amico abſolute, & de ſe non ſit malum, commodare illum in data circumſtantia eſt malum, & proxime cooperari; itaut actio commodandi non amplius ſuam retineat indifferentiam. Cooperari itaque proxime ſemper eſt peccatum ſcandali in illa ſpecie, in qua alter peccat; diciturque cooperari formaliter: cooperari autem remote non eſt peccatum, dummodo hæ adſint conditiones; prima, quod actio qua cooperatur de ſe ſit non mala, ſed aut bona, aut indifferens. Secunda, quod cooperantis intentio ſit bona, nempe eliciendi actionem ſuam ad finem honeſtum; puta ſuendi veſtes concubinæ pro eo fine pro quo veſtes ſunt inſtitutæ, nempe reparandi, tegendi, & honeſte ornandi corpus; nunquam ut illis concubina abutatur ad alliciendos incautos, prout ipſa habitualiter intendit. Tertia, quod adſit juſta cauſa excuſans eliciendi talem actionem, puta ſartoris ſuentis dictas veſtes, ut ſe ſuoſque ſuſtentet. Quarta, quod peccatum alterius ex vi officii mei impedire

Conditiones ut cooperatio remota & materialis non ſit illicita.

non

non teneat. Quinta, quod actionem illam denegare non poſſim ſine proprio damno. Sexta, quod, etiam me non cooperante, adhuc malum fieret. Septima tandem, quod alter actione mea non ſit abuſurus contra bonum commune Eccleſiæ, vel Reipublicæ. Servatis itaque his conditionibus cooperatio remota non eſt culpabilis, diciturque cooperatio materialis.

*Quæ de picturis, imaginibus, ſtatuiſque obſcœnis, nec non de cantilenis turpibus, libris, vel litteris amatoriis docent graviores Theologi, in compendium redacta hic exhibere operæ prætium cenſemus, utpote ſcitu valde neceſſaria.

Itaque ſtatuunt 1. peccare dubio procul lethaliter qui picturas, imagines, ſtatuaſque obſcœnas efficiunt, vel publico conſpectui exponunt; præſertim quando iis repræſentantur perſonæ grandiores; quia cauſas per ſe inducentes peccata, & ſcandala gravia, chriſtianorum fragilitati obiiciunt; cum compertum ſit illas plurimum imaginationem commovere, cupiditates accendere, & ad libidinem provocare. Regulæ præciſæ definiendi quæ ſit pictura obſcœna &c. deſignari nequeunt, ſed prudentia chriſtiana opus eſt, ait P. Daniel Concina in *ſua Theologia Chriſtiana contracta lib. 3. in 1. Decal. mand. diſſert. 4. cap. 4. n. 32.* Quæ nuditas, *ſubdit*, licita eſt in feminis, viriſque dum vivunt, eadem præter propter licita eſt in eorumdem imaginibus &c.

Colligendum autem hinc eſt arcendos omnino a Sacramentis qui prædictas picturas, imagines, ſtatuaſve conficiunt, vendunt, &c. aut etiam ſolum retinent, niſi vel eas ad honeſtatem reconcinnaverint tam profunde, ut ad priſtinum ſtatum reduci non poſſint, vel eas penitus deleverint, ut expreſſe jubet S. Carolus Borromæus *lib. 1. Conſtit. & Decret. Synodal. tit. De Imaginibus Sacris, & profanis, de pictoribus, & ſculptoribus n. 26.* Legeſis Joannem Pontas *V. Aſpectus caſ. 2.* P. Daniele Concina *loco citato, & Theolog. Chriſt. Tom. 2. lib. 1. in Decal. diſſert. 9. de Scandalo. cap. 12. a num. 21. uſque ad 29.* Continuatorem *Prælect. Theolog. Honorati Tournely tom 3. tract. de Decalog. cap. 3. art. 7. ſect. 2.* ac etiam Auctorem *tract. 10. cap. 8. §. 2. n. 3.*

Statuunt 2. iidem Theologi, reos quoque eſſe lethalis criminis, & quidem graviſſimi, qui ſcribunt, imprimunt, recitant, aliiſve tradunt cantilenas turpes, libroſve amatorios, ac tractatus de rebus obſcenis. Nam hi omnes ſciunt, aut ſcire poſſunt & debent ſe pluribus ac pluribus peccati & ruinæ ſpiritualis occaſionem præbituros eſſe. Nec refert quod eam non intendant; quippe dant ei ſufficientem cauſam.

Libros etiam *Romanenſes*, ſeu heroicorum facinorum fabuloſas narrationes nec ſcribi, nec legi poſse ut plurimum, ſine gravi culpa, ſi, ut moris eſt, profanos amores delineent, & amantium colloquia, litterulas, artes, milleque caſus libidine, invidia, tremore, periculoſa conſtantia, clandeſtinis doli conſiliis intricatos referant, merito cenſet præcitatus Continuator *Prælect. Theologic. Honorati Tournely ibidem ſect. 4.* Experientia quippe compertum eſt pares in teneris, & incautis adoleſcentum, & puellarum legentium cordibus flammas excitari, ac proinde in cauſa eſse ruinæ multorum. Hinc

Colligendum etiam hinc eſt denegandam prorſus abſolutionem omnibus, qui præfata componunt, recitant, aliiſve legenda ſubminiſtrant, ni velint ab iis in poſterum abſtinere, & parati ſint præterita ſcandala pro viribus compenſare. 2. Typographis, & Bibliopolis, qui hujuſmodi tractatus, libros &c. imprimunt, ac in lucem emittunt, aut obvio cuique, ut ſolent, venales exponunt. Imo eorum quidam ſunt, qui nemini vendi poſſint, ſed flammis immiſericorditer debeant aboleri, aut laudatus poſtremo Theologus *eodem loco*. 3. Patribus familias, qui ut bene dicendi artem filios, filiaſve ſuas edoceant, lectiones amatorias, & ſimilia iiſdem, & una venenum propinant.

De litteris autem amatoriis, quæ ſub reverentiæ, & urbanitatis larva, amorem, teneramque propenſionis flammam ſpirant, & acuunt, nihil eſt quod dicam, ſubdit idem *in calcem ejuſdem ſect. 4.* quia quantum in iis inſit periculi, intelliget quiſque homo fuerit. His porro, *addit*, qui tales receperint, injunget Confeſſarius, ut ſtatim comburant; ſunt enim idola quædam, quibus cor jam læſum facile denuo poſſit accendi.

Non licet ſuadere poſitive peccatum mortale minus grave, ad impediendum gravius

XX. Volenti peccare aliquo peccato, nunquam licet ſuadere poſitive peccatum minus, quamvis alia via non ſuperſit avertendi eumdem a peccato illo graviori perpetrando: ita judicio noſtro probabilior. Ratio eſt, quia ſuadere poſitive peccatum mortale minus, non poteſt unquam judicari mera permiſſio ejuſdem, ut falſo ſibi

Digitized by Google

ſuadent adverſantis opinionis protectores. Quis enim unquam dicat, quod ſuadere poſitive fornicationem volenti adulterari, quod ſuadere abortum puellæ prægnanti volenti ſe, & fœtum occidere, & ſic de aliis, ſit mere permiſſive ſe habere circa fornicationem, & abortum illum, & non potius poſitive in eadem confluere? Fateor, ſuaderi minus malum; attamen revera ſuaderi; igitur non eſt mere permiſſive ad illud ſe habere: quid enim eſt permiſſive ſe habere ex terminis ipſis, niſi nullo modo poſitive influere? quid eſt ex terminis ſuadere, niſi inducere ad id, ad quod ſuadeo; & quomodo, ſine enormi abuſu ſignificationis verborum, poterit unquam dici, quod ſuaſio poſitiva, ſit permiſſio? Neque alia deceptione capiaris, nempe quod ſuaſio minoris peccati, ſit ſubtractio cujuſdam portionis majoris peccati; nam nego eſſe meram & puram ſubtractionem portionis peccatis majoris; ſed dico eſſe ſubtractionem adjunctam ſubſtitutioni poſitivæ peccati minoris, mortalis tamen; ac proinde eſſe ſubtractionem mixtam poſitivæ ſuaſioni offenſæ Dei gravis, quamvis minoris. Qui vult igitur ſine reatu removere proximum a tanto malo, ſuadeat, abſterreat quantum charitative poteſt; ſi autem ſuaſus reſolvat ex ſeipſo abſtinere, puta ab adulterando, eligendo tamen fornicari; ſi ſuadens neque ab hoc removere poſſit, ſileat, & mere permiſſive ſe habeat.

Non licet poſitive ponere offendiculum, ad experiendam probitatem Proximi.

XXI. Non eſt licitum data opera ponere materiam offendiculi proximo, quem ſuſpicamur in tali materia peccaturum, ſed eſt verum peccatum ſcandali, a quo non excuſat neque intentio emendationis delinquentis, neque motivum propriæ ſecuritatis. Ita probabilior cum Sanchez, Bonacina, & aliis contra multos. Quia actio illa poſitive offerendi materiam, v. g. furti, Petro, ut certior reddaris, an ipſe ſit ille fur, qui & alia tibi ſurripuit, quæ tibi deſunt, idem eſt ac poſitive concurrere ad lapſum illius; cur enim ponis pecuniam (& ſic de aliis) in tali loco, niſi ut experiaris, an ipſe ſit furunculus ille? Non vides igitur, quomodo ex vi actionis tuæ inducis illum, ſi fur ſit, ad novum furtum? Non animadvertis, quomodo finis immediatus talis actionis non eſt tua ſecuritas, neque illius emendatio, ſed eſt experimentum provocativum furunculi: ac proinde eſt actio in his circumſtantiis ſuam amittens indifferentiam, & evadens poſitive confluens ad furtum illius? Licebit ne unquam tibi ut experiaris caſtitatem adoleſcentis proximi tui, adducere ipſi juvenculam efficaciter allicientem, & ſolum cum ſola relinquere, explorante te interea in abſcondito an aliquid agat caſtitati repugnans? minime: Si igitur id tibi nunquam liceret, tametſi ex motivo ipſum corripiendi &c., circa proximum de quo nullam ſuſpicionem habes; quanto minus id tibi licere poterit circa perſonam ſuſpectam, & idcirco faciliorem ad habendum? ac proinde ſi a gravi ſcandalo non vacaret illud experimentum; neque vacabit quodvis aliud in in quo verificetur poſitiva poſitio offendiculi ad delinquendum.

Explicatur quid fieri poſſit in caſu?

XXII. Reſpondebis te habere jus, ſecure reddendi bona tua: ita, habes hoc jus; & ideo eadem cautius cuſtodias, claves mutes, aut multiplices, arcas tuas inſtaures &c., ad quæ omnia jus habes, illoque utere; at nullum jus habes violandæ charitatis, & ponendi data opera offendiculum imbecillitati tui proximi. Conſulto dixi data opera; aliud enim eſt, ſi negative tantum te haberes, videlicet, nullam ulteriorem diligentiam adhibendo, non auferendo, neque tollendo occaſionem, ob honeſtum finem vel tuæ ſecuritatis, vel ob alium quemvis; quia ita negative te gerendo, nullum præſtas concurſum ad peccatum alterius, ſed dumtaxat ob honeſtum finem permittis; nec injuſte agis, cum, ut ſupponitur, jus habeas te reddendi ſecurum de fidelitate, obedientia, miniſterio, officio perſonarum ad te pertinentium. Idemque non obſcure docet S. T. in 4. diſt. 35. q. unica a. 3. ad 4. agens de divortio conjugum ob ſuſpicionem infidelitatis alterius; ubi hæc habet: *Vir uxorem ſuſpectam habens, ei inſidiatur, & deprehendere eam poteſt cum teſtibus in crimine adulterii, & ſic poteſt ad accuſationem procedere*. Ly inſidiatur ſignificat attentam obſervationem modi procedendi uxoris, puta non impediendo converſationem ſuſpectam, aliaque permittendo quibus non diſſimulatis, arceri poſſet amaſius ſuſpectus.

Poteſt in neceſſitate peti actio, quæ ab alio innocenter, ſi velit, præſtari poteſt.

XXIII. In caſu neceſſitatis urgentis quivis, qui non ſit ſpecialiter obſtrictus impedire peccatum talium perſonarum, licite petere poteſt actionem honeſtam ab illo, qui, ſi velit, poteſt abſque ullo peccato eamdem præſtare; dummodo in petente abſit omnis prava intentio, & adſit juſtum motivum illam pretendit, quamvis timeatur alterum illam præſtiturum affectu

pecca-

Digitized by Google

peccaminoſo, vel ex ea aſſumpturum occaſionem propriæ ruinæ ſpiritualis ob ſuam malitiam: & eſt communis: Quia in talibus circumſtantiis ille urgenter indigens non tenetur impedire peccatum proximi, ſed poteſt illud permittere, ut ſuæ neceſſitati ſuccurrat per actionem, quam ille adjuvans, ſi velit, poteſt innocenter præſtare; Cum enim qui eſt in neceſſitate conſtitutus abſque gravi ſuo damno nequeat petitionem omittere, cenſetur moraliter impotens ad impediendum peccatum alterius.

Explicatur exemplis.

XXIV. Hinc poſſunt in neceſſitate, & alio Sacerdote deficiente, poſſunt, inquam, peti Sacramenta a Sacerdote notorio peccatore. Poteſt licite mulier infirma gravi morbo in defectu alterius medici vocare medicum illum unicum, quem certa eſt moraliter ſui aſpectu delectaturum, & forte aliquam impudicitiam attentaturum, (dummodo ipſa tamen nullo periculo conſenſus ſubjiciatur) ut ipſi medeatur. Poteſt aliquis in urgenti neceſſitate conſtitutus, neque alterum habens ad quem recurrere poſſit, petere mutuum ab eo, ut etiam alibi indicavimus, qui nonniſi ſub injuſtis uſuris daturus eſt. Ex his ſimilia ſolvas, præ oculis ſemper tenens, non ſine gravi motivo hæc fieri poſſe, & moraliter non alium haberi poſſe, qui actionem illam neceſſariam præſtet.

Quando poſſit quis licite cooperari remote peccato alterius?

XXV. Ad evitandum grave damnum vel in corpore, vel in bonis, dicunt multi, non eſſe illicitum cooperari remote, & materialiter peccato alterius; retenta ſemper coram Deo ſincera intentione non influendi in peccatum, præſtando actionem, quæ per ſe eſt honeſta, vel indifferens, & dumtaxat ex alterius malitia evadit pernicioſa; & alioquin, etiam me noncooperante, non impediretur peccatum; quia multi alii cooperarentur. Rationem afferunt, quia cum adeo gravi damno non teneor inutiliter impedire peccatum alterius, exhibendo alioquin actionem, qua ipſe poteſt, ſi velit, honeſte uti. Hinc inferunt, quod quamvis Caupo nequeat ob ſolam imminutionem lucri miniſtrare vinum certo moraliter ſe inebriaturis: ſi tamen prudenter timeat, ſe vulnerari, mutilari, graviter percuti &c.; tunc licite poſſit: ſimiliter ad eadem mala evitanda poſſe miniſtrare carnes diebus vetitis aut hæreticis, aut perditis catholicis diſcumbere volentibus, excepto religionis contemptu; Et ſimiliter dicunt de vendentibus res quæ bono & malo uſui deſervire poſſunt, quando emuntur ab illis], qui certo ſunt abuſuri, & ſic de ſimilibus: quia, dicunt ipſi, actiones iſtæ de ſe non ſunt per ſe reſpicientes peccatum, nec cum eo de ſe connexæ, immo de ſe indifferentes, unde interveniente adeo gravi damno, cenſeor moraliter impotens ad impediendum illud peccatum, quod alioquin non proficiſcitur ex actione mea, ſed ex abuſu quem alius facit actionis meæ, quæ etiam me illam non præſtante, ab aliis præſtaretur.

Locatio domorum meretricibus quando illicita?

XXVI. Locare domum meretrici, aliquando poteſt eſſe licitum, puta ſi domus ſit in loco Civitatis non multum frequentato, nec valde expoſito, & alioquin dominus domus, quippe qui tenuis fortunæ, notabiliter gravetur ex defectu pecuniæ locatitiæ; quandoquidem domus non conceditur ad peccandum, ſed ad habitandum, & ad ſe ab injuriis temporum defendendum; & propterea valde remote ſe habeat ad peccandum: & proinde, ſalvo meliori judicio, putarem, quod etiamſi domus eſſet in loco frequentato, & dominus nimium gravaretur ad alendam familiam ex defectu pecuniæ locatitiæ, & difficulter inveniret alios, quibus eam locet, vel quia carens aliquibus commoditatibus, vel quia diffamata, vel ob aliud motivum, putarem, inquam, eum non peccaturum, quia, ut dixi domus non conceditur ad peccandum, ſed ad habitandum; qua ratione, quando accedit neceſſitas locantis, videtur excuſabilis a culpa ipſa locatio. Si autem locans jam alios proventus habeat, nec locatitia illa pecunia indigeat, & domus exiſtat in loco expoſito & frequentato, non auderem ipſi conſilium dare ut domum meretrici locaret; deeſt namque ipſi motivum integrans excuſabilitatem cooperationis remotæ ad peccatum alterius, nempe neceſſitas propria.

* Sententiam hanc, quam Auctor amplectitur ac proponit *num. præced.* ut nimis laxam rejicit, refellitque P. Daniel Concina in ſua *Theologia Chriſtiana contracta tom. 1. lib. 3. diſſert. 4. n. 28.*, oſtenditque nullius roboris eſſe rationem, cui innititur, nempe quod domus non conceditur ad peccandum, ſed ad habitandum.
„ Hæc, inquit, ſunt lenocinia, quibus a-
„ nimæ venenum obtegitur. Etiam Beni-
„ gniſtæ, qui defendebant theſim proſcri-
„ ptam ab Innocentio XI. dicebant, famulos
„ tenere ſcalam, & adjuvare herum non
„ ad fornicandum, ſed ad aſcendendum.
„ Citati Auctores (plures namque Pro-
„ babiliſtas ita ſentientes ſuperius allegat)

Digitized by Google

,, gat ut veritatem obſcurent, ſophiſti-
,, ce loquuntur. Quis inficiatur licitam
,, eſſe locationem domus ad habitandum?
,, Diſputatur nunc utrum licitum ſit lo-
,, care domum meretrici, quæ in præſata
,, domo lupanar aperire, & corporis ſui
,, proſtitutione quæſtum facere intendit.
,, Hoc autem illicitum, & vitioſum aſſeri-
,, mus. Permittunt Principes meretrices.
,, Quid inde? Si illicita eſt locatio domus
,, meretricibus facta, ſicut permiſſio Prin-
,, cipis non purgat a crimine meretricium,
,, ita neque domus locationem; niſi ſor-
,, te in remotioribus locis jam ab ipſo
,, Principe pro ſolis meretricibus ſpecia-
,, liter deputatis.

Licitum quoque non eſt, Veſtes, lectiſternia, & totius cubiculi ornamenta meretricibus locare " ut optimis veſtibus in-
,, dutæ, & eleganti ornatu ſplendidæ di-
,, tiores excipere ſcortatores valeant. Quid?
,, An non licet meretricem veſtire, & le-
,, ctulum, in quo dormiat præbere? Li-
,, cet ſane. Sed aliud eſt induere paupe-
,, rem, aliud fulgida locare ornamenta
,, ad meretricandum. Primum officium eſt
,, caritatis, alterum nundinatio iniquita-
,, tis. " Sic præcitatus Theologus *n.* 29. Legatur etiam *Theolog. Chriſt. tom.* 2. *lib.* 1. *diſſert.* 9. *cap.* 21. *n.* 20.

Quid de famulis inſervientibus concubinariis, aut concubinis?

XXVII. Circa famulos in variis miniſteriis deſervientes dominis concubinariis, aut dominabus concubinis, ante omnia obſervanda eſt theſis 51. ab Innoc. XI. confixa, in qua dicebatur: *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendentem per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties ei ſubſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo ejiciatur*. In hac theſi tria præcipue animadvertenda ſunt: primum, natura actionum in ea recenſitarum; ſecundum, motiva ob quę judicabantur licitę: tertium, alię actiones non expreſſæ recenſitis conſimiles, & virtualiter ſignificatę. Quoad primum jam ſatis apparet, actiones illas dictis circumſtantiis adjunctas eſſe determinate malas; & ſua indifferentia ſpoliatas. Quoad ſecundum, ſimiliter liqueat, illa motiva non eſſe tanta, ut excuſabiles reddere valeant actiones recenſitas. Quoad tertium, ly aliud ſimile cooperando, ſignificat alias actiones proxime concurrentes ad alterius peccatum, atque affectas illa circumſtantia, quod ſint media tunc determinata & aſſumpta ad actionem peccaminoſam: hujuſmodi eſſent præparare lectum ad hic & nunc commodius peccandum: præbere clavem cubiculi mulieris ſtuprandæ: eamdem retinere, ne fugiat; ferre epiſtolas ſcienter amatorias; advehere concubinam ad domum heri; ipſum neſcientem, ubi meretrix aliqua dubitet, ducere ad domum meretricis. Navarrus circa id benignius loquitur, & quidem ſorte in aliquibus circumſtantiis poterit inveniri excuſatio. Verum id animadvertat prudens confeſſarius, ut ſuadeat famulis & ancillis hujuſmodi perſonarum, quam primum poſſunt, diſceſſum ab eorum famulatu; quia tametſi ſorte non fuerint proxime cooperati aliqua ex indicatis actionibus peccato herorum ſuorum, inveniuntur in continuo periculo proxime cooperandi, & lethaliter peccandi.

Alii caſus reſolvuntur.

XXVIII. Videtur non peccare famulus qui dumtaxat numerat, aut in libro deſcribit pecunias ad uſuras illicitas a domino dandas, ſi grave malum ſibi timeat, puta dimiſſionis a ſervitio, & difficultatis inveniendi alium herum, ut exinde magno cruciatu vitam tranſigere compellatur; quia actio illa remota videtur a proxima cooperatione; & alioquin excuſatur hoc prudenti timore: teneat tamen rectam coram Deo intentionem; & procuret alium interea ſibi herum invenire. Non videtur peccare conjux liber a voto, ſi ad evitandas graves rixas conjugales, & domeſticas & incontinentiam alterius conjugis voto caſtitatis, ſine ſuo conſenſu, gravati, reddat debitum; tum quia elicit actionem ex parte ſua honeſtam, tum quia intendit præcavere indicata gravia peccata. Provide tamen aget, ſi dum conjicit, conjugem ligatum indicare ſuam propenſionem, vel etiam hoc non expectato, ipſe conjux liber petat; ſic enim præveniendo, impedit peccatum alterius, qui reddendo petenti libero non peccat. Non peccat debitor, reddendo pecuniam creditori petenti tempore quo eſt eadem ad grave peccatum abuſurus, ſi non poſſit abſque rixæ vel alterius mali periculo illum inducere, ut differat in aliud tempus; quia & facit actionem ſibi debitam, & illam negando prævidet alia mala eventura. De omiſſionibus ſcandaloſis Præſidentium ſive ſpiritualium, ſive temporalium dicetur commodius tum differendo de Beneficiis, tum de quarto præcepto decalogi. Plura legere poteris de hoc cooperationis argumento in doctiſſimo & acu-

tiſſimo P. Cardenas in ſua Criſi theologica.

Obligationes eorum qui ſcandalum dederunt per vim, ſeu fraudem &c.

XXIX. Qui per vim, aut dolum, aut falſam doctrinam alterum ſeduxit ad peccandum, tenetur auferre cauſam datam peccandi, ut deinceps a peccando deſiſtat: ita communis; & niſi ita faciat peccat nedum contra charitatem, ſed etiam contra juſtitiam. Ratio eſt manifeſta, quia dicto modo inducendo, intulit alteri damnum injurioſum, nempe damnum graviſſimum peccati, & injurioſum, quia modo violante jus quod habebat, ne ſibi vis, dolus, aut falſa doctrina inferretur; tenebitur itaque illum integræ libertati reſtituere, vim auferendo, dolum tollendo, & falſam doctrinam etiam cum juramento retractando; eidemque ſinceram pœnitentiam ſuadendo. Si autem ex errore eidem inſinuato, ex fraude illi facta, unde lapſus eſt, eidem etiam reſultaſſet damnum temporale, puta ejectio ab officio lucroſo: teneretur etiam ad compenſationem damni temporalis; quia fraus ejus fuit vera cauſa illius damni; quandoquidem niſi fuiſſet a ſcandalum præbente deceptus, peccatum non commiſiſſet, propter quod damnum temporale incurrit; quod damnum tenebatur ſeducens fraudulentus prævidere.

Obligationes ſcandalum dantis ſine fraude.

XXX. Qui ſine fraude, dolo, metu, falſis ſuaſionibus &c., ſed dumtaxat exemplo, ſuaſione non falſa, muneribus, deprecatione alterum ad peccandum induxit, ita ut hic ſcienter voluntarie aſſentiatur, non tenetur ad compenſationem damnorum ex peccato ſecutorum, ex juſtitia, quia nullam injuriam intulit, nullumque jus violavit; ſcienti enim & volenti nulla fit injuria. Hinc tamen non infertur, quod ſi ſuaſeris puellæ ſtuprum ſine ulla injuria, non tenearis ad damna ſecuta, ſi quæ emergant: quia etſi non intuleris injuriam ipſi deſloratæ, illam intuliſti cuſtodibus ejuſdem, de quo plura de reſtitutione in particulari in tract. 9. Cap. 6. §. 1. Similiter ſi ſuaſio tua facta v. g. Petro, ad actionem redundantem in damnum Pauli, attulit Paulo damnum, teneris Paulo in defectu Petri damna illa compenſare, juxta dicenda dum differemus de concauſis damnificationis loc. cit. cap. 5. §. 13. Tenetur tamen dicto modo ſcandalum dans, ex charitate commonere ſcandalum paſſum, ut deſiſtat, pœniteat &c. Si enim ex charitate tenemur, poſitis debitis circumſtantiis, ad correptionem fraternam; potiori titulo, qui ſcandalum dedit tenebitur ex eadem charitate removere ab anima ſcandalum paſſi peccatum, in quod ſuis deprecationibus, ſuaſionibus &c. incidere fecit.

Diſſuadens alteri ingreſſum religionis quando peccet & reſtituere teneatur?

XXXI. Qui diſſuadet aliquem ab ingreſſu Religionis ob motiva rationabilia, nullum ſcandali peccatum committit; qualia ſunt, ſi Religio in quam vult ingredi eſſet notabiliter vulnerata circa ſubſtantialia diſciplinæ regularis; ſi ejus familia indigeret ſua adſiſtentia, ad ſorores collocandas, genitores ſenes alendos; fratres minores, defuncto patre, bene inſtituendos; ſi ejus temperamentum manifeſte appareret auſteritati illius inſtituti omnino impar &c. Qui autem diſſuadet ingreſſum in Religionem, in qua diſciplina ſubſtantialiter floret ob motivum vel propriæ utilitatis, & familiæ, quæ alioquin illius opera non indiget, vel ob inordinatum affectum erga volentem ingredi, vel ob rancorem contra illam Religionem, non tamen uteretur fraudibus, mendaciis, minis, aut aliis modis injuſtis, involuntarium aliquo modo efficientibus, ſed uteretur ſolis precibus, oblationibus, promiſſis, quæ relinquunt ſemper hominem in plena libertate; peccaret mortaliter contra charitatem, niſi ignorantia, vel inadvertentia excuſet; quia illum privat maximo bono ſpirituali, nempe ſtatu vitæ, in quo & facilius Deo famuletur, & ſecurius ſalutem æternam conſequatur; quo ingenti bono illum privaret abſque rationabili cauſa. Si autem precibus, promiſſis &c., adderet etiam fraudes, mendacia, minas &c., peccaret etiam graviter contra juſtitiam; quia violaret in re gravi jus quod habet, ut in re tanti momenti a nemine decipiatur, aut mediis violentiam afferentibus retrahatur; & tunc teneretur doloſus ſuadens primo omnem injuſtam cauſam amovere, fraudes aperiendo, mendacia retractando, & cætera agendo, quæ alterum integræ libertati reſtituant, & veræ notitiæ illius Religionis: Secundo, in caſu quo a Religione receſſiſſet, teneretur procurare quantum poſſet, ſi qui receſſit, vellet, ut iterum reciperetur, etenim quoad hæc omnia violavit jus illius ſeducti.

An aliquando teneatur reſtituere Religioni?

XXII. Demum qui præfatis modis injuſtis aliquem retraxit ab ingreſſu Religionis, vel jam ingreſſum retraxit ab illa profitenda, tenetur Religioni reſpective compenſare damna, quæ eidem obveniunt; & eſt communis. Ratio eſt; quia quamvis Religio nullum jus habeat in aliquem, ut ipſam ingrediatur; habet tamen jus ne ullus ab ipſa modis injuſtis retrahatur; quemadmodum

dum Petrus nullum jus habens ad bona Pauli, habet tamen jus ne injuſtis modis avertatur Paulus a ſibi legandis,& donandis bonis ſuis; ita ut qui Paulum volentem legare Petro mille aureos, mendaciis, minis, aliiſve modis injuſtis averteret Paulum ab hac voluntate, teneretur ille ſeductor reſtituere Petro damnum illatum juxta omnes, ob violatum jus Petri, in eo conſiſtens, quod nullus mediis injuſtis avertatur a ſibi benefaciendo: in cujus ſignum ſi ſeductor ille non uteretur mediis injuſtis, ſed ſolis præcibus averteret Paulum a legando illos aureos Petro, cum nullum violaret jus Petri, nullam incurreret obligationem reſtituendi, non peccando contra juſtitiam, ſed dumtaxat contra charitatem, ſi ex malo animo contra Petrum, precibus averteret Paulum a tali legato. Ita adamuſſim in caſu noſtro. At interrogabis quidnam reſtituendum eſſet Religioni? Doctiſſimus Cardinalis de Lugo reſpondet, quod quamvis amoveris omnes fraudes &c., ſi ille qui volebat ingredi, vel jam ingreſſus fuerat, nolit perſeverare in ſancto propoſito, cum tuæ fraudes reapſe fuerint cauſa quod voluntatem mutaverit, tu tenearis reſtituere Religioni pro rata ſpei proventuum, qui eidem advenisſent ex illa perſona, perpenſis habilitatibus, & juribus hæreditariis ejuſdem; eo quod his proventibus illam injuſte privaveris: ſi autem quem ſeduxiſti erat profeſſus, & ex tui ſuaſione ſive fraudulenta ſive non, aufugerit, teneris omnem moraliter poſſibilem diligentiam adhibere ut revertatur; quod ſi nolit; cum duplex ſit damnum Religioni illatum, nempe & perſonale, privationis videlicet perſonæ; & reale, nempe proventuum qui ipſius opera, lectura, prædicatione adveniebant, idcirco pro his obligaberis ad tantumdem certum pro incerto computando: pro damno autem perſonali, teneris invenire alterum æqualis idoneitatis, quantum fieri poteſt, ut Religionem ingrediatur: quod ſi nullum invenias, dicunt doctiſſimi S. Antoninus, Sylveſter, Paludanus, Scotus, Gabriel, quod tu ingredi tenearis; quia alioquin non fieret integra reſtitutio, niſi hoc tibi a Religione remittatur. Mitius tamen quoad ultimum ſentit Sotus lib. 4. de juſt. q. 6. art. 3. concl. 4., quem ſequitur communior, quod neque tenearis alium ſubſtituere, nec temetipſum, niſi forte aut ille, aut tu vocareris a Deo; eo quod Religionis ingreſſus omnino liber eſſe debeat, liberumque omnino volunt ſacri Canones. Adjici poteſt, quod damnum inferioris ordinis non ſit compenſandum bono ſuperioris ordinis: damnum autem Religionis ex fuga profeſſi eſt temporale nempe ſervitii, honoris, lucri &c., quod damnum non eſt reſarciendum jactura libertatis meæ aut alienæ.

CAPUT X.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Cum ad primum Decalogi præceptum ea præcipue ſpectent, quæ Dei cultum reſpiciunt, virtus autem Religionis illa ſit, quæ ex proprio munere & officio ad eumdem cultum eſſentialiter tendat, idcirco, traditis illis omnibus quæ ad tres Virtutes Theologales attinebant, necnon ad vitia quæ eiſdem Virtutibus adverſantur; ad diſſerendum de Virtute Religionis, de actibus ejuſdem, necnon de vitiis & peccatis eidem adverſantibus accedimus; ea dumtaxat ſeligentes, quæ ad moralem ſpectant Theologiam; illa prætereundo, quæ ſcholaſticis, & dogmaticis controverſiis vindicantur.

§. I. *De Religionis notione, ejuſdemque Actibus.*

I. RElígio eſt virtus, qua redditur cultus Deo, tamquam Primo rerum omnium Conditori, Supremoque Domino. Itaque objectum ſeu materia circa quam Religio verſatur, eſt cultus Deo exhibendus: & quia hujuſmodi cultus nunquam adæquare poteſt debitum creaturæ, & meritum Conditoris, propterea quamvis Religio recenſeatur inter virtutes ad Cardinalem Juſtitiam pertinentes, non tamen dicitur ſpecies propria ſeu pars ſubjectiva ejuſdem, ſed dumtaxat pars potentialis, reductive ad juſtitiam ſpectans, eo quia nunquam poſſit reddere quantum debet, nec perfectam inducere æqualitatem inter debitum creaturæ, & jus Creatoris; quæ æqualitas eſt objectum juſtitiæ proprie talis: cum igitur Religio decidat ab æqualitate facienda inter jus, & ſolutionem, Quid ſit Religio?

proinde inter partes non ſubjectivas & ſpecificas juſtitiæ, ſed inter potentiales, & imperfectas dumtaxat eſt referenda.

Religio excellit ſuper omnes virtutes morales.

II. Ex his apparet, Religionem præcipuam eſſe inter Virtutes Morales, eo quod ejuſdem objectum emineat ſupra omnium illarum objecta, quod objectum eſt Cultus Dei. Noli tamen illam accenſere tribus Theologalibus: iſtæ namque directe & immediate, ut patet ex dictis ſuo loco, feruntur in Deum ipſum; Religio vero tantummodo in obliquo, & indirecte Deum inſpicit; directe inſpiciendo tantum illius Cultum, tanquam ſupremi rerum omnium Auctoris. Cum autem Deus Auctor ſit & rerum naturalium, quæ lumine naturali percipiuntur, & ſupernaturalium, quæ lumine infuſo fidei creduntur; idcirco duplex eſt Religio, alia naturalis, qua colitur Deus ut naturæ Auctor, alia ſupernaturalis, qua colitur Deus ut Auctor Gratiæ & Gloriæ, cæterorumque myſteriorum revelatorum. Quando igitur Deum coles ob dona naturalia ab ipſo accepta, coles Religione naturali; quando vero ob beneficia ſupernaturalia tibi elargita, coles Religione ſupernaturali & infuſa; quam dari una cum aliis virtutibus moralibus infuſis jam præſupponimus cum Angelico Præceptore, & cum univerſis ejus doctrinæ aſſeclis.

Quot ſint Religionis actus?

III. Juxta ea, quæ tradit S. D. 2. 2. q. 82. & ſequentibus, Religio duo habet actuum genera, internorum videlicet; & externorum: Interiores ſunt duo, nempe Devotio, & Oratio: exteriores ſunt octo, ſcilicet Adoratio, Sacrificium, Oblatio, Decimæ, Votum, Juramentum, Adjuratio Divini nominis, & Aſſumptio ejuſdem Divini Nominis in Laudem. Modo omnium trademus ex Angelico Doctore ſummariam notionem; operoſiorem deinde nonnullorum diſcuſſionem habituri.

Quid ſit Devotio, & quænam ejus cauſæ?

IV. *Devotio* ex D. Th. loc. cit. a. 1. *eſt voluntas quædam prompte tradendi ſe ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum*. Et art. 3. duas aſſignat devotionis cauſas: *Extrinſeca & principalis eſt Deus,... cauſa autem intrinſeca ex parte noſtra oportet quod ſit meditatio ſeu contemplatio; dictum eſt enim, quod devotio eſt quidam voluntatis actus, ad hoc quod homo prompte ſe tradat ad Dei obſequium; omnis autem actus voluntatis ex aliqua conſideratione procedit;... & ideo neceſſe eſt quod meditatio ſit devotionis cauſa; in quantum ſcilicet homo per meditationem concipit, quod ſe tradat divino obſequio. Ad quod quidem inducit duplex conſideratio; una quidem quæ eſt ex parte Divinæ bonitatis, & beneficiorum ipſius:... Alia vero ex parte hominis conſiderantis ſuos defectus, ex quibus indiget, ut Deo innitatur.* En integra hujus excellentis actus idea.

Orationis notio, actus, neceſſitas.

V. Oratio ex traditis a D. Th. 2. 2. q. 83. eſt *Petitio decentium a Deo:* hujus actus principalior elicitur ab intellectu declarante atque exponente Divinæ Majeſtati petentis neceſſitates. Aſſociatur autem actui intellectus etiam actus voluntatis optantis, & fidentis obtinere humiliter poſtulata. Quando petitio etiam ore profertur, adhuc principalior actus petendi menti adſcribitur, qui veluti materialiter & ſenſibiliter completur petitione vocali. Addere petitioni vocali laudes, hymnos &c., non pertinet ad orationem, ſed ad Laudationem Divini Nominis, de qua infra dicetur. Oratio adultis eſt neceſſari neceſſitate medii, quæ deducitur ex innumeris Scripturarum locis, in quibus adeo urgenter inculcatur orationis praxis & frequentia; nec non ex SS. Patribus eodem tenore loquentibus, & propterea S. Th. 3. p. q. 39. art. 5. & Lect. 2. ſuper cap. 12. ad Rom. docet: *Quod poſt Baptiſmum, neceſſaria eſt homini oratio, ut Cælum introeat; licet enim per Baptiſmum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati nos impugnans interius, & mundus, & dæmones, qui impugnant exterius.*

Quid ſit Adoratio quis ejus actus, quæ ſpecies.

VI. Adoratio ex traditis a D. Th. 2. 2. q. 84., & aliis locis, eſt cultus Deo exhibitus, ſeu reverentia Deo exhibita ob ejus infinitam excellentiam; & eſt duplex alia Interior tantum, alia conjuncta etiam cum externa. Interior, quæ eſt actus Latriæ, ut ſtatim dicemus, fit per actus mentis & voluntatis, ſe Deo tanquam primo rerum principio ſubmittentium, qui actus ſi conjungatur genuflexioni, inclinationi, proſtrationi, tunſioni pectoris &c., eſt adoratio interior cum exteriori conjuncta. Tres recenſentur Adorationis ſacræ ſpecies: (nam de civili, qualis ſæpe legitur in veteri teſtamento hominibus exhibita, nil ad nos) nempe Latriæ, Hyperduliæ, & Duliæ. Prima ſoli Deo convenit ut primo cunctarum rerum principio, ultimoque earum fini. Secunda, quæ etiam dicitur Suprema Dulia quæ debetur alicui ob eximiam ipſius ſuper omnes puras alias creaturas excellentiam, & convenit B. Virgini Mariæ, & Humanitati Chriſti, perceptæ præciſive ab unione cum

Ver-

Verbo, ut docet S. Th. 3. p. q. 25. a. 2. nam conjuncta Verbo, adoranda eſt adoratione Latriæ. Tertia convenit BB. Spiritibus, & Sanctis cum Deo in Cœlo regnantibus, ob eorum excellentiam. Eadem ſpecies cultus adhibetur ſacris imaginibus, rebus, reliquiis &c., quæ debetur prototypo; ut docet S.Th.loc. cit. a.3. & propterea Imagini & rebus Chriſti exhibendus eſt cultus Latriæ; Imagini & rebus Deiparæ, cultus Hyperduliæ; Imaginibus & rebus Sanctorum, cultus Duliæ.

* Triplex dicta, atque expoſita adoratio in *abſolutam* ſejungitur, & *reſpectivam*. Abſoluta convenit ſoli rei intellectuali, quæ per ſe honorabilis, atque adorabilis eſt ob perfectionem, excellentiamque ſibi intrinſecam, qualis adoratio, ſeu cultus convenit ac debetur Deo, B. Mariæ V. atque Sanctis, per ſe abſolute venerabilibus. Reſpectiva convenit rebus non intellectualibus, & ratione carentibus, quæ non coluntur per ſe ob perfectionem, excellentiamque ſibi intrinſecam, ſed propter aliud, ſeu ob reſpectum ad aliud, qualis adoratio, ſeu cultus convenit, ac debetur Cruci, Sacris Reliquiis, Imaginibus, ac ſimilibus ratione deſtitutis, cum eorum veneratio, ſeu adoratio, vel cultus non ſiſtat in illis, ſed referatur ad Prototypum, cujus ſunt Imagines, ſeu quod repræſentant. Legatur Concilium Trid. *Seſſ.* 25. in Decreto *de Invocatione Sanctorum*. Et hæc adiicienda erant ad illuſtrandam doctrinam, quam tradit Auctor *non præced.* dum aſſerit quod eadem ſpecies cultus adhibetur ſacris imaginibus, rebus, reliquiis &c. quæ debetur prototypo &c. Utique eadem ſpecies cultus exhibetur ſacris imaginibus, rebus, reliquiis &c. quæ debetur prototypo: at cultus, qui exhibetur prototypo abſolutus eſt; reſpectivus vero qui exhibetur ſacris imaginibus &c.

Quid ſit Sacrificium? VII. Sacrificium eſt Oblatio exterior rei ſenſibilis, legitima auctoritate inſtituta, & a legitimo miniſtro facta ſoli Deo, cum reali mutatione ejuſdem rei oblatæ, in proteſtationem divini Dominii ſuper omnes creaturas. De hoc fuſe agetur, dum de Euchariſtia & de Miſſæ Sacrificio diſſeremus nempe Tract. 14. cap. 3. §. 9.

Quid ſit Oblatio? VIII. Oblatio ex traditis a D. Th. 2. 2. q. 86. eſt actus, quo offertur Deo res aliqua exterior immutata manente ejus ſubſtantia: V. G. oblatio primitiarum, frugum, &c. quæ poſtea conſumuntur in pios uſus.

Quid ſint Decimæ? IX. Decimæ ſunt illa decima pars fructuum ſive terræ, ſive aliarum rerum, quæ debetur Deo in recognitionem ſupremi ipſius Dominii in cuncta creata; & perſolvenda ejuſdem miniſtris, ſingulisque annis conſignanda. Propterea differunt Decimæ a Novalibus ſeu Primitiis, quæ dumtaxat prima vice offeruntur; ideſt primi fructus agri noviter exculti; primus partus animalis nondum fœcundi &c. Circa ſolutionem Decimarum, & Novalium ſtandum eſt conſuetudinibus locorum. Jus Decimarum ſolvendum eſt de jure naturali: de quibus fuſe diſſeritur in quinto Eccleſiæ præcepto, tract. 12. cap. 4.

X. Votum eſt promiſſio deliberata facta Deo de meliori bono, de quo latiſſime diſſeremus paulo inferius, in §. 2. Quid Votum?

XI. Juramentum eſt aſſumptio Dei in teſtem ad aliquid confirmandum: & etiam de hoc diffuſe in diſſertatione de ſecundo Decalogi præcepto in tractatu 5. capite unico. Quid Juramentum?

XII. Adjuratio Divini Nominis ex traditis a D. Th. in 4. d. 15. q. 4. a. 3. & 2. 2. q. 90. eſt Dei, vel alicujus Perſonæ, aut rei Sacræ invocatio, ad inducendum vel cogendum alterum, ut aliquid faciat, vel a faciendo deſiſtat, petendo, aut jubendo. Hinc duplex eſt adjuratio, alia Deprecativa, alia Imperativa: prima, qua deprecando, alium ſtudemus inducere ad aliquid agendum vel omittendum ob excellentiam, merita, virtutem alterius: puta cum deprecamur Deum per merita Chriſti; Chriſtum per merita Deiparæ, Sanctorum &c. Secunda eſt, qua, invocando Deum, Chriſtum, Sanctos, jubemus alicui, ut aliquid efficiat, vel omittat: puta cum jubemus dæmoni, ut virtute nominis Jeſu deſiſtat a tentatione, vexatione &c. Quid Adjuratio, & quotuplex?

XIII. Ut adjuratio deprecativa ſit licita & laudabilis, tres requirit conditiones, veritatem, juſtitiam, & judicium: veritatem, quæ in eo conſiſtit, ut adjurans velit aſſequi intendat quod petit, & vera ſit cauſa, ob quam petit; quibus deficientibus juxta aliquos eſt peccatum veniale; juxta alios probabilius eſt mortale; quia abuſus injurioſus notabiliter illi, propter quem deprecamur, & mendacium illudens illi, quem deprecamur. Juſtitia in eo conſiſtit, quod adjurando petatur res licita: ſi enim petatur res illicita, puta oſculum, tactus &c. a fœmina, illam deprecando propter amorem Dei, eſt, juxta omnes peccatum lethale, utpote adjuratio graviter injurioſa illi, propter quem Quas poſtulet conditiones Adjuratio deprecativa?

quem peccatum illud petitur : veniale autem peccatum eſſe dicunt, quando petitur aliquid tantum veniale : putarem nihilominus mortalem eſſe petitionem, petendo a Deo per merita Chriſti aliquod veniale, puta proferendi lepide mendacium officioſum; eo quod a gravi injuria vacare non videatur, petere dicto modo rem & Deo, & Chriſto diſplicentem. Judicium in eo conſiſtit, quod adjuratio fiat rationabiliter, reverenter & non ſine honeſta cauſa : defectus hujus conditionis eſt venialis; unde inferas, quot centena venialium in die committant, qui conſueverunt petitioni cujuſcumque rei frivolæ addere, per amorem Dei, & Virginis &c.

Adjuratio ut licita ſit comites habeat conditiones neceſſe eſt, quæ ad licitum juramentum deſiderantur, ſicuti & Auctor optime animadvertit; quia ſicut adjuratio, ut notat Suarez *de Relig. tom.* 2. *Lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 6. continet quoddam veſtigium juramenti, ita ſuo modo, & cum proportione illas circumſtantias requirit. Verum adjuratio, ut communis fert opinio, ſolum eſt lethale peccatum, cum fit aut per falſum Numen, aut ad rem graviter turpem obtinendam. Si alia deſit ex recenſitis conditionibus, nonniſi levis culpa regulariter cenſetur. Probabilius quidem exiſtimant nonnulli, adjurationem etiam eſſe peccatum mortale, ſi ipſi deſit veritas, quæ in eo conſiſtit, ut adjurans vere aſſequi intendat quod petit, & vera ſit cauſa, ob quam petit. At probabilius oppoſitum alii judicant. Nam in adjuratione, inquiunt, nihil affirmatur, aut negatur, quia non fit per modum indicandi, ſed deprecandi, & ideo hic non ſic requiritur veritas, ſicut in juramento. Saltem non in omni caſu lethalis criminis damnandus eſt adjurans ſine veritate, ut obſervat laudatus Suarez loc. cit. *n.* 7. „ Videtur au-
„ tem, *ait*, hoc peccatum eſſe veniale ex
„ levitate materiæ, quia non inducitur
„ Deus ad teſtificandum falſum, neque alia
„ gravis injuria per ſe loquendo ibi in-
„ tervenire videtur. Aliquando vero, ſi
„ cum gravi proximi injuria ac deceptio-
„ ne fiat, poterit eſſe mortale. Ex hac
„ parte videri poteſt grave peccatum pe-
„ tere eleemoſinam propter Deum, fin-
„ gendo neceſſitatem ubi revera non eſt.
„ Quia tunc non ſolum injuſtitia commit-
„ titur (de qua res eſt clara) ſed etiam ir-
„ religioſitas, quia nomen Dei in vanum
„ aſſumitur, quæ in tali materia videtur
„ gravis, quia ſumitur Deus, ut vela-
„ mentum malitiæ & injuſtitiæ : unde
„ videtur quis tunc velle uti divino ora-
„ culo (ut ſic dicam) & auctoritate ad
„ furandam rem alienam, quod injuriam
„ non levem Dei continere videtur. Si au-
„ tem fictio non ſit tam gravis, ſed fiat vel
„ ad explorandum animum alterius, vel ad
„ decipiendum illum in re levi, & joco-
„ ſa, erit veniale peccatum ex levitate
„ materiæ, ut per ſe conſtat. Imo etiam
„ in priori caſu, licet recte probetur ma-
„ litia contra Religionem, & gravis intra
„ latitudinem venialium culparum; ni-
„ hilominus probabile ſatis eſt, circum-
„ ſtantiam illam non addere malitiam
„ mortalem ſpecie diſtinctam, quia non
„ videtur per ſe loquendo eſſe tam gra-
„ vis irreverentia Dei, inducere alium
„ ad faciendum actum propter amorem
„ ſuum, qui actus, ut eſt ab operante,
„ eſt bonus, licet a recipiente male po-
„ ſtuletur : licet ergo ibi negari non poſ-
„ ſit aliqua malitia contra Religionem,
„ non tamen facile damnanda ut morta-
„ lis in illa ſpecie." Hactenus Suarez, qui, ut compertum eſt, dubitanter & in utramque partem probabiliter diſputat circa qualitatem peccati, cujus reus efficitur contra virtutem Religionis, fictus pauper, qui ob Dei nomen proximum ad ſibi erogandam eleemoſinam impellit. Sunt tamen qui abſolute contendunt, eum qui ex profeſſo ſeſe pauperem fingit, ut abundantes eleemoſinas conquirat, & in hunc finem ex animi ſententia Deum obteſtatur, & continuis adjurationibus proximum urget ad eleemoſinas, ultra peccatum injuſtitiæ, committere peccatum adverſus Religionem. Divinam namque majeſtatem, & auctoritatem graviter contemnit; eaque ceu inſtrumento abutitur ad injuſtiſſimas ſuas petitiones executioni mandandas. Nec obſtat quod eleemoſina ut a divite procedit bona ſit; quoniam adjuratio adhibetur ad firmandam ſeu roborandam petitionem iniquam. Sic inter cæteros P. Daniel Concina *Theol. Chriſt. Tom.* 4. *Lib.* 5. *in Decalog. Diſſert.* 9. *cap.* 1.

Jam liquet hic ſermonem eſſe ſolummodo de peccato quod fictus pauper perpetrat contra virtutem Religionis, dum nomen Dei aſſumit, ut ſuæ fictioni credibilitatis pondus adjiciat, ſeu ut facilius quod ſimulata inopia quærit, aſſequatur. Nam de peccato quod iſte adverſus juſtitiam committit, & de debito, quod contrahit reſtituendi quidquid accepit ſive pauperibus aliis, ſi eleemoſina modica fuerit iiſque perinde, ac illi qui ſe egeſtate preſ-

ſum

ſum finxit donata fuiſſet, ſive ei qui dedit, ſi tanta fuerit, ut prudenter judicari poſſit hanc ab eo aliis elargiendam non fuiſſe, non eſt hic opportunus diſſerendi locus.

Adjurationis Imperativæ qualitas.

XIV. Adjuratio Imperativa ſpectat ad Superiores reſpectu ſubditorum in his, in quibus ſunt ſubditi; eo quod obſtringantur ad id præſtandum, in ordine ad quod adjurantur. Et nota quod ex vi ſolius adjurationis non imponitur obligatio, quæ jam præſupponitur; ſed additur adjuratio ad urgentius inducendum ſubditum ut illa præſtet, quæ juſte petuntur: & propterea ſubditus non aſſentiens, neque obediens, non peccat, niſi pro ratione materiæ ad quam tenetur, & non contra Religionis virtutem ob adjurationem non veneratam, niſi forte illam expreſſe deſpiceret. Hinc inferas, dæmones licite & laudabiliter adjurari adjuratione imperativa, ſervatis ſervandis. Adjurantur etiam irrationalia, ut docet S. D. 2. 2. q. 90. art. 3. *non adjuratione directa ad ipſa irrationabilia, quod vanum eſſet, ſed adjuratione directa ad eum, a quo irrationabilis creatura agitur & movetur; & ſic dupliciter adjuratur: uno quidem modo per modum deprecationis ad Deum directæ, quod pertinet ad eos qui miracula faciunt: alio modo per modum compulſionis, quæ refertur ad diabolum, qui in nocumentum noſtrum utitur irrationalibus creaturis; & talis eſt modus adjurandi in Eccleſiæ exorciſmis; per quos Dæmonum poteſtas excluditur ab irrationalibus creaturis: adjurando autem dæmones ab eis auxilium implorare non licet.*

Aſſumptio Divini nominis in laudem.

XV. Aſſumptio divini Nominis in Laudem, eſt laus quæ offertur Deo per Pſalmos, Cantica, Hymnos &c. de qua latiſſime agetur poſtquam de Voto diſſertum erit, dum de Horis Canonicis ſermo inſtituetur, cap. 11.

§. II. *De Voto, cujus natura exponitur.*

Explicatur quid ſit promiſſio conſtituens votum.

I. V*Otum*, ex his quæ tradit S. Th. 2. 2. q. 88., *eſt promiſſio voluntaria, & deliberata facta Deo de meliori bono.* Explico ſingulas partes. Dicitur Promiſſio, quæ eſt firma voluntas ſe obligandi Deo ad id præſtandum, quod vovetur. Hinc diſtinguas votum a propoſito quantumvis efficaciſſimo, cui promiſſio ſeu votum addit obligationem præſtandi rem promiſſam Deo, qui eo ipſo acquirit jus, ut ſibi detur ſpeciali titulo obligationis contractæ. Neque ſis multum ſollicitus, præcipue apud rudiores, an vovendo uſi fuerint verbo promiſſionis, an ſimplicis propoſiti; cum multoties unum loco alterius uſurpent, ut patet in propoſito quod emittunt in confeſſione Sacramentali, dicentes & repetentes; promitto me non amplius peccaturum, cum tamen id non voveant; & e contrario quandoque vovent, quin promiſſionis verbo utantur, ſed ſolius firmæ voluntatis: puta dum in gravi periculo dicunt: ſi liber evadam, firmiter conſtituo me ſabbatho jejunaturum, hæc proferentes animo ſe obligandi; & tunc verum votum emittunt: animum igitur explora, niſi vis decipi, & decipere.

Dubium incidens.

II. At ſi quis ſerio diceret, voveo &c. nil reflectendo ad obligationem? Reſpondeo, vel hic omnino ignorat naturam voti, voluit tamen, ita dicendo, facere id quod alii faciunt; & ita vere vovit: vel protulit ea verba & ignorando omnino voti naturam, & nil cogitando de agendo eo quod alii agunt; immo putando ſe nullam contrahere obligationem; tunc putandus eſt non voviſſe; quia rei omnino ignotæ nulla poteſt eſſe voluntas; & putando ſe nullam contrahere obligationem, virtualiter excluſit quod eſt voto eſſentiale. Vel denique proferendo ea verba, noverat habitualiter voti naturam; & tunc contraxit obligationem, quia quamvis actualiter ad eam non adverterit, virtualiter tamen voluit.

Voluntas implendi non requiritur.

III. Hinc inferas ad voti valorem non requiri voluntatem illud implendi quia impletio eſt executio obligationis jam aſſumptæ, & non ipſa obligatio, in qua conſiſtit votum: unde ſi vovens non excluſerit voluntatem ſe obligandi, (quam ſi excluderet, ſacrilego mendacio peccaret) quamvis impie excluſerit voluntatem implendi; votum ſubſiſtit; tametſi ſacrilege peccaverit actu interiori propoſitæ violationis.

P. Paulus Gabriel Antoine *Tract. de Virt. Religionis* Cap. III. Q. VI. ſtatuit in primis votum fictum ſeu exterius factum ſine animo vovendi, vel ſe obligandi peccatum eſſe, quia illa fictio ſeu ſimulatio eſt mendacium aliquod, & vana uſurpatio nominis Dei continens irreverentiam contra Deum. „ Secluſis autem, „ *ſubdit ipſe*, contemptu, ſcandalo, in„ juria non eſſe per ſe mortale docet Sua„ rez; quia, inquit, velle præciſe pro„ ferre verba vovendi ſine volitione vo„ vendi non eſt gravis irreverenti ac in„ juria Dei, & fictio non eſt reſpectu „ Dei, ſed tantum reſpectu hominum, „ quibus per illam poteſt fieri injuria le„ vis. In votis tamen ſolemnibus, vel

quem peccatum illud petitur : veniale autem peccatum eſſe dicunt, quando petitur aliquid tantum veniale : putarem nihilominus mortalem eſſe petitionem, petendo a Deo per merita Chriſti aliquod veniale, puta proferendi lepide mendacium officioſum; eo quod a gravi injuria vacare non videatur, petere dicto modo rem & Deo, & Chriſto diſplicentem. Judicium in eo conſiſtit, quod adjuratio fiat rationabiliter, reverenter & non ſine honeſta cauſa : defectus hujus conditionis eſt venialis; unde inferas, quot centena venialium in die committant, qui conſueverunt petitioni cujuſcumque rei frivolæ addere, per amorem Dei, & Virginis &c.

Adjuratio ut licita ſit comites habeat conditiones neceſſe eſt, quæ ad licitum juramentum deſiderantur, ſicuti & Auctor optime animadvertit; quia ſicut adjuratio, ut notat Suarez *de Relig. tom. 2. Lib. 4. cap. 4. n.6.* continet quoddam veſtigium juramenti, ita ſuo modo, & cum proportione illas circumſtantias requirit. Verum adjuratio, ut communis fert opinio, ſolum eſt lethale peccatum, cum fit aut per falſum Numen, aut ad rem graviter turpem obtinendam. Si alia deſit ex recenſitis conditionibus, nonniſi levis culpa regulariter cenſetur. Probabilius quidem exiſtimant nonnulli, adjurationem etiam eſſe peccatum mortale, ſi ipſi deſit veritas, quæ in eo conſiſtit, ut adjurans vere aſſequi intendat quod petit, & vera ſit cauſa, ob quam petit. At probabilius oppoſitum alii judicant. Nam in adjuratione, inquiunt, nihil affirmatur, aut negatur, quia non fit per modum indicandi, ſed deprecandi, & ideo hic non ſic requiritur veritas, ſicut in juramento. Saltem non in omni caſu lethalis criminis damnandus eſt adjurans ſine veritate, ut obſervat laudatus Suarez loc. cit. *n. 7.* „ Videtur au-
„ tem, *ait*, hoc peccatum eſſe veniale ex
„ levitate materiæ, quia non inducitur
„ Deus ad teſtificandum falſum, neque alia
„ gravis injuria per ſe loquendo ibi in-
„ tervenire videtur. Aliquando vero, ſi
„ cum gravi proximi injuria ac deceptio-
„ ne fiat, poterit eſſe mortale. Ex hac
„ parte videri poteſt grave peccatum pe-
„ tere eleemoſinam propter Deum, fin-
„ gendo neceſſitatem ubi revera non eſt.
„ Quia tunc non ſolum injuſtitia commit-
„ titur (de qua res eſt clara) ſed etiam ir-
„ religioſitas, quia nomen Dei in vanum
„ aſſumitur, quæ in tali materia videtur
„ gravis, quia ſumitur Deus, ut vela-
„ mentum malitiæ & injuſtitiæ : unde
„ videtur quis tunc velle uti divino ora-
„ culo (ut ſic dicam) & auctoritate ad
„ ſurandam rem alienam, quod injuriam
„ non levem Dei continere videtur. Si au-
„ tem fictio non ſit tam gravis, ſed fiat vel
„ ad explorandum animum alterius, vel ad
„ decipiendum illum in re levi, & joco-
„ ſa, erit veniale peccatum ex levitate
„ materiæ, ut per ſe conſtat. Imo etiam
„ in priori caſu, licet recte probetur ma-
„ litia contra Religionem, & gravis intra
„ latitudinem venialium culparum; ni-
„ hilominus probabile ſatis eſt, circum-
„ ſtantiam illam non addere malitiam
„ mortalem ſpecie diſtinctam, quia non
„ videtur per ſe loquendo eſſe tam gra-
„ vis irreverentia Dei, inducere alium
„ ad faciendum actum propter amorem
„ ſuum, qui actus, ut eſt ab operante,
„ eſt bonus, licet a recipiente male po-
„ ſtuletur : licet ergo ibi negari non poſ-
„ ſit aliqua malitia contra Religionem,
„ non tamen facile damnanda ut morta-
„ lis in illa ſpecie.“ Hactenus Suarez, qui, ut compertum eſt, dubitanter & in utramque partem probabiliter diſputat circa qualitatem peccati, cujus reus efficitur contra virtutem Religionis, fictus pauper, qui ob Dei nomen proximum ad ſibi erogandam eleemoſinam impellit. Sunt tamen qui abſolute contendunt, eum qui ex profeſſo ſeſe pauperem fingit, ut abundantes eleemoſinas conquirat, & in hunc finem ex animi ſententia Deum obteſtatur, & continuis adjurationibus proximum urget ad eleemoſinas, ultra peccatum injuſtitiæ, committere peccatum adverſus Religionem. Divinam namque majeſtatem, & auctoritatem graviter contemnit; eaque ceu inſtrumento abutitur ad injuſtiſſimas ſuas petitiones executioni mandandas. Nec obſtat quod eleemoſina ut a divite procedit bona ſit; quoniam adjuratio adhibetur ad firmandam ſeu roborandam petitionem iniquam. Sic inter cæteros P. Daniel Concina *Theol. Chriſt. Tom.4. Lib.5. in Decalog. Diſſert. 9. cap. 1.*

Jam liquet hic ſermonem eſſe ſolummodo de peccato quod fictus pauper perpetrat contra virtutem Religionis, dum nomen Dei aſſumit, ut ſuæ fictioni credibilitatis pondus adjiciat, ſeu ut facilius quod ſimulata inopia quærit, aſſequatur. Nam de peccato quod iſte adverſus juſtitiam committit, & de debito, quod contrahit reſtituendi quidquid accepit ſive pauperibus aliis, ſi eleemoſina modica fuerit illique perinde, ac illi qui ſe egeſtate preſ-

ſum

Digitized by Google

ſum finxit donata fuiſſet, ſive ei qui dedit, ſi tanta fuerit, ut prudenter judicari poſſit hanc ab eo aliis elargiendam non fuiſſe, non eſt hic opportunus diſſerendi locus.

Adjurationis Imperativæ qualitas.

XIV. Adjuratio Imperativa ſpectat ad Superiores reſpectu ſubditorum in his, in quibus ſunt ſubditi; eo quod obſtringantur ad id præſtandum, in ordine ad quod adjurantur. Et nota quod ex vi ſolius adjurationis non imponitur obligatio, quæ jam præſupponitur; ſed additur adjuratio ad urgentius inducendum ſubditum ut illa præſtet, quæ juſte petuntur: & propterea ſubditus non aſſentiens, neque obediens, non peccat, niſi pro ratione materiæ ad quam tenetur, & non contra Religionis virtutem ob adjurationem non veneratam, niſi forte illam expreſſe deſpiceret. Hinc inferas, dæmones licite & laudabiliter adjurari adjuratione imperativa, ſervatis ſervandis. Adjurantur etiam irrationalia, ut docet S. D. 2. 2. q. 90. art. 3. *non adjuratione directa ad ipſa irrationabilia, quod vanum eſſet, ſed adjuratione directa ad eum, a quo irrationabilis creatura agitur & movetur; & ſic dupliciter adjuratur: uno quidem modo per modum deprecationis ad Deum directæ, quod pertinet ad eos qui miracula faciunt: alio modo per modum compulſionis, quæ refertur ad diabolum, qui in nocumentum noſtrum utitur irrationalibus creaturis; & talis eſt modus adjurandi in Eccleſiæ exorciſmis; per quos Dæmonum poteſtas excluditur ab irrationalibus creaturis: adjurando autem dæmones ab eis auxilium implorare non licet.*

Aſſumptio Divini nominis in laudem.

XV. Aſſumptio divini Nominis in Laudem, eſt laus quæ offertur Deo per Pſalmos, Cantica, Hymnos &c. de qua latiſſime agetur poſtquam de Voto diſſertum erit, dum de Horis Canonicis ſermo inſtituetur, cap. 11.

§. II. *De Voto, cujus natura exponitur.*

Explicatur quid ſit promiſſio conſtituens votum.

I. V*Otum*, ex his quæ tradit S. Th. 2. 2. q. 88., *eſt promiſſio voluntaria, & deliberata facta Deo de meliori bono*. Explico ſingulas partes. Dicitur Promiſſio, quæ eſt firma voluntas ſe obligandi Deo ad id præſtandum, quod vovetur. Hinc diſtinguas votum a propoſito quantumvis efficaciſſimo, cui promiſſio ſeu votum addit obligationem præſtandi rem promiſſam Deo, qui eo ipſo acquirit jus, ut ſibi detur ſpeciali titulo obligationis contractæ. Neque ſis multum ſollicitus, præcipue apud rudiores, an vovendo uſi fuerint verbo promiſſionis, an ſimplicis propoſiti; cum multoties unum loco alterius uſurpent, ut patet in propoſito quod emittunt in confeſſione Sacramentali, dicentes & repetentes; promitto me non amplius peccaturum, cum tamen id non voveant; & e contrario quandoque vovent, quin promiſſionis verbo utantur, ſed ſolius firmæ voluntatis: puta dum in gravi periculo dicunt: ſi liber evadam, firmiter conſtituo me ſabbatho jejunaturum, hæc proferentes animo ſe obligandi; & tunc verum votum emittunt: animum igitur explora, niſi vis decipi, & decipere.

Dubium incidens.

II. At ſi quis ſerio diceret, voveo &c. nil reflectendo ad obligationem? Reſpondeo, vel hic omnino ignorat naturam voti, voluit tamen, ita dicendo, facere id quod alii faciunt; & ita vere vovit: vel protulit ea verba & ignorando omnino voti naturam, & nil cogitando de agendo eo quod alii agunt; immo putando ſe nullam contrahere obligationem; tunc putandus eſt non voviſſe; quia rei omnino ignotæ nulla poteſt eſſe voluntas; & putando ſe nullam contrahere obligationem, virtualiter excluſit quod eſt voto eſſentiale. Vel denique proferendo ea verba, noverat habitualiter voti naturam; & tunc contraxit obligationem, quia quamvis actualiter ad eam non adverterit, virtualiter tamen voluit.

Voluntas implendi non requiritur.

III. Hinc inferas ad voti valorem non requiri voluntatem illud implendi quia impletio eſt executio obligationis jam aſſumptæ, & non ipſa obligatio, in qua conſiſtit votum: unde ſi vovens non excluſerit voluntatem ſe obligandi, (quam ſi excluderet, ſacrilego mendacio peccaret) quamvis impie excluſerit voluntatem implendi; votum ſubſiſtit; tametſi ſacrilege peccaverit actu interiori propoſitæ violationis.

P. Paulus Gabriel Antoine *Tract. de Virt. Religionis* Cap. III. Q. VI. ſtatuit in primis votum fictum ſeu exterius factum ſine animo vovendi, vel ſe obligandi peccatum eſſe, quia illa fictio ſeu ſimulatio eſt mendacium aliquod, & vana uſurpatio nominis Dei continens irreverentiam contra Deum. „ Secluſis autem, „ *ſubdit ipſe*, contemptu, ſcandalo, in„ juria non eſſe per ſe mortale docet Sua„ rez; quia, inquit, velle præciſe pro„ ferre verba vovendi ſine volitione vo„ vendi non eſt gravis irreverentia ac in„ juria Dei, & fictio non eſt reſpectu „ Dei, ſed tantum reſpectu hominum, „ quibus per illam poteſt fieri injuria le„ vis. In votis tamen ſolemnibus, vel

Digitized by Google

„ quæ fiunt in aſſumptione ſtatus religioſi, docet fictionem eſſe mortalem, „ quia in ea fit injuria gravis Religioni, „ & conſequenter etiam Deo, & Eccleſiæ, & vix ſeparari poteſt a graviſſimo „ ſcandalo. " Vide etiam quæ habet Auctor n. xi.

De dubitante an voverit.

IV. Qui certus eſt ſe protuliſſe verba votum ſignificantia, & dubitat an protulerit animo vovendi aut ſe obligandi, juxta omnes tenetur voto; quia præſumitur voluntas ejus conformis fuiſſe verbis, quemadmodum ab hominibus ſerio agentibus fieri ſolet. Qui autem verba ſolum propoſitum ſignificantia protulit, & alioquin jam voti naturam noverat; & dubitat, an ſimul votum emiſerit, communiter dicunt, non eſſe cenſendum, quod votum emiſerit; ob rationem dudum allatam, hic applicandam. Non eſt tamen prætereunda obſervatio multorum examinantium, an verba formulam pacti referant, puta ſi evaſero ab hoc periculo, jejunabo ſingulis ſabbathis; in hoc enim caſu judicant verum votum, ſi evaſerit: hi namque loquendi modi, faciam ego, ſi tu feceris, manifeſte pactum obligans involvunt, & æquivalent promiſſioni, ac ſi diceretur: ſi tu præſtiteris, promitto, etiam me præſtiturum &c. Qui dubitat, an voverit, ita ut ejus mens nequeat diſcernere, an validiora ſint motiva ipſum a voto abſolventia, motivis illum voto obſtringentibus, ſed remanet anceps, hærens, & vere dubitans, tenetur votum adimplere; ita probabilior cum Angelico Doctore in 4. d. 38. q. 1. a. 3. q. 1. ad 6. *Si dubitet quomodo ſe vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne ſe diſcrimini committat*: & cum S. Antonino p. 2. tit. 11. cap. 2. §. 10. *Exiſtens in dubio an tranſgrediatur votum, & per conſequens peccet mortaliter, tenetur ſe ponere in tuto, ut ſcilicet votum non tranſgrediatur*. Eamdem ſequuntur nedum probabilioriſtæ omnes, verum etiam aliqui graves probabiliſmi ſectatores. Probatur ex regula juris diffuſe propugnata tract. 1. cap. 1. §. 5. agentes de conſcientia dubia: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*: cujus regulæ ratio eſt, quia aliter faciendo, ſe exponeret peccandi periculo; quod ſic explicatur: Lex certiſſima eſt, votum non eſſe violandum: atqui ille qui dubitat an voverit. V. G. jejunium, dubitat per conſequens, an, ſi illud omittat, violet dictam legem, & inde peccet; ille autem qui operatur dubitans an ita operando peccet, ex ſua electione ſe exponit periculo legem violandi; & propterea temere contra legem peccat.

Vere dubitans tenetur adimplere votum.

Reſolvitur objectio, & confirmatur aſſertum.

V. Neque objicias illud jam expoſitum differendo de conſcientia dubia; nempe: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*: dubitans autem eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis; igitur non tenebitur obligatione, de qua dubitat. Reſpondeo, hanc difficultatem fuiſſe loco citato ab imis uſque radicibus evulſam; nunc repeto, dictum illud permitti a jure Civili in ſola materia juſtitiæ, ob ſpecialia motiva declinandi lites perpetuas; & præcipue quia poſſeſſio rei dat poſſidenti titulum, quo caret alter qui verſatur in eodem dubio, an res ad ipſum ſpectet: certum enim eſt, quod poſſidens bona fide, cœpit poſſidere aliquo titulo, cujus cum non adducatur manifeſta injuſtitia, juſtus fuiſſe optime creditur. At in caſu noſtro in primis nullus tibi additur ſpecialis titulus, quo dicaris abſolutus ab onere, cum æqualiter lex voti poſſideat ſuam vim obligandi, ac tu poſſideas tuam libertatem. Deinde poſſidet lex naturalis & divina, hominem non debere ſe committere peccandi periculo; necnon promiſſiones Deo factas eſſe obſervandas; ille autem qui vere dubitat, an voverit, ſi eligat non obſervare votum, ecce quomodo ipſo facto violat leges iſtas de non committendo ſe peccandi periculo, & de non violando voto ſi adſit: igitur non poſſidet libertas, ſed poſſidet præfata lex naturalis.

Inſtauratur hæc ratio.

VI. Quænam enim conſequentia eſt: ſum liber; ergo non vovi: ſum liber; ergo non extat lex? Quomodo poteſt hæc conſequentia legitime deduci, dum habeo motiva æqualiter mihi ſuadentia, & me voviſſe, & legem extare? Quandoquidem id ſignificet habere dubium poſitivum de exiſtentia legis, aut voti: ſi igitur vere habeo motiva æqualia mihi ſuadentia legem, & votum extare, quo jure, niſi ſolius præſumptionis, dicere poſſum, lex & votum non extant? Reſpondes: quia ſum liber. At id eſt de quo quæritur, an ſis, nec ne liber: & cum dubites, an ſis nec ne liber, quo jure judicas determinate te eſſe liberum, niſi mera præſumptione? Explico & ſimul inſtauro dicta argumento a doctrina adverſariorum petito. Cum melior ſit conditio poſſidentis, melior erit conditio antiquioris poſſidentis: nunc quæro, quiſnam ſit antiquior poſſidens, an Deus libertatem & ſubjectionem creaturæ rationalis ſuo dominatui, an homo exercitium ſuæ libertatis? Deus profecto reſpectu

Digitized by Google

ſpectu hominis, quam homo reſpectu ſui met; cum Deus & ſit prima cauſa, & primus ſupremus Dominus humanæ libertatis: homo autem cauſa ſecunda & dependens; ſi igitur jus antiquioris poſſidentis eſt ſervandum contra alterum non æque antique poſſidentem; cum Deus ſit antiquior poſſidens jura libertatis humanæ; in dubio an ſit ſervandum jus Dei, & jus hominis; hoc debebit cedere divino, & proinde votum obſervare. Explico adhuc urgentius. In dubio poſitivo de exiſtentia voti, jus naturale dictat, votum eſſe ſervandum; quod ſic probo: in tali dubio æque periclitatur jus divini promiſſi, ſi votum ſubſiſtat, & non obſervetur; & jus humanæ libertatis, ſi non ſubſiſtit, & obſervetur: atqui in hoc concurſu jus naturale dictat, potius violatum iri jus humanæ libertatis, quam divinæ promiſſionis; id namque comprobant innumera exempla Regis & plebeji; Ducis & militis; Totius & partis; in caſu enim quod alterutrum periclitari debeat in æquali rationum concurſu, ſemper antefertur jus Regis juri plebeji; jus Ducis juri militis; jus Totius juri partis; quanto magis jus Dei juri hominis? ac proinde jus voti juri libertatis anteferendum eſt.

Dubitans ſine ullo fundamento.

Tandem qui dubitat de voto, & poſt diligens examen, nulla ei apparet conjectura probabilis, quod illud emiſerit, non tenetur voto. Quia nullus tenetur ſubjici obligationi nulli fundamento rationabili innixæ.

Explicatur ſecunda particula, nempe deliberata. Quid in dubiis de deliberatione?

VII. Votum debet eſſe promiſſio deliberata, nempe quod requirat emitti cum plena deliberatione, & ſufficiente ad peccatum lethale. Dubitans de deliberatione, ſi certus ſit, ſe voviſſe, debet juxta communem præſumere etiam deliberationem adfuiſſe; cum præſumatur emiſſum fuiſſe, ut communiter fieri ſolet. Si dubitet de deliberatione ob defectum ætatis, exploret ſi poſt ſeptennium voverit, & facere voluerit, quod alii faciunt; & ſi ita ſit, teneat, ſe voviſſe ſufficienti deliberatione: ſi vero voverit ante ſeptennium; ſuſpicari poteſt de defectu deliberationis. Si dubitet, an ſeptennium attigerit, & conſtet de voto emiſſo, Sanchez lib. 4. moral. c. 1. cum pluribus docet judicandum in f vorem voti, de quo jam conſtat, etſi plerumque ante rationis uſum non ſoleat emitti. Si dubitet de deliberatione ob ſubitam paſſionem timoris, vel ob phræneſim: judicandum eſt pro voto; tum quia de ejus exiſtentia jam conſtat, & dubitatur dumtaxat de cauſa excuſante; tum etiam quia qualitas, quæ ſemper afficere ſolet perſonam, ſemper ſupponitur afficere, niſi liquido conſtet de oppoſito; uſus autem rationis ſemper ſolet afficere hominem in ſuis actionibus magni momenti, quas evigilans facit, cujuſmodi ſunt vota; Igitur &c.

Explicatur ly voluntaria & varii caſus reſolvuntur.

VIII. Rurſus: Votum debet eſſe voluntarium; quia cum votum ſit actio moralis, debet eſſe voluntaria, juxta tradita in tract. 3. Capite 2. de Voluntario. Inter cauſas efficientes involuntarium una eſt Ignorantia. Qui igitur emittit votum ex ignorantia, aut errore circa ſubſtantialia voti emiſſi, votum nullum remanet, cum nihil poſſit eſse volitum, quin ſit præcognitum: propterea qui vovit peregrinationem ad aliquod ſanctuarium, putans diſtare duo milliaria, & diſtat centum, non valet votum, & ſic de ſimilibus. Pariter ſi error verſetur circa cauſam finalem, ſeu motivum vovendi, irritum reddit votum: unde qui vovit pinguem eleemoſynam erogandam puellæ putatæ pauperrimæ, quam deinde novit eſse abunde proviſam; vel vovit jejunium hebdomadale, ut obtineat ſanitatem patri, quem putabat infirmum, cum vel ſanus ſit, vel obierit; vota irrita ſunt.

Quid dicendum quando ignorantia verſatur circa qualitatem rei promiſſæ?

IX. Quando error, aut ignorantia verſatur non circa ſubſtantiam, ſed circa qualitatem rei promiſsæ non mutantem notabiliter rem promiſsam, juxta omnes, votum ſubſiſtit: quia qui voluit ſubſtantiam, cenſetur virtualiter voluiſse acceſsoria. Hinc teneris voto eleemoſynæ dandæ fœminæ pauperi quam putabas virginem, cum ſit vidua: voto caſtitatis, quam putabas facilem ſervatu, cum ſit ſalebroſa. Si tamen mente tua expreſse intendiſses non aliter te obligare, niſi extante illa qualitate, ipſa deficiente, caderet votum; quia tunc qualitas illa evaderet motivum finale.

Quando metus irritet votum?

X. Altera cauſa minuens voluntarium eſt metus, qui quocumque modo incutiatur ſive ab intrinſeco, ſive ab extrinſeco, ſive juſte, ſive injuſte, (quæ omnia loco citato explicavimus) relinquit votum validum; dummodo non incutiatur ab extrinſeco injuſte ad extorquendum votum. Ratio aſsertionis eſt, quia metus quicumque relinquit voluntarium ſimpliciter, ut ibidem diximus. Ratio exceptionis eſt, quia ita ſancivit Jus Canonicum in capite *perlatum de his quæ vi &c.* & alibi. Dixi ad extorquendum injuſte votum; quia ſi incutiatur metus a cauſa habente juſtam

auctoritatem, votum tenet; puta ſi Judex Petro juſte ad mortem condemnato, offerat ſe a morte illum abſoluturum, ſi votum emittat erigendi publicum hoſpitale, votum emiſſum teneret. Nota præterea, quod ſi metus injuſte incuſſus ad extorquendum votum ſit levis, votum non irritat, quia metus levis pro nullo habetur, juxta ibidem dicta.

Quid dicendum de vovente exterius tantum ſine animo vovendi?

XI. Qui vovet exterius tantum ſine animo vovendi, videtur quod non peccet lethaliter, quippe quod proferat mendacium ut ſupponitur, nemini perniciosum, neque gravem afferens injuriam Deo; dummodo non ſit votum de re ab ipſo Deo præcepta, ſed ſolius ſupererogationis: ſi enim eſſet de re a Deo præcepta ſub gravi, puta non fornicandi; votum mendax eſſet graviter illudens Deo, quippe quod involveret affectionem quamdam ad tale peccatum.

* Conſule dicta hoc ipſo §. poſt. n. 3.

Votum quomodo intelligatur factum Deo?

XII. Debet inſuper promiſſio votiva fieri Deo ſaltem primario, & ultimate; cum enim votum ſit actus latriæ, nonniſi Deo offerri debet. Ex hoc tamen non inferas, vota ab idiotis facta Virgini, Sanctis &c. non eſſe vere vota; quia cum intendant agere, quod in vovendo agendum eſt, ſaltem virtualiter & implicite Deo vovere intendunt in honorem Sanctorum. Si autem neque implicite id intenderent, adhuc teneret; & quamvis non eſſet actus latriæ; eſſet actus honeſtus & bonus ſive hyperduliæ, ſive duliæ; & eſſet votum improprie tale, ideſt promiſſio facta Virgini, aut Sancto graviter obligatoria: id autem dicitur pro veritate doctrinæ; cum alioquin nullus vovens Deum excludere velit.

Explicatur ly de meliori bono.

XIII. Ly de meliori bono, ſignificat id quod eſt melius, quam quod eidem per ſe opponitur, ſeu quam negatio illius: ita votum non fornicandi, optimum; quia non fornicari eſt longe melius quam fornicari, quod immo eſt peſſimum. Votum nubendi, ſic abſolute, non eſt votum; quia, quod opponitur matrimonio, nempe caſtitas eſt ipſo melior. Dixi ſic abſolute; quia ſi matrimonium eſſet remedium judicatum neceſſarium ſaluti ſpirituali alicujus, tunc eſſet votum verum, & obligans.

§. III. *De materia Voto idonea.*

Debet eſſe materia poſſibilis.

I. Debet in primis materia voti eſſe voventi poſſibilis, & in ſui poteſtate, Deo auxiliante, repoſita; alioquin eſſet ludicra promiſſio. Hinc votum nunquam peccandi ullo modo venialiter eſt invalidum, utpote de re abſque ſpeciali privilegio Dei, impoſſibili, quod privilegium ſoli Deiparæ conceſſum fatetur Tridentina Synodus ſeſſ. 6. can. 23.: expectare autem hoc privilegium, præſumptione non vacat. Dixi *ullo modo*; quia votum non peccandi venialiter deliberate, ex ſpeciali, non privilegio, ſed auxilio Dei, quod peti poteſt, & obtineri, ſubſiſteret: hoc tamen votum non eſt emittendum, niſi poſt multam conſultationem cum viris doctis, prudentibus, & piis. Sicuti etiam valeret votum adhibendi ſollicitam diligentiam ad omnia venialia cavenda; contra quod votum tunc ſolum graviter peccaretur, quando notabilis defectus committeretur in ea ſollicitudine: a quo voto ſimiliter abſtinendum, niſi poſt indicatas conſultationes.

Votum non peccandi venialiter.

Validum eſt quoque votum de actione ab altero ponenda, intellectum ſicut debet intelligi, nempe procurandi debitis modis, ut alter illam exequatur; & ita vovent genitores, ſe dicaturos filium tali Religioni; quod ſi filius nolet religionem ingredi, non peccaret, niſi forte votum ratum habuiſſet, quæ ratificatio æquivaleret voto emiſſo. Peccaret autem contra gratitudinem Deo debitam, ſi ob votum emiſſum a genitoribus, amicis &c., ſanitatem recepiſſet jam deſperatam &c.; at puto non lethaliter.

Votum de actione ab alio ponenda.

Debet eſſe de re bona & quomodo?

II. Materia voti debet eſse bona; nomine boni intelligitur etiam omiſſio mali; debet autem eſse bona non ſolum in ſe, ſed etiam ex fine; unde eſset impium votum, vovere actionem bonam ad malum finem, vel malam ad bonum finem; quia in primo finis malus inficit actionem; & in ſecundo promittitur Deo quod ipſi diſplicet, non ſine gravi ejus injuria. Circa hæc tamen oportet ut diſtinguas inter finem pravum afficientem actionem promittentem, & afficientem rem promiſſam: nam quando afficit rem promiſſam, puta ſi voveas eleemoſynam ad obtinendam mortem inimici, aut puellæ deflorationem &c. cum graviſſima Dei injuria, optando ipſum cooperatorem iniquitatis; tunc inficitur res promiſſa, & irritum, immo impium reddit votum. Quando autem afficit ſolam actionem vovendi, & res promiſſa ſit bona, multi dicunt, quod tunc tenet votum, quamvis inficiatur ipſa actio vovendi ſeu ipſe vovens: puta ſi vo-

Digitized by Google

voveas eleemoſynam, ut vovendo lauderis ab adſtantibus, quod eſſet veniale, vel ut magis placeas concubinæ tuæ, quod eſſet mortale; tunc eleemoſyna non inficitur a pravo fine quem habuiſti; & ideo non abſolveris ab eleemoſyna præſtanda, quam, mutato fine, potes integre laudabiliter præſtare; & quamvis, dum actu votum adimples, eos fines haberes, adhuc ſemper verificatur, eſſe materiæ illi adventitios, & a tua malitia materiæ alioquin bonæ ſuperadditos.

Votum de re mala, vel pro re mala confecta, vel pro bono quod pendet a facto malo.

III. Vovere aliquid quod ſit etiam dumtaxat peccatum veniale, probabilius nobis videtur cum Suarez, & aliis, contra plures, eſſe peccatum mortale, quia hujuſmodi votum vel continet hæreticalem ſenſum, nempe quod gratum ſit Deo peccatum veniale; vel intollerabilem Dei irriſionem, dum ei offertur ut acceptum, quod dignoſcitur ipſi diſplicere, eumdemque offendere. Similiter votum in gratiarum actionem pro re mala aſſecuta, irritum eſt, ac ſacrilegum; eſſet enim recognoſcere Deum fautorem mali. Aliter dicendum eſt de voto facto ad obtinendam rem bonam a facti mali exitu dependentem: puta ſi ad duellum perrecturus, voveat aliquid, poſito quod a morte evadat; ſi mulier adulterari volens, voveat aliquid, ſi ab infamia incurrenda præſervetur &c., quia his votis expectatur a Deo id, quod revera beneficium eſt, pro quo, & non ut animoſior fiat vovens in peccando, votum emiſſum fuit.

* Conditio mala voto rei bonæ multimodis adjici poteſt, ut animadvertit Petrus Collet *Inſtit. Theolog. Tom. 2. Tract. de Relig. par. 2. cap. 5. art. 2. q. 4.* 1. quidem ad obtinendam rem malam, aut quia ea jam obtenta fuit, ut voveo preces, ut obtineam, vel quia obtinui ultionem de inimico; & tale votum non valet, ſeu quia in eo ordinatur opus bonum ad malum finem, ſeu quia Deo aguntur gratiæ, tanquam peccati auctor extiterit, quod blaſphemiam ſonat. 2. ſi contigerit res mala, ut voveo eleemoſynam, ſi juravero; & tale votum tenet, quia nulla eſt mala circumſtantia unde corrumpatur. 3. ſi ex re mala, quæ non vovetur, boni aliquid contingat, ut voveo eleemoſynam, ſi ex duello victoriam reportem, ſi ex fornicatione filium ſuſcepero. Atque hoc votum valere cenſent Suarez, Toletus &c. quorum opinio falſa mihi videtur, *ſubdit prædictus* Collet, quia vovere eleemoſynam ſi victor ex duello redeas, nihil aliud eſt quam vovere, ſi, & ea conditione, ut impium de hoſte triumphum reportes, ſicque ut Deus crimini tuo benedicat, quod peſſimum eſt. Si tamen, *ſubjungit idem*, malum eſſet mera conditio, non autem finis a vovente intentus; immo ſi dubium foret, an vovens habuiſſet malum pro fine, votum adimpleri deberet. 4. ſi malum quod tibi proponis non ſit finis operis, ſeu voti, ſed finis ſolum operantis, valet votum, ut ſi coram pluribus, quorum laudes aucuparis, voveas Religionem, tenet votum, quia non refertur ad rem malam, licet res mala te ad vovendum impulerit.

Votum de re indifferenti.

IV. Materia indifferens, manens in ſua indifferentia, non eſt voto idonea; ſi tamen ex circumſtantia adjuncta tranſeat in bonam, tunc tenet: unde ſi voveas tali die in honorem Sancti alicujus non ſuere, vacare intendens nihilominus aliis operibus ſervilibus, ſupervacanee voves; ſi vero voveas abſtinere a ſuendo, quia facilius in impatientiam prorumpis ſuendo, quam aliis ſervilibus vacando; bonum eſt, & laudabile: & ſic de aliis ſimilibus.

Circa votum non ludendi nonnulla obſervanda.

V. Votum nunquam ludendi ullo luſu validum eſt, quia pœnitentiale, & bonum, attamen nulli conſulendum; quia nimis gravoſum. Exploranda in eo eſt intentio voventis; ſi enim ſolum intendit declinare jacturam bonorum, non peccabit, ſi ludat, nihil exponendo; vel ſi ludat alterius loco. Si intendit non prodigere tempus, quod ludus inſumebat; ſi raro, & ad breve tempus ludat, non videtur lethaliter peccare; quia ſubſiſteret finis voti: quantum autem tempus induceret mortalem tranſgreſſionem, difficile eſt definire: excedere unam horam, putarem non eſſe leve. Si vovit, ne in blaſphemias, rixas &c. erumpat; tenetur abſtinere ab illis ludis & colluſoribus, in quibus & cum quibus ſolet in talia incidere; & ſi peccare nolit, debet tales ludos taleſque colluſores eligere, in quibus & cum quibus eſt moraliter certus, ſe in talia non prorupturum; quod ſi ob temperamentum bilioſum prudenter timeat, ſe in quocumque ludo ſimilia perpetrare, ab omni ludo abſtinere debebit.

Votum nubendi quando validum?

VI. Votum contrahendi matrimonium, in ſe eſt nullum, ut ſupra indicavimus, utpote impeditivum melioris boni, videlicet ſtatus virginalis, aut cælibatus: ex circumſtantiis adjunctis, poteſt eſſe validum: puta ſi lapſibus carnis, a quibus difficillime te extricaturum prævides, impe-

dien-

diendis, matrimonium voveas: ſi ob pacem ineundam, & ſtabiliendam inter catholicos principes inimicos; ſi propter ſervandam puellæ a te defloratæ, vel viduæ honeſtæ violatæ famam; ſi pro ſucceſſione in ſolio Regali, ad præcavenda bella; & pro ſimilibus; tunc eſſet de meliori bono, & teneret.

Votum non vovendi. VII. Votum non vovendi abſolute eſt nullum, quia melioris boni, nempe voti, quod eſt actus virtutis, impeditivum. Si quis tamen tyrannica phantaſiæ vexatione ad emittenda vota raperetur: votum non vovendi, niſi habita conſultatione prius cum prudente directore, eſſet optimum. Immo & omnibus, præcipue indoctis, & mulieribus ſuadendum eſt, ne vota emittant, niſi habito cum prudente conſeſſario conſilio. Si tamen qui vovit non vovere ſine licentia, voveret aliquid, memor voti emiſſi, peccaret quidem mortaliter vovendo, teneretur tamen votum implere; peccaret, quia ageret contra votum advertenter; teneretur voto, quia ad valorem voti ex dictis non requiritur quod fiat abſque peccato; ſed ſufficit quod res promiſſa ſit melior ſuo oppoſito, & virtuoſe exequi poſſit. Si vero vovit immemor omnino voti emiſſi non vovendi niſi habita licentia, ita ut intenderit nullum votum deinceps valiturum, niſi obtenta licentia illud emittendi; votum ſubſequens non valeret, utpote factum ex ignorantia, ſeu inadvertentia cauſante involuntarium ſimpliciter, & ſine conditione requiſita in hac perſona pro valore votorum deinceps emittendorum.

Non eſt una omnium ſententia circa culpam, quam perpetraret qui poſt emiſſum votum non vovendi ſine licentia, vel niſi coram teſtibus, Conſeſſario, vel ſcripto, voveret abſque hujuſce circumſtantiæ obſervatione. Alii quibus Auctor ſubſcripſit, eam lethalem exiſtimant, alii venialem ſolummodo putant. Hos iis adhærendum cenſemus, qui media via incedunt, ſentiuntque ejuſdem culpæ qualitatem maxime ex circumſtantiis eſſe eruendam. Si namque quis non curaret votum emiſſum, ſed illud nauci faceret, dubio procul lethaliter delinqueret. Si vero quis ratione aliquo gravi momento ductus, votum ederet, omiſſa tali circumſtantia ſibi ſub voto impoſita, non videretur ejuſmodi tranſgreſſio venialis noxæ limites tranſilire. Legatur P. Daniel Concina *tom. 3. diſſert. 1. de voto cap. 5. n. 32.*

Votum petendi diſpenſationem. VIII. Votum nunquam petendi diſpenſationem a voto aliquo emiſſo, putat Sanchez non valere, quia poteſt evenire caſus, in quo melius ſit, diſpenſationem petere: puta ſi ex nimia piorum operum praxi voto debita, impediatur opifex a ſuo opificio, ut nequeat ſufficienter familiam alere &c. At hujuſmodi votum non petendi diſpenſationem videtur eſſe conditionatum, nimirum nunquam petendi abſque gravi cauſa: & propterea qui illud emitteret, non reflectendo ad cauſam etiam juſtam diſpenſationis, quæ occurrere poſſet, putarem ad votum teneri, quippe quod validum; cenſetur enim illud emiſiſſe eo modo, quo virtuoſe emitti poteſt, nempe non petendi diſpenſationem ſine juſta cauſa: ſi vero intendiſſet includere etiam cauſam quamcumque; tunc utpote imprudens, injurioſum, & de re non bona, vera eſſet opinio Sanchez, in quo ſenſu forte ipſe reſolvit.

Vota pluribus partibus conſtantia. IX. Qui vovit materiam pluribus partibus conſtantem, quarum quælibet ſeorſim obſervari poteſt; ſi impotens efficiatur ad totum, tenetur ad eas partes, quas poteſt. Ratio patet ex terminis: & ex reprobatione theſis 54. inter confixas ab Inn. XI. de non valente omnes horas recitare &c.: unde ſi nequeas recitare totum Roſarium voto promiſſum, potes autem tres, quatuor, quinque decades; ad illas teneris: ſi non potes viginti libras nummarias, potes autem duas, tres; has in eleemoſinam eroga &c.

Vota continentia materiam principalem & acceſſoriam. X. Qui vovit plura, quorum unum eſt principale, cætera acceſſoria; his ruentibus, & illo perſiſtente, votum eſt implendum: ſecus autem ſi illud ruat; quia acceſſoria, connexa cum aliquo principali, cenſentur intenta, & volita ratione illius, tanquam accidentia moralia illud afficientia: unde ſi voviſti peregrinationem pede nudato, & illam hoc modo perficere impediaris, facias pede calceato; & ſi etiam ab hoc impediaris ob habitualem & gravem debilitatem, perficias curru; quia peregrinatio eſt intentum principale. E contra voviſti peregrinationem ad Sanctuarium, & viſitare omnia Altaria illius Eccleſiæ: jure impediris a peregrinatione, ceſſat obligatio alia Altaria viſitandi; quia viſitatio Altarium fuit intenta dependenter a viſitatione Sanctuarii &c.

Vota incompoſſibilia. XI. Dum vota incompoſſibilia occurrunt, ita ut alterutrum omitti debeat; perfectius & Deo acceptius eſt obſervandum; cum votum ſit de meliori bono. Si ſint, judicio prudentum, æqualis perfectionis obſer-

obſervandum eſt primum: eo quod ſecundum, cum non ſit de re perfectiori, cenſetur de re impoſſibili: & idem dicendum, ſi dubitetur quodnam ſit perfectius, nec dubium reſolvi queat: quia in dubio quodnam ſit perfectius, certo primum in poſſeſſione eſſe ſui valoris: eo quod dubitando an perfectius ſit ſecundum, dubitatur an primi obligatio ſit extincta; dubium autem de extincta obligatione voti certo emiſſi non elidit poſſeſſionem illius.

§. IV. *De Diviſione Voti; nec non de obligatione ejuſdem.*

Diviſio voti in Perſonale, Reale, & Mixtum.

I. CUm neque integre neque ordinate tradi poſſit quanta ſit voti obligatio, niſi habeatur notitia varietatis votorum; de hac primo nunc diſſerendum eſt. Diſtinguitur primo votum in Perſonale, Reale, & Mixtum. Perſonale eſt illud, cujus obligatio afficit perſonam, eſt enim de actione aliqua a perſona exequenda. Reale eſt illud quod afficit aliquam rem pretio æſtimabilem, quæ non ſit ipſa actio voventis, licet ſit a vovente offerenda. Mixtum eſt illud quod afficit & perſonam, & rem, nempe quo obligatur perſona & ad aliquam actionem, & ad aliquam rem tradendam.

Temporarium, & perpetuum.

Dividitur item in Temporarium, & Perpetuum: primum tranſacto certo tempore extinguitur, cum dumtaxat ad tempus illud emiſſum fuerit: ſecundum durat uſque ad mortem. Quando autem dubitatur, cujus generis ſit: tunc examinanda eſt materia voto promiſſa, & juxta illius naturam reſolvendum: nam ſi quis dicat: voveo caſtitatem: intelligitur votum perpetuum: cum hæc materia perpetuo ſoleat Deo offerri, niſi intentio voventis certum terminum obligationi præfigat: e contra voveo eleemoſinam decem aureorum, intelligitur pro una vice tantum.

Abſolutum & Conditionatum.

Dividitur inſuper in Abſolutum, & Conditionatum: primum emittitur, nulla adjecta conditione: ſecundum, adjecta conditione; cujus obligatio pendet ab adimpletione conditionis. Quod ſi voto apponas conditionem ſubſtantiæ voti repugnantem; puta voveo Religionem cum hac conditione, quod poſſim habere dominium rerum mearum, votum erit nullum, utpote de contradictorio, & impoſſibili. Tandem dividitur in Simplex, & Solemne:

Simplex, & Solemne.

primum emittitur, quin interveniat ulla ſolemnis acceptatio Eccleſiæ, ſaltem perpetua: ſecundum emittitur cum ſolemni acceptatione Eccleſiæ, & in perpetuum duraturum.

Votum obligat ſub gravi in re gravi, ſub levi in re levi.

II. Obligatio voti eſt gravis, ſi materia gravis ſit; ſi autem ſit levis, nobis probabilior apparet opinio, quod & obligatio ſit levis. Ratio primæ partis allata a S. D. 2. 2. q. 88. a. 3. ad hoc reducitur, quod violare fidem Deo in re gravi, ab injuria gravi vacare non poteſt. Secunda vero pars ex eo probatur, quod votum ſit quædam lex a vovente ſibi impoſita, inferens obligationem rei proportionatam, obligatio autem gravis non eſt proportionata rei undequaque levi, cum ſit irrationabilis, neque a Deo approbanda. Materia autem dicitur gravis, quæ capax eſt obligationis ſub mortali, aut quæ ex circumſtantia aliqua valde conferat ad divinum honorem, aut ad ſpiritualem voventis utilitatem.

Votum rei gravis poteſt obligare ſub levi.

III. Hinc nobis ſimiliter probabilius videtur, quod poſſit vovens in re gravi ſe obligare dumtaxat ſub veniali, ſi expreſſe velit. Ratio deducitur ex principio ſæpe a S. Doctore repetito; quia *actus libere agentium non operantur ultra intentionem eorum*: Votum autem eſt quædam lex arbitraria, quam homo ſibi libere imponit, & quæ talem ſortitur obligationem, qualem ſibi homo imponere eligit. Nec ullam facit Deo injuriam; Deus namque per votum non vult obligare voventem niſi dependenter a ſuomet beneplacito: cum igitur diximus, diſſerendo de obligatione legis humanæ, poſſe legiſlatorem rem gravem expreſſe ſub levi tantum imponere, quia ita agendo ſe habet favorabiliter ad ſubditos: quemadmodum ibidem obſervavimus Sanctos inſtitutores plura graviſſima ſub levi tantum obligatione demandaſſe, immo ſub nulla culpa theologica; cur idem a vovente expreſſe fieri non poterit? Dixi expreſſe; quia niſi hoc expreſſe intendat; tunc judicandum eſſet juxta conditionem materiæ.

In dubio de intentione voventis circa quantitatem, obligationis quid dicendum? & afferuntur caſus.

IV. In dubio de intentione voventis circa qualitatem & quantitatem obligationis ſibi impoſitæ, habenda eſt ratio ad qualitatem & naturam materiæ, ad verba ab ipſo expreſſa, quæ ſunt intelligenda juxta conſuetum & communem ſenſum, & ad circumſtantiam temporis. Ita communiter ſentiunt Auctores, qui deinde non conveniunt circa caſus particulares. Hinc inferas contra plures, illum, qui vovit ſingulis hebdomadibus recitare Roſarium, ſi deinde dubitet an voverit integrum, an tertiam dumtaxat partem; teneri ad integrum;

quia

quia ex terminis tertia pars non eſt Roſarium. Qui vovit ſingulis diebus audire Sacrum, dubitat an voverit illud duplicare diebus feſtivis; ſufficit quod unum audiat; quia modus ſe exprimendi ita intelligitur, nempe quod nulla tranſeat dies in qua Sacrum non audiat. Jam de vovente caſtitatem indicavimus, ſi dubitet an voverit perpetuam, aut temporariam, cenſendum eſſe, voviſſe perpetuam, quidquid dicant aliqui recentiores, quorum unus P. Sporer tract. 3. cap. 2. ſect. 3. n. 9., reſolvens, voventem poſſe eligere temporariam, ſtatim ſubdit: *Monent tamen Doctores hic, eum qui abſolute vovit caſtitatem, intelligi de caſtitate perpetua.* Ad quid igitur reſolvere, eum poſſe elicere temporariam? Qui pertæſus ſuæ incontinentiæ exiens lupanari, dicit: voveo non amplius congredi cum feminis: dubitat deinde an in voto comprehendatur congreſſus maritalis cum uxore aut habita, aut habenda, jam patet ex circumſtantiis, votum intelligendum de congreſſu illicito. Secus dicendum de eo, qui legens vitam alicujus Sancti, aut excitatus affectu erga Deiparam, aut audiens præmia continentiæ, præfatum votum emittit, patet votum intelligendum in caſu dubii de quocumque congreſſu: & ſic de ſimilibus.

Vota Perſonalia obligant perſonam. Realia hæredes, & quomodo?

V. Certum eſt, vota Perſonalia ſolum voventem obligare; & Realia tranſire ad hæredes. Quod ſi perſonaliter impeditus voviſſet ſupplere per alium, tunc tenetur alium invenire qui exequatur, & neceſſarias expenſas eidem ſubminiſtrare. Dixi Reale tranſire ad hæredes, quia res illa fuit jam Deo obligata; id tamen eum grano ſalis eſt intelligendum, nempe poſt ſoluta debita voventis defuncti, atque expenſas funeris: & dummodo res illa non ſit pars legitimæ debitæ hæredi neceſſario, cum hæres neceſſarius ſua legitima privari non poſſit: ſi autem præter legitimam aliquid ſupereſſet, illud hæres tenetur Deo offerre: ita ex cap. 6. de teſtam. & ex leg. 2. §. de pollicitat. Quando autem plures ſunt hæredes rei voto affectæ, tenentur omnes pro rata. De voventibus actionem ab aliis adimplendam, jam diximus in §. 3. Capitis præſentis n. 1.

Vota communitatum quando a ſucceſſoribus obſervanda?

VI. Ad vota Communitatis præſentis, regulariter loquendo, non tenentur poſteri futuri, niſi actiones illæ aut conſuetudine præſcribantur, aut in voti emiſſione intervenerit etiam Epiſcopi conſenſus. Quia & conſuetudo præſcripta vim legis habet, & conſenſus Epiſcopi inducit vim quamdam præcepti: ita ut poſteri ſuccedentes, non vi voti prædeceſſorum, ſed vi præcepti Epiſcopalis implere teneantur. Plerumque tamen obligantur, tum ratione ſcandali quod aliis obſervantibus afferrent, tum ratione diſſenſionum, quas, diverſimode ab illis ſe gerendo, excitarent.

Vota mixta quomodo implenda?

VII. Vota mixta, quoad partem, qua perſonam ſpectant, ab eadem ſunt implenda; quoad partem, qua res afficiunt, ſpectant etiam ad hæredes: unde ſi legator voviſſet peregrinationem ad Ædem Lauretanam, & oblationem Lampadis mille argenteorum, legatore morte prævento, nec peregrinatione executa, teneretur hæres ad Lampadem offerendam: patet ex dictis. Si autem legator impoſuiſſet hæredi etiam peregrinationem, ut hæreditate potiatur, etiam iſtam implere teneretur, ut patet.

Circa votum Religionis quomodo ſe gerere debeat vovens?

VIII. *Qui vovit Religionem, & prius cogitavit de Religione intranda, & poſtea elegit talem Religionem, vel talem locum, obligatur ſimpliciter ad Religionem; unde ſi non poteſt in illa recipi, quam elegit, debet aliam quærere: ſi autem primo & principaliter cogitavit de tali Religione, vel tali loco, in voto ejus intelligitur hæc conditio, ſi illi velint recipere,... unde conditione non extante non obligatur*: ita S. Th. in 4. d. 38. q. 1. a. 3: q. 1. ad 6. & 2. 2. q. 88. a. 3. ad 2. Qui autem Religionem non determinavit, & ab una, vel pluribus repulſus, niſi ſit repulſus abſolute & perpetuo, tenebitur iterum petere, ut admittatur. Si vero ab omnibus repellatur, quæ in ſua Regione, aut Provincia, aut Regno exiſtunt; non tenetur juxta Cajetanum in 2. 2. loc. cit. circuire per Regiones longinquas. *Quia nullus*, ait ipſe, *in Italia vovens Religionem, intenderet ſe obligare ad eamdem in Græciam, Daciam & ſimilia, ſi hoc ſibi diceretur, quando vovit:* unde vovens, niſi oppoſitum expreſſe intenderit, cenſetur voviſſe de Religionibus ſibi notis, & incolentibus ſuas circum Regiones. Si autem repellatur ab omnibus illis Religionibus, & Monaſteriis, in quibus ſaltem quoad ſubſtantialia viget regularis diſciplina, & ſolum admitti ſperaret ab illis, in quibus hæc eſt collapſa, dicit Cajetanus ibidem: *Si publice conſtet quod non ſervatur ibi regularis diſciplina, ſed quilibet vivit ad placitum; & reputentur malæ conſcientiæ fere omnes: non tenetur perſona, quę vovit Religionem, ſubire converſationem*

talium

Digitized by Google

ialium Monaſteriorum. Qui vovit Religionem determinatam, tenetur omnia ſuæ Regionis, puta Italiæ, illius Religionis Monaſteria tentare, ut ab aliquo eorum recipiatur, manifeſtando etiam votum a ſe emiſſum, ſi neceſſe ſit; quia tenetur agere quantum moraliter poteſt, ut votum impleat: dummodo regularis diſciplina non ſit in eis ſubſtantialiter collapſa, ut dictum fuit. Qui autem voviſſet illud determinatum monaſterium, poſtquam ſerio fecit quantum potuit, votum etiam declarando, & admitti non poſſit, videtur a voto abſolutus; quia operatio agentium liberorum non ſe extendit ultra intentionem eorum. Qui igitur decipi non vult in re tanti momenti, quanta eſt Religionis delectus, conſulat prius viros doctos, & præcipue inſtituta Religionum callentes, ne ea pericula offendat, quæ devitare procurat.

Quo tempore obſervandum eſt votum? Quid circa id notandum?

IX. Circa tempus implendæ obligationis voti obſervandum eſt, quod dupliciter tempus ſe habere poſſit ad votum, primo ut quid per ſe intentum, & tanquam circumſtantia intrinſeca ipſius actionis ponendæ: puta jejunium in vigilia S. Vincentii in ſingularem cultum illius Sancti, vel in ſpecialem cultum talis diei, puta jejunium omni die Veneris in obſequium diei paſſioni Chriſti conſecratæ. Secundo ut concomitanter intentum, & non per ſe, ſed ut circumſtantia veluti extrinſeca, & terminus impletionis voti, ita ut ultra illud tempus non ſit differenda actio promiſſa, e. g. eleemoſina hac hebdomada eroganda: jejunium infra menſem obſervandum. Hoc notato. Quando tempus eſt per ſe intentum, eo elapſo ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter, cadit obligatio, nec vovens tenetur eam ſupplere; quia tempus tunc eſt de ratione intrinſeca voti, finiſque a voto inſpectus. Quando tempus non eſt per ſe inſpectum, tenetur vovens ſupplere, quia cum tempus non ſit per ſe inſpectum, ſed dumtaxat ne ultra differatur impletio obligationis, ſi actio non fuit præſtita, erit præſtanda; eo quod ipſa dumtaxat ſit primarium voventis intentum.

Afferuntur exempla.

X. Ex his inferas, quod qui vovit pergere Romam anno Sancto; recitare Roſarium ſingulis diebus donec nubat, & alia ſimilia; ſi omittat, culpabiliter, aut non, non tenetur alia die, aut tempore ſupplere omiſſa, ob rationem datam: poteſt quidem & tenetur qui omiſit Roſaria donec nubat, ſi poteſt, ſupplere omiſſa ante nuptias; nuptiis autem celebratis, non tenetur ſupplere; bene vero conſiteri voti tranſgreſſionem. E contra qui promiſit voto confeſſionem intra menſem, viſitare illam Eccleſiam infra hebdomadam; erogare eleemoſinam illi viduæ ante veſperam, & ſimilia; ſi omittat, ſupplere tenetur; quia intentio fuit non differendi ultra tale tempus, non ut extinguatur obligatio eo tempore.

Qui prævidet ſe impeditum iri a voto exequendo, quando prævenire teneatur? et quando tollere impedimentum?

XI. Qui prævidet, ſe præfinito tempore impediendum eſſe ab impletione voti, juxta probabiliorem & communiorem, tenetur prævenire: quia qui vovit infra tale tempus actionem aliquam, quamvis nondum illud advenerit, cenſetur implicite voviſſe tempus aliquod ad illam actionem præſtandam, etenim id quod primario ab ipſo intentum fuit, non eſt tempus, ſed actio illa; ideo ſi hæc prævideatur eo tempore præſtari non poſſe, præveniendum erit tempus ejuſdem præſtandæ, alioquin votum eſſet illuſorium. Quando autem tempus eſt per ſe intentum modo ſupra explicato, jam patet quod prævenire non teneatur. Hinc qui prævidet tale impedimentum oriturum, unde votum præſtari non poſſit, tenetur, quantum moraliter poteſt, illud impedimentum avertere; quia hoc pertinet ad implicitam & indiſpenſabilem voluntatem ſincere votum emittentis, videlicet ſe obligandi ad tollenda impedimenta executionis, quando id abſque gravi incommodo facere poteſt.

Vota emiſſa ſine temporis præfinitione quamprimum implenda.

XII. Quando vovens nullum tempus præfixit, votum tenetur implere quamprimum moraliter poteſt: ita fere communis: quia id poſtulat fidelitas promiſſario cuique debita; unde in leg. 14. §. de regul. jur. *In omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur*: a fortiori ergo ita eſt agendum cum Deo, qui Deut. 23. ita loquitur: *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus: & ſi moratus fueris reputabitur tibi in peccatum*. Neque valet explicatio huic textui data a nonnullis recentioribus explicantibus illum de peccato veniali: cum enim ipſi doceant, vota non importantia obſequium perpetuum Deo deferendum, ſed temporarium dumtaxat poſſe ſine mortali differri ad beneplacitum, dicto modo reſpondent: at revera perperam: aliter neceſſe eſſet, moram brevem cum longa confundere; & pro eodem accipe-

Digitized by Google

cipere parum & diu differre: hic autem quantus abuſus verborum eſt in judicio morali? Si enim mora brevis ſine cauſa vacare non poteſt a veniali; profecto diuturna dicenda erit lethalis, ſi ſine cauſa fiat; quandoque enim poteſt juſta cauſa differendi intervenire, judicio prudentis theologi definienda, ob motivum etiam notabilis utilitatis temporalis; dummodo non contineant obſequium Dei perpetuum, ſed dumtaxat temporarium.

§. V. *De Deobligatione a Voto.*

Obligatio voti ceſſat duplici modo: quando per extinctionem?

I. OBligatio voti ceſſare poteſt vel per ſuimet extinctionem, vel per alterius poteſtatem. Primo modo ceſſat, ſi ceſſet cauſa finalis, ut etiam ſupra indicavimus; v. g. voviſti jejunium trium dierum ad obtinendam ſanitatem genitori, poſt primam diem moritur; extinguitur obligatio duorum ſequentium. Voviſti eleemoſinam quotidianam tali familiæ indigenti, ſublevatur ab indigentia ex pingui hæreditate; extinguitur votum, & ſic de ſimilibus. Item ſi tollatur voti materia, aut notabiliter mutetur, ita ut evadat aut turpis, aut melioris boni impeditiva; aut ſi ſervari non poſſit abſque gravi damno in vita, vel bonis, vel honore, dummodo hæc damna ſint extranea voto, eidemque adventitia; ſi enim ſint connaturaliter voto emiſſo connexa, fuere implicite volita, & proinde ſuſtinenda, quantum licite fieri poteſt. Do exempla: voviſti adoleſcens religionem; poſtea ſacrilegus nupſiſti, & in eo ſtatu perſeveraſti uſque ad ſeneƈtam, quo dumtaxat tempore decedit uxor; abſolveris a voto, cui implendo nedum es impar, ſed & Religioni oneroſus atque importunus. Voviſti dives ædificare Eccleſiam; a lite inſurgente depauperaris, durante hoc ſtatu, abſolveris; & ſic de aliis. Nota, votum non extingui ob difficultates poſt emiſſum votum occurrentes, quas ſi vovens prævidiſſet, non voviſſet, quando potuerunt & debuerunt prævideri: exemplum dedimus §. 2. n. 9. de vovente caſtitatem, quam putabat obſervatu facilem. Extinguitur item votum, quando eſt conditionatum, & non ſequatur conditio, ut patet; tenetur tamen non impedire eventum conditionis, ut probatum fuit. Notandum denique, nullum detrimentum, etiam vitæ, deobligare a voto, ſi prævideri potuit & debuit. V. G. voviſti per totam vitam inſervire tali hoſpitali; teneris etiam tempore peſtis, & cum tuæ vitæ periculo; quia eſt periculum in voto comprehenſum.

* Nonnulla obſervanda occurrunt circa doctrinam ab Auctore prope finem *num. præced.* traditam.

Inprimis docet abſolute, eum qui votum emiſit ſub aliqua conditione, teneri non impedire eventum conditionis. At diſtinguendum exiſtimamus, ſicuti diſtinguunt PP. Salmanticenſes, qui *tract. 17. cap. 1. punct. 6. §. 6. n. 171.* inquiunt „ „ An peccet contra votum, qui conditio- „ nem, ſub qua votum promiſit, impe- „ dit ne eveniat? Et reſpondent quod ſi „ erat conditio ex ſua mera voluntate „ dependens, non erit contra illud illam „ evitare; quia hoc ipſo ſuæ liberæ vo- „ luntati executionem promiſſionis con- „ ceſſit, ut ſi juret aut voveat, ſe ingreſ- „ ſurum Religionem, ſi Romam accedat, „ poteſt libere non accedere, ſi promit- „ tat ſe daturum eleemoſynam quoties „ e domo exierit, poteſt non exire e- „ tiam animo non dandi eleemoſynam; „ quia non vovit apponere conditionem, „ ſed hoc in ſua voluntate reliquit. Si „ vero ſit conditio ex aliena voluntate „ dependens, ex vi voti tenetur, vi, fraude, „ aut dolo non impedire illam ob eam- „ dem rationem, qua diximus teneri ex- „ pectare eventum conditionis: unde qui „ promiſit ingredi Religionem, ſi pater „ conſentiat, contra votum agit, vi, aut „ dolo impediens, ne conſentiat Pater; „ ſecus vero, ſi ſolis precibus, & ratio- „ nibus diſſenſum perſuadeat: quia pre- „ ces & rationes non impediunt abſolute „ conſenſum Patris, ſed eum liberum ad „ illum relinquunt. Voviſti ingredi reli- „ gionem, ſi ſalutem integram adipiſca- „ ris, agis contra tale votum, ſi animo „ ſubterfugiendi obligationem, noxiis ei- „ bis utaris quo ſalutem recuperare non „ potes, vel nolis ordinaria remedia adhi- „ bere; ſecus ſi hæc efficias non eo ani- „ mo, ſed paſſione aut fragilitate du- „ ctus; quia ex vi voti non promiſiſti „ procurare ſalutem, ſed ea poſita in- „ gredi religionem. Idem dicimus de eo, „ qui religionem promiſit ſub conditio- „ ne, quod literas didicerit, quod ſi eas „ ob laborem, & difficultatem, quam „ ſentit non addiſcat, non agit contra „ votum; agit vero, ſi eo animo non ad- „ diſcat, ne religionem ingredi cogatur. „ Atque idem dicito de illo, qui religio- „ nem

,, nem vovit, ſi Deus illum integro an-
,, no a peccato mortali liberet; quod ſi
,, fragilitate ductus in peccatum labatur,
,, non agit contra votum: ſecus vero, ſi
,, eo animo peccatum committat, ut ſe
,, immunem a voti obligatione conſer-
,, vet; quia per votum non obligatus
,, fuit peccatum evitare, ſed ne malitioſe,
,, & in voti fraudem conditionem impe-
,, diat. " Sic quidem præcitati Patres poſt Doctores plures & præſertim Suarezium *lib.* 4. *cap.* 17. *n.* 14.

Quod tamen aſſerunt ipſi, nimirum quod ille, qui promiſit ingredi religionem, ſi Pater conſentiat, contra votum agat, ſi vi aut dolo impediat, ne Pater conſentiat; ſecus vero ſi ſolis precibus & rationibus diſſenſum perſuadeat, quia preces & rationes non cogunt Patrem ad diſſentiendum, non admittit ſed reiicit P. Daniel Concina *Theolog. Chriſt. tom.* 3. *lib.* 4. *in Decal. diſſert.* 2. *de Voto cap.* 8. *n.* 9. ,, Hæc, inquit opinio mihi proba-
,, bilis non eſt. Licet enim rationes, con-
,, ſilia, precationes non cogant Patrem
,, ad diſſentiendum; nihilominus non im-
,, pediunt, quominus vovens contra ſuum
,, votum agat. Neque fraudes vel doli
,, ſemper extorquent Patris conſenſum,
,, & tamen vovens his utens peccaret.
,, Hæc ratio evincit ſolum quod vovens
,, certo non aſſequeretur finem ſuum me-
,, diis precibus; ſed non probat, ipſum
,, animum non habere votum eludendi.
,, Ubi, quæſo, iſthic ſinceritas & bonæ
,, fidei veſtigium? Si tu Paulo promiſiſ-
,, ſes mutuum ſub hac conditione, quod
,, frater tuus conſentiret, nonne ut va-
,, fer & verſipellis indignus habereris a-
,, pud prudentes, ſi fratri diſſenſum pre-
,, cibus, conſiliis, & rationibus perſua-
,, deres? Quidni idem dicendum, immo
,, potiori jure in caſu noſtro, in quo Deo
,, fidelitas ſervanda, non hominibus tan-
,, tum eſt?

Quin & eum quoque voti reum putat Petrus Collet *Inſtitut. Theolog. tom.* 2. *tract. de Relig. part.* 2. *cap.* 5. *de voto. art.* 4. *prope finem*, qui ſine dolo, ſed non ſine negligentia impedit ne ponatur conditio, ſub qua vovit. 1. quia negligentia ſaltem gravis dolo æquiparatur. 2. quia vovens finem ſub conditione, quæ a ſe pendet, videtur indirecte vovere id quod neceſſarium eſt de via communi, ut conditio impleatur; neque enim ſerio voveret finem, qui excluderet media a ſe dependentia. Ad minus ergo hoc in caſu, *ſubdit*, conſulendus eſt Epiſcopus, & ab eo petenda voti diſpenſatio, quam & denegare debet, ſi vovens culpam ſuam etiamnum reparare poſſit. Haud tamen reum facerem voti, *addit*, eum, qui extraordinariis ad implendam conditionem viis uſus non eſſet, puta qui cariora undecumque remedia non collegiſſet, qui diu noctuque non impalluiſſet libris.

Auctor in fine *ejuſdem num.* cenſet, eum qui vovit per totam vitam inſervire tali hoſpitali, teneri etiam inſervire tempore peſtis; quod tamen minime admittendum videtur, niſi aut ad hoc etiam expreſſe ſeſe obligare intenderit, aut votum emiſerit inſerviendi hoſpitali conſtituto iis in locis, qui identidem huic morbo obnoxii ſunt. Præſumitur namque voluiſſe dumtaxat ſe ſe obligare ad inſerviendum hoſpitali in communibus infirmitatibus, quæque plerumque accidere ſolent; non vero in morbo adeo periculoſo, qui raro contingit certis in locis, quique proinde non ita facile potuit prævideri. Diximus autem *niſi aut ad hoc etiam expreſſe ſeſe obligare intenderit, aut votum emiſerit inſerviendi hoſpitali conſtituto iis in locis, qui identidem huic morbo obnoxii ſunt*; quippe horum alterutro interveniente, utique teneretur ad votum ſuum exequendum cum ipſo etiam mortis periculo.

II. Per alterius poteſtatem ceſſat obligatio voti tripliciter; primo per Irritationem, ſecundo per Diſpenſationem, tertio per Commutationem. Per Irritationem, quæ juxta S. D. 2. 2. q. 88., & 89. eſt ſublatio obligationis voti ex vi poteſtatis Dominativæ, aut quaſi Dominativæ, quam alter habet in perſonam voventem, vel in rem voto promiſſam. Et quidem rationabiliter, cum votum non debeat violare jus alterius; quod eveniret, ſi talia vota eſſent valida independenter a conſenſu gaudentis dicta poteſtate Dominativa in perſonam, aut rem. Poteſtas in perſonam dicitur directa; in rem autem promiſſam dicitur indirecta. Hinc primo Eccleſia habet poteſtatem Dominativam præſcribendi certas conditiones, quibus non extantibus, vota ſint irrita: Idcirco vota ſolemnia emiſſa cum metu gravi, & injuſte ad hoc incuſſo; aut emiſſa ante annum decimum ſextum completum; aut emiſſa ante expletum annum probationis in Novitiatu, ſunt irrita. Hoc autem ſancivit Eccleſia ad innumerabilia gravia inconvenientia præcavenda.

Per alterius poteſtatem tripliciter tollitur obligatio voti.

Quid ſit poteſtas Dominativa? quibus conveniat? Primo Eccleſiæ.

Digitized by Google

Superioribus Religionum: qualiter autem eadem uti debeant?

III. Superiores Religionum habent poteſtatem directam irritandi vota ſuorum ſubditorum, exceptis votis ſolemnibus, necnon ſtrictioris inſtituti ingrediendi. Ita ex D. Th. 2. 2. q. 88. a. 8. ad 3., & ex jure Can. cap. 27. de elect. in 6. valide tamen a ſubditis emittuntur, quouſque Superior non contradicat, & illa revocet. Immo etiamſi Superior votum ſubditi approbaſſet, vel ab alio æquali prædeceſſore approbatum fuiſſet, poteſt illud ſemper revocare; cum ſemper eadem poteſtate Dominativa polleat ipſe, & æquali gaudeat ac prædeceſſor. Peccabit tamen Superior, ſi abſque juſta cauſa votum ſubditi irritet. Vota tamen Novitiorum nondum profeſſorum, quæ nec regularem obſervantiam, neque eorum gubernationem impediunt, non poteſt Superior irritare; cum nondum ſint proprie ſubditi Religionis, remaneantque ſui juris: vota autem, quæ impediunt regularem obſervantiam, vel eorum directionem, remanent ſuſpenſa; & reviviſcunt, ſi Religione exeant.

Qualiter conveniat Patri, Avo, Tutori?

IV. Omnia vota impuberum (nempe maſculorum uſque ad decimum quartum ætatis annum, fæmellarum uſque ad duodecimum completum) etiam implenda poſt pubertatem, directe irritari poſſunt a Patre, vel in ejus defectu ab Avo paterno, vel in horum defectu a Tutore; non tamen a Matre, niſi forte eſſet tutrix; ita ex cap. *Puella* 20. q. 2. Juxta multos vota in impubertate emiſſa a filio poſſunt a Patre irritari etiam tempore pubertatis, niſi tamen filius pubes effectus, eadem rata fecerit, ſciens, antea illa fuiſſe infirma. Hac poteſtate caret Tutor, quia puer poſt pubertatem fit Minor uſque ad annum 25. completum; & Tutor evadit Curator, cui perſona Minoris non committitur, ſicut perſona pupilli Tutori; ad differentiam Patris, qui ſemper Pater exiſtit. Pater poteſtate indirecta, quam nempe habet in res filii, & familiæ, irritare poteſt vota filii puberis, quæ impediunt bonum & prudens familiæ regimen: puta ſi filius voveret perpetuam a carnibus abſtinentiam, idque obeſſet œconomiæ familiari. Secus dicendum de votis perſonalibus filii puberis caſtitatis, precum, Religionis &c., quia circa illa, quæ concernunt Divinum cultum perſonalem, filius plenum dominium habet; putarem addendum, niſi tamen preces tantæ eſſent, ut in gravamen œconomiæ familiæ notabiliter redundarent, a quibus detineretur filius a laborando in opificio ſibi commiſſo &c., tunc enim uteretur Pater poteſtate indirecta, qua potitur.

Qualiter conveniat Conjugatis?

* V. Maritus poteſtate indirecta irritare poteſt vota uxoris, quæ adverſantur uſui matrimoniali, educationi prolis, & rectæ gubernationi familiæ; ſicuti viciſſim poteſt uxor irritare vota viri, quæ ſunt contraria rei matrimoniali, & vitæ ſociali, quia uterque jus habet in alterum ad hujuſmodi: ita communis ex S. D. in 4. d. 38. q. 1. a. 1. q. 1. & 2. 2. q. 88. a. 8. ad 3. Propterea circa conjugum vota attente obſervandum eſt, ne ſine cauſa irritentur, neve violetur jus alterius in indicatis capitibus.

* Sequentia utpote ſcitu digna accurate animadvertenda ſunt.

1. Neuter conjux omnimodæ continentiæ votum, vi cujus nimirum ne quidem debitum reddat, valide poteſt emittere, abſque alterius conſenſu. Hoc clare docet D. Thom. *in 4. diſt. 32. q. 1. art. 4.*, & hac validiſſima ratione probat. *De illis tantum bonis*, ait, *poteſt eſſe votum, quæ noſtræ ſubjacent voluntati, qualia non ſunt ea, in quibus unus alteri tenetur ... Unde cum conjuges ſibi invicem teneantur in ratione debiti, per quod continentia impeditur, non poteſt unus abſque conſenſu alterius continentiam vovere; & ſi voverit, peccat, nec debet ſervare votum, ſed agere pœnitentiam de malo voto facto*. Quæ doctrina conformis omnino eſt menti S. Auguſtini *Epiſt.* 127. *alias* 45. *in fine*. Legatur Joannes Pontas V. *Votum caſ.* 17.

2. Editum ab alterutro conjuge votum de non petendo debitum validum eſt: illicitum tamen, præcipue ſi a viro emittatur. Quod hujuſmodi votum validum ſit aperte conſtat ex Alexandro III. *c. 3. de converſat. conjugat.* Poſtquam enim S. P. de quodam viro, qui ingreſſus fuerat *in Monaſterium* invita uxore, ſtatuit, eum *ratione voti* non teneri *ad Monaſterium redire* poſt obitum uxoris, ſubjungit, eum amplius non poſſe matrimonium inire; *promiſit* namque, ait, *ſe non exigere debitum, quod in ejus poteſtate erat*; & ideo *quoad hoc votum tenuit; non reddere autem non erat in ejus, ſed mulieris poteſtate*. Hoc idem conſtitutum fuit circiter poſt annos quinque a data ab Alexandro III. prædicta deciſione ſedente S. P. Cœleſtino III. ſicuti habemus *ex capit. placet* 12. eodem tit. Quod vero cenſeri debeat tale votum illicitum, liquet ex ratione, quam tradit D. Thomas *loco ſupra citato in reſp. ad* 3, *quia nimirum*

Digitized by Google

rum ſi alter nunquam peteret debitum,ex hoc alteri matrimonium oneroſum redderetur, dum oporteret, unum ſemper confuſionem petendi debiti ſubire. Quæ ratio locum potiſſimum habet reſpectu mulieris, quæ propter inſitum a natura pudorem pluſquam vir gravatur,ac rubore magis ſuffunditur in exigendo debito. Quare aſſerimus, illicitum eſſe hoc votum, præcipue ſi a viro emittatur. Suadendum tamen eſt etiam uxori, ut a prædicto voto abſtineat, qua, ſin directe, aliquo tamen modo conducit ad minuendam conjugalem benevolentiam, mutuumque amorem.

3. Votum non petendi debitum, quod ab uno conjugum emiſſum eſt etiam ſine licentia ab alio irritari nequit; quia conjux conjugi non obligatur ad conjugii uſum petendum, ſed tantum ad reddendum petenti; atque adeo quod una pars nolit debitum petere, non eſt materia alteri parti ſubjecta.

5. Unus conjugum non valet irritare votum caſtitatis ex illius conſenſu ab alio emiſſum. Quippe ſi non valet unus conjugum irritare votum caſtitatis, ſe inconſulto, ab alio editum; quantominus poterit irritare votum, quod ſemel approbavit? Et in tali caſu nec conjux, qui alio conſentiente vovit, poteſt petere debitum, quia hoc eſſet agere contra votum; nec is qui conſenſit, poteſt ei (ſi forte petierit) reddere, quia conſentiret ejus peccato; imo probabilius eſt, neque eum, qui conſenſit, poſſe ab altero debitum petere. Hoc ipſo enim quo vel conſenſit, vel poteſtatem fecit alteri, ut voveret continentiam, omnino videtur feciſſe etiam illi poteſtatem ſervandi ſuum votum, (niſi aliud expreſſerit) atque ita renuntiaſſe ſuo juri, quod habebat ad petendum. Sic inter ceteros Sylvius *in Sup. q. 53. art. 1. concl. 6.*

5. Votum continentiæ ab utroque conjuge mutuo conſenſu editum nequit mutua vel alterius conjugis contradictione amplius irritari; quia ſic uterque conjux juri ſuo ad reddendum, vel petendum debitum per mutuum conſenſum in votum ceſſit: unde nonniſi legitima Superioris diſpenſatione valent reſtitui. Quare recte monet Sanchez. *lib. 8. diſp. 37. n. 14.* talem conjugem petentem debitum peccare mortaliter non tantum violatione voti contra Religionem, ſed etiam contra juſtitiam exigendo tanquam ſibi debitum, cum tamen exigendi jus amplius non habeat.

6. Quando ambo vovent mutuo conſenſu Religionem, nequeunt amplius tale votum irritare neque mutuo conſenſu, neque ſeparatim; hoc ſiquidem votum perpetuam continentiam includit, & matrimonii diſſolutionem quoad torum. Idem omnino aſſerendum, quando mutuo conſenſu alter Religionem, alter caſtitatem vovet.

7. Vota ab uno conjugum emiſſa ante matrimonium, implenda tamen matrimonio inito, ab alio irritari non poſſunt, ſed ſolum ſuſpendi, ſi obſint officio, ac juri conjugali; etenim ea vota ſpectato tempore, quo fuerunt emiſſa libera ſunt a quacumque conditione, atque adeo vota ſunt abſoluta. Idem dicendum de votis editis tempore legitimi divortii.

8. Vota, quæ alter conjugum edit adimplenda poſt diſſolutum matrimonium, nequeunt ab alio irritari, puta votum de abſtinendo a ſecundis nuptiis, vel de aſſumendo ſtatum Religionis, ſi comparti ſupervixerit &c. quippe hæc vota nullo modo matrimoniali juri repugnant, nullumque dominium habet unus conjux in alium poſt mortem. Hæc erant ſpeciatim obſervanda. Qui plura deſiderat adeat Joannem Pontas *V. Votum a caſu 17. uſque ad 20.* & P. Danielem Concina *tom. 3. lib. 2. in Decalog. diſſert. 3. cap. 6.*

VI. Domini irritare poſſunt vota famulorum & ancillarum, quæ obſtant juſto famulatui ſibi debito, etiamſi ante famulatum emiſſa fuiſſent, dummodo tamen famulando vitam tranſigere compellantur; liberati tamen a famulatu tenentur ad vota implenda, cum tempore famulatus fuerint dumtaxat ſuſpenſa, & poſtea reviviſcant. Ita communis cum S. Doctore loc. cit. ex ſent.q.3. At ſi Dominus irritator jam antea conceſſiſſet licentiam, & deinde experiretur præjudicium inde ortum, poſſet ne licite irritare? Affirmative reſpondent communiter cum Suarez, & Navarro; quia per licentiam conceſſam non ſe privavit, jure quod poſſidet: & idem dicas de Superioribus reſpectu ſubditorum. Qualiter conveniat Dominis reſpectu famulorum?

* PP. Salmanticenſes *tract. 17. cap. 3. punct. 6.* recte diſtinguunt ſervos late acceptos a ſervis preſſe ſumptis. Servi late accepti famuli vocantur, qui ad tempus a dominis conducti, pacto pretio, iiſdem famulatum præſtant. Hi ſunt ſui juris, ſicque vota, quæ emittunt, firma ſunt ac rata, nullo habito in domi-

norum voluntatem reſpectu. Quare domini valent dumtaxat horum vota, ſi hæc eorum ſervitio ac obſequio præjudicium afferant, ſuſpendere pro tempore, quo illis inſervire debent; & ideo quamvis inſtet illo tempore executio voti, neque domini, neque famuli agunt contra illud, ſi in obſequiis domino debitis occupentur.

Servi preſſe ſumpti ſunt mancipia in ſervitutem redacta. Iſti nulla libertate fruuntur quantum ad ſervitium corporale dominis reddendum. Quambrobrem (miſſis ad prolixitatem vitandam variis Theologorum placitis, quæ a laudatis Salmanticenſibus *loco citato* referuntur) aſſerimus, poſſe dominos irritare horum vota, quæ debitam ſervitutem impediunt; quia dominus jus habet, ut ſervitutis officia ſibi a ſervo exhibeantur: ergo irritare valent quæ huic juri repugnant. Nequeunt vero irritare vota iſtorum ſervorum, quæ debito obſequio minime officiunt, puta vota caſtitatis, jejuniorum, precum: nec vota de ſervandis præceptis divinis & eccleſiaſticis: nec vota elargiendi eleemoſynas de bonis, quorum dominium iſti ſervi habent: nec vota emiſſa tempore ſervitutis, ſed adimplenda poſt comparatam libertatem: nec demum vota emiſſa ante ſervitutem; ſed tantummodo ea ſuſpendere valent, ſi debito obſequio, aut juri incommoda ſint; quia in his nec dominis præjudicium afferunt, nec unus alterius ſervus conſtituitur. Et ideo Seneca, cujus ſententiam adducit, & approbat D. Thomas 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. dixit: *Errat ſi quis exiſtimat, ſervitutem in totum hominem deſcendere; nam anima eſt ſui juris.*

Irritans ſine motivo rationabili. VII. Si gaudens poteſtate irritandi votum, irritet abſque rationabili cauſa, juxta omnes peccat ſaltem venialiter; & juxta probabiliorem Cajetani, Navarri, Arragonii, ſi res ſit notabilis, etiam mortaliter; qui in re gravi abutitur poteſtate ſua in præjudicium Divini cultus, & utilitatis ſpiritualis proximi. Duo ſuperſunt notanda: primum quod quamvis irritatio facta ab habente poteſtatem irritandi ſit illicita, eſt tamen valida, quia ad validum (nota bene) ad validum uſum juris ſui, non requiritur cauſa. Secundum quod vota directe irritata, nempe poteſtate cadente ſuper perſonas voventes, nunquam reviviſcunt; quia evadunt nulla defectu conditionis requiſitæ ad valorem actus, cum inferior non poſſit valide vovere niſi ſub hac conditione tacita, ſi ſuperior non contradixerit: unde votum filii impuberis a Patre irritatum, adveniente pubertate, non reviviſcit, niſi denuo emittatur: vota autem indirecte irritata, poteſtate videlicet cadente ſuper res, remanent tantum ſuſpenſa, & reviviſcunt, poſtquam materia fuerir ſubtracta a poteſtate dominativa irritantis: eo quod votum erat abſolute validum, & ob ſolam materiæ ſubjectionem erat ſuſpenſum: unde v. g. conjux, qui ſine licentia alterius vovit caſtitatem, mortuo altero, tenetur caſtitatem ſervare. Si autem concedens licentiam promitteret, ſe nunquam irritaturum, & promiſſio acceptaretur non poſſet amplius irritare, quia ceſſiſſet juri ſuo.

Duo notanda circa irritationem.

Quid ſit Diſpenſatio? VIII. Loquamur modo de Diſpenſatione, quæ eſt ablatio obligationis, ejuſdemque remiſſio totalis, ob juſtam, & rationabilem cauſam, facta ab eo, qui habet poteſtatem ſpiritualem juriſdictionis in perſonam voventis in caſibus, in quibus vota ſunt valida, & obligatoria. Dixi remiſſio totalis, quia partialis eſt potius quædam commutatio diſpenſationi admixta. Dixi facta ob juſtam cauſam; quia, hac non extante, eſt valida; & in hoc differt ab irritatione; cum enim fiat nomine Dei, cui votum fuit oblatum & ab eo acceptatum; ab ipſo non approbatur, niſi adſit juſta cauſa: unde S. Th. loc. cit. a. 12. *Omnis diſpenſatio petita a Prælato debet fieri ad honorem Dei, in cujus perſona diſpenſat, vel ad utilitatem Eccleſiæ, quæ eſt ejus corpus:* hujuſmodi autem non eſt diſpenſatio ſine cauſa.

Facta ſine cauſa eſt invalida.

Recenſentur cauſæ juſtæ diſpenſandi. IX. Cauſæ autem juſtæ diſpenſandi eſſe ſolent, imperfecta deliberatio in emittendo votum, procedens vel ab immatura ætate, vel a perturbatione mentis, vel ab errore & ignorantia circa accidentalia voti. Difficultas notabilis in voto implendo ſive prævila, ſive non; quamvis prævila majorem ingerat difficultatem concedendi diſpenſationem, quippe quod virtualiter promiſerit vovens illam ſuperare: Damnum ſpirituale, vel corporale, aut temporale obligati voto: Majus bonum ex diſpenſatione proventurum. Advertat prudens diſpenſator, quod ſi per commutationem ſuccurrere poſſit indigenti, hac utatur, prætermiſſa diſpenſatione; ut fidelis ſit juriſdictionis ſibi a Deo collatæ adminiſter. Quando autem cauſa diſpenſandi eſt dubia, dicit S. D. loc. cit.

cit. ad 2. *Si eſſet cauſa apparens per quam ſaltem in dubium verteretur; poſſet ſtare judicio Prælati diſpenſantis, vel commutantis, non tamen judicio proprio.*

Duplex poteſtas Ordinaria, & Delegata, Ordinaria convenit primo Summo Pontifici.

X. Diſpenſatio fit ab habente poteſtatem, quæ duplex eſt; Ordinaria, & Delegata: prima eſt adnexa muneri & gradui diſpenſantis: ſecunda eſt alteri collata ab habente Ordinariam. Ordinaria, quoad omnia vota & reſpectu omnium fidelium, potitur Summus Pontifex, qui etiam habet facultatem quædam ſibi vota reſervandi, dempta cuilibet alteri ſuper illis facultate & reapſe quinque ſibi reſervavit nempe vota Religionis intrandæ; Caſtitatis perpetuæ; & trium Peregrinationum, Jeroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ: Ita ex cap. *ex multa, & ſuper his*: unde etiam in Jubilæi conceſſionibus ſibi reſervat duo prima: qui autem aliquod ex his quinque ſine Papæ licentia etiam commutare auderet, excommunicationem incurreret.

Vota Papæ reſervata.

* Diſpenſantes prætextu facultatis Sixti IV. a votis Religionis intrandæ; Caſtitatis perpetuæ; & trium Peregrinationum, Jeroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ: item eadem vota prætextu privilegiorum commutantes excommunicationi ſubiiciuntur Summo Pontifici reſervatæ. *Extravag. Etſi Dominici Gregis 2. de pænit. & remiſſ.* Videatur P. Clemens Piſelli *tom. 2. in catalog. Excommunicationum Papæ reſervatarum Lit. D. & Lit. V.*

Conditiones exactæ ut ſint reſervata.

XI. Ut autem hæc vota vere ſint reſervata, requiritur primo, juxta Navarrum in Man. cap. 12. n. 59., quod ſint perfecte deliberata; & propterea ipſe a reſervatione liberat votum caſtitatis, *quando illud ex aliquo magno timore originem duceret, qui tamen non erat ſatis ad voti obligationem impediendam, ſecundum communem opinionem*. Secundo, quod ſint determinata, & non alternativa: puta, voveo aut Religionem, aut eleemoſinam mille aureorum: quia tale votum non eſt determinate de materia reſervata, cum poſſit impleri, eligendo non reſervatam; niſi tamen vovens elegiſſet reſervatam. Tertio, quod ſint vota abſoluta; vel conditionata, expleta jam conditione: nam pendente conditione, non ſunt reſervata; cum enim ante expletam conditionem non ſint obligantia, decidunt a qualitate ad votum requiſita; inde etiam a reſervatione obligationis, quæ nondum extat. Quarto, quod intelligantur reſervari dumtaxat ſecundum ſuam ſubſtantialem integritatem, & non ſecundum circumſtantias adjacentes, quamvis voto comprehenſas; quia reſervata ſubſtantia tantum, verificatur voti reſervatio; quæ utpote odioſa, non eſt trahenda ad ea, quæ juſte eximi poſſunt; v. g. voviſti ingreſſum Religionis infra annum; poterit Epiſcopus vel alius privilegiatus diſpenſare ex juſta cauſa ad biennium, & ſic de aliis. Et propterea ut votum caſtitatis ſit reſervatum debet eſſe caſtitatis totalis, & perpetuæ: unde ſi aut non ſit caſtitatis totalis, aut ſi totalis, ſed non perpetuæ, judicant multi poſt Navarrum poſſe ab Epiſcopo, & privilegiatis diſpenſari: audi Navarrum loc. cit. num. 76. qui poſtquam reſolvit circa votum temporaneum, addit: *Imo ſecundum S. Antoninum, & alios id facere poſſent circa votum de nunquam contrahendo matrimonio. In hoc tamen contrarium tenet Cajetanus tomo 2. opuſc. 11. quæſt. 1. cujus opinio licet alias mihi placuerit, nunc autem magis placet opinio Angeli, & Sylveſtri; tum quia illa ſervatur in magno Sac. Pœnitentiariæ Prætorio, tum quia, præſuppoſita opinione communi, quam ipſe quoque Cajetanus tenet, ſcilicet materiam voti ſufficientem eſſe opus, quod non eſt ſupererogationis, ſed etiam præceptum; non poteſt vere dici, æquivalere votum de non nubendo, & votum caſtitatis.* Eo quia votum de non nubendo obligat ſolum ad non contrahendum matrimonium, votum autem caſtitatis, etiam ad abſtinendum a quacumque impudicitia.

Obſervanda circa Votum caſtitatis.

Secundo convenit ordinaria Epiſcopis, Legatis, Archiepiſcopis autem qualiter.

XII. Poteſtas ordinaria diſpenſandi in votis, exceptis illis quinque, convenit Epiſcopis reſpectu ſuorum ſubditorum; item Legatis Apoſtolicis, & nunciis Pontificiis in Provinciis ſuis. Archiepiſcopi cum eadem polleant reſpectu ſuorum ſubditorum, non tamen reſpectu ſubditorum ſuorum ſuffraganeorum, niſi per modum appellationis in caſu, quo ab Epiſcopis prætenderetur injuſte denegata: ita communis. Et nota, Epiſcopos, tanquam ſpecialiter delegatos ab Apoſtolica Sede, diſpenſare etiam poſſe in votis Papæ reſervatis ex urgentiſſima cauſa neceſſitatis, ſi non poſſent adiri Summus Pontifex, Legatus, Nuncius, qui ea poteſtate gauderent; & hoc quidem ex rationabiliter præſumpta voluntate Pontificis, qui reſervationem nolit ad has anguſtias deducere in animarum perniciem.

Tertio convenit Prælatis regularib.

XIII. Prælati Religionum exemptarum a juriſdictione Epiſcopi, & præcipue Religio-

[illegible]bus, [illegible]d quæ[illegible]rer?

ligionum mendicantium, nempe Generales, Provinciales, Abbates, & Præpoſiti abſoluti habent poteſtatem ordinariam in vota ſuorum ſubditorum; cum gaudeant in eoſdem juriſdictione quaſi Epiſcopali, ut fert communis ſententia. Circa autem Superiores locales reſpectu ſubditorum ſui Conventus, quidam cum Sanchez lib. 4. c. 49. putant eſſe ordinariam, aliqui alii putant eſſe delegatam ex mera conſuetudine communi. Hactenus de poteſtate ordinaria.

Poteſtas delegata quid afferat?

XIV. Delegatam poteſtatem habent illi, quibus conceditur ab habentibus ordinariam: ipſi acceptam non poſſunt aliis ſubdelegare; niſi forte, dicunt aliqui, concedatur ratione officii aut dignitatis, & abſolute; quia tunc videretur tranſire in ordinariam, quod tamen affirmare non audeo: ſi vero concedatur reſtricte, & dumtaxat reſpectu particularis perſonæ, tunc ſubdelegari non poſſet; hinc delegati non poſſunt poteſtate ſibi commiſſa uti, niſi reſpectu eorum, pro quibus demandata fuit, neutiquam pro ſeipſis; ad differentiam eorum qui gaudent ordinaria, qui, juxta aliquos contra alios, poſſunt eadem etiam pro ſe indirecte uti, committendo alteri ut eam ſecum exerceat.

Qualiter delegata gaudeant regulares quoad vota commutanda?

XV. Ex privilegiis Summorum Pontificum, poteſtate ab ipſis Pontificibus delegata plurimi Auctores dicunt, gaudere Confeſſarios ab Epiſcopo approbatos Ordinum Mendicantium commutandi, & diſpenſandi omnia vota, etiam pie jurata ſæcularium, exceptis illis quinque reſervatis ſupra indicatis; & dummodo non cedant in præjudicium tertii, de quo infra. Ita plurimi Theologi, inter quos Henricus a S. Ignatio, ſeverioris doctrinæ profeſſor, qui tomo 2. ſuæ Æthicæ Amoris lib. 10. cap. 48. hanc ex profeſſo docet; & primo quoad facultatem commutandi citatur Bulla Eugenii IV. *Et ſi quidlibet*, nec non Bulla *Commiſſum* 22. apud Rodericum: item Bulla Julii II. *Et ſi ad univerſos* 12. apud Confectium: item Bulla Leonis X. *Et ſi a ſummo*, apud Cherubinum: item Bulla Pauli III. *Cum inter cunctas* 7. apud laudatum Rodericum: item Bulla Gregorii XIII. *Decet Romanum* extendit ad vota jurata non in præjudicium tertii: & tandem Bulla Benedicti XIII. *Prætioſus* §. 22.

Qualiter gaudeant quoad diſpenſanda?

XVI. Quoad poteſtatem vero diſpenſandi, in duabus Editionibus anterioribus docui hac quoque gaudere Regulares reſpectu ſæcularium, Ex Bulla Sixti IV. anni 1464. incipiente *Sedes Apoſtolica* §. 7. quam legeram propriis oculis. Verum deinde animadverti eadem Bulla hoc privilegium concedi Superioribus illius Religionis reſpectu ſuorum ſubditorum, nihil omnino exprimendo circa ſæculares; tota namque illa Bulla verſatur circa Perſonas illius Religionis: propterea niſi aliunde habeatur hoc privilegium Regularium quoad Perſonas ſæculares, a præcitata Bulla deduci nequit. Contendit nihilominus P. Fr. Didacus ab Aragonia nuperrimus Scriptor, qui anno 1753. Bononiæ edidit ſuam Elucidationem Privilegiorum Ordinum Regularium, in Tractatu 4. cap. 6. n. 8. quod ex aliis privilegiis hæc poteſtas Regularibus conveniat reſpectu ſæcularium, indicans plura loca ex privilegiis nonnullorum Ordinum. Verum R. P. Fr. Daniel Concina, qui Bullas citatas in dictis privilegiorum Compendiis exactiſſime examinavit, teſtatur, ex nulla earum poſſe legitime deduci, quod hæc poteſtas Regularibus reſpectu Sæcularium concedatur.

Applicatur doctrina votis in particulari.

XVII. Laudatus Henricus a S. Ignatio ex ſententia, quam ſuſtinet, infert ibidem n. 385. poſſe Regulares privilegiatos diſpenſare in voto non petendi diſpenſationem, vel ea non utendi; in voto caſtitatis non perpetuæ; in voto non nubendi; in voto paupertatis aut obedientiæ emiſſo in ſæculo; in voto aſſumendi Sacros Ordines, in voto ducendi vitam Ereniticam, pœnitentem &c.; in voto tranſeundi de Religione minus auſtera ad ſeveriorem. Item juxta alios, & præcipue Quintanadvenas (qui de hoc ex profeſſo diſſerit in ſuis ſingularibus Theologiæ Moralis, ſingulari 2. ad matrimonium ſpectante) poſſunt diſpenſare; ut qui contraxit matrimonium cum voto caſtitatis perpetuæ, debitum petat, durante matrimonio; quod votum, mortuo conjuge, reviviſcit, & durante matrimonio illum obligat reſpectu cujuſcumque actus contra caſtitatem extra matrimonium.

Et ad vota jurata, at quando?

XVIII. Monent communiter ejuſdem opinionis Doctores, hactenus aſſertam poteſtatem delegatam habere Regulares etiam quoad vota jurata, nec non ad juramenta pia ipſi Deo facta, dum non interveniat præjudicium tertii. V. G. voveo, & juro me Roſarium recitaturum: me eleemoſinam erogaturum &c. Secus autem ſi interveniat præjudicium tertii, V. G. voviſti, te daturum eleemoſinam tali perſonæ

ſonæ aut loco, & perſona aut locus acceptavit, non poteſt votum commutari, & multo minus diſpenſari ſine eorum conceſſione; per acceptationem enim acquiſierunt jus ad rem promiſſam. Dicunt præterea Auctores apud Sanchez l. 4. op. mor. 42., quod privilegiati poſſunt facultatem diſpenſandi exercere etiam extra Sacramentalem confeſſionem, cum nulla lex illam reſtringat ad forum Sacramentale. Quod ego affirmare non adeo, cum ſit facultas collata pro foro interno. Hæc autem inter Epiſcopos & Regulares eſt diverſitas, quod illi dumtaxat ſubditis poſſint illam impertiri; Regulares autem cunctis fidelibus, quippe qui ſint delegati a Pontefice, qui eamdem ipſis delegat, quemadmodum quoad perſonas ab ipſo poſſidetur, nullaque particula reſtringens in privilegiis habeatur. Caute igitur, iterum moneo, ſe habeant privilegiati, ne aut ſine juſta cauſa, & inde invalide diſpenſent: aut ſi poſſint per commutationem occurrere indigenti, minime diſpenſatione utantur; rariſſime enim occurrere poteſt diſpenſandi motivum ſine ulla commutatione: immo multi graves negant Regularibus diſpenſandi privilegium, ut jam indicavimus.

Poteſt diſpenſatio fieri extra Sacramentum.

Quid ſit Commutatio, & quid circa eam- dem notandum?

XIX. Commutatio eſt translatio obligationis a materia voti emiſſi, ad alteram ſubrogatam loco promiſſæ. Poteſtatem ordinariam commutandi vota non reſervata habent Epiſcopi, & Superiores Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum: Delegatam autem reſpectu omnium fidelium habent Regulares privilegiati, ut dictum fuit. Vota autem reſervata, quemadmodum a ſolo Pontifice diſpenſantur, ita quoque commutantur, ut ex ſuperius traditis compertum eſt. Si autem Pontifex votum materiæ reſervatæ commutet in aliam non reſervatam, docent Suarez lib. 6. de voto cap. 20. n. 15., & alii multi, quod circa illam non reſervatam poteſt alter privilegiatus ex juſta cauſa diſpenſare, aut commutare; niſi forte Pontifex declaraſſet, etiam materiam ſubrogatam velle ſibi reſervare. In commutatione ſimplici, procurandum eſt ut fiat æqualitas, quantum materiæ permittunt: quando autem eſt commutatio diſpenſatione quadam temperata, & quidem ex juſta cauſa, non exigitur dicta æqualitas: unde quando Epiſcopus delegat alicui non privilegiato ut commutet, nil ſignificando de diſpenſatione, debet quantum poteſt æqualitatem ſervare quoad onus in re, quam ſubſtituit loco promiſſæ.

* Pro praxi obſervanda in facienda commutatione Votorum non poteſt tradi una & certa regula pro omnibus, ut animadvertit P. Lucius Ferraris in *ſua Bibliotheca V. Votum art. 3. n. 133.* Unde commutans debet prudenter tria præcipue attendere juxta id, quod ſtatuit Innocentius III. *in cap. Magnæ devotionis 7. de voto* §. *Et quidem*, ubi hæc habentur: *Et quidem tria præcipue duximus in hoc negotio attendenda. Quid liceat ſecundum æquitatem, quid deceat ſecundum honeſtatem, & quid expediat ſecundum utilitatem.*

Generaliter loquendo, niſi circumſtantiæ, & cauſæ aliud exigant, commutari debet votum reale in reale, perſonale in perſonale, mixtum in mixtum, perpetuum in perpetuum, temporale in temporale, ut ſic quantum fieri poteſt, magis ſervetur æqualitas, & proportio, ut communiter tradunt Doctores. Hæc autem æqualitas & proportio non eſt arithmetice accipienda, ſed moraliter, ſeu quæ prudenter & bona fide exiſtimatur æquivalere materiæ, quæ prius voto ſubjecta erat; nec enim nimis religioſe metienda res eſt. Et hoc etiam in aliis contractibus ſervatur.

Item generaliter loquendo in commutatione votorum non eſt attendenda ſola materia promiſſa, ſed etiam finis promiſſionis, nec ſola excellentia virtutis in materia ſubroganda, ſed attendi debet id, quod magis ad Dei honorem & cultum conducit, magiſque voventis ſaluti expedit, diligenter perpenſis omnibus circumſtantiis perſonæ, loci, temporis &c. V. G. vovit quis diſciplinam ad edomandam carnem; melius commutabitur tale votum in jejunium, quam in orationem; magis quippe ad carnis mortificationem conducit jejunium, quam oratio, licet hæc ſit excellentioris virtutis. Sed neque commutatio fieri debet neceſſario in opus æque difficile, aſperum, auſterum. Hinc facile credidero, ait Petrus Collet *Inſtitut. Theolog. tom. 2. tract. de Relig. part. 2. cap. 5. de voto art. 6. ſect. 1. in reſp. ad q. 6.* peregrinationes non ſolum recte commutari in largas eleemoſynas, ſed etiam in jejunia, vel crebram confeſſionem, ſi hæc a pœnitente non illubenter acceptentur, & adimplenda credantur; quia hæc plerumque Deo gratiora ſunt, & voventi magis ſalutaria. Immo docent plures, conſultius eſſe omnia fere vota per-

Digitized by Google

ſonalia regulariter commutare in frequentiam Sacramentorum; quia Sacramenta ad ſalutem voventis magis ſunt efficacia, quam cætera opera. Legatur P. Daniel Concina *Theolog. Chriſt. tom.* 3. *lib.* 4. *diſſert.* 3. *c.* 18. ubi omnes regulas in commutatione votorum ſervandas fuſo calamo explicat.

Animadvertendum vero eſt, quod ſi commutatio fiat tempore jubilæi, verba Bullæ ſpectanda ſunt: unde ſi facultas detur dumtaxat commutandi vota in eleemoſynas, in aliud pium opus fieri nequit commutatio.

Ut autem Confeſſarius, qui commutandi vota facultate præditus eſt, in ea exercenda nec nimium pœnitentes gravet, nec muneri ſuo deſit, ſitque infidelis diſpenſator, opportunum erit oculis ſubjicere nonnulla exempla commutationum votorum ex optimis Auctoribus hauſta, quæ ipſi poterunt deſervire veluti normæ ac regulæ ad plures commutationes peragendas. Exhibemus autem ſolummodo exempla commutationum votorum, quæ reſervata non ſunt; ſiquidem vota reſervata quemadmodum a ſolo Pontifice diſpenſantur, ita quoque ab Ipſo ſolo commutantur, ut docet Auctor *n. præced.*

1. Itaque Votum non ineundi Matrimonium poteſt commutari in Confeſſionem & Communionem ſemel ſingulis menſibus, in perpetuum jejunium unius diei pariter ſingulis menſibus, in quotidianam recitationem Litaniarum B. M. V. vel in procuranda quotannis celebratione octo, vel decem Miſſarum.

2. Votum jejunandi omnibus per vitam feriis ſextis vel ſabbathis rite commutari poteſt in recitationem Roſarii cum moderata eleemoſyna ſextis quibuſque feriis, vel ſabbathis per totam vitam; vel in Confeſſionem & Communionem de quindena in quindenam.

3. Votum jejunandi ſemel in pane & aqua commutari poteſt in unam Confeſſionem & Communionem, vel in recitationem integri Roſarii genibus flexis cum verberatione corporis, aut eleemoſyna facultatibus voventis competente.

4. Votum elargiendi certam eleemoſynam pauperibus commutari poteſt in ſervitium Hoſpitalis per ſpatium temporis, quod judicio prudentis confeſſarii ſufficiat ad compenſandam eleemoſynam voto promiſſam. E converſo votum ſerviendi Hoſpitali commutari poteſt in correſpondentes eleemoſynas ipſi Hoſpitali erogandas.

Ex adductis exemplis commutationum valet prudens Confeſſarius colligere modum faciendi alia ſimiles commutationes; dummodo ſemper præ oculis habeat, atque conſideret Perſonarum qualitatem, conditionem, ætatem, valetudinem, divitias, inopiam, diſpoſitionem, & hujuſmodi, ratione quorum pro eodem voto minor ſubſtituenda eſt peregrinatio v. g. debili ac ſeni, quam viro robuſto ac juveni, minor eleemoſyna pauperi quam diviti; pauciora jejunia imbecillo ac laboribus ſubjecto, quam benevalenti, & otioſo, & ſic de ſimilibus. Legantur P. Patritius Sporer *tract.* 3. *in ſecundum Decalogi Præceptum . c.* 3. *ſect.* 4. §. 4. P. Lucius Ferraris *loco cit. a. n.* 133. *uſque ad n.* 153. & P. Concina *loco ſupra cit. a. n.* 9. *uſque ad* 13., qui etiam ob oculos ponunt exempla, quæ deſervire poſſunt ad commutationem voti tum Sacerdotii ſuſcipiendi, tum peregrinationis pedeſtris &c.

Sequentia adhuc utpote ſcitu neceſſaria animadvertenda ſuperſunt.

1. Facta voti commutatione, & a vovente acceptata liberum eſt ei ad priorem redire materiam, ſeu prius votum exequi, ſi commutatio facta ſit in minorem obligationem, admixta diſpenſatione; quia nemo cogitur privilegio uti diſpenſationis ſibi faventis, ſed quod melius eſt, ampleсti ſemper poteſt. Si autem commutatio in melius facta ſit, & a vovente acceptata, non licet, juxta plures, ad prius votum reverti, ſeu nequit vovens ad priſtinam materiam regredi, relicta materia ſubſtituta; quia acceptatio talis commutationis vim habet novi voti, quo acceptans obligavit ſe ad reddendum Deo aliquid melius, quam antea voverat. Quamobrem implere prius eſſet commutare votum ex meliori in minus bonum, quod licitum non eſt privata auctoritate, & abſque juſta cauſa. Idem ſentiendum exiſtimant nonnulli, & præſertim Petrus Paſſerinus *Q.* 187. *art.* 1. *n.* 772. etiam quando commutatio facta eſt in æquale.

2. Facta voti commutatione legitima Prælati ſeu juriſdictionem habentis auctoritate, non tenetur vovens juxta communem ſententiam exequi priorem materiam ſeu prius votum ſuum, ſi materia ſubrogata fiat poſtea impoſſibilis, vel inutilis. Quia prior obligatio per legitimam commutationem extincta eſt. Obligatio

autem

autem extincta, præſertim quæ propria voluntate ſuſcepta eſt, non reviviſcit, niſi propria voluntate iterum aſſumatur. Peccat tamen vovens, ſi ejus culpa opus ſubrogatum impoſſibile evadat. Diximus de induſtria *legitima Prelati ſeu juriſdictionem habentis auctoritate;* quippe ſi commutatio facta fuit dumtaxat propria voventis auctoritate cenſent communiter Doctores priſtinam in tali caſu reviviſcere obligationem; & tunc proinde ſi opus per ſemetipſum ſubſtitutum impoſſibile quocumque modo fiat, adſtringitur ad materiam prius promiſſam redire, ſeu priorem obligationem implere.

Petrus Collet *loco ſuperius citato in reſp. ad q. 7.* admittit quidem, non teneri voventem ad prius votum reverti, ſi votum in aliquid melius mutatum ſit, quia tunc prius votum abſolute deſiit: unde nec licitum erat ad illud reverti; at oppoſitum ſuſtinet, ſi materia ſubrogata ſit ſolum æqualis.„ 1. Quia, *inquit*, (& hoc „ ſaltem ad melius curare debent Confeſſarii) videtur commutatio ſub hac „ conditione fieri, ut prior materia, „ ſi poſſibilis remaneat, impleatur, poſito quod ſecunda impleri non poſſit.“

3. Qui ordinaria vel delagata gaudet facultate ad vota commutanda tenetur ipſa commutare, cum ob rationabilem cauſam ad id requiritur. Et ratio eſt, quia niſi juſtam cauſam habeat talem commutationem poſtulanti denegandi, cenſetur infidelis miniſter, cum recipiendo dictam facultatem ſe implicite obligaverit ad ejus uſum, ubi requireretur, & juſta adeſſet cauſa. Peccat autem plus minuſve pro circumſtantiarum varietate, dum poſtulatus hanc exercere renuit facultatem.

Commutatio aliquando fit propria auctoritate.

XX. Commutatio in evidenter melius poteſt fieri ab ipſo vovente propria auctoritate, ut docent plures cum Suarez loc. cit cap. 18. Ratio patet, quia votum non debet impedire melius bonum; tamen ſemper ſine præjudicio tertii. Si autem dubitetur an ſit melius, indiget auctoritate Prælati, ut docet probabilior cum S. D. 2. 2. q. 88. a. 12. *In commutatione vel diſpenſatione votorum requiritur Prælati auctoritas;* quod profecto intelligendum eſt etiam in caſu dubii an ſit melius bonum: unde Sotus lib. 7. de juſt. q. 4. a. 3. docet: ubi certiſſimum non ſit, opus eſſe excellentius, ſemper eſſe auctoritatem Prælati neceſſariam: hæc ille doctiſſimus; & ratio eſt, quia promiſſio contracta, ſolvenda eſt in propria ſpecie, ita poſtulante virtute fidelitatis; igitur quoties clare non conſtat an opus ſit melius, infideliter agitur ſubſtituendo æquale.

* Equidem, ut animadvertunt Patres Salmanticenſes *tract. 17. de voto &c. cap. 3. punct. 14. n. 129.* poteſt quilibet propria auctoritate vota ſua commutare in id quod eſt evidenter melius, quando hoc melius eſt ejuſdem generis & continet ac includit materiam promiſſam. Ex.g. Vovit quis dare Eccleſiæ calicem argenteum, & dat aureum; vovit quis jejunare modo ordinario, & jejunat in pane & aqua; vovit quis decem nummos in eleemoſynam erogare, & tribuit viginti. Verum in his ſimilibuſque caſibus propria, & rigoroſa non occurrit voti commutatio, ſed habetur perfectior voti obſervatio, & abundantior ſolutio valde commendanda.

Ac ſi ſermo ſit de propria ac rigoroſa voti commutatione nempe unius boni in bonum diverſi generis, & diſparatum ab eo quod ab ipſo vovente promiſſum eſt, puta jejenii in eleemoſynam, vel peregrinationis in preces &c. talis voti commutatio ne in bonum quidem evidenter melius propria auctoritate fieri poteſt; ut ſentiunt veteres Canoniſtæ non pauci, pluresque celebres Theologi. Ratio, quam adferunt ad id evincendum hæc eſt, quia, dum res voto promiſſa in aliam quamcumque diverſi generis, & ab illa diſparatam mutatur, emiſſi voti vinculum ſolvitur, ejuſque loco novum vinculum ſubrogatur: at quamvis unuſquiſque novum vinculum ex ſe ſubire valeat; attamen propria auctoritate emiſſi voti vinculum ſolvere nequit. Quippe ut hoc ſolvatur, opus eſt, ut Dei, cui promiſſio facta eſt, aſſenſus interveniat; quem aſſenſum Dei loco nullus privata auctoritate præbere poteſt, ſed ſolus Prælatus, qui in Eccleſia gerit vicem Dei. Sententiam hanc luculenter docere videtur & D. Thomas *in 4. diſt. 38. q. 1. art. 4. quæſtiunc.* 4. ajens: *In commutatione eſt quidam contractus, qui non poteſt perfici ſine conſenſu utriuſque partis. Unde non poteſt fieri immutatio voti, niſi interveniat conſenſus ejus, qui vicem Dei gerit in terris, ſcilicet Prælati, niſi forte unum votum ab alio includatur.* Gemina habet S. D. 2. 2. *p.* 88. *a.* 12. *In commutatione*, inquit, *vel diſpenſatione votorum requiritur Prælati aucto-*

ritas

ritas, qui in perſona Dei determinat, quid ſit Deo acceptum &c. Excipit dumtaxat Angelicus utrobique, votum Religionis, in quod quæcumque vota commutari poſſunt; nam *omnia alia vota*, ait *loco proxime cit. ad 1., ſunt quorumdam particularium operum: ſed per Religionem homo totam vitam ſuam Dei obſequio deputat: particulare autem in univerſali includitur.* Cum igitur omnia alia vota in Religionis voto includantur, conſequens eſt quod omnia alia vota in illud commutari queant. At votum unius rei particularis non includitur in alia re diverſa, licet meliori; ergo &c. Legatur P. Daniel Concina *tom. 3. lib. 4. Diſſert. 3. cap. 14. n. 3. & ſeq.* ubi difficultatem hanc pro dignitate verſat, ac diſcutit.

Poteſtas commutandi continetur in poteſtate diſpenſandi. XXI. Quibus conceditur facultas diſpenſandi, juxta opinionem, quæ nobis probabilior videtur, noſtrorum Paludani in 4. diſp. 38. q. 4. a. 3., Soti loc. cit. & Lopez a Suarez citatorum loc. cit. cap. 12. n. 10., cum quibus & ipſe, conceditur etiam facultas commutandi: contra alios etiam graves. Quia cum certe minus ſit commutare, quam diſpenſare, cui conceditur majus intra eundem ordinem, rationabiliter præſumendum eſt, concedi etiam minus; omnis enim commutatio eſt diſpenſatio quædam ſecundum quid, & in tantum poſtulat auctoritatem Superioris, in quantum quidpiam diſpenſationis involvit; igitur poteſtas commutandi continetur in poteſtate diſpenſandi tamquam ſecundum quid in ſimpliciter, & tanquam pars in toto, ait doctiſſimus Suarez loc. citato.

Votum in favorem tertii, quando poſſit diſpenſari? XXII. Habens poteſtatem nedum ordinariam, verum etiam delegatam, probabilius nobis videtur cum pluribus approbatis a Suarez loc. cit. cap. 15. quod poſſit ex juſta cauſa votum prius emiſſum in favorem tertii, nondum eidem ſignificatum, & per conſequens neque per modeſtum ſilentium acceptatum, diſpenſare vel commutare abſque requiſito illius aſſenſu; quæ diſpenſatio aut commutatio nullius jus offendit; nullus enim habet jus ad id quod ipſi nondum innoteſcit, nec ullo modo ab eo acceptatum fuit, ut communiter docent Theologi de contractu promiſſionis: unde falſum eſt, & gratis dicitur ab adverſariis, quod Deus, a quo votum acceptaretur, transferat ſuum jus in illam perſonam, quod quidem ab ipſis dicitur, ſed nunquam probatur: Quandoquidem Deus dumtaxat vult, ne votum violetur, quæ violatio non intervenit, quando tollitur vel transfertur obligatio per juſtam diſpenſationem aut commutationem. Conſulto autem dixi, niſi votum perſonæ ſignificetur, & ſaltem per ſilentium modeſte acceptetur; quia tunc nequit diſpenſari aut commutari ſine illius conſenſu; eo quod violaretur jus illius ad rem promiſſam, ab eoque, ſaltem ſilendo, acceptatam.

CAPUT XI.

DE ASSUMPTIONE

DIVINI NOMINIS IN LAUDEM, NEMPE DE HORIS CANONICIS.

Cum Aſſumptio Divini nominis in laudem connumerata fuerit a S. Doctore inter actus Religionis, eademque definita fuerit: Laus quæ offertur Deo per Pſalmos, Cantica, Hymnos &c., eademque maxime refulgeat in quotidiano cultu Deo oblato per recitationem Horarum Canonicarum, tam privatam & particularem, quam publicam & choralem, idcirco de hac ultimo loco agendum ſupereſt, ut compleatur materies de actibus ad Religionem pertinentibus.

§. I. *De Horarum Canonicarum notione, & de perſonis huic oneri addictis: & primo quoad Chorum.*

Quid ſint Horæ Canonicæ? quique ad illas teneantur? I. Horæ Canonicæ ſunt quædam veluti pars Officii Divini generatim accepti, quod ex pluribus orandi modis per Litanias, Miſſarum celebrationes, per Proceſſiones, per exequias, & hujuſmodi Eccleſiaſticas preces aſſurgit: proinde Horæ Canonicæ definiri poſſunt, preces quædam vocales ad Dei cultum deſtinatæ ex Pſalmis, Canticis, aliiſque ſacris Scripturis; item ex Hymnis, Collectis, Patrumque ſermonibus apte conſtructæ: quæ Sacrorum Canonum ſanctione ab Eccleſiaſticis perſonis totius Eccleſiæ nomine quotidie ſunt recitandæ. Ex triplici titulo præfatis perſonis hæc obligatio oriri poteſt, nempe vel titulo Ordinis Sacri ſu-

ſuſcepti, vel Beneficii Eccleſiaſtici conſecuri, vel Religioni approbatæ profeſſione.

Quibus titulis oriatur obligatio ad horas?

II. Titulo itaque Ordinis ſuſcepti, tenentur ad Horas ſub mortali omnes Ordinati, a Subdiaconatu incluſive & ſupra, ut conſtat ex variis Canonibus: quandoquidem obligatio eſt de re gravi, ut patet. Subdiaconus igitur tenebitur ex ipſa die qua Ordinem ſuſcipit ad horas ſaltem correſpondentes tempori ſuſcepti Ordinis; cum enim ſtatim ab Ordine ſuſcepto incipiat obligatio, ſitque circa materiam diviſibilem; tenebitur ordinatus ad præſtandam ſaltem illam, quæ correſpondeat tempori obligationis ſuſceptæ. Dixi ſaltem, quia non deſunt graves Doctores qui ad integrum illius diei Officium Ordinatum obſtringant.

Obligatio recitandi in choro pro Eccleſiis Collegiatis?

III. Inſtitutio recitandi in choro præter finem ſupremum laudandi Divinam Majeſtatem, duos item fines habet immediatos, nempe promovere devotionem in fideli populo, & majorem profectum recitantium. Obligatio recitandi in choro graviter afficit Eccleſias Cathedrales, & Collegiatas ſingulis diebus, & pro omnibus horis, ut patet ex cap. 1. de celebrat. Miſs. ex capite *Dolentes* ejuſdem tituli: ex capite *quia per ambitioſam* de reſcript. in 6. ex cap. *cum ſecundum* extra de præſcribendis: & quammaxime ex conſuetudine Eccleſiæ.

Obligatio quoad Regulares in choro.

IV. Quoad Regulares obligatio recitandi in choro ſpectat ad totam communitatem, & ex vi proprii muneris ad Superiores, & quidem ſub gravi; ita ut peccent lethaliter, ſi ob ipſorum negligentiam horæ non recitentur in Choro, & eſt communis: unde in caſu quo Superior ita graviter deſit, tenentur ſubditi ſub gravi ſupplere, ne deficiat hæc Dei collaudatio choralis. Ratio obligationis deducitur ex conſuetudine, & gravitate materiæ. Ratio Obligationis ſubditorum collective ſumptorum patet ex eo quod omnis obligatio communis Monaſterii, afficiendo prius in particulari Prælatum, afficit quoque ipſam religioſorum communitatem. Obligatio autem aſſiſtendi choro non ita afficit religioſos, ſicuti clericos beneficiarios propter chorum; nam hi ſingulatim graviter peccant, ſi notabiliter abſint abſque legitima cauſa; ſecus autem religioſi ſingulatim ex vi juris Eccleſiaſtici, ſi abſque legitima cauſa abſint. Fundamentum pro clericis petitur ex Concil. Lateran. 5. ſub Leone X, ſeſſ. 9. & ex Bulla S. Pii V. 135., deduciturque ex pœna, quæ abſentibus infligi poteſt, nempe depoſitionis; quæ cum ſit gravis, culpam gravem præſupponit. Fundamentum pro religioſis eſt: quia in nullo jure habetur præceptum grave afficiens ſingulos religioſos choro deſtinatos, niſi forte inſeratur ex ipſorum regulis; unde quiſque videat. Proinde ſi Regula, vel Capitulum, vel Superior grave præceptum ſingulos afficiens imponeret; tunc abeſſe a choro notabiliter ſine juſta cauſa, eſſet lethale, ut patet: Tenentur igitur religioſi ex vi ſolius conſuetudinis approbatæ & præſcriptæ, quæ tamen videtur non ſingulos, ſed totam communitatem graviter afficere. Verum abſens ſine cauſa, & cum aliqua frequentia, palam eſt quod peccet ſaltem venialiter, ob negligentiam circa cultum adeo momentoſum & Deo gratum. Dixi, quod non peccent mortaliter ſinguli religioſi abſentes ſine juſta cauſa, loquendo ex vi legum; nam ex aliis capitibus hæc abſentia frequens, & ſine juſta cauſa, poteſt eſſe lethalis, etiam juxta Doctores benigniores: primo ratione ſcandali aliorum confratrum; ſecundo ſi ob ejus abſentiam chorus aut perſolvi non poſſit, aut non ſine notabili dedecore Divini cultus: tertio, ſi, ut indicavi, extaret præceptum interveniendi: quarto ſi verus contemptus immiſceatur, qui apparet ex frequentia omiſſionum abſque juſta cauſa: hæc autem juſta cauſa non eſt, quam ſibi præfigit religioſus, ſed quæ ſervat debitam a Superiore dependentiam, & approbationem. Nihilominus, re maturius perpenſa, videtur, quod quamvis non ex vi legis alicujus Canonicæ, ex vi tamen conſuetudinis jam obtinentis, quæ legi æquiparatur, teneantur ſub mortali Religioſi notabiliter choro non deeſſe, niſi juſta de cauſa, aut diſpenſatione legitima eximantur; etiam præciſo alio motivo ſcandali &c. quod profecto ſemper adeſt. Ratio eſt, quia non apparet eſſe verum, quod Conſuetudo obliget ſolam Communitatem, ſed videtur afficere etiam ſingulos religioſos de jure non diſpenſatos; quæ obligatio fundatur in ſtatu aſſumpto ab unoquoque eorum, qui eſt ſtatus Choriſtarum, quæque illos Choro devincit: & quemadmodum hæc obligatio ſub gravi afficit Superiorem, ut divina Majeſtas in Choro laudetur a ſua Communitate; ita afficit ſingulos, ut eadem Majeſtas ab ipſiſmet laudetur, tamquam a miniſtris

ad

Digitized by Google

ad ſuas laudes in Choro celebrandas addictis; & quamvis afficiat Superiorem, ad has laudes quotidie a ſua Communitate perſolvendas; afficit proportionabiliter ſingulos, ne ſaltem notabiliter deficiant a chorali perſolutione; cum habeantur, ex vi ſtatus ſui, choro addicti, cui inſervire teneantur; & propterea juſte compelli poſſunt ad choro inſerviendum; & ſi renuant, etiam puniri nedum propter inobedientiam, ſed quam maxime propter omiſſionem culpabilem proprii muneris, propriæque obligationis: ita namque ſemper tenuerunt Religiones chori ſecuelam profitentes; adeo ut ſit manifeſtum argumentum, eaſdem ſemper judicaſſe, in unoquoque Religioſo vigere obligationem choro interveniendi: ea propter Religioſum, qui v. g. ſolis tantummodo diebus feſtivis ad chorum convenire ſtatueret, a mortali omiſſione immunem aſſerere non auderem. Proinde Clemens VIII. die 25. Junii anni 1599. in Decretis pro *Reformatione Regularium tam Monachorum, quam Mendicantium &c.* in Decreto 1. ſtatuit, *Ut in eos, qui negligentes aut inobedientes fuerint in ſervitio Chori, nec legitima cauſa diſpenſati, ſalutari pœnitentiæ Superiores animadvertant ad præſcriptum Regulæ & Conſtitutiorum: aliменti etiam, ſi opus fuerit, ſubtractione.* En quomodo a S. Sede non judicetur levis hæc notabilis omiſſio, quæ puniri poſſit pœna gravi.

Quot requirantur ad ſatisfaciendum pro choro?

V. Ut præceptum recitandi horas canonicas in Choro impleatur quatuor ſaltem pſallentes adſtantes eſſe debent: ita communior & probabilior; quia abſque tali numero, decens ſaltem choralis laudatio perfici nequit: quid namque faciet unus tantum in uno chori latere, niſi excitare riſum audientibus? Dixi ſaltem quatuor, quia ubi choriſtæ, non legitime diſpenſati, ſunt in aliquo numero duodenarium excedente, peccaret Superior graviter contra vigilantiam ſuo muneri debitam, ſi quatuor tantum pſallentibus contentus, alios ſine juſta cauſa aut diſpenſaret, aut non urgeret ut choro interveniant; ita ut ſaltem major pars Officia Divina in Choro non perſolveret; ita docent communiter Scriptores.

§. II. *De perſolutione Horarum titulo Beneficii accepti.*

Beneficiarii omnes tenentur, & quo titulo?

I. Beneficiariorum nomine ſignificantur omnes illi, qui habent jus perpetuum percipiendi fructus, ſeu redditus ex bonis Eccleſiaſticis propter munus aliquod Eccleſiaſticum auctoritate Eccleſiaſtica conſtitutum. Hi omnes, etiamſi ordinati non ſint in Sacris, tenentur ſub mortali ad horas canonicas quotidie perſolvendas: ſi autem Ordine etiam Sacro ſint inſigniti, duplici motivo, religionis nempe & juſtitiæ tenebuntur: ita communiſſima. Conſtat ex cap. *ſi quis presbiter* 92.; quod caput ab omnibus ut lex recipitur: & ex Concil. Lateran. ſup. laudato ſeſſ. 9. in Bulla confirmationis ſub titulo *reformationes Curiæ*, §. *ſtatuimus*; quam Conſtitutionem confirmavit, & auxit S. Pius V. in ſua Conſtitutione quæ eſt 138. in Bullario. Quod autem ſit onus juſtitiæ ex eo liquet, quia dicitur in laudato Concil. Later. quod *Beneficium detur propter Officium*, ſitque quidam contractus ex innominatis inter Eccleſiam, & beneficiarium, nempe *do, ut facias*: & propterea beneficiarius, & in Sacris omittens horas, tenetur in confeſſione utramque obligationem juſtitiæ, & religionis exponere.

Habens plura beneficia non tenetur ad plura officia.

II. Neque hinc inferas habentem ex legitima diſpenſatione duplex beneficium ſufficiens, teneri ad duplex officium recitandum, ut cum Navarro putarunt alii quidam; nam S. Th. quodlib. 1. a. 13. id negat, & præter conſuetudinem, quam indicat S. D. qui inſuper in corp. art. poſtquam conceſſit, quod muneribus utriuſque beneficii teneatur ſatisfacere, circa debitum Horarum, addit: *Debitum quod debet Deo, per ſeipſum debet exolvere; non refert autem quantum ad Deum, quibus pſalmis & hymnis Deum laudet, ut puta utrum dicat in veſperis dixit Dominus, an Laudate pueri, niſi quantum ad hoc quod homo debet ſequi majorum traditiones; & quia laudes Deo debet, quaſi unus homo, ſufficit quod ſemel officium dicat, ſecundum conſuetudinem alicujus Eccleſiarum, quarum eſt Clericus. Sed de electione officii rationabiliter videtur, quod debeat dicere officium illius Eccleſiæ, in qua majorem gradum habet .... Quod ſi in utraq; Eccleſia fuerit ſimplex canonicus, debet dicere officium dignioris Eccleſiæ, quamvis forte in minori Eccleſia habeat opulentiorem præbendam; quia temporalia nullius*

lius momenti ſunt ſpiritualibus comparata. Si vero ambæ Eccleſiæ ſint æqualis dignitatis, poteſt eligere quodcumque officium magis voluerit, ſi fuerit ab utraque Eccleſia abſens; ſi autem fuerit in aliqua earum præſens, debet ſe conformare illis, cum quibus converſatur: en quomodo nil meminit de duplici officio recitando.

* Quemadmodum qui plura poſſidet beneficia, non tenetur plura divina officia recitare, ſed unum dumtaxat; ita ſi officium omittat, non plura peccata committit, ſed unum ſolummodo peccatum perpetrat. Si tamen Beneficiarius ſit ſimul in Sacris conſtitutus, tunc dubio procul duo peccata committit: alterum contra juſtitiam ratione beneficii, alterum adverſus Religionem ratione Sacri Ordinis, ut aſſerit Auctor n. 1. Lege P. Danielem Concina *Theolog. Chriſt. T. 2. Lib. 2. in Decalog. diſſert. 2. c. 7. §. 3. n. 33.*

Non tenetur beneficiarius ad horas ante poſſeſſionem beneficii.

III. Probabilius videtur, quod ſolus titulus beneficii, quod nondum poſſidetur, non inducat obligationem horarum, dummodo a beneficiario non pendeat poſſeſſionem habere: & videtur deduci ex capite *licet Epiſcopus* de prebendis in 6. quia quamvis habendo titulum cum collatione beneficii habeat dominium proprietatis in beneficium ſtatim ac fuit ipſi collatum, non habet tamen dominium utile ejuſdem, niſi illud pacifice poſſideat, & propterea rationabiliter videtur non onerandus gravamine, quod imponitur, & correſpondet dominio utili, & proximæ facultati ad percipiendos fructus.

Quamvis ſtatim fructus non percipiat ſi ſperet tamen ſe percepturum, tenetur.

IV. Qui aſſecutus eſt Beneficium, ſtatim ac cœpit illud pacifice poſſidere, quamvis fructus ſtatim non percipiat, ſperet tamen prudenter ſe recepturum, tenetur ad Horas ſub mortali, ita poſt noſtros Paludanum in 4. diſt. 15. q. 5., & Turrecremata d. 19. q. 14., Suarez & alii. Ratio eſt, quia habet perfecte & complete beneficium; & quamvis ſtatim fructus non percipiat, nihil refert, cum ſit contra naturam talium rerum illas poſſidere ſimul cum fructibus; quorum recipiendorum habeatur ſpes. Eo vel magis, quia poſſidens beneficium, cum ad onera ejuſdem peragenda teneatur, vocem habeat, reſideat &c. onus quoque horarum ſubire debet. Idem quoque intelligas de eo, qui acceptat beneficium cum adnexa penſione etiam omnium fructuum alteri tradendorum, ut docet Suarez loco ſuperius cit. cap. 20., quia volens, ita acceptavit; volenti autem non fit injuria. Præterea ſicut cetera onera perſolvit, & tenetur perſolvere; ita etiam onus horarum: tum denique quia exinde aliquos fructus percipit reſpective, ſive diſtributionum, ſive oblationum ad Altare, ſive exequiarum &c. juxta qualitatem Beneficii. Neque illum excuſare poteſt, etiamſi acceptaſſet ex inſinuatione & mandato Pontificis; quia nihilominus volens acceptavit; & ſi noluiſſet acceptare, ſe eximere potuiſſet. Si autem beneficiarius de Pontificis licentia beneficium alteri reſignet, ſibi tamen reſervet omnes fructus, omniaque onera adimplenda, tenetur etiam ad horas; quia & cetera omnia onera ſuſtinet, & fructibus gaudet. Ita plures apud Suarez loc. citato.

Et quamvis omnes fructus ſub penſione caderent.

Et quamvis pro aliquo tempore ex conſuetudine careret reditibus.

V. Si Canonicus ex conſuetudine (alioquin reprobata a Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 14., & per Conſtitutionem S. Pii V. 106.) privaretur fructibus pro aliquo tempore, ſive applicandis reditibus Epiſcopalibus, ſive diſtribuendis inter alios Canonicos ſeu Beneficiarios, dummodo tamen reciperet diſtributiones inter præſentes, teneretur ad horas etiam eo tempore, quo fructus non percipit; quia cum adminiſtret cetera onera, & gaudeat diſtributionibus, voce in Capitulo &c. tenetur etiam ad onus horarum: ita Suarez loc. citato cum aliis. Et a fortiori teneretur ad horas in caſu, quo ex conſuetudine privaretur fructibus aliquo tempore applicandis vel in funus, vel in ſuffragium ipſius beneficiati, vel ut poſſet de ipſis teſtari in favorem hæredum; & adhuc a fortiori, ut applicentur alicui pio loco, vel fabricæ Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ; vel ad quidpiam ſimile: quia in primis caſibus tandem cederent in commodum ipſius beneficiarii; & in ſecundis caſibus cederent in cultum Dei, quæ conſuetudo non improbatur a Tridentino, quin potius videtur approbari a S. Pio V. in Bulla citata, quamvis moderationem addat: *Ita ut ſi vel fabricæ, vel Sacriſtiæ, vel alterius pii loci uſibus ultra ſemeſtris tempus reperiantur conceſſi* (dicti fructus), *horum dumtaxat dimidia pars ipſi Sacriſtiæ, aut fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, altera m vero beneficiati prædicti integram percipiant.* Ubi autem hæc Pii moderatio non eſt in praxi, nihilominus ad horas tenentur, ut ſupra dixi.

Et multo magis in caſibus hic poſitis.

Si privetur fructibus ex violentia quando teneatur ad horas.

VI. Quando beneficiarius privatur reditibus injuſte per violentiam &c., & diu ſic detinetur: remanet autem ſpes ſaltem dubia illos recuperandi, juxta communem, tenetur ad horas; tum quia, ex-

tante

tante ſpe eſt potius dilatio, quam rapina fructuum; tum etiam quia extat titulus ſicuti ſubeundi alia onera, ita etiam illud horarum; tum denique quia indentidem aliquid percipit, ut ſupra notavimus. Spe autem dubia extante, cum melior ſit conditio Eccleſiæ poſſidentis jus ad horas, Beneficiarius etiam in caſu ſpei dubiæ ad eaſdem tenetur. Quando vero violentia prudenter judicatur perpetua, neque ulla omnino affulgeat ſpes recuperandi, juxta noſtros Cajetanum, Sotum, & Ledeſmam & alios apud Suarez loc. cit. ſuſpenditur ex hoc capite horarum obligatio, quia ceſſat perpetuo ſtipendium, quod eſt motivum, ob quod onus illas recitandi imponitur.

* P. Paulus Gabriel Antoine *tract. de Oblig. cap. 1. q. 3. §. Quid ſi &c. reſp. 1.* ſequentes perceuſet caſus, in quibus beneficium poſſidens tenetur Horas canonicas recitare, quamvis nullos ex illo fructus percipiat. 1. ſi omnes fructus loco penſionis impendat ei, qui ſibi reſignavit, vel Sacerdoti ſubſtituto ad peragenda beneficii onera, 2. Si iis privetur juſte, V. g. quia non reſidet, vel nondum Sacris initiatus eſt, vel ob aliquam culpam. 3. Si illi fructus aliquo caſu perierint, v. g. incendio, ſterilitate, hoſtium ſpoliatione &c. vel ſi hominum injuria pro aliquo tempore auferantur ſine ſpe recuperandi. 4. Si reditus primi vel ſecundi anni ſubtrahantur Beneficiato, ut cedant fabricæ, vel antiquis Canonicis, ut & Auctor aſſerit ſupra.

Tenetur etiam pro beneficio inſufficienti.

VII. Quamvis beneficium ſit adeo tenue, ut neque reddat quartam partem congruæ ſuſtentationis, adhuc, juxta communiorem & probabiliorem, tenetur beneficiarius ad horas. Ratio eſt, quia beneficium ita tenue, adhuc vere eſt beneficium; nam in capite *is cui* de præbendis in 6. fit clara mentio beneficii ſufficientis, ut exinde oſtendat, etiam inſufficiens eſſe beneficium; & capite *collatio* de officio Legati in 6., dicitur, quid ut collatio ſecundi beneficii ſit valida, neceſſe eſt, ut mentio fiat etiam *de alio beneficio*: en ergo quomodo etiam beneficium inſufficiens vere eſt beneficium: ſi igitur tale eſt, habet adnexum onus horarum. Ratio accedit; quia ſciens & volens illud accepit: ſi itaque oneri horarum nolebat ſe ſubjicere, illud recuſare poterat.

Pro quibus miniſteriis ſubeatur onus horarum?

VIII. Quoties fructus beneficii dantur alicui, quamvis clerico, in ſtipendium, ut præſtet actionem temporalem, ex vi talis muneris & ſtipendii non tenetur ad horas. Ita communis; quia Eccleſia non obſtringit niſi habentes beneficia: & alioquin per accidens eſt, quod hujuſmodi perſonæ ſint clerici, cum illa officia præſtari poſſint, & præſtentur etiam a laicis: hujuſmodi ſunt: officia Vicarii ſub ſtipendio adminiſtrantis bona ſui principalis beneficiarii; Capellani habentis capellaniam laicalem, ideſt ſine Epiſcopi, aut Eccleſiæ auctoritate inſtitutam, & quæ a laicis conferri ſolet; Lectoris Theologiæ coram juvenibus Canonicis, dummodo non ſit Canonicus, etiamſi integram præbendam canonicalem recipiat; Sacriſte, dummodo tale miniſterium non ſit ſpeciale Beneficium; & ſimilium.

Ad quid teneantur Penſionarii?

IX. Quoad Penſionarios eſt diſtinguendum; nam ſi penſio ſit laicalis, nempe data quidem ex fructibus beneficii, ſed propter titulum laicis communem, puta in gratitudinem ob præſtita ab ipſo vel a conſanguineis ſervitia Eccleſiæ; ob titulum eleemoſinæ, vel ſimili alio titulo, quamvis ſit penſio perpetua, non affert obligationem horarum; quia non datur ob aliquod ſacrum Miniſterium. Si vero penſio ſit clericalis & poſtulans ſtatum clericalem, ſaltem primam Tonſuram, ita ut conferatur titulo & jure ſpirituali, quamvis hujuſmodi penſionarii jure antiquo non teneantur ad horas canonicas; tenentur tamen ex Conſtitutione S. Pii V. ſub gravi ad officium B. Virginis; dummodo aliunde non teneantur ad horas canonicas, vel titulo Ordinis, vel alterius Beneficii; quia ſi aliunde teneantur ad horas canonicas; eos diſpenſat Suarez loc. cit. cap. 22. n. 6. ab horis Virginis, eo quod, ait ipſe, ſi Sacerdos acquirens beneficium neque obligatur ad horas duplicandas, neque ad horas Virginis; multo minus ad id tenebitur, qui Ordini aut Beneficio adjunctam habet ſolam penſionem. Ratio equidem valida.

Ad quid teneantur Præſtimoniati?

X. Habentes Præſtimonia (quæ ſunt portiones quædam a reditibus Beneficiorum abſtractæ, quæ dari ſolent Canonicis, vel aliis Clericis in vitæ ſubſidium, præſertim ubi litteris ſeu ſtudiis vacant) tenentur, juxta veram ſententiam Soti lib. 10. de Juſt. q. 5. a. 3., Navarri cap. 21. de orat. n. 9., Suarez loc. cit. n. 8., ad horas canonicas: quia Præſtimonia ſunt verum beneficium, collatum titulo ſpeciali ſpirituali, nempe inſerviendi Eccleſiæ: idque probatur ex capite ultimo de conceſs. præbendarum in 6., ubi Præſtimonium aliis beneficiis Eccleſiaſticis acceſetur; & ex capite *Quamvis* de præbendis 6., ubi ſola Penſio a beneficiis Eccleſia-

ſticis.

Digitized by Google

ſticis diſcernitur; igitur inter ea comprehenditur Præſtimonium; ſed aliis textibus omiſſis; clariſſime S. Pius V. in ſuo Motu proprio: *Declarantes, Præſtimonia, Præſtimoniales portiones & qualiacumque alia Beneficia, etiam nullum omnino ſervitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter comprehendi &c.* En manifeſte Præſtimonia Beneficiis accenſita.

* Præſtimonia, ſeu portiones præſtimoniales, cum dantur ſolummodo ad certum tempus in vitæ ſubſidium v. g. durante tempore ſtudiorum, non ſunt beneficium Eccleſiaſticum proprie dictum, ut cenſet Menochius *l. c. n. 57. & 60.*, aliique. Si autem conferantur in titulum, atque in perpetuum, ita ut cum obitu illius, qui accepit, vacent, tunc connumerantur inter Beneficia, proprie dicta, ut idem Menochius aſſerit *loc. cit.* & Garcias *l. c. n.* 117.

Præſtimonia in titulum perpetuum Beneficii data, ſeu collata habent annexum onus ſpirituale recitandi Horas Canonicas; etſi ex ſua inſtitutione nullum ſervitium in Eccleſia habere ſoleant. Præſtimonia autem data ſolummodo ad tempus v. g. durante tempore ſtudiorum, cum ex dictis non ſint proprie Beneficia, habent ſolum ſæpe adjunctum onus orandi quotidie quinquies Pater, & Ave. Legatur P. Lucius Ferraris *V. Præſtimonium, &c.*

Lubet attexere quę habet Auctor *Additionum ad Biblioth.* præcitati P. Lucii Ferraris verb. *Præſtimonium*, nempe quod Præſtimonia licet antiquis temporibus nihil aliud eſſent, quam certæ portiones fructuum, quæ a Capitulis Eccleſiarum præſtabantur iis, qui litteris operam navarent; deinde tamen inter Eccleſiaſtica Beneficia conferri conſueverunt fere ubique, & præſertim in Hiſpania; ita ut obnoxia ſint Apoſtolicis reſervationibus.

An teneantur Capellani collativarij?

XI. Habentes Capellaniam Collativam, ideſt, ut ſupra indicavimus, auctoritate Eccleſiaſtica inſtitutam, quamvis ex bonis a laicis ſubminiſtratis, & jus præſentandi laico reſervetur, tenentur ex vi hujus tituli ad horas canonicas, ut docet communis; quia eſt verum beneficium; eo quod ſit collata perſonæ neceſſario Eccleſiaſticæ, a poteſtate Eccleſiaſtica, cum jure perpetuo ad fructus percipiendos, & aſſerens jus ſpirituale.

An teneantur Commendatarii Beneficiorum.

XII. Commendatarius, qui habet beneficium integre commendatum quoad totam adminiſtrationem ejus, tenetur etiam hoc titulo ad horas canonicas, etiamſi commendatio hujuſmodi non ſit perpetua nec erecta in beneficium: & ratio eſt, quia quamvis hic Commendatarius non obligetur titulo Beneficii a ſe poſſeſſi, obligatur ratione integræ adminiſtrationis, & obligationis, quam acceptavit tanquam ſubſtitutus loco Beneficiarii; ita ut pro eo tempore, quo Commendam retinet, obligatio illa æquivaleat titulo Beneficii quoad omnia onera ejuſdem, inter quæ eſt onus Horarum. Si autem ipſi commendaretur quoad ſola exteriora & publica ſervitia Eccleſiæ, & alter jam beneficium habens, titulum beneficii retineret, commendaretque illi, ut ejus vices obiret, donec V. G. Romam pergat, & inde redeat, tunc iſte haberetur ut mere ſtipendiarius, neque Horarum onere gravaretur, ut etiam ſupra indicavimus nu. 8. Integra adminiſtratio obligans ad Horas ſolet a Pontifice conferri, vel ab Epiſcopo.

An teneatur habens Beneficium Manuale?

XIII. Hinc habens Beneficium manuale ideſt amovibile, tenetur pro eo tempore, quo illud retinet, ad Horas; quia quamvis hoc ſimpliciter nequeat forte dici Beneficium, ſuſcipit tamen ille pro eo tempore in ſe totam Beneficii adminiſtrationem, omniaque onera ejuſdem, quorum unum eſt onus Horarum: Quam obligationem non habet coadjutor conductus a Parocho, aut alio beneficiario: quia onera ut, diximus, manent apud proprietarium; & hic adjutor eſt mere ſtipendiarius.

An teneantur Coadjutores Canonicorum?

XIV. Coadjutores Canonicorum, qui ſuccedunt ipſo facto poſt mortem Canonici in eodem gradu, & fruuntur aliqua portione redituum Beneficii, habent ſedem in choro, & vocem in Capitulo, non videntur obligari ex vi coadjutoriæ ad Horas; ita multi apud Suarez num. 19. Tum quia obligatio recitandi afficit ipſum proprietarium: ergo non coadjutorem, ex eodem enim Beneficio non conſurgit obligatio in duobus. Tum etiam quia coadjutoria non eſt beneficium, ut omnes docent, teſte Navarro in capite *ſi quando* de reſcriptis prælud. 5. n. 10. & quamvis conferat jus ad beneficium, non tamen eſt beneficium, cum duo nequeant eſſe proprietarii ejuſdem Beneficii: & propterea vocem, quam habent in Capitulo, habent ex conceſſione loco ſui proprietarii. Tenentur tamen ad Officium B. Virginis, dummodo penſionem habeant ex Beneficio aut ſui Coadjuti, aut alterius, quia comprehenderentur in laudata S. Pii Conſtitutione.

§. III.

III. *De modo ſervando in recitatione Horarum in Choro.*

Obligatio canendi in choro alta voce.

I. CAnonici, aliique ſtipendio ducti tenentur ſub mortali alta voce canere in choro, niſi legitimum habeant impedimentum; & eſt communis, quia ipſis id imponitur ex juſtitia, cum propter hoc beneficium, aut ſtipendium eiſdem conferatur: unde ſi notabiliter deſinant canere alta voce, lethaliter peccant. Immo juxta graves Doctores apud Suarez cap. 13. n. 5. & 6. neque ſatisfacit choro, & graviter peccat pro ratione materiæ ille, qui partem ſuam in choro non canit, quamvis habeat animum recitandi privatè extra chorum; eo quod defectus ille concurrendi cum choro ad cantum ab illo qui ad id tenetur, nunquam ſuppletur, ut patet; niſi forte ſuppleatur adeundo chorum, & canendo illis diebus, quibus eſſet legitime diſpenſatus: & tunc non tam eſſet ſuppletio, quam commutatio quædam temporis canendi in choro.

Sententiam Auctoris nempe quod Canonici, aliique ſtipendio ducti teneantur ſub mortali alta voce canere in Choro confirmavit S. P. Benedictus XIV. in ſua Conſt. *Cum ſemper* directa ad univerſos Italiæ Patriarchas, Archiepiſcopos, & Locorum Ordinarios, quæ extat in Bullario *Tom.* 1. *n.* 103. *pag.* 366. In ea §. 24. declarat, Canonicorum eorum opinionem, qui contendunt, ſe munus ſuum implere, dum Choro præſentes aſſiſtunt, licet ipſi ſileant, neque aliis pſallentibus in cantu ſe adjungant, a Sacra Congregatione Concilii exploſam & improbatam fuiſſe; quamvis præſumptis conſuetudinibus, aliiſque fundamentis innixa perhiberentur; ideoque niſi illis, qui ita ſe gerunt, præſto ſit legitimum, ac vigens Apoſtolicum indultum ſeu privilegium, verendum eſſe, ne præbendarum ac diſtributionum fructus minime ſuos faciant, &, quod inde ſequitur, ad eorum reſtitutionem teneantur. Huic rei idem Summus Pontifex ultimam manum impoſuit in ſuo Brevi dato ad Patriarcham Aquilejenſem Danielem Delphinum anno 1748. die 19. Jan. cujus initium eſt *Dilecte Fili ... Præclara decora*: ſiquidem in hoc non ſolum confirmat, quæ dixit in laudata Conſtitutione; ſed & omnem de medio aufert ambiguitatem, omnemque ad effugium rimam occludit. Quippe ſi in priori Conſtitutione cenſuit verendum eſſe jure ac merito, ne Canonici, qui perſuaſum habent, ſe muneri ſuo ſatisfacere per ſimplicem in Choro aſſiſtentiam abſque divinæ pſalmodiæ cantu, præbendarum, ac diſtributionum fructus minime ſuos faciant, & conſequenter ne ad eorum reſtitutionem teneantur; in hoc poſtremo diplomate aperte, & abſolute pronuntiat, *Canonicos Choro quidem intereſſentes adſiſtenteſque, minime vero canentes pſallenteſve nullo pacto ex Præbendis, & diſtributionibus facere fructus ſuos, atque reſtitutioni obnoxios eſſe & fore.* Legeſis etiam ejuſdem Pontificis Inſtitutionem 107. §. 3. n. 16. in qua dum adhuc erat Archiepiſcopus Bononienſis fuſe oſtendit, oppoſitam opinionem & Pontificiæ auctoritati, & Conciliis, præſertim ſanctioni Tridentini repugnare.

II. Quamvis qui ſubmiſſa voce dicit horas non ſatisfaciat choro, dubitatur, an ſatisfaciat privatæ ſuæ obligationi horarum, dum alii ex ſua parte ſtantes alta voce proferunt? Negative reſpondet Cajetanus tom. 1. opuſc. tract. ultimo reſp. 8. idemque repetit in Summula verbo *Horæ* §. ultimo, quem ſecuti ſunt Navarrus, & Armilla; & duas rationes affert: prima, quia non communicat alteri choro; recitat enim ſibi tantum, & non aliis; cum igitur præceptum impleatur per mutuam plurium communicationem, quando a pluribus recitatur; qui non communicat, nequidem ſatisfaciet privatæ ſuæ obligationi. Secunda: ut ſatisfaciat dicendo cum multis, oportet ut partem ſuam proferat prout eſt pars illius totius choralis; dum autem profert tantum ſibi, non profert ut pars formalis illius totius, ſed ſibi tantum & materialiter cum aliis; igitur non ſatisfacit. Alii e contra cum Suarez affirmant, obligationi ſuæ privatæ ſatisfacere; quia quamvis ego aliis non communicem partem meam, illi tamen mihi communicant partem ſuam, & quamvis illi non dicant totum officium mecum; ego illud totum dico ſecum; nam revera dico partem meam, & ab illis accipio partem ſuam; ut enim ego hanc vere accipiam, non eſt neceſſe, ut & illi accipiant meam; non enim eſt relatio mutua reſpectu ſingulorum, ſed dumtaxat reſpectu illius communitatis choralis, unde quamvis revera non ſatisfaciam choro, ſatisfacio oneri meo ſingulari, quia & porro partem meam, & accipio partem aliorum. Addunt; ſi quinque dicant horas, & ex

An ſatisfaciat ſuæ obligationi privatæ qui ſubmiſſe dicit in choro partem ſuam?

Digitized by Google

& ex una parte ſint tres, duo habentes vocem ita tonantem, & tertius adeo exilem, ut nihil omnino audiatur a duobus ex adverſo ſtantibus, nonne ille exilis vocis ſatisfaceret, quamvis a choro duorum non audiatur? nemo ambigit: at unde hoc? niſi quia ipſe & ponit partem ſuam, & accipit audiendo partem aliorum? ita plane in caſu noſtro. Et ex his ſolvere contendunt motiva Cajetani: primum quidem, quia quamvis ipſe non audiatur, audit tamen alios, quod ſufficit ad ponendum quantum ipſe privatè tenetur: Nam ſi quis recitaret ſimul cum ſurdo, qui diceret ſuam partem dum videt alterum non amplius labia movere, ceterum nil illum audiret, non ne alter audiens ſatisfaceret? ita in caſu: quia in utroque caſu audiens ponit quantum debet. Secundum autem ſolvunt, concedendo quidem, quod non proferret partem officii ut choralis & ſolemnis, negando quod non proferret partem officii requiſitam a recitatione privata & ſingulari. Immo inſtant contra Cajetanum, qui hæc profert in ſummula loc. cit. *Si tamen intelligerem, quod viri timorati conſueverunt ſic facere, dicerem quod conſuetudo bonorum optima eſt legum interpres:* atqui ſi rationes ab eo adductæ concluderent, nulla conſuetudine oppoſitum facere liceret: quia rationes illæ concludunt, quod recitare præfato modo ſit non integre recitare officium; nulla autem conſuetudine licitum fieri poteſt, ne integrum recitetur officium; vel igitur non concludunt: vel ſi concludunt, non bene concedit Cajetanus, quod piorum conſuetudine ad licitum fieri poſſit. Inter ambas iſtas opiniones æquali fere probabilitatis gradu gaudentes, propendo in hanc ſecundam.

Omiſſio unius horæ choralis eſt lethalis.

III. In Eccleſiis Collegiatis publico choro obſtrictis etiam unicam omittere horam eſt lethale, juxta communem; quia notabiliter violaretur cultus ab illo choro Deo debitus. Neque Epiſcopus quoad hoc diſpenſare poteſt, niſi ex cauſa adeo urgente, ut manifeſtet præceptum publice recitandi non amplius obligare. Immo & omiſſio alicujus partis quamvis non magnæ, tamen notabilis ob ſui dignitatem, puta Cantici Magnificat, judicatur in choro lethalis, ob gravem deordinationem chorali pſalmodiæ reſultantem. De culpa vero, quæ committitur mutilando divinum Officium in Choro, vel aliquid aliud, ſpecialiter diſſerit doctiſſimus Suarez Tom. 13. Lib. 4. cap. 13.

Choro adſtrictus quando peccet graviter ſine cauſa ſe abſentando?

IV. Quando Canonicus choro obſtrictus, & voluntarie abſens, peccet mortaliter, varia eſt Doctorum opinio: laudatus Suarez loc. cit. num. 8. hæc profert: nec propter abſentiam unius horæ integræ a choro videtur ſtatim peccare mortaliter; immo aliqui docti exiſtimant, etiam unius diei abſentiam non eſſe rem gravem, quando regulariter ſervitium chori diligenter & ſtrenue fit; nam Graffis cap. 52. ait, ſemel & bis choro deeſſe non eſſe mortale; idemque ſentit Sylveſter verbo horæ q. 2. cap. 4. Ego vero nolo eſſe fautor hujus licentiæ, neque judicium meum interponere; nam difficile profecto eſt in his rebus moralibus in particulari definitum arbitrium proferre; & ideo conſulo, ut hæc licentia non facile vel frequenter ſumatur, quia eſt grave periculum peccandi mortaliter: hæc ille doctiſſimus. Videas igitur quam caute ſe gerere debeat beneficiarius choro adſtrictus, ſe a choro abſque legitima cauſa diſpenſando, ne periculo mortalis peccati exponatur.

Ad ſatisfaciendum obligationi etiam chorali requiritur attentio interna.

V. Probabilius & communius docetur, etiam pro recitatione in choro, neceſſariam eſſe attentionem internam, ut obſtrictus ſatisfaciat obligationi chorali. Probatur ex capite *dolentes* de celebr. Miſſ. ubi dicitur: *Diſtricte præcipientes in virtute obedientiæ, ut officium Divinum nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſe celebrent pariter & devote.* Quæ verba in primis ſignificant præceptum grave; nam diſtricte præcipere in virtute obedientiæ, eſt uſitatus ille loquendi modus, quo Superior ſub mortali aliquid præcipit. Quid autem jubet? *ut Officium* in choro, præceptum namque dirigitur ad choro obſtrictos; *ut Officium ſtudioſe ac devote celebretur*: atqui admittens voluntarias diſtractiones devote non celebrat; cum devote, & diſtracte voluntarie ſibi invicem contradicant; ſicuti ly ſtudioſe repugnat mutilationibus aliiſque modis integritatem lædentibus: igitur qui diſtractione voluntaria notabili in choro celebrat horas, ſuæ obligationi non ſatisfacit in choro, neque debito horarum, & ad reſtitutionem reſpective tenetur. Quidam tamen id moderantur dicentes, quod ſi diſtractus voluntarie, canat; cum ſerviat choro ſervitio humano & corporali, non peccet graviter contra juſtitiam, & idcirco non teneatur ad reſtitutionem, (dummodo tamen ſeorſim attente repe-

Quid dicendum circa reſtitutionem pro rata?

Digitized by Google

eat, quæ diſtractione voluntaria cecinit) ſed peccet duntaxat graviter contra religionem & obedientiam, quia contra relatum præceptum. Idque confirmant ex Conc. Lateran. ſuperius citato, a quo reſtitutio imponitur *non recitantibus* nil dicendo de non attendentibus: necnon ex S. Pio V. ſuperius laudato, qui ſimiliter reſtitutionis obligatione onerat *non recitantes*.

An teneantur ſupplere qui nonnulla omittunt ut choro inſerviant, vel non percipiunt?

VI. Qui prævidet quæ canenda ſunt, ne deordinatio aliqua oriatur, qui thura parant, organa pulſant, aliaque præſtant in ſervitium chori, & interea omittunt quæ alii canunt, tenentur omiſſa privatim ſupplere juxta Navarrum de orat. c. 22. & alios, contra recentiores, qui nedum indicatos, verum etiam illos qui ſolles elevant, & campanas pulſant mira liberalitate a ſupplendo diſpenſant, quamvis etiam notabilem partem omittant. Ratio noſtra eſt, quia facillime vel prævenire poſſunt, vel poſtea ſupplere, ne integritatem ad quam tenentur graviter lædant; cum alioquin actiones ſupradictæ ſint onera conſueta & debita ab inſervientibus & obſtrictis choro. Addendum, quod plerumque actiones morulam longiuſculam exigentes V. G. prævifio canendorum, præveniri debuerunt, ne tempore recitationis omitteretur recitatio. Qui vero legentem non bene percipit, vel ob exilitatem vocis, vel ob ſtructuram chori nimium reſonantis, dummodo per ipſum non ſtet, quominus omnia audiat & percipiat, & diligentiam adhibeat ad percipiendum, ad nil ſupplendum teneri docet Tamburinus lib. 2. Decal. c. 5. §. 4. n. 12., quia hoc modo ſe gerendo præſtat quantum poteſt; idque forte verum eſt ſi modica ſint, & ſparſim poſita, quæ non percipiuntur; ſed ſi ea ſint notabilia, videtur quod ſupplere teneatur, ſi non pro obligatione chorali, ſaltem pro privata; qui ex juribus relatis videtur non ſufficere attentio ad ſonum vocis, ſed ad verborum prolationem & perceptionem.

* Haud dubie qui prævident quæ canenda ſunt, qui thura parant, qui organa pulſant, aliaque præſtant in ſervitium Chori, ſi interea omittant quæ alii canunt, tenentur omiſſa privatim ſupplere, ſi omiſſa notabile quid conſtituant & in tali caſu ni ſuppleant, peccant venialiter, vel lethaliter pro quantitate eorum, quæ omiſſa ſunt: at minime tenentur ſupplere ſi ob ea exercitia paucos aliquot verſus duntaxat omittant, qui non poſſunt facile reſumi. Hoc clare colligitur ex Innocentio IV. qui in c. 9. *De celebr. Miſſarum* hæc habet: *Si aliquem verſum omittat, non peccat; nec etiam a capite Pſalmi propter hoc revertendum eſt: quia, ſi fieret, poſſet aliquibus ſcandalum generari ſine magna cauſa*. Si igitur S. P. abſolute pronunciat non peccare qui verſum aliquem omittit, neque a capite Pſalmi propter hoc debere ipſum reverti, multo magis a peccato immunes cenſendi ſunt, neque ad ſupplendum obligari exiſtimandum eſt, qui præfatis exercitiis occupati, paucos verſus omittunt. Non ſolum autem Tamburini, aliorumque; ſed & S. Antonini ſententia eſt, ad nil ſupplendum adſtringi qui legentem non bene percipit vel ob exilitatem vocis legentis, vel ob ſtructuram Chori nimium reſonantis, dummodo per ipſum non ſtet, quominus omnia audiat, & percipiat, & diligentiam adhibeat ad percipiendum. En S. Præſulis verba *part. 2. tit. 9. cap. 12. §. 3. Si quis ergo* (ſic concludit ipſe relatam Innocentii opinionem, *quod non peccet qui in divinis officiis aſſiſtens, illud quod dicit non intelligit, dummodo alias cor ad Deum habeat, & illi pſallat*) *lectionem, vel aliud quod in Choro legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat, dummodo conetur intelligere ſaltem verba. Sed ſi propter mentis evagationem non intelligit quæ dicit, vel audit, non eſt abſque culpa negligentiæ aliqua*. Itaque juxta S. Antoninum non peccat qui aliquid, quod in Choro legitur, non intelligit, modo conetur intelligere ſaltem verba; ac proinde ſuæ ſatisfacit obligationi, nec ad ſupplendum tenetur. Solum culpæ expers non eſt, quando propter voluntariam mentis evagationem non intelligit quæ dicit vel audit; & in tali caſu debere ipſum ſupplere dubium non eſt.

Placet hic adjungere doctrinam, quam tractant PP. Salmanticenſes *tract. 16. cap. 1. punct. 3. n. 18.* Illud autem, *ajunt*, ut certum ducimus, quod ſi ſemel in Choro præter intentionem, bona fide, aut propter errorem, vel inadvertentiam, aliquid prætermittitur, vel mutatur, ut ſi una Homilia loco alterius vel una Oratio alterius loco recitetur, vel certe prætermiſſa ſunt; nec tunc, nec poſtea debent in Choro repeti (privatim faciant quidquid voluerint.) Quia jam Chori obligationi ſatisfactum eſt, & licet ex advertentia aliquid omittere ſit veniale; ex

er-

Digitized by Google

errore vel inadvertentia, nullum. Tunc autem illud repetere eſſet confuſionem parere, officium interrumpere, & notam ex ſe cauſare; poſtea ad nihil prodeſt, cum obligatio Chori non ſit ſicut privata, ut invertendo officium poſſit ſupplere defectus; ſed ſolum eſt, ut Officium debitis circumſtantiis perſolvatur, quibus deficientibus ſuo loco, poſtea ea ſupplere ad nihil niſi ad notam & confuſionem deſervit, & forte ad ſcandalum &c.

Servandum tempus in recitatione chorali.

VII. Celebratio officii in choro Cathedralium & Collegiatarum peragenda eſt temporibus, & horis a legitima conſuetudine præſcriptis; ita ut ſub mortali non liceat ea tempora notabiliter prætergredi. Ita Sylveſter, Tabiena, Angelus, Navarrus apud Suarez cap. 15. num. 12. Et deducitur ex cap. 1., & ex Clement. 1. de celebrat. Miſſ., ubi præcipitur congruitas temporis. Addunt tamen, poſſe Epiſcopum ob rationabilem cauſam ſuper hac temporis circumſtantia diſpenſare.

§. IV. *De recitatione privata.*

Quo Breviario quiſque teneatur uti?

I. EX communi, quilibet divino officio obſtrictus tenetur illud recitare juxta Breviarium in ſua Diœceſi, aut Religione approbatum, aliter non ſatisfacit obligationi ſuæ. Deducitur ex cap. *de iis*, & ex cap. *placuit* d. 12. Item unuſquiſque tenetur uti Breviario juxta formam a S. Pio V., Clem. VIII., & Urbano VIII. præſcriptam, ut patet ex Bullis eorumdem, aliter non ſatisfacit obligationi; illis dumtaxat *exceptis*, quod S. Pius excipit, nempe *Capitulis & Monaſteriis, quæ a ducentis annis fuerunt uſi alio Breviario*. Nemini autem particulari horum exceptorum licet uti Breviario ab indicatis Pontificibus approbato, niſi de conſenſu reſpective Epiſcopi cum ſuo Capitulo; vel ſuæ Religionis: ita probabilior contra nonnullos: ſic namque declaravit Sacr. Congregatio apud Garziam de Beneficiis p. 3. c. 1. n. 155., quæ de hoc conſulta, reſpondit: *Habentes Breviarium ante ducentos annos inſtitutum, non ſatisfacere recitando, etiam extra chorum, juxta formam Breviarii novi Pii V., ſi hoc in ſua Eccleſia non fuerit receptum de conſenſu Epiſcopi & Capituli*. Et propterea ſingulæ Religiones alium ritum obſervantes, gaudent ſuis privilegiis Summorum Pontificum.

Ad quod officium teneatur, qui in uno loco habitat, & in alio beneficium habet?

II. Clericus habens in Eccleſia unius Diœceſis Beneficium, & reſidens in altera Diœceſi, ubi eſt diverſum officium, probabilius tenetur ad officium Diœceſis in qua reſidet. Tum quia valde condecens eſt, ſe conformare honeſtis moribus illorum cum quibus vivitur. Tum quia fortius eſt vinculum Domicilii, quam Beneficii; nam ex terminis illud eſt beneficium non obligans ad reſidentiam. Neque oppoſitum docet S. Thomas a nobis citatus in §. 2. n. 2. quia loquitur de habente plura beneficia, ut ſtatim videbitur. Unde ob dictam rationem Clericus unius Diœceſis commorans ſtudiorum cauſa in altera Diœceſi, tenetur hujus officio ſe conformare; quia tunc in hac domicilium habet. Si autem ambo iſti Clerici bona fide ſe conformarent ſuæ Diœceſi, gravis peccati non eſſent accuſandi.

Habens duplex beneficium in diverſis eccleſiis.

III. Habens plura Beneficia in diſtinctis Eccleſiis quomodo ſe gerere debeat in perſolutione Horarum, vide S. Thomam in dudum laudato §. 2. n. 2.

Mutare officium non licet.

IV. Juxta S. Antoninum p. 2. tit. 9. c. 12. quem ſequuntur Bellarminus, Vaſquez, Suarez, & alii, lethale eſt mutare officium diei cum altero aut notabiliter diverſo, aut notabiliter breviore. Et de notabiliter breviore extat theſis 34. damnata ab Alex. VII. quæ dicebat: *In die Palmarum recitans officium Paſchale, ſatisfacit præcepto*: patet enim quam graviter læderet integritatem. Quoad notabilem diverſitatem autem ex eo probatur, quod eſt in præcepto nedum officium canonicum, ſed etiam modus illius perſolvendi; qui modus profecto notabiliter alteratur, ſubſtituendo voluntarie officium alterum, loco illius quod celebrari debet. Hinc qui inadvertenter erravit, unum pro altero recitando, ſuppleat in quo erravit. Si tamen ſupplere non poſſit, niſi nimium deformando Officii ordinem, integrum communem Officium perſolvat.

Lubet adjicere quæ ad rem hanc habet Petrus Collet. *Part. 2. de Relig. Cap. 2. Sect. 3. q. 4.* Si quis, *inquit*, incaute,
„ & inadvertenter, modo inadvertentia
„ hæc culpabilis non ſit, unum officium
„ pro alio recitaverit, communior, & pro-
„ babilior docet, eum non teneri ad repe-
„ tendum, ſi errorem non animadvertat,
„ niſi poſt peractam totius officii recita-
„ tionem. Si vero poſt recitatum v. g.
„ Matutinum errorem detegat, probabi-
„ lius crediderim cum Card. de Lugo, &
„ Ethica amoris *Lib. 10. cap. 21.* reſi-
„ duum ex illius diei officio, poſſe & de-

„ bere recitari ex benigna interpretatione „ mentis Eccleſiæ. Quod ſi officium jam „ recitatum longe brevius eſſet eo, quod „ recitandum erat, ſequendum eſt id quod „ docent Layman *Lib. 4. Tract. 1. cap. 5.* „ Bonacina & alii, nempe ut debita fiat „ compenſatio: unde qui loco officii Do- „ minicæ octodecim pſalmos continentis, „ officium feciſſet de Sancto, deberet pſal- „ mos novem primi Nocturni Dominicæ „ recitare, ne tanta ſubſit inæqualitas; „ immo melius fuerit vel totum repetere, „ ſi officium totaliter differat, vel id ſup- „ plere quod ſuppleri poteſt, ut capitula, „ lectiones, reſponſoria; modo tamen id „ ſine gravi incommodo fieri poſſit: hoc „ tamen ſub pœna peccati neceſſarium eſſe „ non puto, & ita judicant viri ſcientia „ & pietate conſpicui. "

Invertere ordinem horarum, quando ſit peccatum?

V. Invertere ordinem hoc modo, quod incipiatur officium craſtinum, ante perſolutum hodiernum, ſi abſque ulla intempeſtiva præventione, aut nimia dilatione hodierni fiat; & præcipue ſi ex aliquo honeſto motivo, nullum peccatum committi, mihi probabilius apparet, quia nullus defectus committitur neque contra hodiernum officium, neque contra craſtinum: non contra hodiernum, quia & ſuis temporibus recitatur, & ordo partium ejuſdem ſervatur: non contra craſtinum, quia jus jam poſſidet recitandi matutinas craſtinas veſpere hodierno: unde igitur peccatum veniale quod communiter aſſeritur? unde lex id prohibens? Inverſio autem horarum ejuſdem diei ſine cauſa facta, nimis manifeſte eſt peccatum veniale, eo gravius, quod major eſt; quia violat ordinem divini cultus ab Eccleſia præſcriptum. Dixi ſine cauſa, quia ſi fiat vel ob motivum concurrendi cum aliis ad chorum, habito antea impedimento; vel ob motivum habendi ſocium qui adjuvet phantaſiam ſcrupulis vexatam &c., nullum erit peccatum. Invertere demum partes ejuſdem horæ advertenter & deliberate abſque ulla cauſa, non vacat a mortali; quia implicitum contemptum involvit ordinis ab Eccleſia ſtatuti. Dixi abſque ulla cauſa; quia ſi V. G. carens Breviario, & prævidens ſibi deficiendum tempus ordinate recitandi dum habuerit Breviarium, interea dicat memoriter omnes pſalmos cum antiphonis, & reſponſoriis; reſervans lectiones, habito Breviario, legendas, non peccat; quia præſtat id quod poteſt.

Oppoſitum poſt Doctores plures ſuſtinent Salmanticenſes *Tract. 16. de Horis Canon. cap. 3. punct. 2. n. 10.* qui hiſce verbis difficultatem hanc proponunt, atque reſolvunt: „ An vero, *inquiunt*, ſit peccatum mortale in eadem hora ordinem invertere, ut prius in Matutino Lectiones „ perlegere quam Pſalmos recitare, Laudes ante Matutinum dicere, & poſtea „ ſimul Lectiones, unum Pſalmum ante „ alium recitare, Preces, Antiphonas, „ aut Capitula ante Pſalmos dicere, &c. „ Reſpondetur, non eſſe peccatum mortale, „ etiamſi abſque cauſa fiat, ſi cum illa „ nec veniale; erit tamen veniale hæc inverſio abſque cauſa facta, & quidem „ gravius quam ipſas horas inter ſe invertere. Quod autem hoc non ſit mortale „ (ſecluſo ſcandalo & contemptu) probatur, quia partes cujuſlibet horæ ſeorſim „ ſumptæ habent completam ſignificationem, nec una ab alia dependet, & uniuntur potius per aggregationem, quam per „ continuationem, cui aggregationi non „ obſtat hæc inverſio, & mutatio ". Sic illi.

Non eſt lethale celebrare Miſſam ante perſolutas matutinas.

VI. Probabilius videtur cum Sylveſtro, & Soto, & aliis multis, contra alios, quod celebrare Miſſam non perſolutis matutinis, quamvis abſque ullo honeſto motivo, ſit quidem veniale graviſſimum, nequaquam mortale. Ratio eſt, quia non extat hac de re præceptum neque ab Eccleſia impoſitum, neque conſuetudine introductum; nam quoad præceptum, nullibi invenitur. Dices, inveniri in Miſſali Romano, ubi in titulo de defectibus in celebratione Miſſæ c. 10. dicitur: *Si celebrans ſaltem matutinum cum laudibus non dixerit*: cum autem hæc verba ibi proferantur relative ad c. 1. in quo dicitur: *Alii vero ſunt defectus qui in Miſſæ celebratione occurrentes, etſi veritatem Sacramenti non impediant, poſſunt tamen cum peccato, aut ſcandalo contingere*; igitur celebrare ante Matutinum perſolutum, erit cum peccato. Reſpondeo: cum peccato aut veniali aut mortali concedo, ſemper mortali ſubdiſtinguo: ſi fiat cum contemptu, aut ſcandalo, concedo; ſi ex ſola negligentia, nego conſequentiam: & retorqueo argumentum: Ex eodem Miſſali & dicto titulo cap. 8. recenſentur defectus diſpoſitionis animæ in miniſtro, neque inter eos recenſetur omiſſio Matutini: igitur ex eodem Miſſali recitatio Matutini non judicatur diſpoſitio neceſſaria, quæ ſine mortali prætermitti nequeat; vel ergo deficit Miſſale cit. c. 8. in

re

re graviſſima; vel non eſt mortalis dicta omiſſio. Item in eodem Miſſali præſcribitur, quod ante celebrationem Sacerdos aliquo ſaltem brevi tempore orationi vacet, quod tamen a nemine dicitur juſſum ſub mortali; igitur neque Matutini perſolutio, eo quod horarum perſolutio non eſt per ſe intenta, ut ſit præparatio ad Miſſam, ſed eſt intenta ad Deum colendum, ſi privata; & ad populos etiam ad Deum benedicendum excitandos, ſi publica: cum igitur magis per ſe connectatur cum Miſſa præparatio brevis ſaltem orationis, quam horarum recitatio; & nihilominus omiſſio orationis non eſt lethalis, multo minus erit omiſſio Matutini. Immo etiamſi concederetur (quod tamen non conſtat) recitationem Matutini intentam eſſe, ut quid ordinatum ad celebrationem, ita ut una debeat alteri ſuccedere; nihilominus inverſio talis ordinis nequiret rationabiliter redargui ut mortalis. Etenim certum eſt, in horis canonicis inter ſe invicem magis intentum fuiſſe ordinem, quam inter matutinas & Miſſæ celebrationem, quandoquidem horæ ſunt unum totum integrale, quod non verificatur de matutinis & celebratione: & tamen, juxta omnes, inverſio ordinis horarum ex ſe non eſt lethalis; igitur multo minus inverſio prædicta. Quod vero neque ex conſuetudine hæc inverſio ſit gravis ex eo probatur; quia non ſufficit ad inducendam ex conſuetudine obligationem ſub gravi, quod ita conſueverit fieri, ſed inſuper quod conſueverit fieri eo animo, eaque intentione introducendi, & firmandi obligationem, ut vidimus in Capite de legibus §. 12., & omnes fatentur; atqui nunquam oſtendetur, hanc conſuetudinem fuiſſe tali animo obſervatam aut obſervari, ſed dumtaxat quia tempus talium actionum ita poſtulare videtur; nam matutinæ perſolvuntur nocturno tempore, celebratio vero Miſſæ diurno; & proinde ſi plerumque illæ præmittuntur iſti, id non fit animo firmandi obligationem, aut conſuetudinem obligantem, cum multi doctiſſimi eam non receperint, neque recipiant. Neque ſufficit aſſerere conſuetudinem obligantem, niſi probetur, ut docet etiam Navarrus ſuper caput *placuit* diſt. 6. n. 186., alioquin in hoc nobis adverſarius. Loquimur autem dumtaxat de recitatione privata; nam de chorali aliter eſſet dicendum.

VII. Matutinum poſſe in privata recitatione a Laudibus ſeparari probabilius videtur: etenim apud plures doctiſſimos de Divinis Officiis Scriptores, Amalarium, Rabanum, Rupertum, Rodulphum, & Hugonem Victorinum, nec non ab Archidiac. in cap. *presbyter*. 91. a Cardinali Turrecremata ibidem q. 1., & a Navarro in Enchiridio de oration. cap. 3. n. 27., octo enumerantur horæ canonicæ, & ſecundum hanc horarum enumerationem, indubitabile eſt, licitam eſſe dictam ſeparationem. Licita nihilominus verificatur, etiamſi ſeptem enumerentur, ut communiter fit; quia primæva inſtitutio & antiquus mos fuit, illas ſeparare; & propterea octo enumerabantur: neque modo extat ulla prohibitio in contrarium. Advertat autem qui ita dividit, concludere matutinas cum Te Deum, ſi dici debeat, cum oratione, & Pater noſter. In publica autem & chorali recitatione ſtandum eſt conſuetudinibus locorum, quas ſine gravi reatu prætergredi nequimus. Dividere autem nocturnos ſine ulla cauſa, & per tempus non enormiter longum: putarem cum multis non eſſe mortale, cum ſint quædam partes velut in ſe conſiſtentes, & completæ. Immo ſeverus ille ſcriptor Henricus a S. Ignatio, abſque ulla limitatione, poſſe ſeparari docet lib. 10. c. 23. n. 156.

Licet dividere Matutinum a Laudibus in recitatione privata.

In publica, ſtandum conſuetudini.

VIII. Probabilius & communius eſt, quod interrumpens eamdem horam voluntarie, & ſine ulla honeſta cauſa, atque ad tempus ita prolixum, ut apud prudentes diſcontinuetur totum illud morale & integrale, quale eſt unaquæque hora, peccet lethaliter, niſi totam repetat; Quia nedum committitur notabilis irreverentia Divinæ Majeſtati in cultu alioquin debito; verum etiam non ſatisfit obligationi horarum; quæ in eo conſiſtit, ut taliter recitetur officium, ut ſingulæ horæ remaneant quid unum morale Deo oblatum: atqui ſejungens præfato modo aliquam horam, efficit, ut nequeat amplius reputari unum quid morale, quia unitas moralis conſurgit ex coadunatione partium moraliter conjunctarum; quando autem intervenit adeo longa ſejunctio, imperceptibilis eſt moralis conjunctio; ergo neque totalitas, neque unitas integralis: immo quis cordatus excuſabit talem modum laudandi Divinam Majeſtatem, prece ſtricte debita, a manifeſto contemptu?

Sejunctio partium ejuſdem horæ quando lethalis?

IX. Quamvis licita ſit & commendabilis alterna & bina horarum recitatio, non tamen terna vel quaterna, ut ſinguli unum ver-

Quomodo alternatim dicendum?

verſum dicant: quia eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ, nec perſolverent quantum debent: ſint igitur quot velint, duo tantum chori fieri poſſunt, & bina tantum alternatio. Lectiones poſſunt ab uno recitari, & ab altero Reſponſoria, ab alio Antiphonæ, vel ab eodem qui Reſponſoria legit. Debet autem tam ſolus recitans, quam alternatim recitantes, ita recitare, *ut non in gutture, neque inter dentes, ſeu deglutiendo, ac ſyncopando dictiones, ... ſed verbis diſtinctis peragant*, ait Conc. Baſile. ſeſſ. 21. §. 4. unde qui his indecentibus modis plura modica obtruncaret, ita ut tandem notabilis pars ex omnibus omiſſis in unum collectis aſſurgeret, graviter peccaret, juxta omnes: ſi autem tanta non ſit, veniale. Heu quot venialia a plurimis committuntur! immo & mortalia, ſi non certa, ſaltem dubia?

Qua integritate?

Quanta omiſſio lædat notabiliter integritatem?

X. Omittere aliquam horam quantumvis parvam, juxta omnes eſt lethale; tum quia unaquæque hora eſt pars notabilis reſpectu totius Officii; unde poſſit etiam ſeorſim præcipi ſub gravi; tum quia notabiliter deformat coordinationem in officio ab Eccleſia diſpoſitam. Probabilius videtur quod quantitas medietatis circiter unius horæ parvæ, puta Tertiæ, voluntarie omiſſa, ſit ſufficiens ad lethale; quia etiam iſta omiſſio notabiliter deformare videtur pulchritudinem coordinationis in officio. Quapropter gravitas omiſſionis non eſt pendenda reſpective ad horam aliquam, ut putant aliqui dicentes, quod quarta pars unius horæ non ſit materia gravis: quia hoc modo quarta pars matutini dominicalis non eſſet gravis omiſſio, cum tamen excedat quantitatem integrarum Veſperarum, quæ a nemine levis reputatur: eſt igitur gravitas omiſſionis pendenda in ſe, & quæ reſpectu ſingularum horarum verificari queat: hæc autem videtur eſſe quantitas perveniens ad latitudinem dimidiæ circiter horæ parvæ.

Omittens horas quot peccata committit?

XI. Omittens omnes horas unius diei non ſeptem peccata, ſed unum tantum committit lethale æquivalens ſeptem lethalibus minoribus; quia probabilius non ſunt ſeptem præcepta, ſed unum dumtaxat, comprehendens totum officium, quod eſt una res tantum, unumque totum partibus aſſurgens. Tenetur tamen omittens confiteri quot horas omiſerit; quia pluralitas alterat notabiliter judicium ſacramentale, & eſt circumſtantia in infinitum aggravans.

Quo tempore horæ perſolvendæ?

XII. Tempus horarum private perſolvendarum, ne graviter peccetur, eſt totum tempus diei naturalis, nempe a puncto tranſacto mediæ noctis diei præteritæ uſque ad punctum mediæ noctis diei præſentis, & patet ex cap. 1. de celebrat. Miſſ. Tempus itaque neceſſario obſervandum juxta partitionem conſuetam obligat ſub gravi ſolum pro celebratione & recitatione chorali Eccleſiarum Collegiatarum, ut dictum eſt §. 3. num. 7. Nihilominus qui private recitando aut nimis differt, aut nimis prævenit abſque ulla cauſa, peccat venialiter, ex communi; quia ſine cauſa non ſe conformat intentioni Eccleſiæ, quæ eſt, ut etiam privatim recitantes diverſis illis temporibus Divinam collaudent Majeſtatem, omnibus horis tot tantiſque peccatis hominum laceſſitam.

* Legatur *Inſtitutio* 24. Em. Card. Lambertini poſtea S. P. Benedict. XIV. in qua 1. agit de hora, qua Matutinum privatim recitari poteſt. 2. de antiqua Divini Officii denominatione, & etymologia. 3. pandit ex quo ſonte Breviarii nomen, illudque Horarum Canonicarum dimanaverit. 4. diſſerit de culpa, quam illi contrahunt, qui abſque vera, & legitima cauſa huic muneri non ſatisfaciunt. 5. tandem de tempore, quo Horæ Canonicæ, Matutinum, & Laudes perſolvendæ ſunt.

Quo loco horæ privatim perſolvendæ?

XIII. Omnis locus eſt idoneus ad private ſatisfaciendum obligationi horarum, ne peccetur lethaliter. Conveniens tamen eſt, & quidem urgenter, quod, niſi juſta cauſa aliter fieri poſtulet, locus debeat eſſe decens Divinas laudes Dei Majeſtati offerendas: quapropter a veniali magis minuſve pingui non vacat, qui in loco indecenti, puta in lecto recubans, aut alio indecentiore horas perſolvit: ſi tamen etiam ſcandalum puſillis ingeri poſſit, eſſet lethale.

Qua voce?

XIV. In privata recitatione ſolius perſolventis is debet tali voce proferre, non ut audiatur ab adſtantibus, ut contendunt aliqui, neque tali, ut ſeipſum non audiat, niſi ſurdus ſit; neque tali, ut exteriori ſtrepitu non impediatur; ſed tali, ut ſeipſum audire poſſit; quia præcipitur oratio vocalis; ergo tali, ut recitans certus ſit moraliter, ſe præceptum adimpleviſſe, eo modo quo orationes vocales communiter perſolvi conſueverunt: id autem vix alio modo fieri poteſt, quam ita verba proferendo, ut proferens ſeipſum audiat, aut audire poſſit: qui igitur ita recitaret, ut

ut articularet verba ſolis labiis, nihil ſe audiendo, juxta probabiliorem non ſatisfaceret.

Qua attentione? XV. Attentionem ſaltem exteriorem in recitandis horis neceſſariam eſſe, ut ſatisfiat obligationi, conveniunt omnes, videlicet ne recitans faciat ſimul actiones de ſe impeditivas attentionis internæ, ut legere alia, pingere &c. Ratio manifeſtiſſima; quia ſaltem id poſtulatur a verbis Canonis ſuperius relati *ſtudioſe* & *devote*. Sed inſuper neceſſario requiri attentionem etiam internam, communior eſt probabilior. Nomine autem attentionis internæ pluribus in locis explicat S. Thom. quid ſignificetur, nempe *una, qua attenditur ad verba ne in eis erret: ſecunda, qua attenditur ad ſenſum verborum: tertia qua attenditur ad finem orationis, ſcilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur* 2. 2. q. 83. a. 13., & in 4. d. 15. q. 4. a. 2. q. 5. *Primo eſt attentio ad verba, quibus petimus: deinde ad petitionem ipſam: & ad ea quæ petitionem ipſam circumſtant, ſicut eſt neceſſitas pro qua petitur, & Deus qui rogatur, & alia hujuſmodi: & quæcumque harum attentionum adſit, non eſt reputanda inattenta oratio*: aliquam igitur harum attentionum neceſſariam eſſe in recitante horas, ut ſatisfaciat ſuo debito,

Nedum externa, ſed etiam interna. docet idem S. Thomas loc. ultimo citato q. 4. his verbis: *attentio requiritur ad evitandam tranſgreſſionem, quæ eſt in illa oratione, quæ eſt in præcepto*: atqui horarum recitatio eſt oratio præcepta; igitur qui voluntarie & notabiliter non attendit, tranſgreſſionem committit; & quidem lethalem; nam de hac neceſſario intelligendus eſt S. D., quia diſtinxit orationem, quæ eſt in præcepto ab altera non præcepta; & cum alioquin, in quacumque oratione adſit voluntaria evagatio, ſit peccatum veniale; ne diſtinctio poſita a S. D. dicatur ſuperflua, intelligendus erit reſpectu orationis præceptæ, de tranſgreſſione mortali. S. Doctorem ſequuntur omnes diſcipuli, & quamplurimi extranei, contra non paucos recentiores, quorum opinio a Caballutio 3. p. q. 83. a. 6. dub. 2. appellatur *falſiſſima & prorſus improbabilis*, a Julio Mercoro in Baſi p. 3. a. 9. *laxa nimis*, & a. 23. *improbabilis*; & ante illos a Suarez lib. 4. cap. 26. *practice non probabilis*.

Afferuntur fundamenta. XVI. Primum fundamentum petitur ex ſupra laudato canone *dolentes*, quo præcipitur, ut officium *quantum Deus dederit ſtudioſe & devote recitetur*; atqui recitans cum

g tione mentis voluntaria ad res profanas, & nullo modo divinas, ex terminis devote non recitat; igitur ſi partem notabilem ita recitet peccabit lethaliter, neque ſatisfaciet. Et confirmatur: quia illis verbis Canonicis præcipitur oratio vocalis; atqui attentio interna eſt de ſubſtantia & eſſentia orationis cujuſcumque, cum juxta omnes ſit aſcenſus mentis ad Deum; igitur qui orat cum diſtractione voluntaria, neque orat, neque aſcendit mente ad Deum, ſed ab illo recedit peccando venialiter, ſi oratio non ſit in præcepto; & proinde mortaliter, ſi ſit præcepta. Addo: ſi quis perſolvit orationes, immo & horas canonicas ex voto oblatas Deo, juxta omnes non implet votum, ſi voluntaria & notabili diſtractione illas recitet, quia hujuſmodi oratio non eſt oratio: atqui ea obligatio, quam ſibi imponit vovens, imponitur Clericis a præcepto: igitur &c.

XVII. Reſpondent adverſarii dicentes, præceptum Eccleſiæ non eſſe de vera oratione facienda; eo quod nequeat præcipere actus interiores, cujuſmodi eſt interior attentio. Quot verba, tot mendacia: in primis falſum eſt, Eccleſiam non præcipere in horis veram orationem; quandoquidem præcipit Dei laudem veram, & proprie dictam; præcipit igitur etiam veras orationes eiſdem laudibus comprehenſas. Immo cum nihil magis neceſſarium adultis habeatur in Scripturis vera oratione, ſi Eccleſia hanc præcipere nequiret, careret poteſtate jubendi id quod eſt animabus adeo neceſſarium; quo nil abſurdius dici poteſt. Etenim etiam dato, quod nequeat directe præcipere actus mere interiores (quod non eſt certum, immo plures doctiſſimi negant) poteſt tamen eoſdem indirecte præcipere, præcipiendo illos exteriores, ad quorum ſubſtantiam requiruntur interiores: & hoc modo præcipit auditionem Miſſæ, uſum Sacramentorum, qui actus neceſſario requirunt actus interiores; & propterea damnavit docentes, quod ſolis actibus exterioribus præceptis ſatisfiat, etſi careant actibus interioribus: ſimiliter itaque in caſu noſtro. *Occurrunt objectioni.*

XVIII. Si interroges, quid ſignificetur nomine diſtractionis notabilis? Reſpondeo cum communi noſtrorum, ſignificari quod quis per notabilem Officii partem, & quidem, puto, æqualem illi, quæ violat integritatem quantitativam, advertens ſe eſſe diſtractum, non ſtudet ſe iterum recol- *Quando cenſetur notabilis diſtractio?*

ligere, ſed permittit ſufficienti advertentia diſtractionem progredi, & ſuam mentem rapi ab objecto diſtrahente, quamvis expreſſè non dicat, nolo attendere; quia hoc modo ſe gerendo ſufficienti advertentia admittit diſtractionem, quæ evadit implicite & virtualiter voluntaria: ſi autem non perfecte advertat ſe eſſe diſtractum, quamvis longo tempore recitet, etſi peccatum veniale committat ex ſemiplena advertentia ad diſtractionem, graviter non delinquit.

Quænam intentio requiratur? XIX. Intentionem actualem, & formalem Deum laudandi &c., optimam eſſe, nemo ambigit, & a piis procurandam. Verum ad ſatisfaciendum ſuæ obligationi, ſufficientiſſimam eſſe illam, quam quis ad recitandum accedit animo implendæ ſuæ obligationis; & hæc eſt virtualis; immo & ſufficere ad comprobandam hujuſmodi voluntatem, quod, etiam nullum eliciendo actum, ex pia quadam conſuetudine, voluntarie recitationem perficiat, qua ſatisfacere conſuevit ſuæ obligationi, communis ſententia eſt: hujuſmodi enim leges nil aliud poſtulant, quam voluntariam poſitionem actus præcepti, quin requiratur alius actus reflexus volendi ſatisfacere; quandoquidem ipſa voluntaria poſitio actus præcepti, eſt reapſe ipſa actualis impletio obligationis, ut diximus in Capite de Legibus §. 7. num. 1. Quamvis autem requiratur intentio colendi Deum, ſicuti per recitationem horarum intendit Eccleſia; virtualiter tamen elucet hæc intentio in eo, qui voluntarie accedit ad horas perſolvendas, inductus a cognitione ſuæ obligationis, eaſdemque recitans attentione debita; eo enim ipſo laudat & colit Deum; abſque eo quod teneatur actum reflexum facere volendi illa actione laudare Deum, quem jam laudat, eamdem modo debito peragendo.

Quomodo perſolvens horas ſine animo ſatisfaciendi, ſatisfacere poſſit? XX. Si quis perſolvens horas debito modo, ſed animo recitandi dumtaxat ex devotione, & animo expreſſo nolendi tunc ſatisfacere, ſed denuo recitandi; non tenetur illas iterum recitare, dummodo voluntatem priorem deponat, & illam accommodet conformetque præcepto, dicendo ſe velle ſatisfeciſſe per anteriorem recitationem: ita mihi probabilior cum Vaſquez, Suarez, Valentia, Aragonio, & aliis, contra alios æque graves. Ratio eſt, quia recitans modo debito, facit totum id quod eſt a præcepto impoſitum; igitur poſuit in re opus impoſitum; ergo ex vi operis facti ſatisfecit præcepto: ſufficiet itaque, ut mutet voluntatem, eamdemque præcepto conformet: etenim obligatio iterum recitandi certe non oritur ex præcepto, quod eſt unius dumtaxat recitationis debito modo peragendæ; neque oritur ex prima voluntate recitantis, quæ deſtruitur per actum ſubſequentem volendi ſatisfeciſſe; igitur ex nullo capite oritur obligatio novæ recitationis. Supponimus namque, neque juraſſe, neque votum emiſiſſe iterum recitandi; quia tunc ex novo hoc vinculo teneremur.

XXI. Audiamus & ſolvamus motiva contrarie opinantium: Recitatio prior non fuit voluntaria, immo cum voluntate repugnante. Item qui votum habet recitandi pſalmos, ſi illos recitet voluntate contraria, tenetur ad novam recitationem. Tandem qui debet alicui centum, ſi centum donet eidem, dicens ſe alia centum ſoluturum pro debito, ad id tenetur. Reſpondeo ad primum, negando antecedens, ſi intelligatur de voluntarietate ad opus præceptum requiſita; & concedendo, ſi de voluntarietate ſatisfaciendi; at hæc ſuppletur per ſubſequentem voluntatem, ut explicatum fuit. Duo exempla oppoſita ad nihilum valent: non primum, quia qui ex voto recitare tenetur, ſua voluntate ſibi impoſuit hoc onus, quod perſeverat ſuamet voluntate, quæ noluit per anteriorem recitationem ſatisfacere: unde declarando, ſe nolle ſatisfacere per illam recitationem, virtualiter votum renovavit iterum recitandi: qui autem recitat ex præcepto, & ponit opus quale ponendum eſt, velit, nolit, ponit opus ex ſe adimpletivum præcepti; unde ſi ſuppleatur defectus voluntatis per ſubſequentem voluntatem, habetur totum id, quod ad plenam ſatisfactionem requiritur. Et in caſu quo non ſuppleret per novam ſubſequentem voluntatem; peccaret quidem, ſed non omiſſione rei præceptæ, cum illam voluntarie poſuerit, quamvis non voluntate implendi præceptum; at peccaret peccato inobedientiæ contra legem naturalem, voluntatis nempe & affectus repugnantis ſe ſubmittere Legislatori. Similiter ad aliud exemplum: qui alicui donat id, quo poſſet extinguere debitum, ſua voluntate ponit novum titulum, nempe donationis, ſibi tollentem jus ſatisfaciendi per rem donatam; quia donatario acquiſitam per donationem, & non per debiti ſolutionem. — Solvuntur motiva adverſæ opinionis.

* Vide quæ ad rem hanc adjunximus *tract. 1. cap. 2. §. 7. poſt num. 5.*

§. V.

§. V. *De Cauſis excuſantibus a recitatione Horarum.*

Ex cauſa impotentiæ quinam excuſentur? Non cenſuræ affecti. Non oblivioſi. Non ignorantes quomodo perſolvatur. Excuſat Carentia inculpata Breviarii, non tamen a toto. Quid de Infirmato in lingua? Quid de non potente ſine ſocio?

I. PRima cauſa excuſans eſt Impotentia: hæc tamen non verificatur de Innodato cenſuris, degradato, condemnato ad triremes, ſi ei vacat; qui ſicut poteſt aliis precibus orare, ita & horarum recitatione; nec debet ex iniquitate ſua levamen reportare. Neque excuſat naturalis oblivio illum, qui aliquoties expertus ſuam oblivionem, non curat ſignis aliquot neceſſario videndis ſuæ infirmæ memoriæ ſubvenire; unde peccat ſi ex oblivione alias experta deinceps omittat. Neque excuſatur qui ignorat quomodo perſolvi debeat Officium; quia antequam acceptaret miniſterium, cui tale onus adnectitur, tenebatur prius ſcire quomodo perſolvendum ſit. Carentia inculpabilis Breviarii, puta furto ſublati, diſpenſat a recitandis iis, quæ quis memoriter non tenet, ad quæ nihilominus obligatur; ſicuti ad quamprimum ſibi providendum de Breviario. Impeditus loqui ob infirmitatem in lingua, cenſetur impotens; nec tenetur alium audire, neque mente recitare; quia impeditur a ſubſtantia præcepti, quæ eſt de recitatione vocali: ita communis: laudabiliter tamen ageret, ſi, potens, legeret, & mente lectionem comitaretur. Qui non poteſt ſolus recitare, poteſt autem cum ſocio ſine magno ſuo incommodo, & poteſt ſocium habere, tenetur adhibere ſocium: ita Navarrus cap. 11. de orat. num. 1. & ſeq., & Suarez cap. 27. num. 13. quia tenetur ſuæ obligationi ſatisfacere meliori modo quo poteſt, dum ſine magno incommodo poteſt.

Quid de cæco?

II. Cæcus, ſi beneficiarius ſit, tenetur choro intereſſe cui ex Beneficio addicitur; & de hoc extat declaratio S. Congregationis Conc. ſuper ſeſſ. 24. c. 12. *Cæcus non excuſatur a recitatione ſacrarum horarum, ſi Beneficium obtineat, licet in aliis ſit privilegiatus.* Hinc communior & probabilior docet cum Navarro loc. cit. n. 13., & Suarez loco cit. n. 14. quod etiam alii beneficiarii ad id teneantur; & primo ſi ſocium habere nequeant, recitare memoriter, quæ poſſunt; quia, ſi non poſſunt totum perſolvere, tenentur ad eam partem quam poſſunt: idque ut verum admitti debet, maxime poſt theſim 54. reprobatam ab Innoc. XI. de majori parte ad ſe trahente minorem. Immo addunt, quod ſi poſſit habere ſocium, cum quo alternatim dicat, & a quo audiat, quæ ipſe legere non poteſt, teneatur, etiamſi aliquod incommodum ſubire deberet pro obtinendo ſocio, capellano, famulo &c.; ut verificetur, facere quantum moraliter poteſt. Si vero ſit ſimplex Clericus, aut Religioſus; dicat quod memoriter ſcit, & ſi poſſit ſine expenſis habere ſocium, adhibere tenetur. Conſultius tamen agent, ſi a Sacr. Congregatione impetrent commutationem Horarum in alias preces.

De Canonico, qui cæcitatis exitium incurrit, de quo Auctor ſermonem habet initio *num. præced.* aliter ſentit Cardinalis Lambertinus Inſtit. 107. §. 8. num. 45. aliis innixus Sacræ Congregationis Decretis. „ Cæcus quidem Canonicus, *ait*, inter ægrotantes numerandus eſt. Ipſi „ plura Sacræ Congregationis Decreta ſuffragantur: *Non teneri* (ipſa reſpondit) „ *horis Canonicis intereſſe* (videlicet cæcum indicat) *nec in Choro eam Officii* „ *partem quam memoriter tenet recitare,* „ *& nihilominus lucrari diſtributiones quotidianas perinde ac ſi intereſſet.* In controverſiam venit utrum cæco diſtributiones ab eo die concedi deberent, quo „ lumen oculorum amiſit, an vero a die, „ quo ſe tanquam præſentem æſtimari „ velle declaravit? Sacra Congregatio die „ 29. Januarii 1661. reſpondit, tribuendas cæco diſtributiones a die, quo lumine caruit."

Quid de ſurdo?

III. Surdus non diſpenſatur ab horis, cum legere poſſit; & ſi eſſet ſimul cæcus, teneretur tantum ad ea quæ memoriter tenet. Petat autem & ipſe commutationem in alias preces. Si autem hic cæcus & ſurdus ob Beneficium teneatur choro intereſſe, non diſpenſatur ab eodem, præſtando aſſiſtentiam perſonalem, cum aliud præſtare nequeat, ut ait Suarez n. 18.

* Surdus quidem, ut diſtributiones lucretur, debet præſentiam præſtare in Choro, *ex Sacr. Congreg. Epiſcop. & Regul. in Theanen* 12. *Martii* 1619. Si vero eſſet ſimul cæcus diſpenſaretur a Choro non ratione ſurditatis, ſed ratione cæcitatis, ut ex dictis paulo ante conſtat, & ex declaratione *Sac. Congreg. Epiſcop. & Regul.* 11. *Auguſti* 1618., *& Sac. Congreg. Concil.* 20. *Julii* 1629.

Quinam infirmi excuſentur?

IV. Secunda cauſa diſpenſans eſt Infirmitas, & circa iſtam hæc ſtatuitur regula a Theologis, quod ſi infirmitas talis

ſit

Digitized by Google

ſit, ut compatiatur recitationem horarum vel in toto vel in parte, ad illam teneatur infirmus; ſi de hoc prudenter dubitetur, ſtandum erit judicio periti, probique Medici; qui tamen rationem habere debet indolis infirmi; quorum aliqui nil omnino gravantur recitando horas, præcipue dum ſocium habent, qui legat; & ſicut loquuntur cum aliis etiam non modice, ita & cum Deo: alii autem ſunt ſcrupulis importunis vexati, qui nonniſi magno angore horas perſolvunt; qua ratione habita, prudens medicus judicet. Si demum etiam medicus dubitet; tunc recurrendum eſt ad Superiorem, qui, poſtquam Deum invocaverit, definiat quid in Domino cenſuerit expedire, tam quoad exemptionem, quam quoad obligationem in toto vel in parte; & præcipue ſi exemptio debeat eſſe diuturna. Et quoad hoc notanda eſt theſis ſupra indicata & reprobata, in qua dicebatur: *Qui non poteſt recitare Matutinum & Laudes; poteſt autem reliquas horas, ad nil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorem.*

Quenam febres non excuſent? V. Laborans febri quatriduana, vel triduana per ſe non eximitur ab onere Officii, cum poſſit vel prævenire horas febriles, vel poſt eaſdem differre, ut docent Navarrus, Aragonius, & Suarez. Dixi per ſe, & ex natura hujuſmodi febrium; nam ſi recitatio totius vel partis Officii prævideatur graviter nocitura, abſtinendum erit.

Impeditus ab Horis non tenetur ad aliud opus pium. VI. Impeditus ob infirmitatem ab Horis, non tenetur aliud opus pium ſubrogare, ut tenet probabilior contra quoſdam nimium ſeveros; quia tale onus a nullo jure imponitur, & alioquin jure communi lex quæ ad determinatum opus obligat, ſi illud impleri nequeat, non inducit obligationem alterius operis ſubſtituendi; ut videre eſt in aliis præceptis Eccleſiaſticis.

Metus gravis excuſat ab Horis. VII. Cum ad cauſam infirmitatis reduci ſoleat ab Auctoribus metus gravis, idcirco dicendum, quod prudens metus aut mortis incurrendæ, aut alterius gravis mali, excuſat, dummodo abſit contemptus Religionis. Verbi grat. iter ago cum hæreticis, ex quorum verbis & factis prudenter timeo, quod ſi me noſcant perſonam Eccleſiaſticam, graves vexationes ſint illaturi, a quorum continua ſocietate nulla diei hora me elongare poſſim: ſufficiet quod ea recitem quæ memoriter teneo, quin extraham e crumena Breviarium ad legenda reliqua, ne me eiſdem manifeſtem. Ratio eſt: quia lex poſitiva humana non obligat cum tanto onere; & alioquin ex charitate mihi debita conſulere teneor meæ indemnitati. Ex hoc ſimilia reſolvas.

Quando actio præſtantioris perfectionis excuſet ab horis. VIII. Altera ſolet afferri cauſa excuſans, nempe actio præſtantioris perfectionis. Verum circa hanc diſtinguendum videtur. Nam ſi actio impediens recitationem horarum oriatur ex obligatione juſtitiæ, & frequenter afferat hoc impedimentum, tenetur, obligatus ad horas, tale miniſterium dimittere; quia velle illud retinere, eſſet velle cauſam omiſſionis præcepti; ſi autem impedimentum illud per accidens & valde raro eveniat, tunc cum perſona verſetur inter duas obligationes, quæ, ut ſupponitur, ſimul componi nequeunt; illa præferenda eſt, quæ magis urget, minuſque ſcandalum parit, & quemadmodum alia Eccleſiaſtica præcepta omitti poſſunt in caſu urgentiori; ita etiam omitti poteſt perſolutio horarum. Quando vero actio impediens recitationem horarum poſtulatur a charitate, & ſimiliter non eveniat frequenter, atque urgentius appareat motivum charitatis horarum perſolutione; hæc omittatur, & illa impleatur. Dixi quod non eveniat frequenter, quippe quod non ſoleant iſti caſus cum perſolutione horarum incompatibiles frequenter evenire: ſi enim nimia frequentia occurreret, conſulendus eſſet Prælatus doctus & prudens, & juxta ejus judicium opus eſſet ſe dirigere. Advertendum eſt, quod voluntarie ſuſcipere hujuſmodi occupationes, quibus frequenter adnectitur incompoſſibilitas horarum, ſit ex communi illicitum; quia non ſunt ex propria electione ſuſcipiendæ occupationes obſtantes oneribus proprii ſtatus. Væ igitur illis concionatoribus, qui in quadrageſima ſolius prædicationis motivo horas omittunt, & multo etiam magis, ſi ipſi prædicationem ſibi procurarunt: iterum væ; quippe quod tempore, quo Deo intenſiores preces offerre debent, etiam obligatione affectas omittunt: quorum unum & ego novi, alterius inſtituti alumnum, penitus indocilem ſuaſionibus amicorum, & motum ſola auctoritate quorumdam Scriptorum laxiorum; a Deo tamen punitum; qui in ætatis ſuæ flore morte correptus fuit.

Diſpenſatio ſi- IX. Diſpenſatio conceſſa, etiam a Pontifice, ſine juſta cauſa Beneficiario ab horis

Digitized by Google

ne cauſa ab horis in Beneficiario eſt invalida.

ris recitandis, abſque ſubſtitutione alicujus alterius oneris, eſt invalida. Ita Panormitanus in cap. 1. de celebr. Miſſ., Cardinalis Turrecremata in cap. *Eleutherius* d. 19. q. 5., Angelus verbo Horæ num. 6. Roſella verbo Horæ n. 13. Major in 4. d. 12. q. 6. ad 1. Fundamentum autem hujus aſſertionis, (cui plures contradicunt, fatentes quidem illicitam ſed validam) ex eo pendet, ut videatur, an reſpectu Beneficiarii horarum perſolutio ſit de jure naturali, an vero de jure dumtaxat Eccleſiaſtico: ſi enim probetur eſſe de jure naturali, jam patet quod, ſine juſta cauſa, ſit indiſpenſabilis etiam a Romano Pontifice, ut etiam docet S. Thomas quolib. 4. a. 13. *circa ea quæ ſunt juris naturalis Papa diſpenſare non poteſt; quia iſta habent efficaciam ex inſtitutione Divina.* Quod autem talis ſit horarum perſolutio reſpectu Beneficiarii, præcipue ſi nullum aliud onus ex Beneficio habeat, ex eo probatur; quia perſolutio horarum oritur ex quodam contractu inter inſtitutores Beneficiorum, & Beneficiarium; Beneficia enim inſtituerunt illi, ut a Beneficiario ſuſciperetur onus laudandi Deum horarum recitatione; & præcipue ſi aliud onus non exegerint: quandoquidem Beneficia nil aliud ſunt, quam oblationes fidelium, eo fine factæ, ut ex ipſis congrue alantur Miniſtri Eccleſiæ: & ipſi viciſſim præſtent onera laudandi Deum, eidemque variis modis & miniſteriis inſerviendi; unde eſt contractus ex illis innominatis, qui dicitur, *do, ut facias*: qui igitur pro Beneficio ſuſcepto nullum aliud onus habet præter horas, contra jus naturale hujus contractus diſpenſabitur, ſi abſque juſta cauſa diſpenſetur; & niſi aliud onus circiter æquale ſubrogetur; nam graviter defraudatur intentio inſtitutoris Beneficii, qui non contulit Eccleſiæ ſua bona, ut ditiores faceret, & molliores redderet miniſtros Eccleſiæ, ſed ut ipſi cultum Deo exhiberent recitatione ſaltem horarum canonicarum: & idcirco quæſtio reſtringitur ad Beneficiarios, & non ad ſimplices Clericos, quorum obligatio ad Horas, utpote orta ex mero jure Eccleſiaſtico, ſi ſine cauſa fiat, quamvis illicita, valida tamen erit; quia Pontifex ſuper univerſum jus Eccleſiaſticum poteſtate gaudet: non autem ſuper naturale, in quo fundatur onus horarum reſpectu Beneficii: & dixi præcipue ſi nullum aliud onus ex Beneficio habeat; quia reſpectu Beneficiariorum, qui alia etiam onera habent, quamvis eadem ratio militet; eo quod cultus horarum ſit ex primo intentis ab inſtitutore; nihilominus ratio non adeo urgenter hos ſtringit, ſicut alia onera non habentes: nihilominus etiam reſpectu iſtorum reputarem cum allatis Doctoribus invalidam, niſi aliud onus loco horarum ſubſtituatur. Quod enim aliqui dicunt, Pontificem eſſe Dominum bonorum Eccleſiæ, falſum cum multis judicamus, & fuſius oſtendemus in capite ſequenti de Beneficiis Eccleſiaſticis; ſed eſt merus eorumdem diſtributor, & adminiſtrator agens nomine Chriſti, qui ſolus eorumdem eſt Dominus, cui a fidelibus offeruntur per manus Eccleſiæ, ut ab eodem adminiſtrentur, juxta eorum intentionem ac inſtitutionem, & non pro libito & genio: unde ſi adminiſtrator ſine cauſa juſta aliter illa bona adminiſtret, injuſte agit, dominium ſibi uſurpando eorum, quorum dumtaxat eſt diſtributor.

§. VI. *De reſtitutione a non recitantibus, & non canentibus in Choro, dum tenentur, facienda.*

I. Contra Beneficiarios, non recitantes privatè, impoſita eſt reſtitutio proventuum pro rata omiſſionis: ita ex Concil. Later. 4. can. 9., qui canon refertur, & ſic exponitur a S. Pio V. in Conſtitutione 135. *Ex proximo Lateranenſi Concilio ſalubris ſanctio emanavit, ut quicumque habens Beneficium Eccleſiaſticum cum cura, & ſine cura, ſi poſt ſex menſes, quam illud obtinuerit, Divinum Officium, legitimo ceſſante impedimento, non dixerit, Beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis Officii, & temporis, ſuos non faciat, ſed eos tanquam injuſte perceptos in fabricas ipſorum Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Verumtamen multorum animi ſuſpenſione tenentur, cujuſmodi ratæ prædictæ ratio ſit habenda. Nos huic rei evidentius & expreſſius providere volentes, ſtatuimus, ut qui horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes Beneficii ſeu Beneficiorum ſuorum fructus, qui illi vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur; qui vero matutinum tantum, dimidiam; qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat; tametſi aliquis Choro addictus non recitans, omnibus horis canonicis cum aliis præſens adſit, fru-*

Qualiter non recitans tenetur ad reſtitutionem?

ctuſ-

Digitized by Google

ſuſque & diſtributiones forte aliter aſſignatas, ſola præſentia juxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucrifeciſſe prætendat, etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem. Verba ſunt clara.

Quomodo intelligenda exceptio omittentis primo ſemeſtri? II. Circa illum, quem Conſtitutio eximere videtur a reſtituendo, qui primis ſex menſibus horas omittit, jam certum eſt, ſingulis diebus peccaſſe mortaliter; & inſuper notant doctiſſimi noſtri Sotus lib. 10. de Juſt. q. 5. art. 7., & Bartholom. de Medina in ſumma cap. 12. §. 11., quos ſecutus eſt Suarez cap. 29. nu. 7., afferens inſuper quindecim graves Auctores partim Theologos, partim Juriſtas, quod etſi non teneatur reſtituere fructus ex vi hujus Conſtitutionis; teneatur tamen jure naturali; eo quod Beneficium ſit ſtipendium ab inſtitutoribus datum propter officia beneficio adnexa, inter quæ vel præcipuum, vel inter præcipua reputatur horarum perſolutio; qui igitur omittit ſine juſta cauſa, violat juſtitiam commutativam: tenebitur ergo reſtituere vel omnes fructus ſex menſibus correſpondentes; ſi alia onera Beneficium non habeat: ſi autem alia onera habeat, eademque impleverit, reſtituet quod correſpondet omiſſioni horarum, retentis aliis correſpondentibus adimpletioni ceterorum onerum. Addit tamen Suarez num. 11. & 12., hanc reſtitutionem poſſe fieri etiam in bonis ſpiritualibus, nempe vel recitando per ſex menſes bis in die horas, vel alias preces horis duplicatis æquivalentes; quia quamvis non ſine peccato diſtulerit, ſecundum hanc opinionem, reſtitutionem, reſtituitur tamen demum quantum debebatur quoad damnum illatum.

Reſtitutio eſt facienda ante omnem ſententiam, nec ſuppletur per eleemoſynas antea facta. III. A Beneficiario horas omittente fieri debet reſtitutio modis a Pio præſcriptis ante omnem judicis ſententiam; ita docente Alexandro VII. reprobante theſim 20. quæ oppoſitum aſſerebat: *Reſtitutio a Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam judicis; cum ſit pœna.* Huic debito non ſatisfit per eleemoſynas ânte omiſſionem recitationis factas: ita docente eodem Alexandro reprobante theſim 33. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerat.* At valde probabile eſt, quod ſatisfaciat per eleemoſynas omiſſionem ſubſequentes, dummodo ſint in ea quantitate & ſumma debitâ, quamvis erogatas ſine actuali advertentia ad debitum quod habet; cum judicari poſſit, habuiſſe intentionem virtualem ſatisfaciendi pro debitis, ſi quæ habeat: omnis enim prudens eleemoſinas faciens creditur, hanc intentionem implicitam habere ſatisfaciendi prius debitis indeterminatis, ſi quæ habeat. Neque valet opponere exemplum illius, qui donans Petro decem, tenetur alia decem dare pro debito, ad quod non advertit, dum donavit; quia hoc debitum eſt cum determinata perſona, quæ recipiendo decem titulo donationis retinet adhuc titulum juſtitiæ ad alia decem ſibi debita: in caſu autem noſtro reſtitutio illa nulli determinatæ perſonæ debetur, ſed pauperibus indeterminate, quibus cum fuerit ſemel elargita, ſatisfactum fuit debito juxta ſui exigentiam & in re. Hæc dixi, ſalvo meliori judicio.

* Hanc aliam circa eamdem materiem idem S. P. Alexander VII. proſcripſit propoſitionem *n.21.* nempe. *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.* Et jure quidem meritoque. Nam *Præbendatus*, ut docet D. Thomas *Quodlib. 1. q. 7. art. 1., debitum quod debet Deo, per ſeipſum debet exſolvere.* Si per ſe ipſum debet: ergo non ſufficit per alium exſolvere. Nec nocet, ut appoſite animadvertit Auctor *Appendicis de Damnatis Propoſitionibus adjectæ Theologiæ Morali P. Antoine E.R. 1757. cap. 18.* quod propoſitio loquatur de Beneficiario ſtudiis vacante. Neque enim officii ſanctè recitati penſum, ſtudiorum fructus retardare poteſt, cum Dei benedictionem inducat. Certe, *ſubdit*, ſi juniores Beneficiarii non ſatis haberent intervalli, ut magnum Eccleſiæ officium recitarent, non deberent ab eo propria auctoritate abſtinere, ſed recurrere ad Epiſcopum, qui his in caſibus non diſpenſat abſolute, ſed ſolius B. Virginis Officii recitationem indulget. Hucuſque ille. Beneficiarius itaque qui etiam ſtudiorum cauſa, officium per alium recitaret, minime ſuæ ſatisfaceret obligationi, adeoque & ipſe teneretur ad reſtitutionem.

IV. Spectato jure naturali Beneficiarius habens curam animarum, & horas omittens, poſito quod alia onera impleat, non tenetur reſtituere niſi pro rata omiſſionis horarum. Ratio eſt manifeſta, quia Reſtitutio eſt facienda ponderata ad il-

Iud onus quod omiſſum fuit, & non ad alia impleta.

quia non tenetur reſtituere, niſi pro eo quod debebat, & omiſit: atqui, circa alia onera nihil debet, neque omiſit, ſed dumtaxat circa horas; igitur &c. Dixi ſpectato jure naturali, quia plures contendunt ex Conſtitutione relata, Sanct. Pium impoſuiſſe etiam pro ſola omiſſione horarum reſtitutionem fructuum pro rata correſpondentium etiam aliis oneribus. Profecto niſi liquido id conſtet, non eſt aſſerendum: mihi non conſtat quamvis attente Conſtitutionem perpenderim; ſi cui id conſtet, ita doceat.

Recitans in choro diſtracte voluntarie tenetur reſtituere.

V. Beneficiarius choro obſtrictus recitans cum diſtractione voluntaria ſufficiente ad mortale, tenetur reſtituere fructus pro rata: ita probabilior & communior cum Navarro cap. 13. de orat. num. 13. 19., & Suarez lib. 4. cap. 30. num. 14. Ratio eſt, quia jura non præcipiunt recitationem mere vocalem & materialem, ut putant adverſarii, ſed deprecativam, religioſam, quæ ſit vera laus Dei, & oratio; atqui recitatio diſtracta voluntarie eſt peccatum, & non oratio & ſupplicatio; igitur &c. Ob eandem rationem tenetur reſtituere etiam diſtributiones, ſaltem pro dimidio, ſi canat, ſed cum diſtractione voluntaria notabili, ut docet probabilior apud Bonacinam diſp. 2. quæſt. 5. punct. 1. num. 17., & diſp. 2. q. 4. punct. 1. n. 12., quia non dantur ob ſolum laborem corporalem, ut putant adverſarii cum Suarez, ſed ad veram laudem Dei, & orationem faciendam. Dixi pro dimidio: quia præſtat aſſiſtentiam perſonalem, & cantum materialem, qui labor optat ſuum præmium.

Qualiter reſtituere debeat non canens?

VI. Beneficiarius obſtrictus choro, & non canens ſine juſta cauſa, nedum peccat lethaliter ſi omittat canere partem notabilem, verum etiam reſtituere tenetur ſaltem medietatem diſtributionum, quamvis devote & attente recitet ſubmiſſa voce, ita probabilior cum Cajetano opuſc. 1., Navarro in Enchiridio cap. 10. n. 47., & cap. 11. n. 42., Suarez lib. 4. cap. 12. n. 10., & aliis. Ratio eſt, quia deficit in re notabili obligationi ſuæ, quæ eſt canendi alta voce, dum poſſit; dixi autem amittere ſaltem medietatem diſtributionum; quia non deeſt muneri ſuo in toto; præſtat enim adſiſtentiam perſonalem, recitationem ſubmiſſam, & attentionem, unde cum defecerit circiter in dimidio obligationis, dimidia diſtributionum parte eſt privandus; nam aliqui affirmant, omnibus diſtributionibus illius diei eſſe privandum; quod cum in nullo jure clare invenerim, non audeo affirmare, ne pœna excedat culpam.

Quando infirmo dandæ ſint diſtributiones?

VII. Canonicus abſens a choro ob ægritudinem, poteſt recipere & retinere diſtributiones, ſi antea adeſſe conſueverat; ſecus autem ſi abeſſe ei frequens erat; quia hic prudenti judicio non cenſetur abeſſe ob ægritudinem, quæ per accidens ſe habet ad ejus abſentiam, quæ ipſi erat conſueta; unde etiamſi in infirmitate proponeret ſe deinceps interventurum, non ſunt ei dandæ; quia conceſſio diſtributionum infirmantibus eſt in præmium diligentiæ præſtitæ, & non diligentiæ præſtandæ: ſi autem antequam infirmetur vere ſe emendaſſet, quamvis non multo ante, non eſſent ei denegandæ: ita probabilior ex variis Doctoribus: quia jam prudenter præſumeretur emendatus.

An carceri detento, aut Romam ire compulſo?

VIII. Canonicus detentus injuſto carcere; aut Romam pergens ſuæ innocentiæ probandæ gratia, gaudet diſtributionibus; poſito ſemper quod choro intereſſe conſueverit; quia deeſt ex neceſſitate, & ex juſta cauſa. Portiones autem funeralium & mortuariorum, quamvis aliqui eidem concedant, Bonacina cum aliis, meo videri probabilius, denegat; tum quia funerales portiones non veniunt ſub nomine diſtributionum, de quibus eſt ſermo in cap. unico de Clericis non reſidentibus. Tum quia Naldus aſſert mentem Sac. Congregationis, quæ a diſtributionibus quotidianis excluſit portiones ex anniverſariis provenientes. Tum quia fundatorum intentio videtur eſse, ut hujuſmodi funeralia præſentibus dumtaxat obveniant. Tum denique quia cum non dentur infirmis; neque dandæ ſunt indicatis. Poteſt tamen hic detentus injuſto carcere, aut Romam pergere coactus, inſtituere actionem pro damnis recuperandis contra injuſte illum vexantes.

Abſenti propter negotia, quando debeantur diſtributiones?

IX. Abſens a choro ob negotium, quod certo cedit in utilitatem ſuæ Eccleſiæ, ſi antea intereſse conſueverat, debet diſtributiones recipere, quia jura ita diſponunt: quando autem aut negotium eſt levis utilitatis, aut antea intereſse non conſueverat, diſtributiones retinere non poteſt. Bonacina loco cit. p. 3. n. 5. cum aliis. Hinc deducitur, quod aut abſenti non in notabilem utilitatem Eccleſiæ, quamvis de licentia Capituli; aut diſcedenti citius quam oporteat; aut differenti re-

ti reditum diutius quam expediat, non ſunt dandæ diſtributiones reſpective aut in toto, aut pro rata. Et notandum, quod ad lucrandas diſtributiones pro legitima abſentia, non requiritur licentia Epiſcopi.

Quibus abſentibus debeantur diſtributiones?

X. Abſens a choro ob ſervitium Pontificis, non poteſt recipere diſtributiones; niſi ſpeciali privilegio muniatur. Quia jura non concedunt illas niſi abſentibus *ob evidentem ſuæ Eccleſiæ utilitatem*, nec excipiunt ſervitium Papæ præſtitum. Ita duo illi Canonici qui aſſumi poſſunt ad inſerviendum Epiſcopo, quamvis fructibus beneficii gaudeant, privantur diſtributionibus; quia non abſunt ob evidentem ſuæ Eccleſiæ utilitatem; videatur Bonac. punct. 3. §. 2. Abſens autem ut neceſſario tueatur jura ſui beneficii, juſte recipit diſtributiones; quia abeſt in evidentem ſuæ Eccleſiæ utilitatem, cui plurimum detrahitur, ſi beneficia ſua aut deperdantur, aut minuantur. Si vero abſit ut tueatur ſuum beneficium contra alterum illud poſtulantem, non lucratur diſtributiones, quia non abeſt in utilitatem ſuæ Eccleſiæ, cujus nihil intereſt, an beneficium ab uno, aut altero poſſideatur.

Aliquando contingit, prout animadvertit Eminent. Cardinalis Lambertinus poſtea S. P. Benedictus XIV. *Inſtit.* 107. §. 9. *n.* 59. „ ut Canonici Epiſcopo inſervientes, licet abſint a Choro, diſtributiones percipiant, veluti ſi Divinis Officiis intereſſent: Exemplum ſumitur ex illis Canonicis, qui Epiſcopi juſſu, & loco Romam veniunt ad Limina Apoſtolorum inviſenda, vel ipſum Epiſcopum Romam ob eamdem cauſam comitantur, ut Sixtus V. decrevit. Porro id certum eſſe, & comprobatum experientia conſtat apertiſſime ex variis Sacræ Congregationis decretis, ac præſertim die 1. Octobris in Penuen. Lib. 27. Decret. pag. 512. *Sacra &c. cenſuit deberi diſtributiones quotidianas tempore acceſſus, manſionis, & regreſſus viſitationis ſacrorum Liminum, quod tempus conſtituit eſſe trium menſium*. Attamen hoc privilegio non gaudent Canonici, qui Epiſcopum ſequuntur Diœceſim ſuam perluſtrantem. Ita reſpondit Sac. Congreg. di 5. Decemb. anno 1626. in Cauſa Tudertin. Lib. 1. Decret. pag. 110. *Canonicos ſuum Epiſcopum in viſitatione Liminum comitantes diſtributiones quotidianas lucrari debere: comitantes vero in viſitatione Diœceſis, ſi omnes fructus, ut ſupponitur, in diſtributionibus quotidianis conſiſtant, lucrari duas partes, amiſſa tertia, quæ inſervientibus accreſcit.* “

An debeantur abſenti ob Miſſam celebrandam?

XI. Canonicus Miſſam celebrans tempore Officii, non lucratur diſtributiones, niſi celebret vel ex privilegio ſolius Pontificis, vel ex legitima conſuetudine, vel de mandato Superioris, quia in his caſibus haberi debet ac ſi eſſet præſens; cum ſervitium Eccleſiæ forte requirat ut tempore Officiorum Miſſæ celebrentur; unde ad evitandas graves contentiones inter Canonicos, quorum nullus forte tunc celebrare vellet, id conſuetudine probatur. Jura & Auctores affert Bonac. ibidem.

An abſenti ob confeſſiones audiendas?

XII. Canonico Pœnitentiario (nota bene, non cuilibet, ſed pœnitentiario) abſenti ab Officiis, ut confeſſiones audiat, jure novo Tridentini ſeſſ. 24. cap. 8. debentur diſtributiones. Propterea ſi ſedeat in Confeſſionali non audiens confeſſiones, aut in eo ſedens, & de aliis rebus confabulans, non lucratur, nec poteſt in conſcientia illas retinere: quia cum hoc privilegium ſit derogativum juri communi, eſt ſtrincte intelligendum, neque ad alias actiones extendendum: & eadem dicas de Canonico qui ſubſtitueretur Pœnitentiario legitime impedito.

An Theologus abſens lucretur?

XIII. Canonicus Theologus abſens a choro ob ſtudium a ſuo munere exactum, non lucratur diſtributiones, quia nimis remote ſe habet labor ille ad evidentem ſuæ Eccleſiæ utilitatem, nimiſque præjudicaretur cultui chori. Excipitur dies in qua lectionem habere debet, ex declaratione Gregorii XIII., ut refert Galemart ſupra ſeſſ. Concil. Trid., 5. cap. 1., & Moneta citat declarationem etiam Sac. Congregat. Si tamen hujuſmodi Theologus non aliam præbendam haberet, niſi meras diſtributiones; quidam Auctores a Garzia relati 3. p. de Benefic. c. 2. n. 120. concedunt ipſi abſenti propter ſtudium omnes diſtributiones; alii cum Garzia, & Bonac. loc. cit. & Moneta q. 5. n. 72., & aliis, judicant tertiam partem diſtributionum eſſe eidem detrahendam: videas eoſdem.

An Canonicus habens adnexum beneficium cum cura animarum?

XIV. Canonicus qui obtinet beneficium habens curam animarum, abſens ab Officiis ut curæ ſuæ operam det, non lucratur diſtributiones: tum quia non abeſt in utilitatem ſuæ Eccleſiæ cuius eſt Canonicus; tum præcipue ob Conſtitutionem 65. §. 1. S. Pii V. decernentis, quod recipiant quidem proventus ſui beneficii, *exceptis dum-*

dumtaxat quotidianis diſtributionibus. Limitant Riccius deciſ. 498. n. 4. & Garcias loco cit. num. 114. & 353. dicendo, quod ſi non habeat alios proventus niſi ſolas diſtributiones, hæ ſint eidem integræ concedendæ, ex declarat. Sac. Congreg.

Equidem qui Canonicatum, ipſique conjunctam *Parochiam* obtinet, ſed extra Civitatem, pro tempore, quo in illa reſidet, ac miniſtrat, ſuæ præbendæ fructus dumtaxat acquirit, nentiquam vero diſtributiones conſequitur, ut ſanxit S. Pius V. in citata ab Auctoribus Conſtit. 65., & ut ſapienter advertunt Fagnanus *Cap. licet n. 67. de Præbendis*, & Gonzalez ſuper regul. 8. Cancel. gloſſ. 6. n. 268., & ſeqq. At aliter profecto de eo aſſerendum eſt, qui Canonicatum, & adnexam animarum curam in eadem Eccleſia poſſidet. Hic namque ſi divinorum Officiorum tempore curæ ſuę operam impendat non ſolum ſuæ præbendę fructus percipit, ſed & diſtributiones lucratur; cum tunc in evidentem ſuæ Eccleſiæ utilitatem abſens ſit. Sic ſane reſponſum fuit a Sacra Congregatione Concilii in cauſa Mediolanenſi propoſita die 23. Februarii an. 1639. *Sacra &c. cenſuit, oratorem habentem onus curæ animarum annexum, ſi tempore, quo Divina Officia celebrantur, audiat confeſſiones, vel alia ad ipſam Curam ſpectantia exerceat, lucrari debere diſtributiones quotidianas, etiamſi Divinis non interſit*. Huic conſona eſt altera reſolutio in cauſa Tortonen. die 19. Septembris 1643. Lib. 17. Decret. pag. 230. *Sacra &c. cenſuit præpoſito Eccleſiæ Collegiatæ Caſtri novi, cui annexa eſt cura animarum cum adminiſtratione Sacramentorum deberi diſtributiones quotidianas, tempore divinorum Officiorum, ſi eo tempore ſit in actu dictam curam exercendi, & Sacramenta miniſtrandi*. Legeſis *præcitatam Inſtitutionem* Em. Lambertini *eodem* §. *n.* 56.

An abſenti ſtudiorum cauſa? XV. Neque abſenti Canonico ſtudiorum cauſa dandæ ſunt diſtributiones, quamvis abſit cum legitima licentia; quia non abeſt in evidentem ſuæ Eccleſiæ utilitatem; ſtudium enim, ut ſupra diximus, nimis remote ſe habet ad hanc utilitatem, cum poſſit mori, antequam Eccleſia aliquam utilitatem percipere poſſit: excipe niſi alios proventus haberet, quam ſolas diſtributiones, quæ tunc eſſent concedendæ, dempta tamen earum tertia parte, danda actu inſervientibus: ita ex laudato Riccio, referente deciſionem Sac. Congr.

XVI. Nullo ſtatuto, nullaque conſtitutione Epiſcoporum, Capitulorum, vel Eccleſiarum particularium decerni poteſt, ut diſtributiones abſentibus dentur. Item nec conſuetudine induci poteſt, ut dentur abſentibus, niſi ſubſit juſta cauſa talem conſuetudinem inducendi, habito non tacito, ſed expreſſo conſenſu ſolius Pontificis. Item probabilius eſt ex declarat. Sac. Congr. conſuetudinem induci non poſſe, ut Canonici, menſibus, qui ſibi permittuntur ut abſint, recipiant diſtributiones: & ſimiliter conſuetudine induci nequit, ut abſentes fruantur participatione eleemoſinarum pro funeralibus, mortuariis &c. Item non eſt inducenda conſuetudo, ut a choro immunes reddantur, & diſpenſentur, & diſtributiones recipiant qui quadraginta annorum decurſu choro deſervierunt, ſi adhuc vegeri ſint, & intereſſe poſſint. Remiſſio diſtributionum abſenti ab aliis facta, eſt illicita & invalida, nec poſſunt a remiſſario retineri in conſcientia; ita ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. Donatio diſtributionum abſenti ab aliis facta, non videtur jure communi prohibita; quia ſicuti poſſunt illas cuilibet donare, ita & abſenti, niſi tamen obſtet aliqua lex municipalis, cui obtemperandum eſſet, & invalidam redderet donationem. Colluſio, nempe conventio inter Canonicos ſibi invicem cedendi diſtributiones quando abſuerint, eſt invalida ex Trid. loc. cit. Tranſactio (quæ eſt pactio non gratuita de re dubia, quæ ab aliquo prætenditur) circa diſtributiones, quando nempe dubium aliquod inter Canonicos exurgit, utrum quis debeat amittere diſtributiones, vel an male perceperit, non apparet illicita circa diſtributiones præteriti temporis; tum quia nullo jure prohibetur; tum quia nulla ſimoniæ labes timetur; eo quod diſtributiones ſint mere temporales, ita ut vendi & aliis contractibus oneroſis ſubjici queant; non quidem jus ad diſtributiones, quod eſt ſpirituale, ſed ipſæ diſtributiones. Amicabilis autem Compoſitio, qua aliqua pars diſtributionum certo debita condonatur, non apparet licita; quia eſſet quædam remiſſio, quam vidimus a Tridentino prohibitam. Hæc congeſſimus ex ſupra laudatis Auctoribus, ſuſius ab ipſis reſpective diſcuſſa.

Plura ſummatie notanda circa diſtributiones.

* Ut res hæc perſpicua reddatur, clariuſque evoluta remaneant quæ docet Auctor *n. præced.* juvat oculis ſubjicere quæ habet Em. Card. Lambertinus poſtea

S. P.

S. P. Benedictus XIV. *Inſtit.* 107. §. 7. *n.* 42. Ipſe allatis his Sacri Concilii Tridentini verbis *Seſſ.* 24. *c.* 12. *de Reform. Diſtributiones vero, qui ſtatutis horis interfuerint recipiant: reliqui quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit Conſuetudinem, quod Sancta Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus*: allatis, inquam, his verbis, ſubdit: „ Hoc loco duo nominat Concilium, nempe colluſionem ac remiſſionem. Primum evenit, quando Choro adſcripti invicem conveniunt de non notandis abſentiis, quando abſentes revera fuerint. Remiſſio tunc habetur cum pars una ſponte, ac ſine ulla conventione diſtributiones quotidianas alteri parti remittit, aut relinquit. Utrumque Sacrum Concicilium graviſſime improbat, atque interdicit. Quamvis autem id ſeverum nimis videatur, ut alteri donare non liceat, ea, quæ ſibi aliquis comparavit; tamen parendum omnino eſt, cum hæc juſſa indixerit, qui decernendi facultatem habebat. De his fuſe Suarez *Tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de Hor. Canon. cap.* 10. *nu.* 20. qui Sacræ Congregationis Decretum his verbis conditum recenſet: *Non licet Capitulo aliquo prætextu diſtributiones quotidianas donare, relinquere, aut quavis colluſione remittere alicui, qui ab Eccleſiæ ſervitio abſuerit, vel alio quovis modo diſtributiones legitimas debeat amittere; nec fas ſit cuipiam eas recipere, &, ſi receperit, ſuas ne faciat, ſed eas reſtituere omnino cogatur*. Nos alia quoque Decreta ſubjiciemus, nempe in cauſa Taracinæ, quæ propoſita fuit die 13. Januarii anno 1624. *Sacra &c. cenſuit, Canonicum, ut proponitur, abſentem punctari debere, nec licere Canonicis eadem puncta, ſeu quotidianas diſtributiones remittere, aut condonare, cum ejuſmodi colluſiones, aut remiſſiones prorſus ſuſtulerit ejuſdem Concilii Decretum*. Item die 14. Decembris eodem anno petitum illud fuit; *Quæritur an Epiſcopus, ſeu Capitulum poſſit condonare diſtributiones quotidianas Canonicis, quibus alias non debentur? Sacra &c. cenſuit, non poſſe*. Huculque S. P. qui materiam eamdem pertractat & *de Synod. Diœc. lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 1.

Circa donationem autem diſtributionum abſenti ab aliis factam ſic docent P. P. Salmanticenſes *tract.* 16. *cap.* 4. *punct.* 2. *num.* 13. „ At vero, *inquiunt*, licite & valide diſtributiones donari queunt (ſi omnino gratioſe & libere fiat) ab iis, qui eas jam poſſident; quia Concilium non prohibuit propriam donationem, ſed vel remiſſionem, vel colluſionem; & merito cum quilibet ſit ſuorum bonorum moderator & arbiter.... Diximus *ab iis, qui illas jam poſſident*; ante poſſeſſionem namque, quia non habent niſi jus ad illas, donatio illarum remiſſio eſt, quæ a Concilio prohibetur...,. eæ tunc poſſideri cenſentur, cum ſunt a Capitulo diſtributæ, & intereſſentibus aſſignatæ &c." Cavenda tamen colluſio tacita eſt, ut optime notat P. Daniel Concina *tom.* 2. *lib.* 2. *diſſert.* 2. *cap.* 11. §. 2. *num.* 4. Nam ſi Præbendati, ſeu Canonici abſentes mutuo ſibi diſtributiones perceptas donarent; ex tacita quadam colluſione ipſa donatio illicita, & invalida foret ob implicitam colluſionem prohibitam a Concilio. Quare donatio hæc, *ſubdit*, inter Præbendatos ſemper ſuſpecta eſt, periculique plena. Qui plura de Diſtributionibus deſiderat, adeat P. Lucium Ferraris tum *V. Abſens art.* 2. tum V. *Diſtributiones quotidianæ art.* 1. & 2. in quibus fuſo calamo exponit, quinam Diſtributiones quotidianas acquirant, & quinam eas amittant, ac inſuper *art.* 3. varia S. C. Decreta ad rem facientia ſummarie adducit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XII.

DE

BENEFICIIS

ECCLESIASTICIS.

Cum Beneficia Eccleſiaſtica primario inſtituta fuerint ad cultum Deo exhibendum per ſpirituales functiones; cumque ſit unus ex titulis, ex quibus obligatio Horarum perſolvendarum conſurgit; ſitque demum vitii Simoniæ, Religioni adverſantis, peculiaris & ampla materies; propterea de iiſdem hic opportunius, quam alio loco diſſerendum cenſuimus; ex eo enim capite, quo Dei cultum honoremque inſpiciunt, ad virtutem Religionis pertinere manifeſte cernuntur: ex illo autem, quo ſunt titulus præcipuus obligationis Horarum, illarum diſſertationem aptiſſime ſubſequuntur: ex eo demum, quo Simoniæ ſunt ſpecialis materies, diſſertationem de eadem congruentiſſime antecedere debent. Sit igitur.

§. 1. *De Beneficii Eccleſiaſtici notione, variaque Diviſione.*

Beneficii notio. I. Beneficium Eccleſiaſticum eſt jus perpetuum, Eccleſiæ auctoritate conſtitutum, percipiendi fructus, ex bonis Eccleſiaſticis, perſonis Clericalibus competens, ob aliquod officium ſpirituale. Dicitur jus perpetuum, quod nempe ex inſtitutione ſua perpetuo durare debet; proinde ſi uni auferatur, alteri tribuendum ſit, & ita ſucceſſive: & ideo penſio, quamvis perpetua, non eſt beneficium; tum quia ex ſui inſtitutione non eſt perpetua, ſed perpetuitatem ſortitur ex beneplacito conferentis; & mortuo penſionario, non eſt alteri concedenda. Dicitur auctoritate Eccleſiæ conſtitutum, quia niſi auctoritate Pontificis, aut Epiſcopi inſtitutum ſit, aut aliter inſtitutum ſaltem confirmaverit Pontifex, vel Epiſcopus, non eſt beneficium: inde Capellaniæ non collativæ ſeu laicales etſi perpetuæ, non ſunt beneficia; quamvis poſſint eſſe tituli patrimonii pro Ordinibus ſuſcipiendis. Dicitur ex bonis Eccleſiaſticis, quæ ſcilicet vel donatione, vel legato, vel emptione &c. acquiſita fuerint Eccleſiæ. Dicitur Clericali perſonæ competens, ideſt ſaltem clericali tonſura ſervitio Eccleſiæ adſcriptæ. Hinc beneficia non ſunt præbendæ illæ, quæ dantur laicis de Eccleſia benemerentibus, de quibus dicetur de Simonia. Dicitur ob ſpirituale officium præſtandum, puta recitandi horas canonicas, aſſiſtendi & canendi in choro, celebrandi, Sacramenta miniſtrandi, &c.

Quotuplex ſit Beneficium generatim? II. Beneficium dividitur primo in Sæculare, & Regulare: primum confertur Clericis ſecularibus, ſecundum Clericis regularibus. Electivum, patronatum, & Collativum. Dividitur ſecundo in Electivum, Patronatum, & Collativum ſeu liberum: Electivum acquiritur per electionem eorum, ad quos jus eligendi ſpectat, quam ſequitur confirmatio Superioris. Patronatum acquiritur præſentatione aut nominatione Epiſcopo facta ab eo, qui jus habet præſentandi. Collativum eſt illud quod libere confertur independenter ab electione aut præſentatione. Manuale, & non Manuale. Dividitur tertio in Manuale, & non Manuale: primum poteſt ad nutum collatoris auferri, & idcirco quia ei deeſt perpetuitas, deficit a proprietate Beneficii. Secundum eſt illud quod auferri non poteſt, niſi ob delictum, vel irregularitatem. Simplex & Duplex. Dividitur quarto in ſimplex, & duplex: Simplex non habet adnexam neque curam animarum, neque præeminentiam, neque juriſdictionem externam, neque adminiſtrationem, neque dignitatem: talia ſunt Capellania, Simplex Canonicatus, & Præſtimonium. Duplex eſt illud quod aliquid recenſitorum habet adjunctum: & ſunt Epiſcopatus, Parochia, Abbatia, Præpoſitura, Cantoria, Theſauraria &c. Titulare & Commendatum. Dividitur quinto in Titulare, & commendatum: primum confertur ad totam vitam cum plenitudine juris: ſecundum datur ſolius adminiſtrationis & cuſtodiæ cauſa: ſi autem detur ad vitam Commendatarii, tunc æquivalet Titulari; & conveniunt ei omnia pene jura, quæ conveniunt Titulari; & æquivalet tunc Commenda beneficio in Titulum dato. De Commenda agetur dum de Simonia ſermo fiet. Compatibile, & Incompatibile. Tandem dividitur in Compatibile, & Incompatibile: primum compati poteſt cum altero, quippe cujus munera impleri queunt ab habente alterum beneficium, quin impediantur etiam munera iſtius. Secundum compati non poteſt cum altero, ita ut munera alterutrius ſint omittenda: & hujuſmodi ſunt quæ requirunt reſidentiam perſonalem, quæ curam habent

bent animarum, quæ ſunt inſtituta in eadem Eccleſia ad eumdem finem, & cum eodem onere, puta duo Canonicatus in eadem Eccleſia.

§. II. *De variis modis conſequendi Beneficia.*

Sex modi obtinendi Beneficia.

I. Cum Beneficia nec valide nec licite obtineri queant abſque inſtitutione, ut docemur a prima regula juris in 6., idcirco ſex recenſentur modi, quibus beneficia inſtituuntur, videlicet per Collationem liberam; per Præſentationem, quam ſubſequitur inſtitutio; per Electionem, cui adjungitur confirmatio; per Poſtulationem, quam ſequitur admiſſio; per Reſignationem, quæ acceptatur in favorem alterius; & per Permutationem, quæ approbetur. Aliquando obtinentur per ſolam Electionem habentis jus, quin alia requiratur confirmatio, quæ dicuntur electiva collativa, ad differentiam electivorum confirmationem requirentium, quæ etiam Confirmativa nuncupatur.

Quomodo acquirantur per Collationem Liberam? ubi plura notanda.

II. Collatio Beneficii libera eſt conceſſio juris in Beneficium, independenter a præſentatione, & nominatione alterius, facta ab illo qui poteſtatem conferendi habet; & diſtinguitur ab Inſtitutione ſtricte accepta, quæ eſt conceſſio juris, ſed non libera; quia tenetur Prælatus confirmare præſentatum, vel electum, niſi obſit indignitas præſentati, aut electi juridice probata. Summus Pontifex ut ſupremus Eccleſiæ diſpenſator jus habet conferendi beneficia in tota Eccleſia; & tribus modis poteſt illa conferre; primo jure præſentationis, ut quando confert alicui expectativam ad beneficium primo vacaturum: Secundo jure concurſus cum Epiſcopis aut aliis collatoribus; & in hoc caſu valet collatio ejus, qui prior contulit. Tertio, jure devolutionis, quando ex diſpoſitione canonum collatio devolvitur ad ipſum, ratione criminis, vel negligentiæ collatoris: ſi enim dignitates, & beneficia, infra Epiſcopatum, & Abbatiam, non conferantur intra ſex menſes a die, quo collator notitiam habuit vacationis, vel illa indigno contulerit; collatio jure devolvitur ad Archiepiſcopum, vel alium proximum Superiorem; & ab iſto ad Pontificem. Pontifex autem aut nunquam, aut rariſſime utitur juribus præventionis, aut concurſus, quamvis in multis Eccleſiis reſervet ſibi aliquot menſes, quibus vacationes evenientes ad ipſum pertineant, relinquendo alios menſes Ordinariis. Epiſcopus eſt primus collator beneficiorum ſuæ Diœceſis, niſi ex fundatione, vel conſuetudine legitime præſcripta jus conferendi ſpectet ad alterum, puta ad Capitulum aut Decanum, aut ad Præpoſitum, aut ad alterum Eccleſiaſticum. Notandum tamen, quod, Sede vacante, Capitulum non poteſt libere conferre beneficia; exceptis illis, quæ Epiſcopus una cum Capitulo ſolebat conferre. Poteſt tamen Capitulum, Sede vacante, inſtituere præſentatos, confirmare electos, recipere reſignationes, nec non cauſas permutationis, & etiam beneficia unire ex legitima cauſa. Hæc omnia deducuntur ex variis locis juris, quæ citantur ab Auctoribus.

Quomodo acquirantur per præſentationem? plura notanda circa præſentationem?

III. Præſentatio eſt exhibitio perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ a Patrono etiam laico fit Epiſcopo, aut alteri Superiori Eccleſiaſtico; qui Superior inſtituit præſentatum, & confert eidem jus in re ad beneficium: cum præſentatio conferat dumtaxat jus ad rem. Superior tenetur præſentatum inſtituere, niſi probetur indignus. Plura de jure Patronatus dicentur, dum diſſeremus de Simonia. Patrono laico quatuor conceduntur menſes a die notitiæ vacationis beneficii. Patrono autem Eccleſiaſtico conceduntur ſex menſes: & niſi infra dicta tempora Patronus provideat præſentando perſonam, poteſt Epiſcopus conferre beneficium ei, qui ſibi placuerit. Si duo, vel plures ſint Patroni, & quiſque ſuum præſentatum exhibeat, aut nominet, poteſt Superior, ad quem ſpectat inſtituere, præferre illum qui ſibi dignior videtur. Quando vero plures Patroni diſſident ab invicem, debet Superior illum inſtituere, in quem major numerus Patronorum conſpirat. Si autem hæc promotio abſque ſcandalo fieri nequeat, poteſt Superior alium etiam non præſentatum eligere. Si Patronus Eccleſiaſticus duos ſucceſſive præſentet, debet a Superiore ille inſtitui, qui prior fuit præſentatus: quando autem id fit a Patrono laico, poteſt Superior eligere illum, qui ſibi dignior videtur. Ratio differentiæ eſt, quia Patronus Eccleſiaſticus cenſetur digniorem primo præſentare: Patronus autem laicus putatur digniorem non diſcreviſſe. Si autem Patronus Eccleſiaſticus plures ſucceſſive præſentans, præſentet primo loco indignum, excidit pro illa vice a jure præſentandi, & neuter præſentatorum eſt inſtituendus, quia Patronus di-

Digitized by Google

diſapſus eſt a jure præſentandi. Patronus non poteſt ſeipſum præſentare; poteſt tamen a Superiore motu proprio inſtitui. Patronus poteſt etiam proprium filium præſentare, dummodo ſit idoneus. Si a Patrono laico indignus præſentetur, jubendum eſt ei ut alterum dignum præſentet: quæ juſſio non fit Patrono Eccleſiaſtico ob datam rationem. Hinc apparet, quomodo Præſentatio vix differat a Nominatione, quibuſdam Principibus a Pontificibus conceſſa. Hæc omnia ſunt deprompta ex variis juris capitibus titulo de jure Patronatus.

Quomodo acquiratur per Electionem? ubi plura notanda.

IV. Electio eſt deſtinatio perſonæ idoneæ ad beneficium vacans, facta per ſuffragia eligentium. Per ipſam electus acquirit jus ad rem ſeu beneficium, cui electo confertur jus in re ſeu in ipſo beneficio per confirmationem Superioris; ante quam nulla adminiſtratio ei competit, quam ſi exerceat, tanquam intruſus, perdit jus quod habebat ad rem. Electio triplici modo fieri poteſt, primo per ſcrutinium, quando quiſque eligentium dat ſecreto votum ſuum; ſecundo per compromiſſionem, quando ex communi conſenſu eligentium relinquitur electio aliquibus duntaxat, aut etiam uni: tertio per conſpirationem, quando eligentes communi voce, abſque ſuffragiis in electionem alicujus conveniunt. Ad valorem electionis requiruntur tria: primum quando agitur de electione virorum, ut electores ſint ſaltem Subdiaconi: ſecundum, ut omnes electores vocentur, quamvis non requiratur ut omnes interveniant, qui noluerint: tertium, ut ille cenſeatur electus, in quem vel omnes vel major & ſanior pars vocalium convenerit; ſanior autem pars dicitur, quæ obſervat canonum præſcripta in electione. Hæc omnia ſunt deprompta ex variis capitibus de electione in 6., & ex Concil. Tridentino.

Quando acquirantur per Poſtulationem?

V. Poſtulatio eſt ſupplex petitio vocalium facta Superiori, ut ſuper perſonam, alioquin ineligibilem ob aliquem defectum diſpenſabilem, aut impedimentum canonicum, diſpenſet, ad hoc ut poſſit eligi ab beneficium, vel dignitatem &c. Si tamen interea major pars vocalium ad eligendum alterum procedat; electio prævalet, quippe quæ ſit conformior juri. Requiritur deinde confirmatio, ut dictum eſt ſupra.

Quomodo acquirantur

VI. Reſignatio eſt ſpontanea beneficii dimiſſio coram legitimo Superiore. Duplici modo fieri poteſt: primo ſimpliciter, nempe abſque appoſita conditione aliqua; & hæc poteſt fieri coram illo Superiore, cujus eſt conferre illud beneficium, & inſtituere. Secundo conditionaliter, addendo conditionem aliquam, quæ duplex eſſe poteſt, nempe ut conferatur alicui perſonæ, puta nepoti; & hæc dicitur in favorem; vel ut ille, in cujus favorem reſignatur, reſignet pariter aliud Beneficium, vel cedat penſionem annuam, & hæc dicitur reſignatio ſub onere. Ut ſit licita utraque hæc reſignatio, novem requirit conditiones: primo, ut beneficium quod reſignatur ſit revera reſignantis; cum ſit ceſſio proprii juris. Secunda, ut ſit ſpontanea, ideſt nullo modo voluntarium minuente extorta. Tertia, ut fiat in manu Papæ. Quarta; ſi beneficium ſit Patronatum, ut habeatur aſſenſus Patroni. Quinta, ut acceptetur a Papa; ante quam acceptationem reſignans non amittit jus ſuum. Sexta, ut beneficium reſignatum ei detur, in cujus favorem reſignatur, & illis conditionibus; aliter proviſio caret valore: quia beneficium non vacaret; cum reſignans nonniſi tali modo reſignare velit. Septima, ut acceptetur ab eo, in cujus favorem fit: unde quamvis Superior reſignationem acceptet, niſi acceptetur a reſignatario, jus remanet in reſignante. Octava, caſu quo reſignans eſſet infirmus, debet ſupervivere viginti dies poſt reſignationem, aliter, interveniente ejus obitu, beneficium vacaret, & collatio facta reſignatario nulla eſſet. Nona, ut reſignatio facta in Romana Curia debeat publicari in loco beneficii intra ſex menſes computandos a die ſupplicationis oblatæ: ſi vero reſignatio fiat cauſa permutationis extra Curiam Romanam, debet publicari intra menſem; aliter ſi reſignans decedat, priuſquam reſignatarius cœperit poſſeſſionem, beneficium cenſebitur vacans per obitum, & collatio facta irritatur. Omnia ſunt deprompta ex variis juribus, & reſpective ex regulis Cancellariæ.

per Reſignationem? ubi plura notanda.

Conditiones ad reſignationem ſitcitam requiſitæ.

Aliæ conditiones valde notandæ ad licitam reſignationem.

VII. Præterea, & valde notandum, ut reſignatio in favorem ſit licita, debet fieri in utilitatem Eccleſiæ, nempe eo quod reſignatarius judicetur magis idoneus: Si enim reſignatio fieret, (& idem dicas de Permutatione, de qua ſtatim) ob conſanguinitatem, vel alio affectu ſenſibili & carnali, eſſet illicita, ut videbimus ex S. Thoma, dum de Simonia: quod ſi fieret ob commodum temporale, eſſet etiam ſimoniaca ſaltem mentaliter. Væ igitur re-

ſignantibus! Inſuper illicitum eſt in mortis periculo reſignare beneficium ſub conditione etiam tacita revertendi ad illud, ſi convaleſcat: ita ex Trid. ſeſſ. 25. cap. 7., & ex Bulla 134. Pii V., & hic regreſſus non eſt concedendus. Item ut reſignatio cum reſervatione penſionis ſit licita, vel permutatio cum tali penſione, requiritur præter facultatem Papæ, cauſa juſta (nota bene) quæ ſit indigentia reſignantis, quia nulla alia juſta cauſa eſſe poteſt: & primo quidem non ipſa reſignatio, eo quod jus percipiendi fructus fundatur in titulo, miniſterio, & officio tanquam conſequens miniſterium &c.; unde omnes fructus ex juſtitia ad illum pertinent, qui habet titulum, & miniſterium obit: ſecundo, non meritum miniſterii præteriti fideliter præſtiti; eo quod pro eo tempore jam fructus percepit & juſto ſtipendio remuneratus fuit. Vę iterum reſignantibus! Demum ut reſignatio etiam ſimplex ſit licita, debet fieri ob juſtam cauſam, quæ concernat utilitatem Eccleſiæ, vel bonum ſpirituale ipſius reſignantis, ſi enim ob alios fines temporales fiat, aut perpetuandi beneficium in Familia, vel augendi commoda amico &c., non vacabit a culpa, & non raro a ſimonia ſaltem mentali; væ iterum reſignantibus! Hæc ſunt ex variis juribus deprompta.

Extat Conſtitutio Benedicti XIV. f. r. quæ incipit *In ſublimi &c.* edita 4. *Kalend. Septemb.* 1741. *Tom.* 1. *Bullarii n.* 30. in qua Reſignationes Beneficiorum cum reſervatione penſionis, & pacto eas caſſandi prohibentur, & annullantur. Conſtitutionis hujus ſumma capita ſunt hæc. 1. Exponitur abuſus reſignationum cum reſervatione penſionis, & pacto eam abolendi; fraudes inſuper deteguntur adhiberi ſolitæ ad extorquendum aſſenſum Apoſtolicum, ac mala inde conſequentia. 2. pacta caſſationis Penſionis contemporanea Reſignationi damnantur, & annullantur. 3. Irritantur abolitiones Penſionum per anticipatas ſolutiones obtentę intra ſex menſes a capta poſſeſſione Beneficii. 4. Tam Reſignans, quam Reſignatarius Beneficio privatur ipſo facto, & inhabilis ad alia aſſequenda declaratur; ac inſuper pecuniæ pro caſſatione penſionis perceptæ reſtitui jubentur. 5. Abrogantur etiam omnes, & ſingulæ ceſſiones ſeu translationes in ipſum Reſignatarium, aut in aliam perſonam, commodi, ſeu utilitatis percipiendi fructus penſionum hujuſmodi, nec non aliæ quæcumque ceſſiones, translationes, reſignationes, extinctiones, abolitiones, quovis modo, titulo, nomine, colore & auctoritate, per anticipatas ſolutiones, ſeu repræſentata pecunia factæ intra dictum tempus ſex menſium; & etiam ultra id temporis ſpatium, dummodo reprobum illud, & deteſtabile pactum præceſſiſſe conſtiterit. 6. Demum adduntur clauſulæ ſalutares, & derogationes ampliſſimæ etiam quoad præſervationes in Reſignationibus adjectas. Videſis etiam aliam ejuſdem S. P. Conſtitutionem evulgatam die 24. *Junii* 1746. cujus initium eſt *Eccleſiaſtica &c.* in qua occurritur abuſibus in expeditione reſignationum Beneficiorum inductis ad eludendam Conſtitutionem Gregorii Papæ XIII. incipientem *Humano &c.*, & in qua iterum damnatæ, & prohibitæ declarantur hujuſmodi Reſignationes cum reſervatione penſionum, & pacto eas extinguendi. Habetur hæc Conſtitutio *tom.* 2. *præcit. Bullarii numer.* 10.

Quomodo acquiratur Permutatione? ubi plura notanda.

VIII. Permutatio eſt mutua reſignatio, facta eo fine, ut permutantes ſibi viciſſim propria beneficia reſignent. Quando permutatio eſt ſimplex, ſufficit conſenſus Epiſcopi, vel Epiſcoporum, in quorum Diœceſi exiſtunt beneficia; quando vero permutatio eſt cum onere, requiritur facultas Pontificis. Quando beneficia ſunt inæqualia quoad dignitatem, vel juriſdictionem, dicemus de Simonia, quod ſi compenſetur hujuſmodi inæqualitas aliquo temporali, ſit crimen Simoniæ contra jus Divinum; ſi autem ſint inęqualia quoad proventus, poteſt ſolus Pontifex penſionem imponere beneficio pinguiori tanquam conditionem, ut alter ſervetur indemnis. Si, ſecuta permutatione, beneficium alterius deprehendatur liti obnoxium, tenetur is qui illud reſignavit litem proſequi; & ſi evincatur, alter redire debet ad ſuum beneficium, ſine nova proviſione, aut immiſſione in poſſeſſionem. Ut autem permutatio licita, & abſque culpa ſit, illius motivum debet eſſe ſpirituale, nempe aut amplior Dei cultus, aut uberior Eccleſiæ utilitas, aut copioſior animarum profectus, aut major ſpiritualis utilitas permutantium, ut melius Deo vacare poſſint: quod ſi fiat ob aliquod temporale motivum aut commodum, erit Simonia, ita docente Angelico in 4. d. 25. q. 3. a. 3. ad 8. *In permutatione eſt Simonia, ſi pro aliquo terreno commodo utriuſque vel alterius, talis commutatio fiat; ſi autem pro aliquo ſpirituali, ut-*

pote

pote hic quia in illo loco melius poſſit Deo inſervire, non eſt Simonia: væ etiam permutantibus. Hæc quoque ex variis juribus ſunt decerpta, omnia autem ex probatis Auctoribus.

§. III. *De ſubjecto Beneficiorum Eccleſiaſticorum, nec non de conditionibus in eo requiſitis.*

Conditiones requiſitæ in beneficiario; prima quod ſit legitimus.

I. PRima conditio requiſita in eo, cui conferendum eſt beneficium, eſt quod ſit legitime natus; nam illegitime natus eſt irregularis irregularitate ſoli Pontifici reſervata. Et nota, quod ſi Pontifex diſpenſet ad beneficia ita in genere, non cenſetur diſpenſare ad habentia curam animarum, neque ad dignitates, quæ ſunt beneficia habentia præeminentiam, & juriſdictionem Eccleſiaſticam; neque ad Perſonatus, qui ſunt beneficia habentia adnexam præeminentiam, nempe locum in choro, in Capitulo, proceſſione, in dando ſuffragio; at ſine juriſdictione. Neque ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis. Ad beneficium tamen ſimplex, non requirens Ordinem Sacrum, quem requirit canonicatus in Eccleſia cathedrali, poteſt Epiſcopus diſpenſare; excepto loco illo, ubi ſuus pater eſt, vel fuit præfectus, aut Canonicus: ita ex variis juribus.

Requiritur Status Clericalis.

II. Secunda conditio eſt Status Clericalis ſeu prima Tonſura, ſine qua collatio cujuſvis beneficii eſt invalida. Quod ſi beneficium ex lege, vel ex ſua inſtitutione aliquem Ordinem requirat, qui caret eo Ordine eſt ineptus illo beneficio. Conſuetudo tamen permittit, ut Ordo ſuſcipiatur infra annum, nec ultra differatur: ita ex variis juribus.

Ætas competens.

III. Tertia conditio eſt ætas competens, quæ pro Epiſcopis & Abbatiſſis debet eſſe ſaltem triginta annorum completorum: pro Abbatibus & Parochis ſaltem viginti quatuor completorum: pro recipiendis beneficiis duplicibus non curatis, ſaltem viginti duorum annorum completorum: pro recipiendis beneficiis ſimplicibus ſaltem quatuordecim annorum inchoatorum. In Canonicis Cathedralium requiruntur ſaltem viginti & unus anni, quia debent eſſe Subdiaconi, ſaltem infra annum. Circa hoc tamen videtur Epiſcopus poſſe diſpenſare ſtudiorum cauſa, ita ut inchoato decimo quarto anno fiat canonicus, pergens interea ad ſtudium, cum obligatione horarum, donec ſtudiis abſolutis, redeat ad Cathedralem, proxime ordinandus in Subdiaconum: ita ex Concilio Trid. variis locis.

* In Gallia ad Epiſcopatum ſufficit inchoatus annus 27. ex Concord. Lege P. Antoine *tract. de Benef. Eccleſ.* §. 4. q. 4. n. 3.

Cælibatus.

IV. Quarta conditio eſt Cælibatus; ita ut ſi Clericus habens minores Ordines poſſideat beneficium, illud ipſo facto amittat, uxorem ducendo. Conjugatus autem non poteſt admitti ad beneficia. Ex variis capitibus de Cleric. Conjug.

Immunitas ab omni cenſura, & irregularitate.

V. Quinta conditio eſt Immunitas ab Irregularitate, etiam occulta, & ab omni cenſura; ita ut nedum ipſo facto irrita ſit collatio beneficii facta hujuſmodi Clerico, verum etiam ejus electio, præſentatio, aut reſignatio ipſi facta: ita ex variis capitibus juris.

Morum probitas.

VI. Sexta conditio eſt probitas morum, ſi tamen beneficium conferatur improbo, non eſt ipſo facto irrita collatio, ſed irritanda; niſi forte delictum haberet adnexam cenſuram, vel irregularitatem: ita ex variis juribus.

Scientia.

VII. Septima eſt ſcientia, quæ varia eſſe debet juxta beneficiorum diverſitatem, & ad munera Beneficio annexa recte obeunda ſufficiens. Ex c. 7. de elect. & Trid. ſeſſ. 22.

Corporis aptitudo.

VIII. Octava eſt corporis aptitudo, qualis requiritur ad munera beneficii convenienter obeunda. Infirmitas tamen ſuperveniens, quæcumque illa ſit, non privat beneficio poſſeſſo, ſed ſuppleri debet vel per œconomum, vel per alium miniſtrum, juxta conditionem beneficiorum.

Vocatio Divina.

IX. Nona eſt Vocatio Divina, interior videlicet inſpiratio, quæ cum piis & doctis viris eſt conſultanda: væ autem, ſi beneficium procuretur ob motivum non divinum! circa hoc plura dicturi de Simonia.

Intentio perſeverandi in ſtatu eccleſiaſtico; non mutanda.

X. Decima eſt Intentio perſeverandi in ſtatu Eccleſiaſtico, & ſuſcipiendi Ordines a ſuo beneficio requiſitos; aliter peccatum eſſet lethale; niſi forte aliqua occurrat juſta cauſa, quæ ſtatum mutare ſuadeat. Quia Eccleſiæ intentio, & fundatorum eſt, providere de miniſtro, qui ipſi Eccleſiæ inſerviat, ſeque divino cultui devoveat, & non aliter. Qui igitur recipit beneficium cum intentione ducendi uxorem ſuo tempore; vel illud reſignandi ſimpliciter, quouſque ſuis negotiis providerit; vel donec ſtudia perſolverit; vel reſignandi il-

Digitized by Google

lud alteri, vel alia conſimili intentione, juxta omnes mortaliter peccat, quia in re gravi Eccleſiam decipit, & fundatores: multi tamen ab onere reſtituendi fructus perceptos illum abſolvunt, dummodo ſuis oneribus integre ſatisfecerit. Qui autem recipit beneficium Parochiale ſine animo ſuſcipiendi infra annum Ordinem Sacerdotalem; ultra peccatum mortale, tenetur reſtituere fructus perceptos ante ſententiam Judicis: ita ex cap. *Commiſſa* 36. de elect. in 6. Si vero voluntatem mutet, & reapſe infra annum fiat Sacerdos, poterit illos retinere. Qui recipit beneficium, non dico parochiale, ſed cui animarum cura eſt adnexa, tenetur etiam hic ante annum fieri Sacerdos; aliter beneficio privatur ipſo facto, niſi forte juſta cauſa differendi intervenerit: ita ex c. 35. de elect. in 6. Demum recipiens beneficium non parochiale, cui adnexus eſt Ordo Sacer, debet ſub mortali habere animum ſuſcipiendi illum ordinem ſuo tempore; non tamen imponitur ipſi obligatio reſtitutionis proventuum; dummodo per Vicarium ſatisfecerit muneri ſuo.

Conditiones requiſitæ a Penſionariis Clericalibus.

XI. Conditiones requiſitæ a Penſionariis Clericalibus, ut valide & licite penſiones accipiant, ſunt; prima, quod habeant Tonſuram Clericalem; quod nec ſint illegitimi, nec conjugati, nec ulla cenſura detenti, nec irregulares: ſi vero penſio ſit mere ſpiritualis, nempe data ob officium aliquod ſpirituale, cathechizandi, concionandi &c.; debent poſſe, & velle præſtare tale munus: ſi vero ſit mixta, nempe requirens quidem ſtatum clericalem, ſed abſque ullo munere præſtando, requiritur ut non habeant aliunde ad ſe honeſte ſuſtentandum. Secunda conditio eſt, ut ſit collata a Pontifice, qui ſolus jure communi talem facultatem habet, ob honeſtum, & juſtum motivum: unde Epiſcopis tale jus non competit, niſi in aliquibus caſibus a Trident. ſeſſ. 21. cap. 6., & ſeſſ. 23. c. 18. indicatis, qui ſunt ob paupertatem, & ſenectutem ejus qui beneficium reſignat; ob componendam litem, & ob inæqualitatem fructuum in permutatione beneficii; debet tamen a Pontifice confirmari. Tertia, ut adſit juſta cauſa Penſionis ponendæ, ſine qua peccant graviter tam penſionem imponens, quam recipiens illam: imponens, quia abutitur ſua poteſtate in præjudicium beneficii, a quo decerpenda eſt penſio: recipiens, quia rem illegitime poſſidet, eo quod pertineant de jure omnes beneficii fructus ad beneficiarium; & proinde non poſſint decerpi ad diteſcendum alterum: & idcirco quando una penſio ſufficit ad honeſtam ſuſtentationem; non poſſunt aliæ obtineri. Quarta, quod ſit moderata; ita ut relinquatur beneficium ſufficiens ad honeſtam juxta proprium gradum ſuſtentationem: & propterea ex conſuetudine non debet excedere tertiam partem proventuum: quamvis relinquatur conſcientiæ & prudentiæ Pontificis aliter agere.

§. IV. *De Obligationibus Nominantium, Præſentantium, Eligentium &c. ad Beneficia.*

Quiſnam dicatur indignus ad beneficium? quiſve dignus?

I. INdignus ad beneficium dicitur ille, qui non eſt aptus ad miniſteria beneficii obeunda, vel ob inſcitiam, vel ob præcipitem imprudentiam, vel ob mores corruptos, vel ob quoſvis alios defectus animæ, aut corporis, qui muneribus beneficii convenienter præſtandis adverſantur. Immo juxta S. Th. quodlib. 8. q. 4. art. 6. *Per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus, ad quodlibet ſpirituale exequendum*: quæ verba puto intelligenda de peccato mortali aut habituali, aut aliqualiter frequenti. Dignus autem ille eſt, qui præter morum probitatem, idoneitate pollet ad munera beneficii, ad quod eſt eligendus. Dignior, qui majori pollet idoneitate: & circa hoc ait S. D. 2. 2. qu. 63. a. 2. *Dignitas alicujus Perſonæ poteſt attendi dupliciter, uno modo ſimpliciter & ſecundum ſe; & ſic majoris dignitatis eſt ille, qui magis abundat in ſpiritualibus gratiæ donis: alio modo per comparationem ab bonum commune: contingit autem quandoque, quod ille cui eſt minus ſanctus, & minus ſciens, poteſt magis conferre ad bonum commune.... Et quia diſpenſatores ſpiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem, ... ideo quandoque in diſpenſatione ſpiritualium illi qui ſunt ſimpliciter minus boni melioribus præferuntur.* Hinc dignior ad beneficium ille eſt judicandus, qui ſufficienti probitate donatus, majori pollet idoneitate ad beneficii munera obeunda, ad quod eligitur, attentis circumſtantiis locorum, perſonarum, & difficultatum emergentium.

Indignum promoventes qualiter peccent?

II. Certum eſt apud omnes, quod ſi nominans, præſentans, eligens, ſuffragium dans &c. promoveant indignum, graviter peccent & contra charitatem proximi debitam, & contra juſtitiam a ſuo munere,

& ab

Digitized by Google

& ab Eccleſia requiſitam; & teneantur ad omnia damna per hanc promotionem Eccleſiæ illata: quæ promotio aliquando eſt ipſo facto irrita, ut videbitur de Simonia; vel ſaltem ſemper irritabilis, ut docet Trid. ſeſſ. 7. cap. 3. *Aliter autem facta collatio, ſive proviſio omnino irritetur*. Certum quoque modo eſt, omnes, qui quovis modo concurrunt ad proviſionem beneficii curam animarum habentis, non ſatisfacere obligationi ſuæ, graviterque peccare, ſi eligant dignum, relicto digniore, quem promovere poſſint. Tum quia id clare ſtatuitur a Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. *Omnes & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus habent, aut alioquin operam ſuam præſtant ..... mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint*. Tum ex reprobatione theſis 47. facta ab Innocentio XI., in qua pernicioſe explicabantur verba Concilii: *Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent: Concilium vel primo videtur, per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concurſus*. Heu temeritatem theologizantium, ut latiorem & ſpatioſiorem reddant viam, quæ ducit ad perditionem! Igitur etiam extra concurſum, promovendus eſt dignior, ſi haberi poſſit. Promoto itaque vel indigno, vel digno, relicto digniore concurrente, reſtitutio facienda eſt Eccleſiæ & Communitati, ſi quæ damna eiſdem emerſerint ex facta promotione; & etiam ipſi digniori concurrenti poſthabito; quia etiam reſpectu iſtius violata eſt juſtitia commutativa, dum per concurſum acquiſivit jus ad rem, quæ ipſi debebatur: ſi autem non concurrat, nullum illius jus violatur, ſed dumtaxat violatur juſtitia diſtributiva: quæ ex ſe ſola non infert debitum reſtitutionis. Communitati tamen, & Eccleſiæ pro damnis ſemper eſt reſtitutio facienda, ob violatam commutativam; quia ab Eccleſia, & Communitate, aut alio Superiore jus acceperunt promovendi, eo pacto, ut digniorem promoverent: ita omnes.

Dignior ſemper eſt promovendus ad beneficia curata.

Cui reſtitutio facienda in electione minus digni?

III. Hoc idem communiter affirmatur de aliis beneficiis, quibus adnectuntur munera magni momenti, magnæque conſequentiæ, nempe munus docendi, confeſſiones audiendi, cathechiſmum faciendi, concionandi, & ſimilia. At quæſtio acris eſt, an ſimiliter dignior ſit eligendus, quando agitur de beneficio ſimplici, nullum afferente munus ex prædictis. Præmitto, quoſdam poſſe caſus evenire, in quibus non ſit culpabile promovere ad beneficium ſimplex minus dignum, relicto digniore: puta quando providendus eſt Sacerdos alioquin dignus qui pene conficiatur inopia; aut ſi digniores reſervarentur pro beneficiis curatis; vel ut Parochus removeatur a beneficio, cui eſt impar; vel ut evitetur electio indigni, quæ prudenter eventura prævidetur; vel ob aliud ſimile rationabile, aut pium motivum, a charitate vel prudentia propoſitum. His præmiſſis.

Dignior eligendus

Etiam a beneficiis nonnullis miniſteriis affecta.

IV. Dicendum videtur cum probabiliori, quod etiam ad beneficia ſimplicia, quamvis extra concurſum, eligiendi ſint digniores ſub mortali. Colligitur ex cap. unico *ut Eccleſiæ beneficia*, ubi Joannes III. reſpondet Archiepiſcopo Mediolanenſi, & loquitur de beneficio non curato: *Non ex affectu carnali, ſed diſcreto judicio debuiſti Eccleſiaſticum officium, & beneficium in perſona magis idonea diſpenſare*. Idem ſæpe docet S. Th. 2. 2. q. 63. a. 3. ad 1. *Si minus digni & ſimpliciter & per reſpectum ad bonum commune dignioribus præferantur, eſt peccatum acceptionis perſonarum in diſpenſatione ſpiritualium, quorum Prælatus Eccleſiaſticus non eſt dominus, ut poſſit ea dare pro libito, ſed diſpenſator*. Et in a. 2. ad 3. *Ad hoc quod electio impugnari non poſſit in foro judiciali, ſufficit eligere bonum .... Sed quantum ad conſcientiam eligentis, neceſſe eſt eligere meliorem .... quia ſi poteſt haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet quod hoc ſit propter aliquam cauſam; quæ quidem ſi pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille quis eligitur magis idoneus; ſi vero non pertineat ad negotium, id quod conſideratur ut cauſa, erit manifeſta acceptio perſonæ*. Nomine autem cauſæ non pertinentis ad negotium indicatur cauſa beneficio impertinens, ut puta familiaritas, conſanguinitas, vel aliquid hujuſmodi. Idem docuerat quodlib. 6. a. 9. *Tenetur Epiſcopus dare meliori, ... non enim poteſt eſſe quod unum præferat alteri, niſi propter aliquam cauſam, quæ ſiquidem pertineat ad honorem Dei & utilitatem Eccleſiæ, quantum ad hoc ille erit melior; ſi autem illa cauſa ad hoc non pertinet*,

Etiam ad beneficia ſimplicia dignior eſt eligendus: & probatur auctoritate.

tinet, erit acceptio perſonarum, quæ tanto eſt gravior, quanto in rebus Divinis committitur. Acceptio autem perſonarum eſt vitium violans juſtitiam & jus Eccleſiæ in caſu noſtro. Similiter docuit S. Antoninus 3. p. tit. 15. cap. 3. §. 3. expreſſe loquens de beneficio ſimplici, ita concludens: *Unde contempto meliore, ſanctiore, juſtiore, dare alteri, eſt grave peccatum*; & ita communius docent D. D.

Probatur rationibus. V. Rationes & quidem validiſſimæ indicatæ ſunt a S. Doctore: prima, quia etiam Summus Pontifex, & a fortiori alius quivis inferior Prelatus, non eſt dominus bonorum Eccleſiæ, ſed diſpenſator; cum beneficia ſint bona a fidelibus Eccleſiæ collata ad erigenda beneficia, ut adminiſtrentur meliori modo quo fieri poteſt; ac proinde nullus Superior eſt eorum dominus, ſed adminiſtrator; ergo tenetur eligere meliorem & digniorem. Probo conſequentiam: qui eligit minus dignum, digniore prætermiſſo, eligit ut dominus, & non ut adminiſtrator; eligit non pro merito, ſed pro ſuo arbitrio; ergo eligit ut dominus, & non ut miniſtrator; ergo uſurpat jus, ſibi non datum; & propterea injuſte agit. Quandoquidem juſtitia diſtributiva poſtulat, ut bona Communitatis, quæ in caſu noſtro eſt Eccleſia, diſtribuantur juxta meritorum proportionem. Quando igitur plus aliis merenti non datur, aut datur minus merito, cum poſſet plus merenti dari, violatur juſtitia diſtributiva. Ex hac tamen non oritur in adminiſtratores onus reſtituendi injuſte prætermiſſis; quia bona iſta Communitatis nemini in particulari ſunt debita, ita ut nullius particularis jus violetur, niſi in caſu concurſus, de quo ſtatim dicam. Tenetur autem adminiſtrator reſtituere pro damnis, ſi quæ oriantur Communitati ex præfata injuſta adminiſtratione, eo quod reſpectu Communitatis violet juſtitiam non diſtributivam, ſed commutativam, ex qua oritur reſtitutionis obligatio; quippe qui pactum tacitum habeat cum Eccleſia, providendi eidem de miniſtris, melius quam poterit; quod agere omittit, prætermittendo digniores. At in concurſu, prætermittendo digniorem concurrentem, violat reſpectu ipſius juſtitiam etiam commutativam; quando enim proponitur concurſus tacitum pactum initur, dandi beneficium, majus meritum habenti: ſi igitur prætermittatur concurrens dignior, violatur jus ad rem iſtius in particulari, & inde eligens tenetur etiam iſti de damno eidem illato. Itaque adminiſtrator præteriens digniorem ſemper tenetur de damnis ex hac præteritione ortis Communitati, & in caſu concurſus, etiam de damno orto digniori qui præteritur, proportione ſervata.

§. V. *De Pluralitate beneficiorum ab eodem beneficiario poſſeſſorum.*

I. **E**X communi, nemini licet ſimul retinere duo, vel plura beneficia, quæ reſidentiam beneficiarii requirant, niſi per legitimam diſpenſationem, quam ſolus Pontifex concedere poteſt, & quidem non ſine urgenti & juſto motivo. Ita colligitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 17. ubi concedens quod uni beneficio inſufficienti alterum poſſit adjungi, addit: *Dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat*. Ratio patet ex jure naturali: cum idem non poſſit eſſe ſimul in duplici loco. Cauſa autem legitima dipenſandi alia eſſe nequit, niſi neceſſitas aut Eccleſiæ, aut miniſtrorum in talibus locis, aut animarum, mature a Pontifice perpendenda. Non poſſunt plura retineri beneficia reſidentiam poſtulantia.

II. Non licet retinere duo beneficia etiam mere ſimplicia, niſi ex juſta & urgenti cauſa; puta quando neutrum eſt ſufficiens: eſt fere communis. Ita clariſſime laudatum Concilium loco citato: *Sancta Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti decreto, quod in quibuſcumque perſonis, quocumque titulo, etiam Cardinalatus honore, fulgeant, mandat obſervari: ſtatuit ut impoſterum unum tantum beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur; quod quidem ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri*. Tres rationes affert S. Thomas quodlibeto 9. a. 15. *Habere plures præbendas, plures in ſe inordinationes continet: primo quia ſequitur diminutio cultus Divini, dum unus loco plurium inſtituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum teſtatorum, qui ad hoc aliqua bona Eccleſiæ contulerunt, ut certus numerus Deo deſervientium ibi eſſet. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere poteſt.* Neque duo ſimplicia ſufficientia.

III. Dices, quod hujuſmodi pluralitas innocens reddi poterit ex conceſſione Pontificis: Huic quæſito aliorum audiamus reſponſa; & primo S. Bernardi lib. 3. de Conſiderat. c. 4. *Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt; utilitas dico communis,* Occurritur interrogationi.

nis, non propria. Nam cum nihil horum eſt; non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio. S. Th. loc. cit. *Licitum non eſt habere plures præbendas, ſi non adſint illæ circunſtantiæ, quæ iſtum actum poterant cohoneſtare, quantumcumque diſpenſatio interveniat eo quod diſpenſatio humana non aufert ligamen juris naturalis; ſed ſolum ligamen juris poſitivi, quod per hominem ſtatuitur, & per hominem diſpenſari poteſt .... Non eſt contra jus naturale habere plures præbendas, ſi prædictæ inordinationes* (relatæ n. præcedenti) *totaliter evacuentur: ut puta, ſi ſit neceſſitas in pluribus Eccleſiis ejus obſequii, ut poſſit plus ſervire Eccleſiæ, vel tantumdem, abſens, quam præſens; & ſi quæ aliæ hujuſmodi. Si vero aliquis hac intentione plura beneficia habeat, ut ſit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius ad Epiſcopatum perveniat; non tolluntur prædictæ deformitates, ſed augentur.* Em. Cajetani in Sum. verbo *beneficium* n. 9. *Non excuſatur peccatum mortale propter diſpenſationem Papæ, ſine rationabili cauſa. Quoniam diſpenſatio Papæ cadit ſuper jus poſitivum, & non ſuper jus divinum, aut morale: pluralitas autem beneficiorum, ſine rationabili cauſa, eſt contra jus divinum & morale quo communia Eccleſiæ bona diſtribui debent partibus Eccleſiæ.* Em. Toleti lib. 5. de Inſtr. Sacerd. c. 8. n. 4. *Ut in foro exteriori poſſit quis habere plura beneficia ſatis eſt diſpenſatio: tamen ut in conſcientia & coram Deo tutus ſit, neceſſaria etiam eſt cauſa diſpenſationis: hæc autem cauſa debet eſſe in utilitatem Eccleſiæ, vel ob ipſius Eccleſiæ neceſſitatem. Quando cauſa non eſt in bonum Eccleſiæ, non eſt bona diſpenſatio, nec eſt homo ſecurus coram Deo.* Em. Bellarmini in Inſtr. ad nepotem ſuum Epiſcopum Theanenſem: *Quia plures ſunt, qui plura beneficia poſſident cum diſpenſatione Summi Pontificis: ſciendum eſt, Pontificum diſpenſationem, quando non adeſt juſta cauſa diſpenſandi valere in foro fori, non in foro poli, ut aperte docet S. Thomas.* Hos ſequuntur plurimi alii doctrina & pietate præſtantes. Ratio autem intima eſt, quia Pontifex non eſt bonorum Eccleſiæ dominus, ſed merus diſtributor; proinde nequit de illis diſponere pro libito, ſed prout poſtulant intentio fundatorum, Eccleſiæ utilitas, & fidelium ſpiritualis profectus, quæ non ſubſiſtunt, ſi habenti congruam ſuſtentationem, altera addatur quæ poſſet alteri benemerenti ſufficere, ut exinde multiplicaretur numerus Deo, & Eccleſiæ inſervientium, qui minuitur, veſtiendo duplicibus eos, qui ſtragula ſufficientes habent.

§. VI. *De Beneficiariorum Obligationibus.*

I. PRima Beneficiariorum obligatio eſt Horarum Canonicarum perſolutio: & de hac nihil addendum ſupereſt traditis in antecedenti Capite, in quo late diſſeruimus ſuper hoc argumento. Prima eſt horarum perſolutio.

II. Secunda eſt, reſidendi in loco ſui Beneficii, & quidem ſub gravi, ſi beneficium reſidentiam poſtulet, quale eſt cui animarum cura adnectitur; vel talis naturæ ſit, ut reſidentiam in Eccleſia requirat, ut Canonicatus choro adſtrictus &c. Circa quam reſidentiam ſi beneficiarii culpabiliter, & notabiliter deficiant, præter culpam gravem, quam incurrunt; tenentur etiam ad reſtitutionem pro rata abſentiæ, ut dictum eſt in Capite laudato: de qua reſidentia late diſſerit Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1., quod quilibet beneficiarius legere, & ſcire tenetur. Motiva autem abſentiæ inculpabilis, a Concilio indicata, ſunt: *Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas.* Quando autem ob aliquam ex his cauſis Curati & Parochi abeſſe compelluntur, debet motivum exponi Epiſcopo, ab eodemque approbari, & tunc tenetur relinquere Vicarium idoneum, ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita ſtipendii aſſignatione. Ita laudatum Concilium. Hæc reſidentia non eſt intelligenda materialiter, quoad præſentiam mere localem; ſed formaliter, nempe quoad ſedulitatem in muneribus ſui beneficii præſtandis, juxta beneficiorum natura. Secunda Reſidentia.

Legenda eſt Conſtitutio S. P. Benedicti XIV. de Epiſcoporum Reſidentia, quæ incipit *Ad Univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum*, quæque extat *T. 2. Bullarii* ejuſdem Pontificis *n. 18.* Ejus præcipua capita indicantur *tom. 2. tract. 14. cap. 6. §. 5. poſt n. 12.*

III. Obligatio item Parochorum eſt, ſedulo procurare, ut ab ovibus ſibi creditis leges Divinæ, & Eccleſiaſticæ obſerventur, quod exemplo fovere ſtricte tenentur: item curare ut odia extinguantur; ſcandala tollantur; Sacramenta pie, & frequenter recipiantur; ut ſuorum Eccleſiaſticorum mores ædificent alios fideles: &, ſi diſſoluti, ſeu improbi ſint, corrigantur, implorato etiam, ſi opus fuerit, brachio Epiſcopali: curare ut opportuna inſtructio in Doctrina Chriſtiana non deſit; ut tandem Deus a grege ſuo glorificetur: ad quæ omnia a fortiori tenentur Epiſcopi, qui ſoli ſunt proprie Paſtores, quo- Parochorum obligationes.

Digitized by Google

quorum Parochi ſunt coadjutores in gregis cuſtodia, & ſpirituali nutritione. Tenentur item Parochi orare pro ſuis ovibus & ſaltem omnibus feſtivis diebus Sacrificium pro eiſdem offerre, ut Declaravit Eminentiſſimus D. Proſper Lambertinus olim Cardinalis Archiepiſcopus Bononienſis, nunc autem Benedictus XIV. feliter regnans, in t. 1. ſuarum Notificationum typis Venetis edito anno 1740., in Notificatione 10. fundamentis petitis tum ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 1., tum vel maxime ex Declarationibus Sac. Cong. anni 1681. in qua hæc habentur: *Parochos teneri pro parochianis Sacrificium applicare; atque ea cum diſtinctione, ut ſi redditus pingues ſint, ſingulis diebus: ſi vero tenues ſaltem diebus feſtivis*: & anni 1716. ſub die 8. Februarii, in qua propoſito eidem Congregationi dubio: *An Parochi non habentes congruam, teneantur applicare Miſſam pro populo ſaltem diebus feſtis? Reſpondit affirmative, cenſuitque danda eſſe decreta, alias de hac re edita: & hujuſmodi dubia amplius non proponi mandavit*. Ubi Eminentiſſimus tunc Cardinalis Archiepiſcopus, nunc Summus Pontifex, alia documenta indicat idem confirmantia; & præcipue novum reſponſum ſibi ipſi datum ab eadem Sac. Cong. ſub die 9. Auguſti anni 1732., in quo ita dicitur:... *Denique admonendi ſunt iidem Parochi, teneri eos omnibus feſtis, Miſſæ Sacrificium applicare pro populo, etiamſi minus integra congrua ex parochialibus proventibus recipiant, quemadmodum pluribus hujus Sacræ Congregationis decretis declaratum fuiſſe probe compertum eſt Eminentiæ veſtræ*.

Addenda hic etiam eſt Conſtitutio ejuſdem S. P. Benedicti XIV. edita *die 19. Auguſti 1744.*, & ad locorum Ordinarios directa, quæ incipit *Cum ſemper oblata* &c. Conſtitutionis hujus capita ſumma hæc ſunt. 1. decernitur id quod alias a Congregatione Concilii definitum eſt, nempe omnes animarum curam actu habentes teneri ad fructum medium Miſſæ Parochialis pro populo ſuo applicandum ſive il Parochi ſint, aut Vicarii ſæculares, ſive Parochi, aut Vicarii Regulares; ſive alii quicunque etiam ſpecifica, & individua mentione digni. 2. declarat, eoſdem omnes teneri ad eamdem Miſſam applicandam pro populo ſuo, licet congruis præfinitis reditibus deſtituantur, & quamvis antiqua ſeu etiam immemorabilis conſuetudo obtineat in eorum Diœceſibus, vel Parochiis non applicandi Miſſam pro populo. 3. ſtatuit, prædictos animarum Paſtores vi hujus Conſtitutionis teneri ad præfatam applicationem diebus dumtaxat feſtis de præcepto, iis etiam comprehenſis feſtis, quibus populus Miſſæ intereſſe debet, quamvis permiſſum ſit operibus ſervilibus vacare. 4. Facultatem concedit Ordinariis locorum opportune diſpenſandi Parochos egentes, & eos, qui Eccleſia Parochiali vacante, ſub Vicarii ſeu Œconomi nomine deputantur ab applicatione pro populo diebus feſtis, ut poſſint iiſdem diebus eleemoſynam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipſo Sacrificium applicare, ea tamen lege, ut tot Miſſas infra hebdomadam pro populo applicent, quot diebus feſtis intra eamdem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem alterius pii benefactoris intentionem obtulerint. 5. Quoad Vicarios, ſive Œconomos Eccleſiarum vacantium ſpectat, admonet locorum Ordinarios, eorum munus eſſe, efficere, ut Vicario, ſeu Œconomo egenti congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere applicandi Miſſam diebus feſtis pro populo. Quoad Vicarios vero actu exercentes curam animarum, quæ actu apud alios reſidet, præſcribit, ut, ſi portio fructuum eis aſſignata minime ſufficiat ad implendum onus applicationis Miſſæ pro populo diebus feſtis, locorum Ordinarii utantur poteſtate ſibi ipſis facta a Synodo Trident. Seſſ. 7. cap. 7. dum illis permiſit congruam pro temporum, & onerum ratione fructuum portionem aſſignare hujuſmodi Vicariis; & in hunc finem iiſdem Epiſcopis hic neceſſarias, & opportunas facultates impertitur. 6. Sancit, ut Miſſa conventualis, quæ ſingulis diebus canenda eſt a clero Eccleſiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum pro earumdem Eccleſiarum benefactoribus in genere quotidie applicetur, contraria conſuetudine minime obſtante. 7. In hujuſmodi Collegiatis abſolvit ab applicatione ſecundæ, & tertiæ Miſſæ, quæ ſecundum Rubricas aliquando debent celebrari, niſi aliud uſu, & conſuetudine receptum fuerit. Extat hæc Conſtitutio *Tom. 1. Bullarii n. 103.*

IV. Tenentur præterea Parochi Sacramenta ſuis ſubditis miniſtrare quoties illa rationabiliter petunt, & niſi ipſi poſſint, alium idoneum invenire; atque in primis curare, ne ab ullo in Paſchate recipi omittantur, adhibendo, ſi opus ſit, admonitiones opportunas, & correctiones paternas, cum ipſos præcipue obſtringat divinum præceptum corripiendi cunctos Aliæ Parochorum obligationes.

deline-

Digitized by Google

delinquentes ſuæ Parœciæ, & præſertim eos, qui ſcandalum præbent, ad quod tenentur neaum ex charitate, verum etiam ex ſtricta & rigoroſa juſtitia. Eodem charitatis & juſtitiæ vinculo tenentur curam gerere pauperum ſuæ Parœciæ, ipſiſque pro viribus providere, maxime illis qui verecundia detinentur a petenda eleemoſina, ſubminiſtrando illis propria bona, quæ ſi non ſufficiant, alia procurent a divitibus. Item nullos debent matrimonio jungere, niſi ſibi morali certitudine conſtet, illos eſſe in rebus fidei, & chriſtianæ doctrinæ ſufficienter inſtructos; cum enim genitores ſtrictiſſima afficiat obligatio eaſdem res docendi prolem ſuam, quomodo id præſtare poterunt, ſi ipſi illas ignorent? Tenentur inſuper viſitare infirmos ea frequentia prudenti, quæ poſtulatur a qualitate morbi, & perſonarum. Tenentur item ex juſtitia ſuis parochianis ſubvenire nedum in extrema, verum etiam in gravi neceſſitate, non obſtante ſuæ vitæ periculo, & præcipue tempore peſtis, ita ut ſi eo tempore ſe abſentent, graviter delinquant; niſi coram Deo major Eccleſiæ, & populi ſpiritualis utilitas permittat, ut Parochus per alterum ſuppleat, ſe reſervato, non tamen ſe a Parochia abſentando; quia tunc temporis reſidentia magis obſtringit. Tenentur tandem omnia ſtatuta ſuæ Diœceſis ipſi obſervare, & ut ab aliis obſerventur ſedulam curam gerere; unde fiant viva exemplaria bonorum operum *In verbo*, *in converſatione*, *in charitate*, *in fide*, *in caſtitate*; ut monet S. Paulus 1. Timot. 4.

Videantur quæ ex S.P. Benedicto XIV. addita ſunt *tom.* 2. *tract.* 14. *cap.* 7. §. 7. *poſt n.* 13.

* Ad rem hanc ſpectat quod habet Concilium Trident. *Seſſ.* 5. *de Reform. cap.* 2. cujus hæc ſunt verba: *Archipreſbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias Curam Animarum habentes Eccleſias quocumque modo obtinent per ſe, vel alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciando cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant. Id vero ſi quis eorum præſtare negligat, etiamſi ab Epiſcopi juriſdictione quavis ratione exemptum ſe eſſe prætenderet, etiamſi Eccleſiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monaſterio etiam extra Diœceſim exiſtenti forſan annexæ, vel unitæ, modo reipſa in Diœceſi ſint, provida Paſtoralis Epiſcoporum ſollicitudo non deſit, ne illud impleatur: Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Itaque ubi ab Epiſcopo moniti trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint per Cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu alias ad ipſius Epiſcopi arbitrium cogantur, ita ut etiamſi ei ſic expedire viſum fuerit, ex Beneficiorum fructibus alteri, qui id præſtet honeſta aliqua merces perſolvatur, donec principalis ipſe reſipiſcens Officium ſuum impleat.* Et idem repetit *Seſſ.* 22. *de Sacrific. Miſſæ cap.* 8.

Em. Cardinalis Lambertinus poſtea S. P. Benedictus XIV. *Inſtit.* 10. *num.* 2. his Sacræ Synodi verbis ob oculos poſitis *n.* 3. refert propoſitum fuiſse Sacri Concilii Congregationi examinandum, utrum ex hac Concilii ſanctione (quod ſub Paulo III. contigit) ſacræ conciones re ipſa haberi debeant juxta ea, quæ ſub Pio IV. ab eodem Concilio ſtatuta ſunt: & conventu habito die 9. Februarii anno 1576. nihil certi emanaſse, uti ex Fagnano *Cap. inter cætera n.* 33. *de Offic. Ordin.* liquet; iterumque eam ſententiam in examen revocatam fuiſse, cum ipſe ejuſdem Congregationis Secretarii officio fungeretur; & Epiſcopo Melitenſi, qui id poſtulaverat his verbis reſponſum: *Satis eſse, ut Parochi, etſi formaliter non prædicent, ſaltem Dominicis & feſtis diebus plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis.* Quam ſententiam, ac normam amplexus eſt Innocentius III. confirmavitque deinde Benedictus XIII. „ Itaque credimus (ſic ex his „ concludit Lambertinus) non perpolitam, & elaboratam concionem a Parochis habendam, ſed familiari facilique dicendi genere ipſos uti debere ad „ populi intelligentiam accomodato. Caveant tamen, *ſubdit*, ne ſe immunes & „ liberos exiſtiment, eo quod nullo unquam tempore hujuſmodi conſuetudo „ extiterit, vel quod hæc provincia aliis „ Eccleſiis ſatis ſuperque demandata ſit; „ neque tandem exiguum populi numerum pro cauſa excuſationis afferant, „ qui plerumque ex Rectorum negligentia dimanat. Nam qui ſuo muneri recte ſatisfaciunt, de frequentia, populique multitudine nunquam querantur. „ Inſuper non modo Tridentina Synodus

con-

„ contrariam conſuetudinem penitus abrogavit, ſed etiam Innocentius XIII. in ea Conſtitutione, quam ſuperius diximus, a Benedicto P. confirmata, omnis excuſationis cauſas de medio abſtulit, & poſtquam ab eodem Concilio munus impoſitum explicavit, iis verbis utitur: *Nihilominus nonnulli Parochialium Eccleſiarum Rectores, hæc, quæ ſuarum partium adeo ſunt, prætermittunt, culpam hujuſmodi a ſe amoliri nitentes, vel prætextu immemorabilis, ſed quidem pravæ conſuetudinis; vel quia hæc ab ipſis præſtari neceſſe non videatur, ſuppetente nimirum copia aliorum habentium ſacras Conciones in aliis Eccleſiis &c. Ne itaque ſub inani iſtarum, aliarumque ſimilium excuſationum prætextu tanta Chriſtianæ Reipublicæ pernicies ſtruatur, diſtricte præcipimus &c.*" Parochi igitur vel per ſe, vel per alios, ſi fuerint legitime impediti ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus debent habere concionem ad populum, ac paſcere verbis ſalutaribus plebem Chriſtianam; & non excuſantur neque a contraria conſuetudine, neque ab exiguo populi numero.

Adeo gravis eſt, ac ſtricta iſthæc Parochorum obligatio, ut qui raro, aut numquam concionem habent ad populum, peccent mortaliter, etiam præciſa gravi populi neceſſitate; immo Bonacina relatus a P. Antoine *tract. de Obligat. cap.* 1. *q.* 7. *reſp.* 2. *n.* 4. aſſerit, Parochum mortaliter peccare, ſi uno continuo menſe integro, aut etiam duobus, vel tribus menſibus totius anni diſcontinuis non concionetur; quia hæc videtur materia gravis non ſolum ſecundum ſe, ſed etiam reſpective. Si autem populus graviter indigeat prædicatione, Parochi peccant toties contra divinum præceptum, quoties populus graviter indiget ipſa prædicatione; cum ex Dei præcepto teneantur oves ſuas verbi divini prædicatione paſcere, ut expreſſe habet Tridentinum *Seſſ.* 23. *de Refor. cap.* 1. Legatur Barboſa *de Officio, & Poteſt. Paroch. p.* 1. *n.* 8.

Alterum onus a Tridentina Synodo *Seſ.* 24. *c.* 4. Curatoribus animarum impoſitum eſt, ut pueros & rudiores quoſque, divinæ legis, Fideique rudimentis informent. Videatur Conſtitutio S. P. Benedicti XIV. quæ incipit: *Et ſi minime*, quæque habetur *tom.* 1. *Bullarii n.* 42., & alia cujus initium eſt *Declaraſti* tom. 2. *n.* 3., nec non alia, quæ incipit *cum Religioſi tom.* 4. *n.* 25. Noverint autem Parochi, & Catechiſtæ omnes a S. P. Clemente XIII. felic. rec. regnante ad omnes Epiſcopos Encyclicam datam fuiſſe Epiſtolam die 14. *Junii* 1761., qua omnibus præcipit, ut ad fidelium inſtructionem, poſthabitis iis catechiſmis, quos novitatis amor paſſim efferre conſuevit, utantur Catechiſmo Romano juſſu S. Pii V. ad mentem Tridentinæ Synodi edito, qui quidem omnem doctrinam complectitur, qua fideles informari oporteat, quæ ob omni errore quam longiſſime abeſt, quæque demum communis eſt in Eccleſia.

S. P. Benedictus XIV. die 24. Novembris 1742. Conſtitutionem edidit incipientem *Cum illud ſemper* ad Epiſcopos directam, in qua de concurſu, & examine habendo pro Parochialium Eccleſiarum collatione agit, ſeu modum ſtatuit ſervandum in electione Parochorum. Expoſita in primis cauſa hujus Conſtitutionis edendæ, ſtatim refert integram Epiſtolam Encyclicam a S. Congregatione locorum Ordinariis die 10. Jan. 1721. datam; in qua exhibetur forma examinis peragendi in concurſum. Ut autem recte omnia peragantur, in præſenti Conſtitutione nonnulla Summus Pontifex addenda, nonnulla vero tacite & breviter tradita a S. eadem Congregatione in citata epiſtola clarius explicanda cenſuit. Præcipue vero præſcribit quod Examinatores non ſolum attendant in concurrentibus doctrinæ peritiam; ſed etiam inquirant, qui præ aliis ætate, prudentia, probitate morum, præſtito ante Eccleſiæ ſervitio, cæteriſque dotibus ad Officium Parochi cumulate obeundum neceſſariis, eſſent idonei, & commendabiles. Et ne ab examinatoribus ignorari poſſint ſupradictæ qualitates, præcipit quod concurrentes ante concurſum intra terminum ab Epiſcopo aſſignatum, coram Cancellario Epiſcopali, vel altero ab Epiſcopo deputando, ſuarum qualitatum, meritorum, & munerum probationes, atteſtationes tam judiciales, quam extrajudiciales aliaque id genus documenta, quæ fraude vacent, exhibeant. Alioquin dicto termino elapſo, documenta hujuſmodi quæcumque, & qualiacumque ea ſint, nullatenus recipiantur: & eveniente die concurſus a Cancellario Epiſcopali ſingulorum merita, qualitates, & requiſita (ut vocant) incorrupta fide deprompta a juribus tempore habili exhibitis,

ſummatim redigantur, & copia epitomes tradatur non ſolum Epiſcopo, vel Vicario Generali vices illius obeunti; ſed ſingillatim omnibus Examinatoribus ad Concurſum adſcitis, ut tum de ſcientia, tum de vita, moribus, aliiſque regendæ Eccleſiæ neceſſariis dotibus ferant judicium. Abſoluto concurſu, notula compendiaria Requiſitorum antea diſtributa, tradatur Cancellario, qui illam comburat, vel penes Acta cuſtodiat, & nemini oſtendat niſi de mandato Epiſcopi. Et demum circa Beneficia Sanctæ Sedi reſervata, mandat quod, ipſis vacantibus, Concurſus ſemper ab Epiſcopo indicatur, & abſoluto concurſu, ſi res ſit de Beneficiis curatis, *quæ tantum ratione Menſium reſervata ſunt*, Epiſcopus inter approbatos eligat magis idoneum, & Datariæ ſignificet, nec Acta Concurſus tranſmittat, niſi a Dataria, cum id opportunum duxerint, requirantur. Sin vero dicta Beneficia, quibus cura imminet Animarum, *ex alio quovis capite quam* Menſium *Apoſtolicorum S. Sedi reſervata ſint*: eo ſane caſu, veteri non immutato more, abſtineat Epiſcopus a ferendo dignioris judicio, & Acta Concurſus ultro Datariæ exhibeat. Licebit tamen Ordinariis pro ſuo arbitrio familiaribus Literis Datario ſcriptis, eidem denunciare perſonam, quam cenſent regendæ Eccleſiæ magis idoneam, eumdemque commonere, an occulta aliqua & in Actis reticita ſubſit cauſa, quæ cuipiam obſtet ad Beneficium Curatum obtinendum. Habetur hæc Conſtitutio *T. I. Bullarii n. 68.*, ejuſque Synopſim exhibet Petrus Collet *in calce 5. T. Inſtit. Theolog.*

Quæſtio gravis circa fructus congruam excedentes.

V. Sed grave dubium reſolvendum ſupereſt, an omnes & quicumque Beneficiarii teneantur ſub gravi peccato nedum contra charitatem, verum etiam contra juſtitiam, & cum reſtitutionis onere erogare in pia opera portionem illam redituum, quæ eorum congruæ ſuſtentationi ſupereſt? Et quidem quod lethaliter peccent contra charitatem, ſi portionem illam in pia opera non erogent, conveniunt communiter Doctores: an autem peccent etiam contra juſtitiam, ita ut reſtitutioni ſint obnoxii, ſi aliter & in profanos uſus illam inſumant, magna eſt inter Auctores diſſenſio: & quia ſolutio quæſtionis unice ex alterius pendet difficultatis deciſione, an Beneficiarii ſint ſuorum proventuum veri domini, an vero dumtaxat adminiſtratores, & economi; ideirco protectores opinionis illos abſolventis ab onere juſtitiæ, affirmant veros eſſe dominos: defenſores autem opinionis eoſdem judicantis onere juſtitiæ gravatos, ſuſtinent meros eſſe adminiſtratores. Plures, & graves ſunt ex utraque parte: nobis longe probabilior videtur hæc ſecunda, cujus præcipui propugnatores ex noſtris ſunt, Sanctus Thomas, S. Raymundus, S. Antoninus, B. Albertus Magnus, Petrus Paludanus, Sylveſter, Petrus de Soto, Rainerius, Armilla, & alii recentiores; ex extraneis Alexander Hallenſis, Dionyſius Chartuſianus, Henricus Gandavenſis, Navarrus, Richardus, Alphonſus a Caſtro, Guillelmus Pariſienſis, Hoſtienſis, Michael de Medina, & alii multi, & fere omnes Galliarum Scriptores.

Sunt Theologi plures, qui ſuſtinent, Beneficiarios dominium habere fructuum ſuorum Beneficiorum, & nihilominus obſtringi ex juſtitia ad erogandam pauperibus, vel in alios pios uſus impendendam partem fructuum honeſtæ ſuæ alimoniæ ſuperfluam; adeo ut, ſi hoc non præſtent, ſed in ludos, convivia, alioſque profanos uſus, quæ ipſis ſuperſunt, dilapident, non ſolum lethaliter delinquant, ſed & ad reſtitutionem teneantur: unde ajunt, eos non habere dominium omnium fructuum ſuorum Beneficiorum abſolutum & liberum, ſed gravatum onere juſtitiæ diſtribuendi ſuperflua pauperibus, vel in alios pios uſus expendendi; ſicuti hæres habet dominium hæreditatis cum onere juſtitiæ ſolvendi debita defuncti: Unde in illorum ſententia hæc duo, ut perſpicuum eſt, componuntur ſimul, videlicet & quod Beneficiarii ſint domini redituum ſuorum Beneficiorum, & quod ex juſtitia adſtringantur reditus ſuæ honeſtæ ſuſtentationi ſuperfluentes in pios uſus erogare, & convertere. Hæc tamen obligatio juſtitiæ, quam habent Beneficiarii magis, magiſque indubia efficitur in opinione illorum, qui cenſent, illos non eſſe Dominos, ſed ſimplices adminiſtratores, diſpenſatores, & œconomos, quam amplexatus eſt Auctor, quamque ſequentibus, iiſque validiſſimis argumentis evincit.

Tenentur Beneficiarii duplici titulo charitatis et juſtitiæ erogare quod ſupereſt eorum congruę.

VI. Aſſertum poſitum probo Auctoritatibus, & primo aliquorum Patrum. S. Baſilius Magnus ad Julianum Apoſtatam, poſt recenſita pauca bona ſuorum redituum, ait: *Quoniam ego me dominum non cenſeo; ſed diſpenſatorem ... hic ſtatus noſter tam eſt arctus, ut ſi forte quiſpiam Sacerdotum ea ſibi reſervet, aut in malos uſus expendat, æque pœnam meretur, ac qui dilapidat, & qui de Altari furatur.* S. Ambroſius Epiſt. 31. ad Valentinianum; *Poſſeſſio Eccleſiæ, ſum-*

Digitized by Google

Suſtentationi in opera pietatis. Probatur aſſertum Auctoritatibus.

ſumptus eſt egenorum. S. Hyeronymus in c. 3. Iſaiæ: *Rapina pauperum in domibus Sacerdotum; qui Eccleſiæ opes ſibi theſaurizant, & in deliciis abutuntur, quæ ad ſuſtentationem pauperum dantur; & ſibi reſervant, vel propinquis tribuunt*. S. Auguſtinus, qui citatur in canone *ſi privatus*, 12. *qu*. 1. *Non illa noſtra ſunt, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus*. His addimus auctoritates Conciliorum, quæ circa illa tempora fuerunt celebrata, videlicet Concilii Antiocheni anni 341. canone 25. relato a Gratiano in Decreto, in canone *Epiſcopus* 23., 12. q. 11. in quo commiſſa Epiſcopo facultate diſpenſandi, conceditur etiam facultas ſibi retinendi *ea, quibus indiget, ſi tamen indigeat*. Item Concilii Cathaginenſis anni 397. in cujus canone 49. ſtatuitur, ne Clerici vel etiam Epiſcopi abſque patrimonio ordinati poſſint ſumere ſibi de bonis Eccleſiæ, & jubet; *Ut tanquam rerum Dominicarum crimine teneantur obnoxii, niſi admoniti, Eccleſiæ eadem ipſa* (bona) *contulerint*. Item Concilii Carthaginenſis IV. anni 398., cui interfuere 214. Epiſcopi; quos inter Magnus Auguſtinus, canone 31. ſtatuitur: ut Epiſcopus rebus Eccleſiæ *tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur*. Si igitur ſecundum doctrinam relatorum Patrum, & Conciliorum, Epiſcopi, & ita a fortiori ceteri Beneficiarii *non ſunt domini ſed diſpenſatores: ſi res Eccleſiæ ſunt ſumptus egenorum: ſi rapina eſt ſibi reſervare, vel propinquis tribuere: ſi non ſunt Epiſcoporum, ſed pauperum; nec ſibi appropriari poſſunt*; ſi ad ſummum *tantum ex illis ſumendum, quantum indigent; ſi tamen indigeant*; aliter agendo *invaſionis crimine teneantur*; cum debeant illis *uti tanquam commendatis, non tanquam propriis*; profecto hi loquendi modi dominium plane excludunt.

Objectio ſolvitur.

VII. Non me fugit contrariæ opinionis protectores concedere, temporibus illis ita factum fuiſſe, cum nondum executioni fuiſſet mandata bonorum Eccleſiaſticorum partitio, (quæ evenit dumtaxat quinto labente ſæculo, & ſexto ineunte, in qua portio aſſignata fuit Eccleſiæ Rectoribus), tamen poſt executam partitionem, vel ſaltem poſt erectionem beneficiorum, factam octavo ſæculo, tunc cæpiſſe poſſideri præbendas tanquam bona propria beneficiariorum. Verum hæc reſponſio nil roboris detrahit allatis teſtimoniis; quandoquidem natura bonorum Eccleſiaſticorum non fuit per partitionem, aut per erectionem beneficiorum mutata, ſed eadem conſiſtens, diverſum ſtatum dumtaxat accidentalem obtinuit: cum autem natura hujuſmodi bonorum ſit, eſſe oblationes fidelium, proventus pauperum; & ideo Eccleſiæ oblata, ut ex illis & miniſtri ſufficienter alantur, ut Divino cultui impenſius vacent, & ut pauperibus ſubveniatur, ac proinde ſupradictas obligationes recognovere Patres & Concilia: ſi igitur eadem & modo eſt, & erit uſque in finem, bonorum Eccleſiæ oblatorum natura; in quocumque ſtatu accidentali conſiderentur; eaſdem omnino ſecum afferent obligationes: & quemadmodum nemo auſus fuit adhuc dicere, quod poſſint præfata bona in uſus prophanos impendi abſque injuſtitiæ manifeſto delicto; ita neque dicendum erit, poſſe a beneficiariis ita poſſideri, ut in prophanos uſus poſſint ſine injuſtitiæ crimine dilapidari.

VIII. Sed audiamus judicia Patrum & Conciliorum poſt partitionem, & erectionem beneficiorum reſpective definientium; S. Gregorius Magnus labente ſexto ſæculo lib. 11. Epiſt. 23. ad Julianum, de ſe Pontifice loquens, ſcribit: *Quem conſtat, non res ſuas, ſed ad diſpenſandum res pauperum habere*. Ecce manifeſte quomodo bona Eccleſiæ vocet non ſua, ſed pauperum, diſtribuenda *ipſis*. Concilium Turonenſe anni 813. cap. 10. *Rebus Eccleſiæ* (beneficiarii) *ita utantur, non ut propriis, ſed ut ſibi ad diſpenſandum commiſſis*. Aquiſgranenſe anni 816. cap. 16. *Res Eccleſiæ ſicut a SS. Patribus traditur ... vota ſunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum; ... ut his & milites Chriſti alerentur, & Eccleſiæ exornarentur, pauperes recrearentur, & & captivi redimerentur*; igitur qui ad ditandos conſanguineos; ſeu ad ſibi cumulandum eis utitur, agit contra intentionem offerentium, & injuſte. Pariſienſe anni 829. cap. 15. poſt allatos multos Patres concludit: *ſicut igitur præmiſſa documenta declarant, non ſunt res Eccleſiæ ut propriæ, ſed ut Dominicæ, & a Domino commendatæ tractandæ*. Valentinum anni 855. cap. 21. *Quia cum ipſæ res Eccleſiæ a piis & fidelibus Deo oblatæ, juxta antiquam Patrum ſententiam, nihil ſunt aliud, niſi vota fidelium, patrimonium pauperum &c., ſi eas fideliter & integre non defendimus; & in eos qui obtulerunt, & in Deum cui oblatæ ſunt, graviſſimo nos reatu implicamus*. Quid ad hæc reſponderi poteſt? Nonne clariſſime

Inſtauratur ſolutio.

ha-

habetur, ſemper ab Eccleſia judicatum fuiſſe Beneficiarios non eſſe redituum dominos? Omitto Concilium Lateranenſe III., Alexandrum III. in cap. *fraternitatem*. 2. de donationibus convocatorem hujus Concilii, S. Bernardum in Epiſt. 2. ad Falconem Canonicum; & in tract. de moribus & officiis Epiſc. c. 2. n. 7. & plura alia Concilia Provincialia; & concludo argumentum a Conciliorum auctoritate petitum verbis illius Sanctiſſimi & doctiſſimi Antiſtitis, qui fuit vivens imago antiquorum, & poſteriorum exemplar, Sancti Caroli Borromæi in Concil. Mediolanenſi 1. anni 1565. tit. 63. ubi hæc habet: arrige attente aures, qui Beneficium poſſides: *Ceteri omnes beneficia Eccleſiaſtica etiam ſimplicia obtinentes omni diligentia cognoſcere ſtudeant, quibus oneribus ... ex bonorum Eccleſiaſticorum NATURA, ſubjaceant; illiſque integre ſatisfaciant; quod ſi facere omiſerint, ſed eos fructus ſibi vendicare, vel ad alios transferre auſi fuerint, vel in quem debent uſum non impenderint; ſe ex Sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum ſententia ſacrilegii reos eſſe intelligant, ET EORUM OMNIUM NECESSARIA RESTITUTIONE TENERI: neque ulla omnino etiam immemorabili conſuetudine excuſari. Noverint etiam ii, ad quos ſcientes hujuſmodi fructus, vel aliquod ex illis commodum quovis nomine pervenerit, ſe eadem reſtitutionis lege teneri.* Quid reſpondere audebis viro adeo eximio, qui in ſpiritum & mentem Tridentinæ Synodi jam imbiberat?

Probatur auctoritate Theologorum.

IX. Poſt audita Patrum, & Conciliorum judicia, audienda ſunt etiam a gravioribus Familiæ noſtræ Theologis prolata. Cunctis celebrior eſt S. Thomas, qui quodlibeto 6. a. 12. ita reſolvit: *Bonorum vero Eccleſiaſticorum Clerici non ſunt veri domini, ſed diſpenſatores*: quibus verbis decretoriis accommodanda ſunt nonnulla alia, aliquam æquivocationem præſeferentia. Alter celeberrimus eſt S. Raymundus, primus Decretalium Collector inſignis; qui lib. 2. tit. 5. §. 6., interrogat: *Quid de Prælatis Eccleſiarum, & aliis Clericis, qui bona Eccleſiaſtica pauperibus debita conſumunt in uſus illicitos .... in conſanguineis .... & ſimilibus, & de his etiam faciunt aliqui teſtamentum*: (en quomodo loquitur de bonis Eccleſiaſticis ſpectantibus ad eorum proventus) *nunquid tales ſunt judicandi raptores?* Reſpondet: *videtur quod ſic, primo quia contrectant rem alienam invito domino*: & allatis teſtimoniis Hieronymi, & Auguſtini quæ ſupra retulimus, concludit: *Dico Prælatos & Clericos, qui res Eccleſiæ talibus, ... vel etiam conſanguineis, non propter naturam ſuſtentandam, ſed ut faciant eos divites, ... tales ... dico eſſe raptores, & per conſequens teneri ad reſtitutionem omnium.* Tertius eſt S. Antoninus inſignis doctrina & prudentia, Archiepiſcopus Florentinorum 3. p. tit. 15. cap. 1. §. 19., ubi interrogat: *De bonis ſeu fructibus beneficiorum, quæ dant Clerici conſanguineis .... utrum dando peccent, & teneantur ad reſtitutionem?* poſt laudatum judicium S. Raymundi, & plurium Canonum, ſic ipſe definit: *Ad reſtitutionem tenentur pauperibus, vel in utilitatem Eccleſiæ.* Hos ſequuntur ceteri omnes ſuperius indicati. Confer modo auctoritates hactenus allatas, auctoritatibus quas producunt, oppoſitum opinantes, & videbis eorum miſerandam inopiam. Accedamus ad fundamenta a ratione petita.

Probatur aſſertum ratione.

X. Rationem pro aſſerto noſtro potiſſimam inſinuant relata uſque modo teſtimonia, qua evertitur ſimul principale motivum, & heu quam leve, adverſæ opinionis. Cum jam concedant adverſarii, quod ante partitionem bonorum Eccleſiæ etiam contra juſtitiam eſſet, diſtrahere præfata bona ad alios uſus non pios, ſed profanos; putant, hac partitione ſecuta, qua aſſignata fuit portio, & applicata Eccleſiæ, variis rectoribus, & beneficiariis ſingulis propria congrua; hinc factum eſſe quod ſi aliquid ipſis ultra dictam congruam ſuperſit, teneantur quidem ex charitate ſub gravi erogare in pias cauſas, non autem ex juſtitia, & ſub reſtitutionis onere, ſi huic muneri deſint; quippe qui abutantur rebus jam ſibi datis, & ſub eorum dominio conſtitutis. At imbecillitas hujus fundamenti jam patet primo ex dictis; nempe quod jam appropriatio dictæ portionis non fuit facta, ut ejuſdem evaderent beneficiarii abſoluti domini; ſed ut tolleretur occaſio diſſenſionum, perturbationum, & litigiorum; quandoquidem appropriatio dicta non mutavit, ut ait S. Carolus ſupra laudatus, naturam bonorum Eccleſiæ, quæ adeo eſt poſita, ut habeantur tanquam bona Deo oblata, in ejus cultum impendenda, & non ut, ſi quid forte ſuperſit, eo tamquam re cadente ſub dominio utantur pro libito; quod ut omnino evidens fiat, attende.

Eluditur Ratio.

XI. Hoc dominium aliquam radicem habere debet: vel ergo confertur beneficiariis a Pontificibus, vel ab offerentibus ſua

bona

dona Eccleſiæ; dilemma eſt integrum, non habens tertium membrum addendum: atqui neque a Pontificibus collatum fuit, neque ab offerentibus; igitur a nullo. Probo minorem quoad primam partem: non a Pontificibus, tum quia docet S. Thomas 2. 2. q. 100. a. 1. ad 7. *Quamvis res Eccleſiæ ſint Papæ ut principalis diſpenſatoris, non tamen ejus ut domini & poſſeſſoris*: igitur non poterit aliis conferre illud dominium, quo ipſe caret; & tale vidimus fuiſſe judicium S. Gregorii Magni; ita etiam declaravit Alexander III. in cap. *fraternitatem* 2. de donationibus: *Quilibet Prælatus rerum Eccleſiaſticarum eſt procurator, & non dominus*: & recentiſſime itale expreſſit vocis oraculo Benedictus XIV. doctrina inſignis. Igitur tale putatum dominium a Pontificibus collatum non fuit. Neque ab offerentibus, quæ eſt ſecunda minoris pars; quia eorum intentio neque fuit, neque eſt, conferre ſua bona, ut de eo quod congruæ ſuſtentationi ſupereſt, faciant beneficiarii quid voluerint, ſed ut ad Dei cultum, & pia opera impendatur: ſi enim interrogetur quicumque offerens, an ita intendat, an potius ut de eo, quod congruæ ſupereſt, libero dominio ſubjaceat, neminem reſponſurum prudenter putabis, quod diſtrahatur ad beneplacitum beneficiarii, ſed utique ut in pia opera impendatur. Idque manifeſte confirmat vetus formula, quæ reperitur in Capitularibus Caroli Magni, qua offerentes ſua bona Eccleſiis ita ſe declarabant: *Offero Deo, atque dedico omnes res quæ in hac cartula tenentur inſertæ, pro remiſſione peccatorum meorum, ac parentum, ac filiorum; ad ſerviendum ex his Deo in ſacrificiis, Miſſarumque ſolemniis, orationibus, luminariis, pauperum, ac Clericorum alimoniis, & ceteris divinis cultibus, atque illius Eccleſiæ utilitatibus; ſi quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abſtulerit; ſub pœna ſacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero, atque dedico, diſtrictiſſimas reddat rationes.* Cum igitur hæc fuerit fidelium intentio, eademque prudenter præſumatur ſemper fuiſſe, & eſſe, niſi velimus eos ſtultis accenſere; igitur neque ab offerentibus præfatum putatum dominium beneficiariis provenire potuit: ſi itaque neque a Pontifice, neque ab offerentibus, igitur a nullo, præterquam ab avaritia, & injuſta ditescendi, aut molliter vivendi cupiditate. Referamus modo fundamenta adverſæ ſententiæ.

Primum adverſæ opinionis fundamentum evertitur.

XII. Primum petitur ex verbis in jure uſitatis, & præcipue a Tridentino ſeſſ. 24. dicente quod beneficiarii horas omittentes *non faciant fructus ſuos*: ſi igitur ſunt ſui, dominium eorum habent. Mirabere, lector, cum noveris, ad hæc paucula verba reduci totam Canonum, SS. Patrum, & Eccleſiaſticorum documentorum molem, ab adverſariis oppoſitam; & tamen ita eſt; nil aliud ex armamentario totius juris Eccleſiaſtici habent, quod objiciant, quod tamen nullius omnino eſt roboris; quid enim aliud ſignificant illa verba, niſi quod beneficiarius non acquirat fructus, qui ad ſe ſpectant? Inſuper dato etiam, (quod tamen eſt falſum) ipſum evadere dominum fructuum ad ſuam congruam ſpectantium, licebit ne inferre, quod ſit Dominus etiam eorum, qui ſuperſunt? At revera nullorum eſt dominus, ſed cunctorum merus diſpenſator, ſibi applicans illos fructus qui congruam conſtituunt: reliquos in pias cauſas erogare obſtrictus nedum ex charitate, ſed & ex juſtitia, ut probatum fuit. Addo tandem, S. Carolum optime vidiſſe verba illa Concilii, cujus, ut dixi, ſpiritum imbiberat, quæ tamen non intellexit in ſenſu adverſariorum, ut vidimus. Compares modo paucula iſta verba Canonibus, quos protulimus, & comperies, an jure merito dixerim, eos miſeranda jurium inopia laborare.

Evertitur ſecundum.

XIII. Ex conſuetudine, beneficiario defuncto ab inteſtato, ſuccedunt conjuncti tam in bonis patrimonialibus, quam ex beneficio congregatis: quæ conſuetudo approbata fuit a jure civili, non obſiſtente Eccleſia; igitur &c. Reſpondent primum nonnulli, argumentum nimis probare; & proinde nihil concludere: Sequeretur enim, quod neque charitatis obligatione teneretur beneficiarius ſub mortali ſuperflua ſuæ congruæ diſtribuere in pias cauſas; quod hactenus nemo Scriptor gravis aſſeruit: ſi igitur ille tenebatur, ut communiter docent Theologi; tenentur pariter hæredes quoad illam portionem, quæ noſcitur collecta ex fructibus beneficii; neque ullum jus poteſt illos ab hac obligatione diſpenſare: & ideo lex canonica in c. 12. de teſtam. hæc habet: *Mobilia per Eccleſiam acquiſita, de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non poſſunt.* Quid clarius? Reſpondeo ſecundo, & directe, objectam conſuetudinem non eſſe conſuetudinem, ſed corruptelam, & ab Eccleſia toleratam, ad

evi-

Digitized by Google

evitanda pejora incommoda, & ad perpetes diſcordias & lites præcavendas: cæterum docet in Canone *Epiſcopi* 29. 12. q. *Epiſcopi de rebus propriis, vel acquiſitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus ſuis, ſi voluerint, derelinquant: quidquid vero de proviſione ſuæ Eccleſiæ fuerit, ſive de agris, ſive de fructibus, ſive de oblationibus, omnia in jure Eccleſiæ reſervare cenſuimus.* Propterea Eccleſiæ ſilentium non eſt approbativum corruptelæ, ſed permiſſivum, eo quod illud firmiter impedire non poſſit; juxta regulam Innocen. III. cap. 18. de Præbendis: *multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitia; non debent tolerari*: tum denique, quia vix diſcerni poſſet, quænam ex bonis a defuncto relictis ſint patrimonialia, quænam beneficialia, aut ex dono, aut ex induſtria, aliiſve juſtis titulis acquiſita; unde ſollicitudo quæ adhiberetur, in lites & diſcordias tandem erumperet. Non itaque approbat Eccleſia ſilendo, quod pluries loquendo reprobavit. Quantum ad jus civile, non mirum, ſi permittat hæredibus illa bona, eo tamen ſolo titulo, ne in foro exteriori poſſint vexari conjuncti; & quidem ob indicata motiva vitandi lites &c.: ceterum pro foro conſcientiæ, utpote ſibi incompetente, nil ſe ingerit; relinquendo Theologis judicium.

Evertitur tertium. XIV. Tertium fundamentum, non modice magnificatum a Dominico Soto, eſt, quod ex vi diviſionis ſecutæ bonorum Eccleſiaſticorum, & aſſignationis factæ beneficiariis, ad ipſos ſpectantis, videtur collatum illis dominium eo fere modo, quo quis eleemoſinam tribuens alicui pauperi, transfert in pauperem dominium pecuniæ collatæ, ita ut ſi illam diſſipet pauper, nulli reſtitutioni fiat obnoxius: ita etiam in caſu noſtro, ſi beneficiarius diſſipet, nulli tenebitur. Miror, virum alioquin doctiſſimum non animadvertiſſe, quam lata interveniat diſparitas inter eleemoſinam pauperi erogatam, & proventum collatum beneficiario: eleemoſina enim pauperi erogatur, ut ſit ſua, & erogatio eſt vera donatio, quæ ipſi fit, ut ſuæ veræ præſenti neceſſitati ſuccurrat. Reditus autem non conferuntur beneficiario ut ſint ſui; immo cum explicita plerumque, & cum implicita ſemper intentione, ut eorumdem ſit miniſter, ut ſibi accipiat pro congrua, & reliquum diſtribuat in pia opera. Et etiam dato, quod eſſet dominus ſuæ congruæ, non tamen ejus quod ſupereſt: unde ſi diſſiparet ea quæ propriæ congruæ ſubtraheret, forte nil teneretur reſtituere, cum tantum ſibi faciat injuriam; ſicut facit pauper, diſſipans ſibi erogatum pro eleemoſina.

XV. Ultimum depromitur ex pluribus inconvenientibus, quæ ſequerentur ex opinione noſtra. Primum, quod qui haberet bona patrimonialia, neque poſſet congruam retinere: Secundum, quod non poſſet ex reditibus beneficii ſolvere debita propria ante beneficium contracta, cum tamen illa ſolvere jubeatur. Tertium, quod donationes ab ipſo factæ eſſent invalidæ: Quartum, injuſtæ eſſent penſiones quæ beneficiis pinguibus imponuntur; igitur ne hæc verificentur &c. Reſpondetur ſingulis faciliſſime: ad primum, juxta ſententiam mitiorem, poſſe retinere congruam, quamvis aliunde bona patrimonialia habeat; quia ſi laborat in miniſterio, congruum eſt ut de ipſo vivat; *nemo enim militat ſtipendiis propriis, ſed alienis*, ajebat S. Paulus; & alibi, *laborantem agricolam oportet primum de fructibus ſumere*. Ad ſecundum reſpondetur, quod ſi habeat patrimonialia, ex ipſis ſolvat debita illa, ſin minus ſolvat de proventibus beneficii, ut vere pauper, non aliunde ſolvere valens. Ad tertium reſpondetur, donationes cenſendas eſſe factas ex bonis quæ donare poſſit; immo facere moderatas donationes, juxta gradum beneficiarii, pertinet ad congruam ipſius; condecet enim in beneficiario relucere hoſpitalitatem, gratitudinem, liberalitatem, pro ratione ejus gradus, & proventus. Ad quartum reſpondetur, penſiones dari indigentibus, vel ſufficientes reditus non habentibus; unde impenduntur ad pias cauſas.

Evertitur ultimum.

Quid intelligatur nomine Congruæ. XVI. Sciſcitaberis, quid intelligatur nomine congruæ ſuſtentationis? Priuſquam reſpondeam, ſub oculis pono regulam a Sancta Tridentina Synodo quibuſcumque beneficiariis propoſitam ſeſſ. 25. in decreto de Reform. c. 1. *In primis vero ita mores ſuos componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantopere commendat Deo, ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi non ſolum jubet, ut Epiſcopi modeſta ſupellectili & menſa, ac frugali victu contenti ſint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo caveant, ne quid appareat, quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quod-*

quæ non ſimpliciter, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præſeferat. Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant,... ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant,... immo, quam maxime poteſt, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in omnibus quibuſcumque beneficia Eccleſiaſtica tam ſæcularia quam regularia obtinentibus pro gradus conditione obſervari, ſed & ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit &c. Ex hac regula unuſquiſque beneficiarius reſpective confinia ſuæ congruæ ſuſtentationis præfigere debet: & quamvis a ſcrupulis importunis cavere debeat, multo magis ſibi cavendum eſt, ne ab amore propriæ commoditatis ſeducatur; & propterea ſanum erit conſilium, ut fraudes proprii amoris caute declinet, ſi duo obſervet; unum, quod directioni ſapientis, prudentis, & intaminatæ conſcientiæ viri ſe committat: alterum, quod attendat quomodo magis cordati, & exemplares beneficiarii conſimiles in proprio cultu atque victu ſe gerant, vel ſe geſſerint.

XVII. Occaſione dictorum in hoc paragrapho, circa obligationes Beneficiariorum habentium curam Animarum, interrogabis: An ſuperiores regulares teneantur applicare miſſam ſaltem diebus Feſtivis pro ſuis ſubditis? Reſpondeo affirmative; cum enim hæc obligatio in Parochis fundetur in Jure divino, ut innuit Tridentina Synodus ſeſſ. 24., cap. 1. de reform. his verbis: *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus Animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre &c.*: & cum non minor ſit cura habenda a Parocho reſpectu ſuorum Parochianorum, quam habenda a Prælato regulari reſpectu ſuorum religioſorum; immo hæc vigilantior poſtuletur, ob perfectiorem vivendi rationem, ad quam obligantur Religioſi, perfectiorem, inquam, ea, ad quam tenentur Parochiani: inde &c. Et hanc tenent Suarez in 3. part. S. Th. tom. 3., diſp. 86. ſect. 1., & tom. 4. de religion. tract. 8. lib. 2. cap. 3. n. 7., innixus præcipue auctoritati Tridentini, Aſcanius Tamburinus de jure Abbatum tom. 2., diſp. 5., q. 5., n. 5. Thom. Hurtadus reſolut. 4. n. 46. Paſqualigus q. 847. n. 8., & q. 851. n. 9. Vanſpen. tom. 1. p. 1. tit. 31. cap. 10. n. 11., & noviſſime P. Merati tom. 1., p. 3., tit. 12., n. 3.

§. VII. *De rationibus amittendi Beneficia, & Penſiones.*

I. Triplici ratione ſeu modo amittuntur Beneficia: primo, per Diſpoſitionem juris; ſecundo, per Sententiam judicis; tertio, per Liberam diſpoſitionem. Per diſpoſitionem juris amittuntur primo, per Profeſſionem Religioſam; ſecundo, per Matrimonium validum; tertio, per conſecutionem, & pacificam poſſeſſionem alterius beneficii incompatibilis; quarto, per varia delicta, qualia ſunt Simonia, Homicidium qualificatum, ſcilicet per ſicarium mercede conductum; Hæreſis; Schiſma; Sodomia; Intruſio ſumet in beneficium; Percuſſio Epiſcopi, vel Cardinalis; Falſificatio litterarum Apoſtolicarum; & iſtis omnibus eſt inflicta privatio beneficii ipſo facto; tamen poſt declarationem judicis; quæ retrotrahitur ad diem criminis commiſſi, ita ut non ſolum omnes fructus ab illo die percepti amittantur, verum etiam reſignatio, vel permutatio illius poſt crimen facta, reſcindi poſſit. Sunt & alia delicta, quibus eadem imponitur privatio, ſed non ipſo facto; & ſunt, Homicidium ſimplex; Perjurium; Sacrilegium; Adulterium; & in iſtis, præter ſententiam declaratoriam, requiritur etiam condemnatoria: & ex hoc patet ſecunda amittendi ratio, nempe per ſententiam judicis. Circa tertiam rationem, quæ eſt Libera diſpoſitio, videlicet renunciando, reſignando, vel permutando; jam ſatis diſſeruimus in §. 2. *Rationes amittendi beneficia, & penſiones.*

II. Penſiones amittuntur primo per Extinctionem, ideſt per mortem Penſionarii, aut naturalem, aut civilem, aut per degradationem ejuſdem. Item ſi contrahat Matrimonium, vel profiteatur in Religione approbata. Inſuper per delicta læſionis Sedis Apoſtolicæ, vel Majeſtatis Principis, vel percuſſionis Cardinalis, vel Epiſcopi, in cujus Diœceſi percipitur penſio. Hæc omnia conſtant ex variis juribus a probatis Auctoribus allatis. *Quomodo amittantur Penſiones?*

* S. P. Benedictus *die* 29. *Auguſti* 1741. Conſtitutionem edidit incipientem *Univerſalis Eccleſiæ Cura*, quam in compendium redactam hic ſubjicere opportunum exiſtimamus. In ea primum interdicitur Clericis omnibus quacumque dignitate, præeminentia, honore, privilegio inſignitis,

Digitized by Google

ne in poſterum audeant ſub nomine alienandi commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, & prætextu vendere, & diſtrahere ſuorum beneficiorum reditus, & proventus vel ad vitam, vel in longum tempus; recepta ab emptore per unam vel plures ſolutiones ea pecuniæ quantitate, quam ipſi Beneficiati per ejuſdem temporis, vel vitæ ſpatium conſequi potuiſſent; ſub pœna excommunicationis, & nullitatis actus, ſeu contractus, & omnium inde conſecutorum; aliiſque pœnis inflictis, & ſtatutis contra alienantes bona Eccleſiæ, quæ hic rurſus contra eoſdem ſic contrahentes renovantur, & ſtatuuntur.

Deinde ad uberiorem cautelam damnantur, & irritantur omnes hujuſmodi contractus, quos in futurum fieri contigerit; atque ita nulli, & viribus ab initio vacui declarantur, ut ſuis auctoribus neque in judicio, neque extra ad ullum effectum ſuffragari debeant; ac nemo ad eorum obſervantiam obligetur; etiamſi pluries juramento firmati ſint; & ut nullum inde jus cuicumque, aut actionem, vel titulum coloratum poſſidendi, aut præſcribendi per quodvis longiſſimi temporis ſpatium acquiri umquam poſſit.

Poſtremo decernitur, ea quæ in hac Conſtitutione continentur, ab omnibus inviolabiliter ſemper obſervanda eſſe; ſublata facultate cuicunque judici quavis præeminentia & poteſtate prædito, aliter judicandi: non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, indultis, conceſſionibus, gratiis Apoſtolicis quamtumvis ſpeciali mentione dignis. Habetur hæc Coſtitutio *tom. 1. Bullarii* ejuſdem Pontificis *num.* 29. Relegantur etiam quæ adjecta ſunt §. 2. *præſ. cap. poſt. num.* 7.

CAPUT XIII.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS ET PRÆCIPUE DE SIMONIA.

De his vitiis diſſerit S. Thomas 2. 2. a quæſtione nonageſima ſecunda uſque ad centeſimam incluſive, quæ eſt de Simonia, de qua ultimo loco fuſius diſſeretur; tradentes interea ſummatim ex eodem Sancto Doctore, quæ ad alia vitia pertinent. Duo generatim vitia Religioni opponuntur; nempe Superſtitio, & Irreligioſitas, & ambæ in varias ſpecies ſubdividuntur. Superſtitio namque ſubdivitur in Idololatriam, Divinationem, vanam Obſervantiam; ad quam reducuntur Maleficium, & Magia, quæ adhuc in varias ſpecies iterum dividuntur, de quibus ſuis locis in præſenti capite. Irreligioſitas autem ſubdividitur in Tentationem Dei, Blaſphemiam, Sacrilegium, & perjurium: quæ iterum in alias ſpecies multiplicantur, de quibus ſuis locis in eodem capite. Tractatum autem de perjurio transferemus ad ſecundum Decalogi præceptum, ubi de Juramento. Interea Superſtitio generatim definitur a S. D. q. 92. a. 1. *Vitium Religioni oppoſitum ſecundum exceſſum, non quia plus exhibeat in cultum Divinum quam vera Religio; ſed quia exhibet cultum Divinum cui non debet, vel eo modo, quo non debet.* Irreligioſitas autem ex traditis ab eodem S. D. definiri poteſt: vitium, quo Deus vel in ſe, vel in rebus, aut perſonis illi dicatis inhonoratur. Sit igitur.

§. I. *De Idololatria.*

Quid & quotuplex ſit Idololatria?

I. De hac agit S. D. q. 94. quatuor articulis, ex quibus hæc depromuntur. Idololatria eſt ſuperſtitio, qua cultus ſoli Deo debitus creaturæ attribuitur. Triplex eſt; prima Formalis, & Completa, ſeu intellectualis, cum quis revera putat creaturam quam colit, eſſe Deum. Secunda, Incompleta, ſeu malitioſæ dumtaxat voluntatis, qua quis, non credens creaturam quam colit eſſe Deum; ex pravo tamen

Digitized by Google

affectu quem habet contra Deum, eam eligit adorare; puta ut aliquid ab eadem obtineat. Tertia, Simulata, ſeu dumtaxat exterior abſque errore mentis, aut pravo affectu voluntatis,ſed ex timore procedens; ut contigit in lapſis tempore perſecutionum. Secunda gravior eſt prima; quia primæ aliqualis ignorantia, tametſi ſupina, immiſcetur; & exinde malitia aliqualiter minuitur; cum alioquin ſecunda ſit malitioſiſſima. Tertia autem minus gravis eſt prima, & ſecunda, quamvis & ipſa ſit ſemper mortale peccatum.

Pœnæ Idololatriæ.

II. Qui idololatriam committit primo modo cum errore mentis, eſt ſimul hæreticus, & incurrit excommunicationem Papæ reſervatam; quam non incurrit, qui idololatriam committit ſecundo modo ſine errore intellectus: incurrit tamen excommunicationem non reſervatam, quam illatam a Joanne XXII. refert Directorium Inquiſitorum.

§. II. *De Divinatione.*

Quid ſit Divinatio, & quænam per eamdem quærantur a Dæmone?

I. EX traditis a S. Th. q. 95., cum Divinatio ſit inquiſitio quædam occultorum ope Dæmonis, vel expreſſe vel tacite invocati: propterea verſatur circa illa, quæ ab homine virtute ſibi propria cognoſci nequeunt. Poteſt autem inquiri cognitio eorum, quæ Deo ſoli nota ſunt, ut cordium ſecreta, & futura libera; aut quæ etiam a Dæmone cognoſci poſſunt, quamvis non ab homine, & inde ſequitur, quod inquirens a Dæmone notitiam rerum primi generis incidit in Idololatriam; eo quod Dæmoni tribuat, quod ſoli Deo convenire poteſt, & in hæreſim labatur; inquirens autem notitiam rerum ſecundi generis, meram Divinationem ſuperſtitioſam committit, & graviter peccat.

In Divinatione dupliciter invocatur Dæmon & dicitur ſuperſtitioſa ex parte pacti.

II. Dixi in definitione, Dæmonis opem invocari per Divinationem, aut expreſſe, aut tacite: expreſſe, ſi reapſe Dæmon invocetur, aut aliqua res adhibeatur, cui Dæmon cooperari credatur: tacite vero, quando ad notitiam occultorum adhibentur ſigna improportionata ad illum effectum; cum enim notitia deſiderata ab illis mediis obtineri nequeat, quia ſunt improportionata; neque a Deo, qui talia media non inſtituit; neque ab Angelis bonis, qui talibus mediis non utuntur; ſequitur, quod notitia expectetur a Dæmone, qui illa præſcripſit: inter quæ ſolemnia ſunt illa diabolica adinventa gyrandi eribrum; proponendi ſpeculum, aliqua proferendo verba: & utraque hæc Divinatio tam explicita quam implicita eſt ſuperſtitioſa ex parte Pacti, & peccatum graviſſimum.

Superſtitioſa ex parte medii committitur novem modis, & cum pacto expreſſo.

III. Evadit etiam Divinatio ſuperſtitioſa ex parte medii. Varia media recenſet S. Th. ar. 3. & ad epitomen redacta ſunt, & quidem cum pacto expreſſo, dum expectatur revelatio rei occultæ per Præſtigium, quando Dæmon apparet ſub aliqua ſpecie: per ſomnium, quando expectatur in ſomno: per Necromantiam, quando expectatur per apparitionem alicujus mortui: per Pytoniſmum, quando expectatur per arreptitios; per Geomantiam, quando expectatur per ſigna in terreſtribus corporibus apparentia; puta plumbo fuſo, lignis &c. Per Hydromantiam, quando per ſigna apparentia in aqua: per Aeromantiam, quando per ſigna apparentia in aere: per Pyromantiam, quando per ſigna apparentia in igne: per Aruſpicium, quando per ſigna apparentia in membris, aut viſceribus animalium.

Alia media cum pacto implicito, nempe Augurium, & Sortilegium: Augurium novem modis committitur.

IV. Alia media pariter ſuperſtitioſa, & plerumque cum tacita Dæmonis invocatione, quamvis etiam aliquando cum expreſſa, in genere duo ſunt, nempe Augurium, & Sortilegium. Augurium tunc committitur, quando quæritur occultorum notitia ex conſideratione rei exiſtentis; & novem modis committitur: primo per Aſtrologiam judiciariam, quando notitia attenditur ex conſideratione ſitus, & motus ſyderum in hominis nativitate; unde profeuntur certo eventura, quæ alioquin pendent ex libero hominis arbitrio; & dicitur Genethliaca: Secundo per Augurium proprie tale, cum ex hominis geſtu; avium, & animalium vocibus, cantu &c., certo attenditur divinare occulta: Tertio per Auſpicium, quando ex volatu avium: Quarto per Omen, quando ex vocibus hominis præter intentionem prolatis: Quinto per Onyrocriticam, quando per ſomnia: Sexto per Phyſiognomiam, quando per totius corporis humani ſigna. Septimo per Metopoſcopiam, quando ex fronte hominis: Octavo per Chyromantiam, quando per ſigna manuum: Nono per Spatulamantiam, quando ex Spatularum ſignis. Qui igitur his mediis utitur ad certo dignoſcenda occulta vel futura aliquo modo a libero arbitrio pendentia, aut ex ſe contingentia, peccat graviter, peccato ſuperſtitionis divinatoriæ. Quando autem dubi-

ſitatur an ſomnium aliquod excitans ad bonum fuerit a Deo immiſſum, ut quandoque evenit, conſilium petatur a doctis, & probis viris.

* Contra exercentes artem Aſtrologiæ judiciariæ, & alia quæcumque divinationum genera, libroſque legentes, vel retinentes S. P. Sixtus V. *die 5. Januarii 1586.* Conſtitutionem edidit quæ incipit *Cœli & Terræ Creator*, quæque habetur *tom. 2. Magni Bullarii Romani edit. Lugd.* 1692. *n.* 17. *pag.* 515. *Apoſtolica auctoritate*, ait §. 3. *ſtatuimus, & mandamus ut tam contra .... quoſcumque dictę Aſtrologiæ artem .... exercentes, aut facientes judicia & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus, ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiam ſi id ſe non certo affirmare aſſerant, aut proteſtentur, quam contra alios ... qui ſupradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas divinandi artes ſive ſcientias exercent, profitentur, & docent aut diſcunt ... ac pręmiſſa deteſtanda ſcelera & delicta faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt, &c. tam Epiſcopi, Superiores, ac alii Ordinarii locorum, quam Inquiſitores hęreticę pravitatis ..., inquirant, & procedant, atque in eos ſeverius Canonicis pœnis & aliis eorum arbitrio animadvertant.* Hæc S. P. In jure autem Canonico *can. Si quis Ariolos, & can. Aliquanti 26. q. 5.* Aſtrologiam judiciariam exercentes excommunicationi latæ ſententiæ ſubjiciuntur, quæ tamen non eſt reſervata. Legatur P. Clemens Piſelli *in catalogo Excom. non reſerv. Lit. A.*

Sancita a Sixto V. approbavit, confirmavit, & innovavit S. P. Urbanus VIII. Conſtit. edita *die* 10. Aprilis 1631. cujus initium eſt *Inſcrutabilis*, quęque extat *tom. 4. pręcit. Bullarii*, *n.* 114. *pag.* 173. & inſuper Aſtrologos judiciarios de ſtatu Reipublicę Chriſtianę, vel Sedis Apoſtolicæ, ſive de vita aut morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, aut ejus conſanguineorum judicia facientes, & eos, qui illos deſuper talia conſulere præſumpſerint &c. excommunicationi latæ ſententiæ, aliiſque graviſſimis pœnis ſubjecit. Idem S. P. poſtea prohibuit omnes libros hic de materia tractantes, vel aliter prohibites licentiaſque illos habendi & legendi revocavit in Conſt. incipiente *Apoſtolatus in pręcit. Bullario* 116. *pag.* 176.

Etiam in priori Urbani Conſtitutione excommunicationem inter reſervatas Summo Pontifici minime recenſet P. Clemens Piſelli *Lit. A.* prope finem his verbis: „ Aſtrologi divinantes ſuper vita ac morte „ Papæ, ſive ſuper ſtatu Sedis Apoſtoli„ cæ, vel Reipublicæ Chriſtianæ. *Bulla Urbani VIII.* quę incipit *Inſcrutabilis.*" Deinde inter non reſervatas enumerat *Lit. P* ſic: „ Papæ de vita, vel morte divinantes. „ *Bulla Urbani VIII.* quę incipit *Inſcru„ tabilis.*

Verum circa hoc omnem de medio ſuſtulit dubitationem S. P. Benedictus XIV. in Conſtit. quę incipit *Paſtor bonus* edita *idibus Aprilis an.* 1744. quæque extat *tom. 1. Bullarii n.* 95. Talem quippe cenſuram inter illas recenſet, a quibus nec Major Pœnitentiarius abſolvere valet: Sic enim habet §. 13. *Nec pariter poſſit etiam in occultis, etiam in foro conſcientię tantum, eos cujuſcunque qualitatis, ſtatus, dignitatis, pręeminentię, & conditionis fuerint abſolvere, & abſolvi mandare qui Aſtrologia judiciaria, vel per ſe, vel per alios, de ſtatu Reipublicæ chriſtianę, ſive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis inquirentes ejuſdem Urbani VIII. P. M. Literis pridie Kalendas Aprilis an: ejuſdem Incar. 1631. contra prędicta perpetrantes editis, contravenerint.*

V. Sortilegium eſt actio, qua aliquid ſit, ut conſideratione eventus ejus, aliud fiat vel cognoſcatur. Triplex eſt diviſorium, conſultorium, & divinatorium. Diviſorium eſt, quando mittuntur ſortes, quibus decernatur cui aliquid tribuendum ſit: & hoc ex ſe eſt licitum, quando jura ad illam rem ſint inter perſonas æqualia, & perſonæ in illud æque aſſentiantur; nulla enim labe aut ſuperſtitionis, aut injuſtitiæ inficitur; cum neque ad occultum inveſtigandum, neque ad jus alicujus violandum ordinetur. Cavendum tamen eſt, ne adhibeatur in electionibus ad officia, ad quæ digniores ſunt eligendi. Si tamen in rariſſimo caſu ęqualis plane meriti & habilitatis eſſent perſonæ eligendæ, hoc ſortilegio uti, non eſſet peccatum, maxime poſt commendatum Deo eventum, ut factum legitur cap. 1. Actor. in electione Matthiæ. Sortilegium Conſultorium ſit ad inveſtigandum per ſortes quid agendum ſit in re obſcura: per ſe eſt illicitum; quia eſt quædam ſpecies tentationis Dei, & exponitur res diabolicæ fraudi; & eſſet expreſſa dæmonis invocatio, ſi ab ipſo revelatio expectaretur: unde in Capite *Sortes* 26. q. 2. ſub excommunicatione prohibetur. Tantummodo licitum eſſet, ſi ex ſpeciali Divino impulſu aſſumeretur; quia impul-

Quid ſit ſortilegium, & quotuplex; & quando peccaminoſum?

Digitized by Google

pulſus non eſt de facili præſumendus, ſed multa indiget conſultatione piorum, & ſapientum. Sortilegium Divinatorium eſt, quando inquiritur aliquid futurum, vel occultum mittendo ſortes, v. g. quis ſit obtenturus dignitatem; quis fuerit fur rei ſublatæ &c. & eſt ſuperſtitioſum, ob invocatam tacite, vel expreſſe dęmonis opem; quippe quod ſortes illæ ſint medium omnino improportionatum ad cognoſcendum illud occultum, vel futurum. Hæc ſunt deprompta ex S. D. 2. 2. q. 95. a. 8.

§. III. *De vana Obſervantia.*

Quid ſit vana obſervantia?

I. VAna Obſervantia eſt ſuperſtitio, qua, ad obtinendum aliquem effectum, quis utitur mediis vanis, inutilibus, & improportionatis: dum quis ex obſervatione eventuum fortuitorum, proprias actiones dirigit; unde quoad hanc partem coincidit cum ſuperſtitione Divinatoria, a qua eatenus differt, quatenus Divinatoria adhibetur ad notitiam occultorum: Obſervantia autem ordinatur ad effectus externos, & opera perſonæ vane obſervantis dirigenda. Quandoque committitur cum expreſſa Dęmonis invocatione, dum adhibentur media, quibus ſcitur, Dęmonem cooperari; quandoque cum implicita, quando adhibentur media improportionata ad effectum; quibus ſciri debet, non alium quam dæmonem cooperari; quippe quæ neque a Deo, neque ab Eccleſia, neque a præceptis alicujus artis honeſtæ ſint pręſcripta.

Quotuplex ſit; & quibus modis committatur?

II. Triplex eſt Vana Obſervantia: prima dicitur Ars Notoria, quando quis ad acquirendam ſcientiam, nullo adhibito ſtudio, utitur dictis mediis improportionatis. Secunda dicitur Ars Sanatoria, quando ſimilibus mediis improportionatis quis utitur ad ſanandas infirmitates. Tertia eſt Obſervantia fortuitorum, dum quis ex facto fortuito adveniente, conjectans proſperum, vel adverſum quid eventurum, juxta illud ſuas regit actiones. Quando igitur quis ſimilibus utitur, vel mediis alioqnin ſanctis, immiſcet etiam iſta media improportionata; vel quando utitur etiam mediis dumtaxat ſanctis, expectando tamen infallibiliter, ſe per illa obtenturum intentum, ſemper committitur hoc peccatum grave vanæ obſervantiæ, juxta communem Auctorum; quia, etiam in ultimo caſu, effectus non eſt infallibiliter expectandus per illa media, cum a Deo non fuerit ullo loco revelatum, ſe, poſitis illis mediis, conceſſurum effectum. Quando vero totum quod adhibetur, eſt Sanctum, omnique circumſtantia vana, inutili, & inepta carens; & adhibetur ſine infallibili expectatione eventus, ſed ſpe chriſtiana in Divinam Miſericordiam, nil erit reprehendendum. Quando demum prudenter dubitatur, an remedium aliquod, aut res aliqua applicanda habeat nec ne virtutem naturalem ad effectum optatum, (virtutes namque entium naturalium quamplurimæ latent) nullaque circumſtantia inepta obſervanda admiſceatur; tunc, præmiſſa coram Deo ſincera proteſtatione intendendi nullo modo cooperari Dæmonis operationi, ſi qua interveniat, immo rogando Deum, ne in hoc caſu effectus ſequatur; tunc adhiberi poteſt res illa naturalis ad effectum optatum. Hæc ſunt deprompta ex S. D. 2. 2. q. 96.

§. IV. *De Magia, & Maleficio.*

Quid ſit Magia, & quotuplex generatim?

I. REducitur ad Vanam obſervantiam Magia, quæ eſt ratio operandi mira intra naturæ ordinem, præter communem, & ordinarium modum naturalem: & ideo dici nequit ſupernaturalis, ſed potius præternaturalis. Duplex eſt: alia Naturalis, quæ operatur mira, conjungendo virtutes naturales activas paſſivis virtutibus; & hujus pars maxima eſt Alchimia naturalis: & hæc innocenter adhibetur. Alia eſt ſuperſtitioſa, quæ operatur mira ope Dæmonis, utendo ſignis a dæmone inſtitutis.

Quotuplex ſit ſuperſtitioſa?

II. Magia Superſtitioſa triplex eſt, prima dicitur Ars Notoria, de qua jam dictum eſt. Secunda dicitur Ars Mitinca, & eſt illa, qua ſanitates corporibus animalium, vel hominum conferuntur per ſigna inepta; quæ coincidit in hoc cum Arte Sanatoria ſuperius explicata: & inſuper qua procurantur bona temporalia & corporalia mediis ineptis & improportionatis; & propterea a dæmone inſtitutis. Tertia dicitur Ars Malefica, quæ tunc exercetur, quando per ſigna, & media a dæmone inſtituta affertur nocumentum aliis viventibus.

Quotuplex ſit ars Malefica, ſeu Maleficium, quodque peccatum?

III. Ars Malefica, ſeu Maleficium duplex eſt, aliud Veneficum, quod appellari ſolet Veneficium, & aliud Amatorium, ſeu Philtrum; Veneficio affertur damnum ſive hominibus, ſive animalibus, per morbos, dolores, & etiam per mortem, u-

ter-

ſendo aut mediis naturalibus cognitis ope Dæmonis; aut ſignis aliquibus a Dæmone inſtitutis. Amatorium ſeu Philtrum excitat carnalem & venereum amorem, aut e contra intenſum odium, operatione dæmonis humanos humores commoventis, quin tamen auferatur libertas; & ideo homo philtratus peccat conſentiendo, cum poſſit, invocato Dei auxilio, reſiſtere. Hinc malefici triplicis ſpeciei mortali peccato gravantur, nempe contra charitatem, contra religionem, & contra juſtitiam, ut patet.

Quomodo licite, aut illicite tollatur maleficium?

IV. Maleficia licite tolli poſſunt per media chriſtiana, & Eccleſiaſtica, nempe per preces, pœnitentias, jejunia, aliaque pia opera: ſed directe per exorciſmos Eccleſiaſticos: item mediis ab arte medica ſubminiſtratis: item deſtructione ſignorum, quibus adnexum eſt pactum nocendi. Numquam autem licet uti altero maleficio, ad tollendum primum, quippe quod ſit medium ab intrinſeco malum.

Reſolvitur caſus non raro eveniens.

V. In caſu, quo in pacto cum dæmone interveniat exceptio, V. G. ſi dicat dæmon: valebit maleficium, niſi patiens aqua ſe abluat, vel niſi vinum Hiſpanicum bibat &c., licebit ne tali remedio uti? Reſpondet doctiſſimus Suarez, de hoc argumento diſſolvendi maleficia exactiſſime diſſerens, l. b. 2. de ſuperſtitione cap. 17. licite poſſe tali actione, alioquin non mala, diſſolvi maleficium, quia non exercetur, ut aliquid dicatur a dæmone, vel ut executioni mandetur quidpiam ab eo præſcriptum, ſed animo mere impediendi, ne noceat; unde nullam redolet ſocietatem cum dæmone, nullumque eidem deſert honorem, ſed tantummodo actio illa exercetur ad tollendum incentivum mali. Immo cenſeri debet, Deum ita permiſiſſe dæmoni poteſtatem nocendi illi creaturæ, addita limitatione, ut illa actione adhibita, ceſſet nocumentum; dæmon enim a ſeipſo, ob inſatiabilem nocendi cupiditatem, nullam limitationem velle, cenſendus eſt; & proinde actionem illam peragens, non cooperatur dæmoni, ſed Deo, qui ita coarctavit illius malignitatem. Si enim dæmon dixiſſet: nocebo, donec non appendat collo reliquiam S. Crucis; nunquid, ob timorem cooperandi dæmoni, abſtinendum eſſet ab appendenda reliquia? ita neque abſtinendum ab agenda actione de ſe non mala. Idemque docet Sylveſter verbo maleficium q. 9.

Cl. Sylvius *in* 2. 2. q. 96. *a.* 4. ad examen vocat, *an liceat tollere ſigna maleficii?* Præmittit autem, quod dum inquiritur, an liceat maleficii ſigna deſtruere, non eſt ſermo de illis ſignis, quæ naturaliter valent ad nocendum, cujuſmodi ſunt c. e. venena quæ maleficus alicui in cibo, vel in potu, aut in unguento dederit; (in comperto enim eſt apud omnes, licitum eſſe talia ſigna abolere, modo hoc non fiat per aliquod maleficium, vel pactum cum Dæmone): ſed ſolum de nudis, ac ſimplicibus ſignis difficultas excitatur. Nuda autem ſigna appellantur quæ per ſe non ſunt venenoſa, neque hominum, aut animalium corporibus, eorumve rebus noxia, quamvis dum illa ſunt alicubi poſita, detrimenta ſequantur, dæmone videlicet propter pactum, quod cum malefico habet, nocumentum inferente perſonis, aut rebus illis, de quibus inter eos convenit. Et quia talibus ſignis amotis, vel deſtructis, Dæmon ſolet a nocumento ceſſare, ideo in diſcrimen vocatur, an qui novit, ubi ſit hujuſmodi ſignum, ſive ipſe maleficus, qui illud poſuit, ſive is, qui affligitur, ſive quiſpiam alius, licite poſſit illud tollere, vel deſtruere ſub ſpe, vel expectatione, ſeu deſiderio ceſſationis nocumenti. Dicitur de induſtria ſub ſpe, vel expectatione, ſeu deſiderio ceſſationis nocumenti. Quippe ex omnium confeſſione licitum eſt, ſigna maleficii amovere, & deſtruere ex indignatione vel odio facinoris, quo maleficus ea poſuit velut teſſeram ſui pacti cum Dæmone; & ſimiliter in contemptum, ac deteſtationem tum magicæ ſuperſtitionis, tum ipſius Diaboli, quia debemus habere diabolum ut inimicum Dei, & noſtrum, ejuſque artes contemnere, & abolere. Quare ſumma litis in eo eſt, an liceat nuda maleficii ſigna auferre, vel deſtruere ſub ſpe vel expectatione, ſeu deſiderio ceſſationis nocumenti aut valetudinis recuperandæ. Hoc illicitum eſſe contra plures non minimos Doctores exiſtimat præcitatus Duacenſis Doctor Sylvius, ſicque ipſe poſitionem ſuam in primis evincit. „ Is, inquit, qui tali intentione ſignum „ tollit, non expectat effectum deſide„ ratum a cauſa naturali, neque a vo„ luntate humana, neque per miraculum „ a voluntate Dei, vel Sanctorum: ergo „ expectat eum a Diabolo, quod eſt illi„ citum, utpote ad implicita cum Dæ„ mone pacta pertinens „. Aliis pluribus argumentis innixis etiam principiis a D. Thoma traditis eamdem ſuam aſſertio-

tionem confirmat, quæ nos brevitatis gratia miſſa facimus: & deinde omnia, quæ adverſæ ſententiæ defenſores objectant luculenter ſolvit, atque ita rem hanc magis magiſque declarat, ac in bono lumine collocat.

Suam tamen & contrariæ opinioni probabilitatem ineſſe autumat ipſe, atque adeo licite ad praxim reduci poſſe cenſet juxta Probabiliſmi ſyſtema, quod & ipſe adoptaverat. „ Si quis tamen, ait, maleficii ſignum amoveret; putans id ſibi licere, & „ nihil aliud expectans quam nocumen„ti vel pacti ceſſationem, non eſt ſim„pliciter condemnandus, quia multorum „ piorum & Doctorum auctoritas illam „ ſententiam affirmantium facit eam pro„babilem, ut poſſit illam ſequi, quam„vis rationes in contrarium allatæ, præ„ſertim illæ quæ fundantur in natura „ ſuperſtitionis longe probabiliorem fa„ciant partem alteram.

Verum in hoc a præclariſſimo viro recedere cogimur. Nam juxta ſanam, ac ſolidam Theologiam certum eſt, in morum quæſtionibus neceſſario ſequendam eſſe probabiliorem ſententiam: ergo poſito quod longe probabilior ſit quam ipſe propugnat, hæc neceſſario amplectenda eſt, altera deſerenda.

* Superſtitio, cum ſit vitium Religioni oppoſitum per exceſſum primum in duas ſpecies tribuitur, ut & docet D. Thomas 2. 2. *q.* 92. *art.* 2. *in corp.* Una cultum Deo debitum falſo Numini, ſeu creaturæ tribuit, vocaturque ſuperſtitio *ex parte rei cultæ*. Altera verum Deum quidem colit, *ſed modo indebito*, ut ait idem D. Thomas, diciturque ſuperſtitio *ex parte modi colendi*. Utramque varias ſubit diviſiones. Prima ſcilicet quæ cultum Deo debitum falſo Numini ſeu creaturæ tribuit, ſejungitur in *Idololatriam*, *Divinationem*, *& Vanam Obſervantiam*, ad quam revocantur *Maleficium*, & *Magia*, de quibus omnibus ſingillatim diſſerit ſuperius Auctor, nihilque propterea de his hic addendum.

Secunda quæ verum Deum quidem colit, ſed modo indebito, dividitur in ſuperſtitionem *cultus falſi*, in ſuperſtitionem *cultus ſuperflui*, & in ſuperſtitionem *cultus indecentis*, de quibus utpote ab Auctore omnino prætermiſſis ſummatim ſaltem agendum eſt.

Superſtitio *cultus falſi* in eo ſita eſt, quod Deo exhibeatur cultus falſus, ſeu pernicioſus; ut ſi quis Deum adoraret cæremoniis veteris legis, puta per circumciſionem, immolationem Agni, & hujuſmodi, quæ ſignificant Chriſtum adhuc venturum, & nondum veniſſe; vel ſi quis falſa miracula prædicaret, ſcriptiſve mandaret, falſas Reliquias obtruderet, falſas revelationes fingeret; vel auctoritate propria proponeret aliquid tanquam inſtitutum a Deo, vel ab Eccleſia, quod reipſa non eſt. Legatur D. Th. 2. 2. *q.* 93. *art.* 1. Et hæc ſuperſtitio natura ſua lethale peccatum eſt, quia gravem injuriam, & irreverentiam irrogat Deo primæ veritati, graviterque repugnat ejus honori, ac cultui, qui ſola veritate nititur: *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Joan.* 4. Nec pia intentio augendæ devotionis (ſi ſermo ſit de falſis miraculis, reliquiis &c.) criminis reatum aufert. Diminuitur enim, non augetur religionis cultus his figmentis.

Superſtitio *cultus ſuperflui* in eo conſiſtit quod Deo cultus tribuatur, qui, *quantum eſt de ſe*, inquit Angelicus loco ſupra citato art. 2. *non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiſcentiæ immoderatæ refrænentur: aut etiam ſi ſit præter Dei & Eccleſiæ inſtitutionem; vel contra conſuetudinem communem* (*quæ ſecundum Auguſtinum pro lege habenda eſt:*) *totum hoc*, ait, *reputandum eſt ſuperfluum, & ſuperſtitioſum; quia in exterioribus ſolum conſiſtens, ad interiorem Dei cultum non pertinet*. Hujuſce ſuperſtitionis reus foret qui aliquos precandi modos ex arbitrio præſtitueret, vel qui vellet tantum poſt Solis occaſum, aut poſt Solis ortum orare; vel Miſſam audire cum certo numero, & ordine cereorum, in tali ſitu & diſpoſitione corporis, & alia hujuſmodi præter, vel contra conſuetudinem, ac præſcriptum Eccleſiæ. Hæc ſuperſtitio, juxta communem ſententiam, eſt ſolum venialis, modo actio aliunde nulla lege prohibita ſit, & abſit ſcandalum & contemptus cœremoniarum Eccleſiæ, ac communis fidelium uſus; quia & materia levis eſt, & irreverentia non cenſetur gravis ob ſimplicitatem. Secus, ſi fiat poſt prohibitionem ſuperioris. „ Si tamen in Miſſa „ vel in adminiſtratione Sacramentorum, „ ſubdit P. Antoine *tract. de Virt. Relig.* „ *c.* 5. *art.* 1. *reſp.* 1. *ad quæſt.* 1. relictis ru„bricis, aliæ cœremoniæ etiam pro ſua „ devotione, & ſecluſo contemptu adhi„berentur, videtur non poſſe excuſari a

„ mortali , ob materiæ gravitatem , & „ periculum grave , & gravem præſumptionem . “

„ Cultus dicitur etiam ſuperfluus , *ſubdit idem Theologus ibidem* , ratione certitudinis vanę , ideſt non nixæ promiſſioni divinæ ; ut cum quis certo credit , ſe a tali morbo vel periculo liberandum , geſtando imaginem , vel reliquias Sanctorum , vel verba Scripturæ &c. Quia licet hæc pia ſint ; tamen a talibus nullus effectus abſolute & infallibiliter expectari poteſt , cum nullam habeant virtutem naturalem , nec divinam promiſſionem abſolutam . “ Et hoc etiam eſt peccatum grave , ut & Auctor aſſerit ſupra nempe §. 3. *n.* 2.

Superſtitio demum *cultus indecentis* in eo eſt repoſita quod Deo tribuatur cultus verbis , factis , & rebus potius ad ejus offenſam , quam ad ejus gloriam & laudem intervenientibus , ut ſi in Divinis Officiis talis adhibeatur cantus muſicalis , qui potius ſenſibilem excitet delectationem , quam mentem , animumque in Deum erigat . Et hæc ſuperſtitio , ſecluſa magna indecentia , gravi ſcandalo , prava intentione agentium , & periculo animarum , non eſt peccatum lethale . Secus dicendum foret , ſi talia intervenirent . Lege Epiſtolam Encyclicam S. P. Benedicti XIV. que incipit *Annus* , quæque habetur *tom.* 3. *Bullarii n.* 3. In ea quippe de Officiorum Eccleſiaſticorum , & Muſices ratione agit ; & ſpeciatim fuſe oſtendit qui ſint abuſus Muſices ab Eccleſiis eliminandi . Lege præterea quæ de muſicalibus concentibus , qui hodie in Eccleſiis celebrari in magnis potiſſimum ſolemnitatibus ſolent , habet P. Daniel Concina *Theolog. Chriſt. tom.* 2. *lib.* 2. *in Decal. diſſert.* 2. *cap.* 4. *& tom.* 3. *lib.* 3. *diſſert.* 2. *cap.* 1. *n.* 6. nec non *Theol. Chriſt. contractæ tom* 1. *lib.* 3. *diſſert.* 6. *cap.* 3. ubi etiam præcitati S. P. Benedicti auctoritatem allegat .

§. V. *De tentatione Dei* .

Quid ſit Tentatio Dei , quotque modis committatur?

I. TEntatio Dei eſt , aliquid agere , dicere , vel omittere ad capiendum experimentum de aliqua divina perfectione , potentia , ſapientia , voluntate , &c. , per effectum extraordinarium , ab eodem Deo temere expectatum . Duplici modo incurritur : primo expreſſe , quando directa intentione auferendi tale experimentum aliquid agitur , vel omittitur , quaſi intendendo extorquere miraculum ; ſecundo interpretative , quando , aliquid agendo vel omittendo , quamvis non adſit dicta directa intentio , ex modo tamen ſe gerendi ita intendi demonſtratur : puta ſi quis ægrotans , nullis vellet remediis uti , fidens ſe a Deo ſanandum : & ad hanc reducuntur plures aliæ actiones , requirentes , de providentia ordinaria , humanam cooperationem , & induſtriam , quam quis omitteret , fidens , ſe abſque illa a Deo adjutum iri . Hinc abolitum fuit antiquum illud experimentum probandæ innocentiæ , ambulandi pedibus inoſtenſis ſuper prunas ardentes , vel ferrum candens manu illæſa apprehendendi .

II. Utroque modo tentans Deum peccat mortaliter contra Religionem , eo quod Deo gravem irreverentiam irroget , nolendo uti mediis ab eo inſtitutis , & volendo ipſum obſtringere ad miracula patranda . Quandoque admiſcetur peccatum infidelitatis , ſi experimentum ſumatur cum aliqua dubitatione Divinæ poteſtatis , ſapientię &c. Sæpe admiſcetur peccatum contra charitatem ſibi vel proximo debitam , ſi id fiat cum periculo gravi proprio , vel proximi . Petere autem miraculum in aliqua urgenti neceſſitate , cum debita humilitate , & conformitate Divinæ voluntati , quando alia media non ſuperſunt , nullum peccatum committitur . Hæc ſunt deprompta ex S. Thom. 2. 2. q. 97. Hic juxta ordinem inſtitutum a S. Doctore diſſerendum eſſet de Perjurio , ſed hoc reſervamus ad ſecundum Decalogi præceptum . *Quale peccatum?*

§. VI. *De Blaſphemia* .

Quid , & quotuplex ſit Blaſphemia?

I. DE hoc vitio diſſerit S. D. 2. 2. q. 13. illudque recenſet inter peccata confeſſioni fidei oppoſita , quatenus nimirum blaſphemia eſt hæreticalis , de qua & nos nonnihil diximus Tract. 4. cap. 2. de vitiis fidei oppoſitis §. 3. Cum autem hic acturi ſimus de blaſphemia quacunque etiam ſimplici , propterea diſſertationem de hoc vitio huc transtulimus inter vitia Religioni oppoſita . Blaſphemia igitur generatim accepta eſt locutio , etſi quandoque interior , & mentalis tantum , contumelioſa contra Deum . Dixi etiam interior & mentalis , quia ad blaſphemiam formalem non eſt neceſſaria prolatio oris , ſed ſufficit interior mentis cum ſufficienti cognitione ; eo quod & mutus rationis compos poſſit reus eſſe blaſphemiæ ; & e con-

tionem confirmat, quæ nos brevitatis gratia miſſa facimus: & deinde omnia, quæ adverſæ ſententiæ defenſores objectant luculenter ſolvit, atque ita rem hanc magis magiſque declarat, ac in bono lumine collocat.

Suam tamen & contrariæ opinioni probabilitatem ineſſe autumat ipſe, atque adeo licite ad praxim reduci poſſe cenſet juxta Probabiliſmi ſyſtema, quod & ipſe adoptaverat. „ Si quis tamen, ait, malefici ſignum amoveret; putans id ſibi licere, & nihil aliud expectans quam nocumenti vel pacti ceſſationem, non eſt ſimpliciter condemnandus, quia multorum piorum & Doctorum auctoritas illam ſententiam affirmantium facit eam probabilem, ut poſſit illam ſequi, quamvis rationes in contrarium allatæ, præſertim illæ quæ fundantur in natura ſuperſtitionis longe probabiliorem faciant partem alteram. „

Verum in hoc a præclariſſimo viro recedere cogimur. Nam juxta ſanam, ac ſolidam Theologiam certum eſt, in morum quæſtionibus neceſſario ſequendam eſſe probabiliorem ſententiam: ergo poſito quod longe probabilior ſit quam ipſe propugnat, hæc neceſſario amplectenda eſt, altera deſerenda.

* Superſtitio, cum ſit vitium Religioni oppoſitum per exceſſum primum in duas ſpecies tribuitur, ut & docet D. Thomas 2. 2. *q.* 92. *art.* 2. *in corp.* Una cultum Deo debitum falſo Numini, ſeu creaturæ tribuit, vocaturque ſuperſtitio *ex parte rei cultæ*. Altera verum Deum quidem colit, *ſed modo indebito*, ut ait idem D. Thomas, diciturque ſuperſtitio *ex parte modi colendi*. Utraque varias ſubit diviſiones. Prima ſcilicet quæ cultum Deo debitum falſo Numini ſeu creaturæ tribuit, ſejungitur in *Idololatriam*, *Divinationem*, *& Vanam Obſervantiam*, ad quam revocantur *Maleficium*, & *Magia*, de quibus omnibus ſingillatim diſſerit ſuperius Auctor, nihilque propterea de his hic addendum.

Secunda quæ verum Deum quidem colit, ſed modo indebito, dividitur in ſuperſtitionem *cultus falſi*, in ſuperſtitionem *cultus ſuperflui*, & in ſuperſtitionem *cultus indecentis*, de quibus utpote ab Auctore omnino prætermiſſis ſummatim ſaltem agendum eſt.

Superſtitio *cultus falſi* in eo ſita eſt, quod Deo exhibeatur cultus falſus, ſeu pernicioſus; ut ſi quis Deum adoraret cæremoniis veteris legis, puta per circumciſionem, immolationem Agni, & hujuſmodi, quæ ſignificant Chriſtum adhuc venturum, & nondum veniſſe; vel ſi quis falſa miracula prædicaret, ſcriptiſve mandaret, falſas Reliquias obtruderet, falſas revelationes ingereret; vel auctoritate propria proponeret aliquid tanquam inſtitutum a Deo, vel ab Eccleſia, quod reipſa non eſt. Legatur D. Th. 2. 2. *q.* 93. *art.* 1. Et hæc ſuperſtitio natura ſua lethale peccatum eſt, quia gravem injuriam, & irreverentiam irrogat Deo primæ veritati, graviterque repugnat ejus honori, ac cultui, qui ſola veritate nititur: *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Joan.* 4. Nec pia intentio augendæ devotionis (ſi ſermo ſit de falſis miraculis, reliquiis &c.) criminis reatum aufert. Diminuitur enim, non augetur religionis cultus his figmentis.

Superſtitio *cultus ſuperflui* in eo conſiſtit quod Deo cultus tribuatur, qui, *quantum eſt de ſe*, inquit Angelicus loco ſupra citato art. 2. *non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiſcentiæ immoderatæ refrænentur: aut etiam ſi ſit præter Dei & Eccleſiæ inſtitutionem; vel contra conſuetudinem communem (quæ ſecundum Auguſtinum pro lege habenda eſt:)* totum hoc, ait, *reputandum eſt ſuperfluum, & ſuperſtitioſum; quia in exterioribus ſolum conſiſtens, ad interiorem Dei cultum non pertinet*. Hujuſce ſuperſtitionis reus foret qui aliquos precandi modos ex arbitrio præſtitueret, vel qui vellet tantum poſt Solis occaſum, aut poſt Solis ortum orare; vel Miſſam audire cum certo numero, & ordine cereorum, in tali ſitu & diſpoſitione corporis, & alia hujuſmodi præter, vel contra conſuetudinem, ac præſcriptum Eccleſiæ. Hæc ſuperſtitio, juxta communem ſententiam, eſt ſolum venialis, modo actio aliunde nulla lege prohibita ſit, & abſit ſcandalum & contemptus cœremoniarum Eccleſiæ, ac communis fidelium uſus; quia & materia levis eſt, & irreverentia non cenſetur gravis ob ſimplicitatem. Secus, ſi fiat poſt prohibitionem ſuperioris. „ Si tamen in Miſſa vel in adminiſtratione Sacramentorum, ſubdit P. Antoine *tract. de Virt. Relig. c.* 5. *art.* 1. *reſp.* 1. *ad quæſt.* 1. relictis rubricis, aliæ cœremoniæ etiam pro ſua devotione, & ſecluſo contemptu adhiberentur, videtur non poſſe excuſari a nor-

„ mortali, ob materiæ gravitatem, & „ periculum grave, & gravem præſumptionem. "

„ Cultus dicitur etiam ſuperfluus, *ſubdit idem Theologus ibidem*, ratione certitudinis vanę, ideſt non nixæ promiſſioni divinæ; ut cum quis certo credit, ſe a tali morbo vel periculo liberandum, geſtando imaginem, vel reliquias Sanctorum, vel verba Scripturæ &c. Quia licet hæc pia ſint; tamen a talibus nullus effectus abſolute & infallibiliter expectari poteſt, cum nullam habeant virtutem naturalem, nec divinam promiſſionem abſolutam. " Et hoc etiam eſt peccatum grave, ut & Auctor aſſerit ſupra nempe §. 3. *n.* 2.

Superſtitio demum *cultus indecentis* in eo eſt repoſita quod Deo tribuatur cultus verbis, factis, & rebus potius ad ejus offenſam, quam ad ejus gloriam & laudem intervientibus, ut ſi in Divinis Officiis talis adhibeatur cantus muſicalis, qui potius ſenſibilem excitet delectationem, quam mentem, animumque in Deum erigit. Et hæc ſuperſtitio, ſecluſa magna indecentia, gravi ſcandalo, prava intentione agentium, & periculo animarum, non eſt peccatum lethale. Secus dicendum foret, ſi talia intervenirent. Lege Epiſtolam Encyclicam S. P. Benedicti XIV. que incipit *Annus*, quæque habetur *tom.* 3. *Bullarii n.* 3. In ea quippe de Officiorum Eccleſiaſticorum, & Muſices ratione agit; & ſpeciatim fuſe oſtendit qui ſint abuſus Muſices ab Eccleſiis eliminandi. Lege præterea quæ de muſicalibus concentibus, qui hodie in Eccleſiis celebrari in magnis potiſſimum ſolemnitatibus ſolent, habet P. Daniel Concina *Theolog. Chriſt. tom.* 2. *lib.* 2. *in Decal. diſſert.* 2. *cap.* 4. & *tom.* 3. *lib.* 3. *diſſert.* 2. *cap.* 1. *n.* 6. nec non *Theol. Chriſt. contracta tom* 1. *lib.* 3. *diſſert.* 6. *cap.* 3. ubi etiam præcitati S. P. Benedicti auctoritatem allegat.

§. V. *De tentatione Dei.*

Quid ſit Tentatio Dei, quotque modis committatur?

I. TEntatio Dei eſt, aliquid agere, dicere, vel omittere ad capiendum experimentum de aliqua divina perfectione, potentia, ſapientia, voluntate, &c., per effectum extraordinarium, ab eodem Deo temere expectatum. Duplici modo incurritur: primo expreſſe, quando directa intentione capiendi tale experimentum aliquid agitur, vel omittitur, quaſi intendendo extorquere miraculum; ſecundo interpretative, quando, aliquid agendo vel omittendo, quamvis non adſit dicta directa intentio, ex modo tamen ſe gerendi ita intendi demonſtratur: puta ſi quis ęgrotans, nullis vellet remediis uti, fidens ſe a Deo ſanandum: & ad hanc reducuntur plures aliæ actiones, requirentes, de providentia ordinaria, humanam cooperationem, & induſtriam, quam quis omitteret, fidens, ſe abſque illa a Deo adjutum iri. Hinc abolitum fuit antiquum illud experimentum probandæ innocentiæ, ambulandi pedibus inoffenſis ſuper prunas ardentes, vel ferrum candens manu illæſa apprehendendi.

Quale peccatum?

II. Utroque modo tentans Deum peccat mortaliter contra Religionem, eo quod Deo gravem irreverentiam irroget, nolendo uti mediis ab eo inſtitutis, & volendo ipſum obſtringere ad miracula patranda. Quandoque admiſcetur peccatum infidelitatis, ſi experimentum ſumatur cum aliqua dubitatione Divinæ poteſtatis, ſapientiæ &c. Sæpe admiſcetur peccatum contra charitatem ſibi vel proximo debitam, ſi id fiat cum periculo gravi proprio, vel proximi. Petere autem miraculum in aliqua urgenti neceſſitate, cum debita humilitate, & conformitate Divinæ voluntati, quando alia media non ſuperſunt, nullum peccatum committitur. Hæc ſunt deprompta ex S. Thom. 2. 2. q. 97. Hic juxta ordinem inſtitutum a S. Doctore diſſerendum eſſet de Perjurio, ſed hoc reſervamus ad ſecundum Decalogi præceptum.

§. VI. *De Blaſphemia.*

Quid, & quotuplex ſit Blaſphemia?

I. DE hoc vitio diſſerit S. D. 2. 2. q. 13. illudque recenſet inter peccata confeſſioni fidei oppoſita, quatenus nimirum blaſphemia eſt hæreticalis, de qua & nos nonnihil diximus Tract. 4. cap. 2. de vitiis fidei oppoſitis §. 3. Cum autem hic acturi ſimus de blaſphemia quacumque etiam ſimplici, propterea diſſertationem de hoc vitio huc transtulimus inter vitia Religioni oppoſita. Blaſphemia igitur generatim accepta eſt locutio, etſi quandoque interior, & mentalis tantum, contumelioſa contra Deum. Dixi etiam interior & mentalis, quia ad blaſphemiam formalem non eſt neceſſaria prolatio oris, ſed ſufficit interior mentis cum ſufficienti cognitione; eo quod & mutus rationis compos poſſit reus eſſe blaſphemiæ; & e con-

converſo ſtultus ore blaſphemans, blaſphemus non ſit. Triplex eſt; nempe Hæreticalis, quæ aliquam hæreſim continet, vel tribuendo Divinæ Majeſtati quod ei non convenit; vel tollendo ab eadem, quod ipſi convenit: Si autem quod profertur, etiam judicio & corde teneatur, eſt hæreſis formalis, de qua plura diximus in paragrapho indicato; ſi autem quod profertur, judicio & corde non teneatur, eſt proprie nuda blaſphemia hæreticalis, & non hæreſis: eſſet item blaſphemia hæreticalis tribuere creaturæ, quod proprium eſt ſolius Dei, & in aliqua perfectione creaturam Deo præferre: & ſi ita judicetur, eſſet ſimiliter hæreſis; ſin autem, mera blaſphemia hæreticalis. Alia eſt Imprecativa, qua Deo malum quis imprecatur, quæ plerumque continet etiam peccatum odii Dei; de quo diſſeruimus in capite 5. de vitiis charitati Dei oppoſitis. Alia eſt Inhonorativa, qua modo contumelioſo & conviciante aliquid profertur contra Deum, quamvis non falſum, nec contra fidem; & hæc dicitur blaſphemia ſimplex; puta illud Juliani Apoſtatæ dictum Chriſto per modum convicii; *viciſti Galilæe, viciſti*. Tres iſtæ blaſphemiæ differunt ſpecie; quia Hæreticalis repugnat etiam vel fidei, vel confeſſioni ejuſdem: Imprecativa repugnat charitati Dei, quia continet malitiam odii ejuſdem: Simplex autem ſolam malitiam inhonorationis habet.

Quæ reducantur ad blaſphemiam ſimplicem?

II. Ad blaſphemiam ſimplicem reducuntur blaſphemiæ ſine verbis, ſed per ſolos geſtus contra Deum factæ: puta projiciendo lapidem contra Cœlum ex iræ magnæ impetu; expuendo in Crucifixum &c. Ad eamdem reducuntur verba inhonorativa contra Sanctos, quia ait S. Th. q. 13. ad 2. *Sicut Deus in Sanctis ſuis laudatur, in quantum laudantur opera quæ Deus in Sanctis efficit; ita & blaſphemia quæ fit in Sanctos, ex conſequenti in Deum redundat*: unde blaſphemans peccat contra virtutem Duliæ, ſi in Sanctos; vel Hyperduliæ, ſi in Deiparam blaſphemet. Et ſimiliter blaſphemiæ in res ſacras in Dei inhonorationem redundant, ſi aut verba conviciatoria, aut geſtus injuriantes in illas fiant. Prætetea, juxta S. D. q. 76. a. 2., ad blaſphemiam reducitur maledictio creaturarum, quatenus ſunt creaturæ Dei: *Maledicere rebus irrationalibus, in quantum ſunt creaturæ Dei, eſt peccatum blaſphemiæ: maledicere autem eis ſecundum ſe conſideratis eſt otioſum & vanum, & per conſequens illicitum*. Cavendum igitur eſt ab his maledictionibus creaturarum, præcipue quando nobis nocent ex diſpoſitione divina, ut ſunt tempeſtates, ſiccitates, exundationes &c.; tunc enim ex ira illis maledicere, videtur maledictio redundare in Deum earumdem auctorem. Ex dictis infertur, blaſphemias contra Deum differre ſpecie a prolatis contra Sanctos; & ideo in confeſſione exponendas eſſe diſtincte: ſicuti etiam exponendæ ſunt qualitates blaſphemiarum: puta ſi vocaſti Sanctum impudicum, injuſtum, crudelem; quia ſi injuriæ diverſæ ſpeciei irrogatæ homini ſunt exponendæ, ita & a fortiori irrogatæ Sanctis, & adhuc a fortiori irrogatæ Chriſto, aut Deo.

In blaſphemia non datur parvitas materiæ.

III. Blaſphemiam omnem cum ſufficienti advertentia prolatam eſſe mortale peccatum, eſt indubitabile, in qua non datur parvitas materiæ, juxta omnes; quia quælibet gravem irrogat Deo injuriam: nec requiritur intentio formalis Deum inhonorandi; quia tunc gravaretur etiam malitia odii, ſaltem abominationis contra Deum; de quo diximus in citato Capite de vitiis contra charitatem Dei; ſed ſufficit intentio virtualis, contenta in verbis, vel geſtis in communi hominum ſapientum ſenſu habitis ut gravibus inhonorationibus Dei, advertenter prolatis, aut factis. De conſuetudine blaſphemandi ſatis dictum eſt in Capite de peccatis §. 2. n. 8., 9., 10. ubi de conſuetudine generatim definitum fuit cum Sancto Thoma.

Quid de frequenti uſurpatione nominis Jeſu?

IV. Quid dicendum de illis, qui ex prava quadam conſuetudine frequentiſſime uſurpant veneranda nomina Jeſu, & Mariæ, & Sanctorum in quacumque admiratione, impatientia, indignatione, &c.? Reſpondetur, hos ſemper peccare ſaltem venialiter ob minus reverentem modum hujuſmodi nomina proferendi: dixi ſaltem venialiter; quia timendum eſt, ne frequentiſſima indecora uſurpatio quemdam virtualem contemptum involvat, qui eamdem ſuſpectam reddat de reatu mortali.

§. VII. *De Sacrilegio.*

Quid & quotuplex eſt Sacrilegium?

I. SAcrilegium generatim acceptum juxta S. Th. 2. 2. q. 99. a. 1. eſt indigna tractatio rei ſacræ nempe Deo dicatæ, ejuſdemque cultui ſpecialiter deſtinatæ. Cumque tria ſint, quæ divino cultui ſpecialiter deſtinari poſſint, videlicet

Pei-

Digitized by Google

Perſonæ, Res, & Loca; propterea in tres dividitur ſpecies, nempe in Perſonale, Reale, & Locale.

Quid Perſonale, quotque modis committatur?

II. Perſonale eſt illud, quo indigne tractatur Perſona ſpecialiter Deo dicata, ut Clerici, & Religioſi: & quatuor modis perpetratur. Primo, dictas perſonas percutiendo, ſive aliquam actionem violentam, & contumelioſam in illos injuſte agendo: Secundo, ſubjiciendo illos foro ſæculari, & tunc dicitur violari Libertas Eccleſiaſtica: Tertio, imponendo illis tributa, vel alia gravamina illegitima; & tunc dicitur violari Immunitas Eccleſiaſtica. Quarto, peccando contra caſtitatem, ſi perſona peccans ſit aut Sacro Ordine, aut profeſſione religioſa, aut etiam voto ſimplici caſtitatis obſtricta; quod peccatum ſacrilegii perpetrant etiam complices, quamvis voto non obſtricti, ſi ſciant perſonam, cum qua peccant, tali voto teneri: & ideo eſt circumſtantia in confeſſione exponenda, nec non an unus tantum, aut ambo ſint voto ligati? quia præter malitiam ſpecialem caſtitati oppoſitam, additur malitia religioni contraria, una, vel duplex. Nota ex Suarez citante graves Auctores lib. 3. de Sacrilegio cap. 3. n. 7. 8., probabilius teneri Sacerdotem contra caſtitatem peccantem explicare in confeſſione gradum ſuum; quia præter peccatum perfidiæ, quod committit violando promiſſam Deo caſtitatem, violat etiam Religionem modo ſpeciali, ob qualitatem perſonæ ſtrictiſſimo, atque excellentiori modo Deo conſecratæ, ad quotidie ſacrificandum, & ſumendum Corpus & Sanguinem Chriſti; & propterea, etiam præſcindendo a voto quo ligatur, peccat ſpeciali modo contra Religionem peccato ſacrilegii, propter illius Ordinis eximiam celſitudinem.

Quid ſit Sacrilegium Reale, quibuſque modis committatur?

III. Sacrilegium Reale eſt indigna tractatio rei ſacræ, quæ nec ſit perſona ſacra, nec locus ſacer. Hujuſmodi res ſacræ ſunt, quæ vel ſanctitatem efficiunt, ut Sacramenta; aut res ſacras ſignificant, ut verba Sacræ Scripturæ; ut ſunt aliquid rerum ſanctarum, ut Reliquiæ; aut quid ſacrum repræſentant, ut Imagines ſanctæ: aut ad Divinum cultum ordinantur, ut vaſa ſacra, ornamenta jam oblata Eccleſiæ; aut quæ ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ ſunt deſtinata, ut proventus temporales, aliaque bona ejuſdem. Sacrilegium reale committitur nedum actione poſitiva, verum etiam per omiſſionem actionum debitarum; puta omittendo cuſtodiam Euchariſtiæ, ut vel rapi poſſit, vel corrumpi; non mutando corporalia fœda, & purificatoria &c. Qui itaque res ſacras indigne tractavit, tenetur in confeſſione exprimere qualitatem rei ſacræ & actionis; eo quod ſpecie diſtinguantur per habitudinem ad diverſas ſanctitates: ac proinde qui V.G. indigne tractavit reliquias S. Crucis, & S. Antonii, id debebit ſignificare: nam malitia ſacrilegii contra religionem continetur, quatenus injuria tandem, & mediate terminatur in Deum: quatenus autem immediate afficit res ſacras Sanctorum, eſt peccatum contra virtutem Obſervantiæ ſupernaturalis, quæ Dulia, vel Hyperdulia vocitatur.

Infertur deciſio nonnullorum caſuum.

IV. Hinc orationes indigne & male recitatæ, cum immediate pertineant ad ipſum Deum, non ſunt ſacrilegia, ſed peccata irreligioſitatis; quemadmodum etiam omittere auditionem Sacri in feſto, & ſerviliter laborare; quia his actionibus non violatur res ſacra, ſed agitur contra cultum Deo debitum. Neque hac ratione eſt ſacrilegium, magna irreverentia ſe gerere coram Euchariſtia expoſita, ſed gravis irreligioſitas, & quidem ſacrilegio gravior; quia gravius violatur cultus Chriſto debitus: poterit autem eſſe ſacrilegium per habitudinem ad ſpecies conſecratas, quia contra rem ſacram a Chriſto in illa contento diſtinctam, ut optime notavit Suar. loc.cit.cap.6. n. 8. & hac ratione ſacrilegium erit indigne tractare ipſum Sacramentum Euchariſtiæ; & ſimul irreligioſitas prout indigna tractatio reſpicit Chriſtum in Euchariſtia contentum. Pariter Sacrilegium erit indigna ſuſceptio, vel invalida, aut indigna miniſtratio Sacramentorum, ob injuriam gravem illatam rebus ſacris; ſicuti etiam convertere in profanos uſus vaſa ſacra, ob eamdem rationem; niſi neceſſitas urgens, valde perpendenda, excuſet. Item ſacrilegium grave eſt, abuti verbis Scripturæ, aut aliis ſacris in ſenſus turpes, mendaces, irriſorios; immo utentem indicatis verbis in ſenſus jocoſos, tametſi non turpes, ſed civiles, ſi nimia frequentia, & veluti conſuetudine fiat, a mortali non excuſant Doctores etiam benignæ Theologiæ, ob gravem irreverentiam, & implicitam parvipenſionem erga indicata ſacra verba. Furtum pariter rei ſacræ, puta Reliquiæ, Calicis &c. eſt ſacrilegium lethale, ob datam rationem.

V. Sa-

Digitized by Google

V. Sacrilegium Locale eſt indigna violatio loci publica, & Eccleſiaſtica auctoritate Divino cultui deputati; puta Eccleſiæ, Sacelli, ideſt Sacriſtiæ, Cæmeterii, Monaſterii, Xenodochii Eccleſiaſtica auctoritate erecti. Variis modis committitur: effringendo fores; ornamenta furando; immo qui ſimul effringit & furatur res Eccleſiæ, incurrit excommunicationem non reſervatam, quouſque non denunciatur factum Pontifici ab Epiſcopo; quia tunc evadit Pontifici reſervata. Item violenter extrahendo perſonas, quæ ad ſacra loca confugerunt, & gaudent immunitate eorumdem locorum: id autem dicitur, ut excipiantur illi, qui hac immunitate non gaudent; quales ſunt publici latrones, aut nocturni depopulatores agrorum; illi qui proditorie, & ex inſidiis occiderunt proximum, etiam venenum propinando, ut habetur ex variis juribus citatis a Doctoribus.

Quid Sacrilegium Locale; quotque modis perpetretur?

Legenda eſt Inſtitutio Eminent. Cardinalis Lambertini poſtea S. P. Benedicti XIV. quæ extat impreſſa *Tom. 2. edit. Italicæ n. 1. Latinæ n. 61.* In ea 1. crimina percenſet, ob quæ rei ex jure communi, & antiquis Pontificum decretis minime gaudent Eccleſiæ, & ſacrorum Locorum aſylo. 2. Delicta enumerat, ob quæ rei carent eadem immunitate juxta Conſtitutionem Gregorii XIV. 3. Scelera ob oculos ponit, ob quæ reis ſacrarum Ædium immunitas denegatur poſt Benedicti XIV. & Clementis XII. Conſtitutiones. 4. Oculis ſubjicit quæſtiones, quas definiverunt iidem Pontifices circa immunitatem localem Eccleſiarum, ac Locorum ſacrorum. 5. Differit de extrahendis reis a locis immunibus, cum ea crimina patraverunt, quibus localis immunitas non permittitur. 6. Agit de pœnis, quæ irrogantur reis ob crimina immunitate carentia. 7. Sermonem inſtituit de reis, quibus jus aſyli in ſacris locis conceditur. 8. Denique exponit qua ratione uti debeant Parochi hac præſenti Inſtitutione.

Idem vero poſteaquam fuit ad ſummum Pontificatum evectus circa eamdem immunitatem localem *die 15. Martii* 1750. Conſtitutionem edidit incipientem *Officii noſtri ratio*, in qua nonnulla dubia declaravit poſt Conſtitutiones Benedicti XIII. & Clementis XII. excitata, aliaque opportune ſtatuit, & præcipit, & præſertim privativum jus Epiſcopo conceſſit circa extractionem delinquentium e loco immuni in caſibus exceptis, quemadmodum decretum fuerat a Gregorio, & Benedicto in Conſtitutionibus ſupra notatis; & occurrente caſu in loco exempto, & nullius Diœceſis, ubi Prælati Epiſcopo inferiores ordinaria funguntur facultate, tunc, ut ad viciniorem Epiſcopum, & non ad Ordinarium negotium hujuſmodi devolvatur, ſanxit. Et quia ſæpe accidit in his caſibus, quod diutius quam par eſt protrahitur extractio delinquentium, reſpective mandat Summus Pontifex omnibus, quibus convenit, ut promptiores ſint in hac adimplenda Apoſtolica Conſtitutione; immo ut facilius exequutioni mandetur iiſdem Epiſcopis opportune permittit, maxime in locis a Curia Eccleſiaſtica remotis, ut quoties in hujuſmodi caſibus pro parte Curiæ Laicalis requiſiti fuerint, Vicariis ſuis Foraneis, ſive etiam aliis Perſonis Eccleſiaſticis ad id per ipſos Antiſtites deputandis, committere poſſint, ut indicia ad extractionem neceſſaria, Judice colligant, ut iis nimirum inſpectis, iidem Antiſtites, prout juris erit, ad delinquentium hujuſmodi extractionem quantocius decernendam procedere valeant. Conſtitutio hæc extat Tom. 3. n. 29.

VI. Aliis modis item committitur ſacrilegium locale; polluendo Eccleſiam per injurioſam humani ſanguinis effuſionem in Eccleſia, vel per occiſionem in Eccleſia factam etiam ſine ſanguinis effuſione, quamviſ occidens, vel percutiens, actionem injuſtam extra Eccleſiam fecerit: Item per illicitam & voluntariam humani ſeminis effuſionem: excipitur ab aliquibus rariſſimus caſus, quo conjuges cogerentur diu intra Eccleſiam permanere, neque poſſent diu continere ſine periculo gravis peccati incontinentiæ. Item per ſepulturam infidelis non baptizati, aut excommunicati non tolerati: & quamvis ad ſacrilegium pollutionis Eccleſiæ ſufficiat, quod crimen ſit etiam occultum; non tamen ut Eccleſia cenſeatur in foro externo polluta; ad id namque requiritur ut factum ſit notorium notorietate facti, aut juris. Hæc omnia ex variis textibus juris apud Doctores: ea diſcutiemus in Tr. 14. c. 3. §. 16.

Alia Sacrilegia Localia?

VII. Item ſacrilegium locale committitur, exercendo actiones profanas in loco ſacro, quæ loci ſanctitati repugnent: & ſunt Actio Judicialis, & præſertim criminalis, quæ nedum eſt ſacrilega, verum etiam invalida; & ſi judicium eſſet ad mor-

Alia Sacrilegia Localia.

tem;

tem, poſſet judex excommunicari. Item actio negotiationis & mercaturæ, emptionis & venditionis ſolemnis: dixi ſolemnis; quia contrahere verbis ſolis, vel etiam aliquid vendere in Eccleſia per accidens, quia pluvia V. G. impetuoſe ingruens obſtrinxit vendentem & ementem, ut in Eccleſiam ſe reciperent, eſt vel leve, vel nullum peccatum reſpective. Item clamores profani, tripudia, commeſſationes agere in loco ſacro: Ita ex variis juribus quæ paſſim ab Auctoribus referuntur. Furari in loco ſacro in quantitate ad mortale ſufficiente, eſt ſacrilegium lethale; duplex autem, ſi etiam quis rem ſacram furetur. Pariter furari, vel in alium uſum convertere legata pia, aliaque bona, quæ ex teſtantium voluntate nullum alium uſum habere debent quam pium, appellatur paſſim in jure ſacrilegium Capite

Alia Sacrilegia Localia. *nulli liceat* 22. q.2., & c.17. q.4. Loqui de turpibus & obſcœnis, ſollicitare ad turbia, quamvis extra Eccleſiam perpetranda; & multo magis tactum aliquem turpem; &, unico verbo, turpes & inhoneſtas actiones exteriores facere in Eccleſia, ſive manu, ſive ore, ſive nutibus, ſive facto tali, ut ſi quis videret, jam adverteret actionem illam eſſe turpem, probabilius affirmatur ſacrilegium ob gravem irreverentiam loco ſancto irrogatam: Et profecto mirum videtur, quod oppoſitum ſuſtinentes, cum concedant *eſſe gravem culpam contra loci ſanctitatem, & merito in confeſſione aperiendam*, recenſitas actiones facere, ut fatetur Sporer de ſacrilegio §. 2. in fine; negent deinde, non eſſe ſacrilegia, quam cohærenter loquantur, ſapientioribus cenſendum relinquo. Quid enim aliud amabo eſt ſacrilegium locale, niſi gravis injuria loco ſacro irrogata? atqui ex eorum verbis præfatæ actiones *ſunt gravis culpa contra loci ſanctitatem*; ergo ſunt ſacrilegium. De peccatis vero mere internis in loco ſacro perpetratis, quamvis aliqui affirment quod ſint ſacrilegia; mihi probabilius apparet, quod non; quia locus non offenditur niſi per actionem exteriorem.

§. VIII. *De Simonia*.

Traditur & explicatur Simoniæ [illegible]. I. DE hoc vitio differit S. Thomas 2. 2. q. 100. ſex articulis, ex quibus plura hic decerpentur, plurima alia addentes ab eodem non diſcuſſa. Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquid Spirituale, vel Spirituali adnexum. Ly ſtudioſa voluntas ſignificat volitionem deliberatam: ly emendi, vel vendendi ſignificat non ſolum contractum venditionis, & emptionis in ſpecie, ſed quemlibet alium contractum non gratuitum, ſive nominatum, ſive innominatum, omneque pactum inducens aliquod vinculum: ly pretio temporali non intelligitur de ſola pecunia, ſed de qualibet re pretio æſtimabili. Hæ autem res pretio æſtimabiles, quæ ſimoniæ pretia eſſe conſueverunt, ad tria genera reducuntur, quæ etiam muneris nomine vocitari ſolent: & ſunt, munus a manu; munus a lingua; & munus ab obſequio: munus a manu ſignificat res omnes pretio æſtimabiles, ſive mobiles ſint, ſive immobiles, nec non remiſſionem debiti; jus aliquod &c. Munus a lingua ſignificat favorem, interceſſionem, patrocinium, commendationem, laudem apud alterum; cum & hæc commodum temporale afferant, ſintque pretio æſtimabilia: puta cum quis animum alicujus donis inducit, ut ipſum apud Epiſcopum recommendet, laudet, protegat ad beneficium obtinendum. Munus ab obſequio ſignificat quodlibet ſervitium, obſequium, miniſterium temporale præſtitum, vel præſtandum: puta dum Epiſcopus confert beneficium in præmium illi, qui villici miniſterium diligenter obivit, aut quidpiam aliud ſimile fecit; hæc enim virtualiter habentur ut pretia & mortaliter talia reputantur: ly Spirituale ſignificat rem aliquam, vel actionem ſacram, aut ad animæ ſalutem, aut ad Dei cultum pertinentem: puta Sacramenta, Reliquiæ, benedictiones, omneſque actiones ordinis, aut juriſdictionis ſpiritualis; quarum nonnullæ examinabuntur ſuo loco: ly ſpirituali adnexum ſignificat id, quod ad ſpirituale ordinatur, vel ab ipſo pendet, vel eidem conjungitur: quæ conjunctio aut ſe habet antecedenter ad ſpirituale, v. g. jus Patronatus, quod antecedit præſentationem alicujus ad beneficium: aut ſe habet concomitanter, ut eſſet labor intrinſecus celebrationi Miſſæ, Catecheſis &c., aut ſe habet conſequenter, ut reditus beneficii, præſupponentes Horarum recitationem. Quamvis autem hæc definitio explicet ſimoniæ naturam divino jure prohibitam, non tamen comprehendit quamcumque, a jure ſimul Eccleſiaſtico vetitam. Simonia igitur ab utroque iſto jure interdicta ita definiri poteſt: quæcumque datio, &

rece-

Digitized by Google

receptio rei ſpiritualis, aut ſpirituali adnexæ pro temporali, aut e contra; & quæcunque pactio ſuper eiſdem a lege prohibitæ, ob reverentiam rei Sacræ.

Munus a lingua ſic exponit D. Thomas loco ab Auctore ſupra citat. *art. 5. ad 3. Dicendum*, inquit, *quod munus a lingua dicitur vel ipſa laus pertinens ad favorem humanum, qui ſub pretio cadit, vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo ſi aliquis principaliter ad hoc intendit, ſimoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit. Unde ipſum factum eſt ſimoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipſum factum non eſt ſimoniacum, quia ſubeſt debita cauſa, ex qua illi pro, quo preces porriguntur, ſpirituale aliquid confertur: tamen poteſt eſſe ſimonia in intentione, ſi non attendatur ad dignitatem perſonæ ſed ad favorem humanum. Si vero aliquis pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus, & ſic preces ſunt pro indigno. Licite tamen poteſt aliquis, ſi ſit indigens, pro ſe beneficium eccleſiaſticum petere ſine cura animarum.*

* Videantur quæ circa petentem beneficium cum cura docet Auctor infra §. 12. n. 24. eadem S. D. verba expendens.

Exponitur intentio Simoniaca.

II. Ex data definitione colligi poteſt, quomodo ad incurrendam ſimoniam non requiratur formalis intentio dandi, aut recipiendi temporale ut pretium rei ſpiritualis, ſed ſufficiat ut res ſpiritualis detur pro temporali, aut e converſo, aut pro pretio, aut ſub pacto, aut compenſatione, aut motivo principali: & circa hoc notandæ ſunt theſes 45., & 46. ab Innocentio XI. damnatæ, in quarum prima dicebatur: *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando temporale ſit ſola gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut e contra.* In altera: *Et id quoque locum habet etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; immo etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.*

Simoniæ diviſiones.

III. Dividitur primo Simonia in eam, quæ eſt juris divini, quæ prohibetur, quia ex natura ſua mala, qualis eſt venditio rei Sacræ; & in eam, quæ eſt juris Eccleſiaſtici, quæ ideo eſt mala, quia prohibita, & quidem ob motivum religionis; de qua plura ſuis locis. Dividitur ulterius in Mentalem, Realem, Conventionalem, & Confidentialem. Mentalis non eſt mera voluntas, aut intentio committendi ſimoniam aliquam; hæc enim eſt mere mentalis, ſicut quodlibet aliud peccatum ſolo animo deliberatum; ſed eſt actio aliqua exterior facta ex intentione vere ſimoniaca, exterius non apparente: Realis eſt pactio aliqua, ſeu contractus ſimoniacus, completus ſaltem inchoate inter dantem, & accipientem; quandoquidem, juxta plures cum Navarro, requiritur ad hanc ſimoniam, quod ſolutum fuerit pretium quoad aliquam ſaltem portionem, & recepta fuerit res ſpiritualis, aut res ſpirituali adnexa, plures e contra cum Cajetano, & Soto dicunt, ſufficere traditionem rei ſpiritualis cum promiſſione pretii. Conventionalis eſt ſimoniaca pactio expreſſa, vel tacita dandi, & recipiendi; quæ tamen nondum ſit ab ulla parte executioni mandata; & hæc dicitur mere conventionalis; quando autem, facta pactione, completur ex una parte dicitur ſemirealis, ſeu mixta ex conventionali, & reali. Confidentialis eſt, quando aliquis beneficium procurat, aut eligendo, aut præſentando, aut poſtulando, aut reſignando, aut alio modo, cum confidentia, ideſt cum pacto expreſſo, vel tacito; ut ille, cui procuratur beneficium, illud reſignet aliquando procuranti, aut alteri, vel ut præſtet penſionem, aut aliquos fructus: & ex eo dicitur Confidentialis, quod procurare beneficium aliquo ex dictis modis, nitatur confidentia pactionis expreſſæ, vel tacitæ, vi cujus expectetur vel beneficium ipſum, vel penſio, vel fructus.

Modi committendi Simoniam Confidentialem.

IV. Hæc Simonia Confidentialis, quam deteſtantur Pius IV., & Pius V., quatuor modis perpetrari ſolet; primo per Acceſſum, quando videlicet Prælatus, volens alicui ætate nondum capaci procurare beneficium, illud alteri confert ea intentione, ut quamprimum ille capax fuerit, beneficium eidem reſignetur. Secundo per Ingreſſum, quando quis beneficium ſibi collatum, antequam poſſeſſionem illius capiat, reſignat illud alteri eo pacto, ut illud denuo ingrediatur, ſi is, cui reſignatum fuit, moriatur, vel illud dimittat. Tertio per regreſſum, quando aliquis beneficium, quod poſſidet, reſignat alteri ea conditione, ut deinde is illud-

Digitized by Google

illudmet beneficium ſibi, vel alteri reſignet aliquo tempore. Quarto per Lucrum, quando videlicet præſentans, reſignans, conferens, vel alio modo procurans, expreſſe, vel tacite paciſcitur, aut vel penſio, vel pars fructuum ſibi, aut alteri detur. Notandum tamen, quod ad hanc Simoniam incurrendam, requiritur, ut Acceſſus, Ingreſſus, Regreſſus verſentur circa idem beneficium: unde qui beneficium reſignaret alteri ea conditione, ut aliud beneficium dimittat in favorem alicujus, non eſſet reus hujus Simoniæ Confidentialis, ſed aut Conventionalis, aut Realis. Hæc ſunt communia apud omnes.

§. XI. *De Materia Simoniæ Juris Divini, & indiſpenſabilis.*

Regula generalis, quæ explicatur aliquibus S. Thomę locis quoad quaſdam actiones.

I. CErtum eſt apud omnes, Simoniam juris divini incurri, quando exigitur temporale aliquid pro rebus ſacris, ſacriſque actionibus, vel functionibus, quæcumque illæ ſint; quia non ſunt pretio temporali æſtimabiles. Circa id tamen obſervandum eſt; quod miniſtrans ſpiritualia, jure tam divino, quam humano, aliquid exigere poteſt titulo ſuæ ſuſtentationis: nam de operariis evangelicis loquens Chriſtus Matth. 10., aſſeruit quod *dignus eſt operarius cibo ſuo*; unde S. Thomas 2. 2. q. 100. a. 3. *Dicendum*, inquit, *quod ſicut Sacramenta dicuntur ſpiritualia, quia ſpiritualem conferunt gratiam, ita etiam quędam alia dicuntur ſpiritualia, quia ex ſprituali gratia procedunt, & ad eam diſponunt; quę tamen per hominum miniſterium exhibentur, quos oportet a populo ſuſtentari, cui ſpiritualia adminiſtrant, ſecundum illud 1. Corinth. c. 9. Quis militat ſtipendiis ſuis unquam? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Et ideo vendere quod ſpirituale eſt in hujuſmodi actibus, aut emere, ſimoniacum eſt: ſed accipere, aut dare aliquid pro ſuſtentatione miniſtrantium ſpiritualia, ſecundum ordinationem Eccleſię, & conſuetudinem approbatam, licitum eſt; ita tamen, quod deſit intentio emptionis, & venditionis: Et quod ab invitis non exigatur per ſpiritualium ſubtractionem, quę ſunt exhibenda: hoc enim haberet quamdam venditionis ſpeciem. Gratis tamen ſpiritualibus prius exhibitis, licite poſſunt ſtatutæ, & conſuetę oblationes, & quicumque alii proventus exigi a nolentibus, & valentibus ſolvere, auctoritate Superioris interveniente.*

Altera S. Thomę obſervatio quoad quaſdam actiones.

II. Et in reſponſ. ad 2. docet: *Illi, qui dant eleemoſinas pauperibus, ut orationum ab ipſis ſuffragia impetrent, non eo tenore dant, quaſi intendentes orationes emere, ſed per gratuitam beneficentiam pauperum animos provocant, ad hoc quod pro eis gratis, & ex charitate orent. Prędicantibus etiam temporalia debentur ad ſuſtentationem prędicantium, non autem ad emendum prædicationis verbum .... Similiter etiam aliqua temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione Eccleſiaſtici officii, ſive pro vivis, ſive pro mortuis, non quaſi pretium, ſed quaſi ſuſtentationis ſtipendium. Et eo etiam tenore pro proceſſionibus faciendis in aliquo funere, aliquę eleemoſinę recipiuntur. Si autem hujuſmodi, pacto interveniente, fiant, aut etiam cum intentione emptionis, aut venditionis, ſimonia eſſet. Unde illicita eſſet ordinatio, ſi in aliqua Eccleſia ſtatueretur, quod non fieret proceſſio in funere alicujus, niſi ſolveret certam pecuniæ quantitatem; quia per tale ſtatutum prę.luderetur via, gratis pietatis officium aliquibus impendendi.* * Magis autem licita eſſet ordinatio, ſi ſtatueretur quod omnibus certam eleemoſinam dantibus, talis honor exhiberetur: quia per hoc non pręcluderetur via aliis exhibendi. Et prætereaprima ordinatio habet ſpeciem exactionis. Secunda autem habet ſpeciem gratuitæ recompenſationis.*

* P. Seraphinus a Porrecta expendit verba illa D. Thomę. *Magis autem licita eſſet ordinatio ec.* „ & in quo ſenſu ſint in-
„ telligenda, exponit. Ly, inquit, *magis*
„ *autem licita eſſet* .... ideſt abſolute
„ licita. Non enim eſt licita ordinatio
„ illa præcedens in textu, ut reſpective
„ ad illam, iſta poſſit proprie dici magis
„ licita: Immo illa abſolute eſt illici-
„ ta, & iſta abſolute eſt licita. Uti-
„ tur tamen hoc modo loquendi quaſi
„ comparativo Sanctus Doctor ad oſten-
„ dendum emphaſim quamdam; ſcilicet
„ quod iſta eſt multum licita: tum quia
„ hic non præcluditur via aliis exhiben-
„ di; tum quia non habet ſpeciem exa-
„ ctionis; tum quia habet ſpeciem gra-
„ tuitæ recompenſationis. De hujuſmodi
„ locutionibus quaſi comparativis alias
„ annotavimus ſimilia, ut recto in ſenſu,
„ non autem erroneo, intelligere poſſi-
„ mus Auctorem frequenter, ſic recte lo-
„ quentem. Unde & nunc dicta pro regula
„ talium locorum univerſali accipito. “

III. Item quodlib. 8. qu. 6. a. 1. loquens Sanctus Thomas de diſtributionibus

Ca-

Digitized by Google

Canonicalibus pro celebratione chorali officii divini: *Simoniam*, ait, *committit, qui hujuſmodi actus vendere intendit; in qualibet enim venditione pretium accipitur quaſi finis: & ideo in prædicto caſu diſtinguendum eſt; ſi enim hujuſmodi diſtributiones recipiat quaſi finem ſui operis principaliter intentum, Simoniam committit .... ſi autem habet finem principalem Deum in tali actu, ad hujuſmodi autem diſtributiones reſpiciat ſecundario, non quaſi in finem, ſed ſicut in id quod eſt neceſſarium ad ſui ſuſtentationem, conſtat quod non vendit actum ſpiritualem.* Ex his obſervationibus regulam conſtituas circa omnes proventus, & lucra, ex aliqua actione ſpirituali procedentia, quæ numquam debent eſſe motivum principale, & primo intentum; aliter ſimoniæ labes divini juris incurritur.

An Simoniæ vitium incurratur exigendo aliquid pro ingreſſu Religionis?

IV. Simonia juris divini ſimiliter eſt, exigere, vel accipere aliquid pro admiſſione ad habitum Religionis, vel ad profeſſionem: Ita ex Concil. Lateran. 3. ſub Alex. III. Cap. *non Sacris*: & Lateranenſi 4. ſub Innoc. III. cap. *Quoniam de Simonia*. Et circa id notanda occurrit S. Thom. doctrina 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. *Pro ingreſſu monaſterii non licet aliquid exigere, vel accipere quaſi pretium: licet tamen, ſi monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas gratis quidem ingreſſum monaſterii exhibere, ſed accipere aliquid pro victu perſonæ, quæ in monaſterio fuerit recipienda, ſi ad hoc non ſufficiant monaſterii opes. Similiter etiam licitum eſt, ſi propter devotionem, quam aliquis ad monaſterium oſtendit largas eleemoſinas faciendo, facilius in monaſtero recipiatur: Sicut etiam licitum eſt, aliquem e converſo provocare ad devotionem monaſterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad monaſterii ingreſſum, licet non ſit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingreſſu monaſterii, ut habetur 1. q. 2., c. quam pio.*

* Plura ſcitu digna circa hanc materiam habet S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. l. 11. c. 6. p. 93. & ſeq. edit. Fer. 1760.*

Alia Simonia juris Divini circa reditus beneficiorum.

V. Eſt etiam ſimonia contra jus divinum dare, vel accipere aliquid pro beneficio Eccleſiaſtico, quamvis ſimplici, aut quamvis quoad ſolum jus percipiendi fructus. Reprobata fuit ab Alex. VII. theſis 22., quæ oppoſitum aſſerebat: *Non eſt contra juſtitiam, beneficia Eccleſiaſtica non conferres gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* Tum etiam quia jus percipiendi fructus eſt indivulſum a beneficio, quod ſine tali jure obtineri non poteſt, & beneficiario ex juſtitia convenit: unde concludit S. Th. loc. cit. a. 4. quod hujuſmodi proventus *nullo modo poſſunt eſſe ſine ſpiritualibus, & propter hoc eos nullo modo vendere licet, quia eis venditis, intelliguntur etiam ſpiritualia venditioni ſubjici.*

Altera circa jus Patronatus.

VI. Simonia probabilius juris divini eſt, vendere, & emere jus Patronatus, quod affert poteſtatem præſentandi ad beneficia, ita ut præſentatus acquirat jus ad beneficium, & inſtituendus ſit, dummodo ſit idoneus. Vendi tamen poteſt fundus realis v. g. villa, cui adnexum eſt jus patronatus, ut docet etiam S. Thomas loc. cit. a. 4. quia ille fundus eſt quid temporale, &, eo vendito, jus præſentandi *tranſit cum villa quæ venditur, & conceditur.* Cavendum tamen eſt primo, ne in inſtrumento dicatur vendi cum villa, ſeu fundo jus Patronatus, ut omnis tollatur Simoniæ ſuſpicio, ſed dicendum eſt, vendi villam, cui alioquin eſt adnexum jus Patronatus. Cavendum ſecundo, ne quidpiam recipiatur ultra valorem villæ, ob jus Patronatus adnexum; quia tunc eſſet venditio ſimoniaca.

Altera circa remunerationem pro collato beneficio.

VII. Simonia pariter juris divini eſt, poſt collationem rei ſpiritualis, vel adnexæ ſpirituali; quamvis nullo præcedente pacto; exigere, vel dare aliquid temporale tanquam debitum, aut mercedem, aut compenſationem; ita ex cap. 39. de Simonia; quia hoc modo ſpirituale æquiparatur temporali in facto. Si tamen nulla eſſet Eccleſiæ prohibitio, non videtur illicitum aliquid dare, vel recipere temporale, quod certum moraliter eſt omnino gratis donari, vel ob meram virtutem gratitudinis; aut benevolentiam; ex cap. 30. de Simonia. Dixi ſi nulla eſſet Eccleſiæ prohibitio, nam plures ſunt caſus, in quibus extat, qui recenſebuntur ſuo loco paulo inferius.

Altera pro adminiſtratione Sacramentorum in quovis caſu.

VIII. Item in rariſſimo caſu, quo infans decedere deberet ſine baptiſmo, niſi baptiſmum recipiat ab illo ſolo ſciente baptiſmi formam, & quem miniſtrare non vult, niſi ei detur pecunia, neque in hoc caſu reſpondet S. Thomas licitum eſſe dare pecuniam. Cum enim loc. cit. a. 2. inquirat *utrum ſemper illicitum ſit pro*

Sa-

Sacramentis pecuniam dare? Reſpondet af-
firmative, ſi igitur ſemper, etiam in hoc
caſu, quem ſibi objicit primo loco; &
reſpondet ad primum: *Dicendum, quod in
caſu neceſſitatis quilibet poteſt baptizare: &
quia nullo modo eſt peccandum, pro eodem
eſt habendum, ſi ſacerdos abſque pretio bapti-
zare non velit, ac ſi non eſſet qui baptizaret:*
quid clarius dici poteſt? Idem a fortiori
teneretur agere adultus moriens ſine ba-
ptiſmo, ſi non poſſet illum obtinere, ni-
ſi ſoluto pretio, quia, ut ait S. Th. ibidem,
*teneretur abſque baptiſmo decedere: ſupple-
retur enim ei baptiſmo flaminis, quod ei ex
Sacramento deeſſet.* Hinc interas quam
neceſſarium ſit, ut omnes fideles ſciant
baptiſmi formam: & inſuper quod ſi pro
Sacramento tantæ neceſſitatis illicitum
eſt ſolvere pretium temporale; a fortiori
pro quovis alio Sacramento, quacumque
data neceſſitate.

Eminentiſſimus Cardinalis Cajetanus ex-
pendens verba D. Thomæ ab Auctore *n.
præcedenti* exſcripta varias refert vete-
rum Theologorum opiniones circa propo-
ſitam difficultatem, & præſertim ſenten-
tiam Panormitani, aliorumque, qui ani-
madverterunt „ quod caſus poteſt dupli-
„ citer contingere. Primo in adulto pro
„ ſeipſo baptizando; & ſic, *inquit*, con-
„ cordant dicentes quod potius debet mo-
„ ri, quam ſolvere avaro Sacerdoti. Se-
„ cundo in adulto pro infante moriente,
„ addendo caſui quod ipſe adultus ſit omni-
„ no impotens ad baptizandum, puta ca-
„ rens membris, & ſic dicunt, quod lici-
„ tum eſt dare pecuniam Sacerdoti, ut
„ baptizet infantem, non emendo Sacra-
„ mentum, ſed redimendo vexationem
„ pueri. Et ratio diverſitatis aſſignatur,
„ quia adultus poteſt ſalvari per baptiſ-
„ mum flaminis. Infans autem eſt in ex-
„ trema neceſſitate, nullum aliud habens
„ remedium."

Hanc ſententiam utpote veritati magis
conſentaneam amplectitur laudatus Pur-
puratus: „ Inter opiniones autem has,
„ *ait*, rationi magis conſona videtur di-
„ cens redemptionem vexationis habere
„ hic locum reſpectu infantis in articulo
„ mortis, & non reſpectu adulti. Et ra-
„ tio me movens eſt, quia baptizandus
„ in hoc caſu patitur injuſtum a potente
„ & nolente baptizare, quia tenetur iſte
„ de neceſſitate præcepti divini in hoc ar-
„ ticulo baptizare occurrentem baptizan-
„ dum in articulo mortis ſine alio bapti-
„ zatore, ſicut teneretur paſcere fame
„ morientem, ſi occurreret. Conſtat nam-
„ que univerſaliter verum eſſe, quod u-
„ nuſquiſque poteſt licite a ſe abjicere
„ injuſtum, quod patitur, dato pretio ali-
„ quo: quum hoc nihil aliud ſit quam uti
„ iniquitate parati, imo facientis iniquita-
„ tem, ad proprium bonum neceſſarium:
„ & hoc eſt redimere vexationem ſuam.
„ Unde quia inter infantem, & adultum in
„ propoſito hæc eſt differentia, quod in-
„ fans patitur injuſtum ſi non baptiza-
„ tur, (perdit enim aditum æternæ vitæ
„ ſibi debitum ab iſto per actum baptiſ-
„ mi: adultus autem non perdit illum,
„ quia patet ei aditus per baptiſmum fla-
„ minis; quamvis ille avarus nolens ba-
„ ptizare inferat, quantum in ſe eſt, u-
„ trique injuſtum, quia tenetur & in-
„ fantem, & adultum baptizare) ideo
„ habens curam infantis, ſi non poteſt
„ baptizare, puta quia mutus, licite pecu-
„ niam dat avaro, non ut baptizet, ſed ut
„ auferat obicem prohibentem ipſum ba-
„ ptizare, ſcilicet avaritiam illam ut im-
„ peditivam baptiſmi. Nec hoc eſt con-
„ tra Auctorem, qui hunc caſum non po-
„ nit in littera."

Sic quidem caſum hunc de infante in ex-
trema baptiſmi neceſſitate conſtituto, cui
improbus Sacerdos non vult abſque pe-
cunia hoc Sacramentum miniſtrare, dum
alius non adeſt, qui valeat ipſum baptizare,
deciderunt veteres Theologi a Cajetano
relati, quibus & ipſe adhæſit. Neque de-
ciſionem hanc contra mentem D. Tho-
mæ exiſtimarunt; ſiquidem loco ab Au-
ctore citato caſum hunc minime proponit
S. D., ut advertit Cajetanus idem, & ut
unicuique integram ejuſdem S. D. reſpon-
ſionem ſerio perpendenti liquido conſta-
bit. En ejus verba: *Dicendum quod in ca-
ſu neceſſitatis quilibet poteſt baptizare, &
quia nullo modo eſt peccandum, pro eodem eſt
habendum, ſi Sacerdos abſque pretio baptiza-
re non velit, ac ſi non eſſet qui baptizaret.
Unde ille qui gerit curam pueri in tali
caſu licite poteſt eum baptizare, vel a quo-
cumque alio facere baptizari.* Dum igitur
ſancit S. Thomas non eſſe tribuendam pe-
cuniam improbo Sacerdoti nolenti ſine il-
la infantem jamjam moriturum baptizare,
ſupponit quod præter ipſum, alii ſint, qui
poſſint baptiſmum miniſtrare; atque adeo
ſupponit infantem in extrema conſtitutum
neceſſitate eſſe ab aliquo baptizandum; ſo-
lumque aſſerit in tali caſu avarum Sacer-

dotem nolentem Sacramentum conferre, niſi accepta pecunia, non eſſe aliis quibuſcumque præferendum, ſed immo alium quemcumque, etiam mulierem illi anteponendam. Hic ſane genuinus eſt ac legitimus ſenſus verborum S.D. ſi attento animo expendantur, poſtquam enim ſtatuit quod *pro eodem eſt habendum, ſi Sacerdos abſque pretio baptizare non velit, ac ſi non eſſet qui baptizaret*, illico ſubdit: *Unde ille, qui gerit curam pueri in tali caſu licite poteſt eum baptizare, vel a quocumque alio facere baptizari*. Ex quibus clariſſime conſtat S. Thomam ſupponere, ut jam diximus, puerum in tali caſu, eſſe ab aliquo baptizandum. Num autem ſi non eſſet alius, niſi impius ille Sacerdos, qui poſſet baptizare, liceret ei dare pecuniam ad redimendam vexationem, difficultas eſt, quam nec tangit, nec diſcutit S. D.

Neque etiam, ajunt, oppoſitum ſentit D.Th. *in 4. diſt. 4. q. 2. art. 2. p. 5. ad* 2., ubi hæc habet: *Dicendum quod aut ille, qui eſt baptizandus eſt adultus, aut non. Si eſt adultus ſufficit ei petere baptiſmum ad ſalutem, quia baptizatur baptiſmo flaminis; nec debet propter hoc ſimoniam committere. Si autem ſit puer qui eſt baptizandus, tunc potius debet ipſemet puerum baptizare, quam pretium Sacerdoti pro baptiſmo ſimoniace dare... Quidam vero dicunt, quod poteſt pretium dare, quia hoc non eſt ſimoniam committere, ſed redimere vexationem ſuam; ſed primum melius videtur.* Non, inquam, juxta ipſos oppoſitum ſentit D. Thomas his verbis; Hallucinantur, ait inter cæteros P. Carolus Billuart *Diſſert. 11. art. 5. con ſect. 2.* „ qui putant „ S. D. amplecti reſponſionem negativam „ quæſtioni factæ. Etenim illud *Primum*, „ quod S.D. hic dicit eſſe melius, non eſt, „ ut exiſtimant iſti Auctores, quod non „ debeat dari pecuniam ad redimendam „ vexationem, ſed quod qui offert puerum *debet potius ipſemet baptizare, quam pretium Sacerdoti pro baptiſmo ſimoniace dare*; item & quod *liceat ei emere aquam*: Et hoc indubie melius eſt, dum „ fieri poteſt, quam dare pecuniam, „ etiamſi tantum ad redimendam injuſtam vexationem. At ſi ita urgeat neceſſitas, ut neque offerens ſciat baptizare, neque Sacerdos aquam velit vendere, utrum tunc melius ſit dimittere „ infantem morti proximum abſque baptiſmo, quam ipſum baptizare, tradita pecunia baptizanti ad redimendam „ tam injuſtam vexationem, & non ut „ pretium baptiſmi, hoc non dicit S. D. „ immo contrarium innuit."

Hinc non ſolum veteres Theologi a Cajetano citati, quibus ipſe adſtipulatus eſt, ſed etiam Sylvius *in 2. 2. q. 100. a. 2. concl.* 3., & nuperrime laudatus Billuart loco ſupra relato aſſeruere, quod ſi hic caſus contingeret, in quo Sacerdos nollet infantem moribundum baptizare, niſi accepta pecunia pro baptiſmo, imprimis quidem qui curam gerit pueri poſſet eum licite baptizare, vel a quocumque alio facere baptizari, etiam a muliere, ſi vir gnarus baptizandi deeſſet, quia in tali caſu perinde procedendum eſſet, ac ſi non poſſet haberi Sacerdos. At ſi caſus ad has anguſtias redigeretur, ut alius præter ipſum Sacerdotem avarum non reperiretur, qui poſſet baptiſmum conferre, cenſuerunt, licitum fore illi pecuniam præbere non quidem ut pretium, & cum intentione emendi Sacramentum (quod utpote intrinſece malum, numquam poteſt eſſe licitum, nec ſunt facienda mala, ut eveniant bona) ſed ad iniquam dumtaxat vexationem redimendam. Et ſane, ſubdit P. Billuart, ſi juxta S. D. licet redimere pecunia injuſtam vexationem in beneficiis, quanto magis in Sacramento tantæ neceſſitatis; neque enim aliud in tali caſu ſuppeteret medium, quo infans ille æternam poſſet conſequi beatitatem.

Redemptio tamen vexationis certe locum non habet juxta D. Thomam, ſi caſus contingeret in adulto qui baptiſmum deſideraret & peteret, atque immineret mortis periculum, nec eum vellet Sacerdos ſine pretio baptizare. Hoc ſane perſpicuis & conceptis verbis docet S. D. *Si autem eſſet adultus*, ait loco citato ex Summa Theologica, *qui baptiſmum deſideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos eum vellet ſine pretio baptizare, deberet, ſi poſſet, per alium baptizari. Quod ſi non poſſet ad alium habere recurſum, nullo modo deberet pretium pro baptiſmo dare, ſed potius abſque baptiſmo decedere. Suppleretur enim ei ex baptiſmo flaminis, quod ei ex Sacramento deeſſet*. Hoc idem aſſerit & in 4. ut liquet ex verbis relatis. Quare dubio procul ab ipſo S. D. recedunt præcitati Sylvius, & Billuart, dum locis allegatis licere exiſtimant adulto in extrema neceſſitate poſito dare pecuniam Sacerdoti nolenti alioquin ipſum baptizare, modo non offerat eam conformando ſe ipſius intentioni,

ſed

ſed conſulendo ſuæ ſaluti, & injuſtam ſuam vexationem redimendo, & multo magis illius menti ſeſe opponunt, dum putant hoc idem dicendum & de aliis Sacramentis, uno dumtaxat excepto, videlicet Ordine, quod nempe non ſit illicitum offerre pecuniam, quando aliter aliquod illorum haberi nequit.

Quomodo poſſit rebus temporalibus incitari aliquis ut convertatur &c.

IX. An autem aliquid poſſit dari temporale alicui, ut convertatur ad fidem, vel ut confeſſionem diu omiſſam, & veram faciat, ut Religionem ingrediatur &c., acerrime diſputant Doctores. Videtur quod ex verbis S. Thomæ, ſupra relatis n. 4. ,, nempe licitum eſſe benefactorem facilius admittere in monaſterium; necnon per temporalia beneficia aliquem inclinare ad monaſterii ingreſſum; videtur, inquam, ſalvo meliori judicio, dicendum, licitum fieri poſſe, donare alicui temporale, petendo ab eodem actiones ſpirituales, ſive de præcepto, ſive de conſilio in animæ ipſius utilitatem reſultantes, dummodo donatio fiat abſolute & ipſo facto ſit valida, quamvis donetur cum modo adjuncto, præſtandi talem actionem; nec ipſe donatarius ſimpliciter obligetur ad illam præſtandam; quia donando hoc modo, non datur cum pacto vere tali, & alioquin petitur actio bona, & ob finem honeſtum. Quid enim hoc frequentius in matribus Chriſtianis provocantibus filios munuſculis, ut Sacramenta frequentent, ut ſpondeant ſe in tali ſolemnitate eadem ſuſcipere? numquid criminaberis illas divini juris violati actu Simoniaco? Ultra progreditur doctiſſimus Suarez lib. 4. de Simon. cap. 16., ubi latiſſime de hac difficultate diſſerit, & addit n. 14. meticuloſe tamen, nullam incurri Simoniæ labem, etiamſi promiſſio expreſſe fiat, ut illam actionem alter præſtet, intendendo dumtaxat bonum ſpirituale ipſius, & ſe obligando promiſſum ſolvere, executa illa actione, dummodo ex parte promiſſarii nulla imponatur obligatio ad illam actionem præſtandam, (circa quod cavendum, ne promiſſio ſit rei adeo excitantis, ut ille, ob motivum principale rei promiſſæ capeſſendæ, inducatur ad actionem). Rationem affert, quia etiam tali modo ſe gerendo, non exceduntur co[…] ni[…] donationis liberalis; nam ſi ex laudato S. Doctore licitum eſt donare aliquid ad conciliandum alterius animum, ut religionem ingrediatur; cur non ut convertatur &c.? Si ex cap. 2. *de conditio nibus appoſitis &c.* valida declaratur, & impleri jubetur manumiſſio, ſeu libertas conceſſa ſervis mancipiis ſub hac conditione, ut fiant monachi, & perſeverent in monaſterio, & non aliter; cur erit reprehendenda donatio ſub conditione ſupradicta? Si ex cap. ultimo 23. q. 6. conceditur domino, gravare mancipium infidele oneribus alioquin juſtis, ut convertatur ad fidem, & promittendo levamen ab illis, ſi fidem amplectatur; cur non erit licitum donis promiſſis provocare? Tandem in ſimilibus promiſſis nec coactio, nec obligatio inducitur, ſed relinquitur promiſſario integra optio eligendi quid ſibi maluerit: neque ulla eidem fit injuria, immo beneficium ipſi exhibetur, quod ipſi nullo modo debetur; dummodo igitur abſit pactum obligans, non videtur illicitum.

An ſit Simonia dare aliquid pro labore in actionibus ſpiritualibus impenſo?

X. Circa laborem, qui impenditur in exercitio actionum ſpiritualium, diſtinguendum eſt primo de labore intraneo, & per ſe cum eiſdem conjuncto; & pro hoc nemini dubium, quod nihil poſſit in pactum deduci: puta in concione faeienda, in pſalmis canendis &c., quia hoc ipſo pactum caderet ſuper ipſam actionem ſpiritualem: ſecundo de labore extraneo eiſdem actionibus accidentaliter adveniente, atque de hoc ſubdiſtinguendum eſt: Si enim ſe teneat preciſe ex parte ipſius ſubjecti operantis, quia videlicet ipſius imbecillitas, ſenectus &c. reddit ipſi opus magis laborioſum, ſimiliter pro tali labore nil recipi, aut dari poteſt, quia reſpectu hujus ſubjecti labor iſte intranee ſe haberet in opere præſtando; ſi autem revera ſit labor extraneus operi reſpectu cujuſcumque, puta quia celebraturus debet iter plurium milliarium perficere, vel per plures horas expectare, ut petenti celebrationem compláceat &c., proculdubio pro hujuſmodi labore pretium exigere poterit; quia eſt operi extraneus, & pretio æſtimabilis. Non igitur ſub nomine laboris extranei venit omnis labor præcedens, vel ſubſequens actionem, puta ſtudium ad componendam concionem, aut iter aliquod ad Eccleſiam, in qua eſt celebrandum; aut pro ipſa obligatione operis præſtandi; quia hæc omnia ſunt de ſe eidem operi conjuncta, & intranea; ſed dumtaxat pro labore, qui revera prudentum judicio ſit extra naturam, & conditionem operis, aliquid in pactum deduci poteſt.

Omiſſio actus ſpiritualis poteſt eſſe materia Simoniæ

XI. Omiſſio actionis ſpiritualis poteſt eſſe materia Simoniæ juris divini; ita S. Thomas loc. cit. a. 3. ad 3. docens, eſſe Simoniam, ſi quid erogetur temporale, *ut Prælatus*

juris divini. *latus a corrigendo deſiſtat*; illumque ſequuntur Theologi. Circa hoc tamen eſt obſervandum, quomodo aliud eſt dicere hujuſmodi omiſſionem poſſe eſſe materiam Simoniæ; & aliud omnem omiſſionem eſſe Simoniam; quod univerſaliter verum non eſt; cum enim variæ poſſint eſſe actiones ſpirituales omittendæ, variæ quoque ſunt reſolutiones ſtatuendæ. Modo autem præſcindimus a ratione, quæ habetur, turpis lucri, vel indecenter acquiſiti, ſed loquimur præciſe de lucro Simoniaco.

Reſolvuntur varii caſus. XII. Simonia non eſt dare temporale, ut quis abſtineat ab actu ſpirituali, quem vel ſacrilege, vel injuſte facturus eſt: ita communiter, eo quod non ſit de ſe malum; nam erogando temporale, non emitur ſpirituale, ſed impeditur ne peccatum ſacrilegii, Simoniæ, aut injuſtitiæ committatur. Non erit igitur Simonia dare temporale, ut quis abſtineat ab eligendo indignum, quia non venditur, nec emitur actio ſpiritualis, ſed pura voluntas faciendi illam indigne; neque venditur uſus, aut facultas alicujus ſpiritualis actionis, ſed merus abuſus ſuæ libertatis. Eſt tamen turpiſſimum lucrum ex parte accipientis, ut de ſe patet. E contra Simonia eſt vendere actum ſeu potius omiſſionem actus juriſdictionis ſpiritualis, quando talis omiſſio moraliter cenſetur ab hujuſmodi ſpirituali juriſdictione provenire, & habere effectus moraliter proportionatos: v. g. negando injuſte abſolutionem vel a peccatis, vel a cenſura, propter rem temporalem; quia hic omittendi modus fundatur in poteſtate clavium, & juriſdictionis Eccleſiaſticæ; eſt enim voluntaria privatio actionis, quæ eſſet ponenda, & denegari non poteſt, niſi ab habente juriſdictionem Eccleſiaſticam; habetque effectus morales in perniciem animæ. Item Simonia non eſt vendere, & emere omiſſionem actuum ſpiritualium, qui non ſint juriſdictionis ſpiritualis: puta ſi detur pecunia Sacerdoti, ne celebret Miſſam; Epiſcopo, ne ordinet; quia omiſſiones iſtæ (intellige bene, non dico actiones celebrandi, ordinandi, ſed dico omiſſiones) non ſunt actus poteſtatis ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis, ſed ſunt actus ſolius arbitrii; venditur enim, & emitur merus uſus ſolius arbitrii, & libertatis naturalis; & quidem turpiſſimo contractu. Quando igitur pecunia induco alterum, ne actum bonum, & ſpiritualem faciat, ſive actus iſte debitus ſit, ſive non; peccabo quidem alio peccato, ſed non Simoniæ; quia non emo actus illos ſpirituales, ſed uſum libertatis illius nefarii venditoris. In caſu tamen quod omiſſiones dictorum actuum ſpiritualium pretio æſtimentur ob intuitum alicujus boni ſpiritualis, tunc emptio, & venditio evaderet etiam Simoniaca. Do exempla: ſi quis pecuniam daret alicui, ne opponatur alteri, qui procurat beneficium, eo intuitu, ut illius electio certior, aut probabilior evadat: ſi quis ante obtentum beneficium det pecuniam alicui, ut taceat, & non contradicat, eo motivo, ut facilius obtineat beneficium: ſi quis deſiſtat ab audienda Miſſa, quam audire conſuevit, propter pecuniam, æſtimando prætio temporali lucrum ſpirituale, quod ille deperdit, & propterea omiſſionem Miſſæ pluris vendat; in his caſibus Simonia committeretur; quia venderetur omiſſio ob ordinem, & relationem, quam habet ad ſpirituale; nam in primis caſibus pararet ſibi viam ad beneficium; & in poſtremo ſpirituale eſſet ratio æſtimationis illius omiſſionis pro pretio temporali, & ratione ſpiritualis damni pretio æſtimaretur. Item Parochus, qui tenetur celebrare Miſſam, & Confeſſiones ſubditorum audire, ſi ob acceptam pecuniam hæc agere omittat, quamvis graviter peccet avaritiæ peccato contra Juſtitiam, non tamen peccato Simoniæ; ob datam ſupra rationem; quia omiſſio horum actuum non eſt in vi auctoritatis, & ſpiritualis juriſdictionis, ſed duntaxat vendit malum ſuæ voluntatis actum, omittendo quæ præſtare tenetur: & ſimiliter, qui ob acceptam pecuniam denunciare omittit ad Inquiſitorem, vel Epiſcopum, quos denunciare tenetur ex lege Eccleſiaſtica, peccatum quidem gravis deobedientiæ committit, cenſuris etiam obnoxium; at non Simoniæ; quia nil ſpirituale vendit, ſed abuſum ſuæ voluntatis: ad differentiam illius, qui denunciare omitteret, ſi ultra legem Eccleſiaſticam illum ad denunciandum obligantem, teneretur etiam ex officio aliquo ſpirituali, qui etiam Simoniam perpetraret, quippe quod omiſſio hæc relationem haberet ad obligationem fundatam in miniſterio ſpirituali. His omnibus ſubſcribit doctiſſimus Suarez in laudato capite 22. cum aliis.

§. X.

Digitized by Google

§. X. *De Simoniæ Materia Juris Eccleſiaſtici.*

Recenſentur Simoniæ juris Eccleſiaſtici.

I. PErmutare beneficium ſine licentia Papæ, nullo interveniente pretio, eſt Simonia Juris Eccleſiaſtici, ut habetur ex pluribus canonibus. Reſignare beneficia extra Romanam Curiam, in favorem alicujus determinatæ perſonæ, & reſignare cum pacto, ut reſignatarius beneficium cedat alicui tertio, vel cum confidentia Acceſſus, aut Regreſſus ſupra explicatorum §. 8. n. 4. etiam abſque interventu ullius rei temporalis, ſunt Simoniaca jure Eccleſiaſtico in multis locis juris Canonici, & quidem intuitu Religionis, & ob pericula Simoniæ juris divini. Item vendere officia temporalia Eccleſiæ, nempe Sacriſtæ, Œconomi, Defenſoris, Procuratoris, Advocati, Judicis, Præpoſiti, Vicedomini, Primicerii, ideſt Magiſtri chori, & ut loquitur Urbanus in cap. *ſalvator* 1. q. 3. *Quamlibet Eccleſiaſticarum rerum adminiſtrationem*, ex Eccleſiaſtica lege eſt Simoniacum; non quia ſint in ſe quid ſpirituale, ſed quia decus religionis id poſtulat, & ſunt peccata veræ Simoniæ ſpecifice, ut docet communior cum Cajetano verbo Simonia regula 3., & S. Antonino 2. p. tit. 1. c. 5. §. 2., tum quia laudatus Urbanus loc. cit. vocat hujuſmodi vendentes *Simoniacos*; tum etiam quia Eccleſia id vetuit ex motivo religionis, ob connexionem dictorum officiorum cum rebus ſacris. Item recipere munera, quantumvis modica, quamquam ſponte, & gratis oblata, ex occaſione examinis ad parœciam, eſt Simoniacum ex Trid. ſeſſ. 21. cap. 18.: ex occaſione collationis Tonſuræ, Ordinum, litterarum dimiſſorialium aut teſtimonialium, aut earum ſubſcriptionis, ex Trident. ſeſſ. 21. c. 1. de reform. Dixi autem *ex occaſione*, *& gratis oblata*, quia pacta ſuper prædictis, aut abſque pacto aliquid pro prædictis recipere, eſt Simonia juris divini, ut patet.

Paulus Gabriel Antoine Tract. de Virt. Religionis ad *cap. 5. art. 3. q. 5.* ad ſimplicem permutationem beneficiorum licentiam Papæ minime exigit, ſed ſolam auctoritatem Prælati ſufficere cenſet; & ad id evincendum affert *Clement. de rer. permut.* Quare reus non foret ſimoniæ juris Eccleſiaſtici qui ſine licentia Papæ, & cum auctoritate dumtaxat Epiſcopi beneficium permutaret. Idem docet Petrus Collet *Inſtit. Theolog. Tract. de Simonia parte 2. cap. 3. art. 3. ſect. 4. concl. 2.*

Ceterum, *ait*, Superior, coram quo facienda eſt permutatio, eſt Epiſcopus loci, in quo ſitum eſt beneficium. Sed notandum, *ſubdit*, eam ſolum permutationem ab Epiſcopo admitti poſſe, quæ eſt beneficii cum beneficio, & quæ pure fit: unde permutatio beneficii cum penſione, vel cum pacto ut alter permutantium ſolus omnes ſolvat expenſas, quæ ad utrumque pertinent, non valet niſi fiat coram Papa.

§. XI. *De eo, quod circa quædam Sacra eſt invendibile, tam de jure Divino, quam de jure Eccleſiaſtico reſpective.*

Quid Titulus? Quid Præbendæ?

I. IN Beneficiis diſtinguas oportet, ad faciliorem dicendorum intelligentiam, Titulum beneficii, & Præbendam beneficii. Titulus beneficii nempe Plebanatus, Canonicatus &c. ſemper eſt quid ſpirituale, ut patet ex Capite *Dilecto* de præbendis; unde ſemper adnexus eſt gradui clericali, & ſaltem primæ Tonſuræ. Præbenda eſt jus dependens a Titulo percipiendi emolumenta temporalia, ex quibus unum totale conſurgit, quod beneficium vocatur. Titulus affert primario jus ad functiones ſpirituales ſibi correſpondentes, & ſecundario ad fructus, proventus, ſeu emolumenta percipienda, quatenus habet præbendam, ſeu adjunctum jus ad illos proventus.

Jus ad emolumenta beneficiorum eſt invendibile.

II. Hinc ſolvitur quæſtio illa inter Theologos, & Canoniſtas acerrima, ad inſtitutum tamen noſtrum modice utilis: An videlicet præbenda ſit invendibilis jure divino, an dumtaxat eccleſiaſtico? Theologi, ducibus noſtris graviſſimis præeuntibus, nempe S. Antonino, Durando, Paludano, Cajetano, Sylveſtro, Victoria, & Soto communiter fere ſuſtinent jure divino invendibilem; eo quod, dicunt ipſi, non ſint duo jura ſeparabilia Titulus, & Præbenda; ſed unicum dumtaxat primario reſpiciens ſpiritualia munera, ſecundario emolumentum percipienda, ipſique Titulo, quoad jus, inſeparabiliter adnexa. Canoniſtæ e contra, quibus ſubſcribit Navarrus ex profeſſo impugnans Cajetanum, qui fuſe de hoc diſſerit tom. 2. opuſc. tract. 9. q. 1., concedentes Præbendam, neque dari, neque transferri ſeparatim a Titulo, aſſerunt eſſe duo jura omnino diſtincta, unum ſpirituale, alterum temporale; & idcirco iſtud jure di-

vino non eſſe invendibile: monumenta, ut verum fatear, utrinque gravia ſuppetunt, videnda ſi volueris in Cajetano loc. cit., & in Navarro cap. 23. nu. 108. §. nemo &c. Pro nobis ſufficit, Præbendam, ſeu jus ad emolumenta, eſſe omnino invendibile, ſaltem ex lege Eccleſiaſtica, id ſtrictiſſime vetante, ut omnes concedunt; cum jam de Titulo nemini dubium ſit, eſſe jure divino invendibilem.

Quænam Penſiones vendi queant? III. Penſiones Laicales (quarum notionem dedimus in capite de Horis Canonicis §. 2. n. 9. quas a clericalibus diſtinxit S. Pius V. in ſuo motu proprio, qui incipit *ex proximo*, & recenſetur in ſuo Bullario n. 138.) poſſe vendi, tenet communior cum noſtris Cajetano tom. 1. opuſ. tract. ultimo reſp. 10. & Soto lib. 9. de Juſt. q. 7. a. 2. circa finem: quia ſunt quid mere temporale, neque ullo clericali titulo adnexæ, immo ab eodem ſejunguntur: & quemadmodum ſi Pontifex eleemoſinam faciat alicui de bonis Eccleſiæ, eo ipſo quod tranſit in poteſtatem pauperis, illam vendere poteſt; ita & hujuſmodi penſiones. Secus dicendum, ex communi, de penſionibus clericalibus, quas explicuimus loc. cit.; quia fundatæ in titulo, & miniſterio clericali, ſine quo Penſionarius illis gaudere non poteſt. Et nota, hujuſmodi penſiones redimi non poſſe abſque ſimoniæ labe, ſaltem poſt indicatum motum proprium Pii V.; non enim extingui poteſt obligatio ad tale miniſterium, quod perſiſtere debet; unde abſque Pontificis conceſſione remanent irredimibiles. Idem quoque dicendum de aliis Penſionibus clericalibus, quamvis non fundatis in miniſterio ſpirituali, ſed quæ dantur ſolis Clericis vel ad ſui ſuſtentationem, vel ad componendam litem, vel ad compenſandam fructuum inæqualitatem in permutatione; nam etiam illæ ſunt adnexæ officio ſpirituali, nempe recitationi Horarum, ut diximus in capite de Horis Canonicis loc. cit. neque igitur vendi, neque redimi poſſunt.

Præſtimonia. IV. Præſtimonia, a nobis explicata loc. cit. num. 10. quæ ſolis Clericis conferuntur, quamvis ad ſolum ſtudium, ut deinde poſſint Eccleſiæ inſervire; ſine Simoniæ crimine vendi non poſſunt, ut docet communis ſententia, ſequens Cajetanum tom. 2. opuſ. q. 1. & Sotum lib. 5. q. 7. a. 1. quia præterquam quod poſtulant perſonam clericalem, habent adnexam obligationem Horarum, ut diximus loc. cit. & computatur inter beneficia, ut ibidem oſtendimus.

Quomodo vendi poſſit jus Patronatus & quibus in caſibus? V. Jus Patronatus, de quo nonnulla diximus in Capite de Beneficiis §. 2. num. 3. & hic §. 9 num. 6. quoad jus præſentandi, vendi non poteſt, ut ibidem diximus. Cujus rei ut plenam habeas notitiam, animadvertas, quomodo jura, quæ ab Eccleſia perſonæ ob ſua merita jure Patronatus donatæ conferuntur, generatim tria ſunt, nempe Honorifica, Utilia, Oneroſa. Honorifica ſunt, ut honorificum locum habeat in ſua Eccleſia, ipſique ſpeciale obſequium demonſtretur. Utilia, ut ſi ad neceſſitatem forte redigatur, debeat Eccleſia eidem præ aliis pauperibus ſpecialiter ſubvenire. Oneroſa, ut Eccleſiam ſuam defendat, ne jura ejuſdem dilapidentur; defendat autem modis præſcriptis in cap. *Filius* 16. q. 7. His juribus accedit quartum ſpecialiſſimum, & honorificorum præſtantiſſimum, & gratuitum, (modo enim indicata ſunt quodammodo debita) & conſiſtit in facultate præſentandi perſonas ad beneficia ſuæ Eccleſiæ: & hoc eſt invendibile, ut loc. cit. diximus, & quidem, juxta probabiliorem, jure divino. Vendi equidem poteſt fundus, cui jus Patronatus eſt adnexum, ut diximus loc. cit. ſervatis conditionibus ibidem præſcriptis: eo quia ſit quid temporale pretio æſtimabile; & tunc jus Patronatus tranſit ad emptorem fundi, tanquam quid gratis conceſſum. Si autem jus Patronatus ſit perſonale cohærens, non fundo, ſed perſonæ, probabilius eſt, quod, vendito etiam toto fundo, non tranſeat ad emptorem, ut videre eſt apud Covaruvium lib. 2. var. cap. 18. nu. 6. quia in nullo jure id conceſſum invenitur clare; & videtur ex terminis id conſtare, ad diſtinguendum Patronatum Perſonale a Reali, qui cohæret fundo; & propterea ut tranſeat etiam ad emptorem, requiritur donatio a vendente facta, & quidem expreſſa ipſi emptori, de licentia tamen Epiſcopi; ut monet Suarez cap. 28. n. 16. & 20. Excipitur caſus, in quo locus religioſus emeret fundum &c. quia tunc non requireretur hæc licentia. Intantum autem jus Patronatus etiam perſonale tranſit ad hæredem, quia jura id clare concedunt; cum incertum ſit, & obſcurum, an concedant tranſitum ad emptorem. Quod ſi inſtitutor Patronatus declaraſſet, quod bona, ſeu fundus poſſideretur quidem a patrono pro tempore, ſed cum obligatione, ut in caſu, quo Eccle-

ſia

ſia indigeat ſubventione, bonis, & fundis Patronatus debeat ſubveniri; in hoc caſu diſtinguendum videtur; ſi enim omnia bona fundi ſint affecta hac conditione: cum tunc bona cohæreant Patronatui, & non Patronatus bonis, eſſent invendibilia; ſicut dictum eſt de beneficiis; quia eſſent obſtricta ſervitio Eccleſiæ; ſi autem pars dumtaxat fundi tali conditione eſſet affecta, & non alia pars, hæc vendi poſſet, juxta ſuperius dicta. Demum præſentare aliquem, dum jus præſentandi eſt contentioſum, ea conditione, & pacto, ut præſentatus ſuis expenſis litiget, & probet validam ſui præſentationem, jam liquet eſſe ſimoniam; quia præſentato imponitur onus temporale, & venditur quodammodo illa præſentatio pro expenſis in lite faciendis, ut aſſecuret patrono jus, quod eſt contentioſum.

Quid ſit Commenda, et quotuplex?

VI. Circa Commendas, nota quod Commenda ſignificat Eccleſiam, Abbatiam, Beneficium vacantia, quæ auctoritate Eccleſiaſtica commendantur alicui, ut earumdem reſpective curam gerat, nec non fructus ab eis provenientes vel in toto, vel in parte recipiat. Duplex eſt, alia temporanea, quando dicta loca commendantur alicui tamquam Vicario, vel auctoritate Pontificis, ſi ſit Eccleſia Cathedralis, vel Epiſcopi, ſi ſit Parochialis, ut onera talis Eccleſiæ ſuſtineat, donec provideatur de Rectore, aſſignata interea eidem de proventibus ejuſdem congrua portione; idque verificatur etiam in caſu, quo Rectorem habeat, ſi vel ſit abſens, vel impeditus. Alia eſt Perpetua, durans per totam Commendatarii vitam, quando Eccleſia datur alicui in adminiſtrationem perpetuam, quamvis eidem non conferatur titulus proprius beneficii, unde non fiat proprie Prælatus, atque Eccleſiæ illius Rector, ſed Procurator, Œconomus, aut Gubernator. Cum autem illæ Commendæ aliquando afferant ſpiritualem adminiſtrationem reſpectu animarum, cui adminiſtrationi correſpondeant proventus temporales; idcirco illæ vocari ſolent ſpirituales, ſeu clericales; aliquando vero dantur dumtaxat ad temporalem adminiſtrationem, aut alio titulo mere laicali, ut videre eſt in Commendis militaribus: ideo illæ Militares nuncupantur.

Qualiter vendi poſſint necne?

VII. Hinc deducitur, Commendas clericales, ſive temporaneæ ſint, ſive perpetuæ, invendibiles eſſe, utpote Simoniæ jure divino vetitæ materiam, & de hoc nequit excitari difficultas; immo etiam quamvis dentur in favorem Commendatarii, & ad tempus non valentis adminiſtrare, ſicuti dum conferuntur pueris Magnatum, quo quibus ſubrogari ſolet Vicarius adminiſtrans; vendi non poſſunt neque pro eo impotentiæ tempore; cum jam Commendatarius ſit inſtitutus, habens jus ſaltem ad rem, & alioquin adnectantur juri ſpirituali; idemque dicendum etiam in caſu, quo alio impedimento inſtitutus teneatur. Commendatum autem Militarium non videtur eſſe ſimoniæ obnoxia venditio, cum (ut ait noſter Victoria releſtione de Simon. n. 4. cui ſubſcribunt cæteri Theologi) ſint tantum ſubſidia quædam temporalia, collata Equitibus ob egregia geſta facinora, neque quidpiam habeant ſpirituale adnexum. Cum autem moneat laudatus Victoria non eſſe vendendas abſque licentia Pontificis, innuere videtur, quod illas vendere ſine hujuſmodi licentia poſſit eſſe ſimonia juris humani. Addit item opportune Suarez cap. 27. n. 9. quod ſi Reges, aut Magni Magiſtri illas venderent peccarent peccato injuſtitiæ; quia uſurparent jus ſibi non conceſſum; etenim jus habent illas conferendi benemerentibus, neutiquam illas vendendi quibus libuerit; non enim ſunt earum domini, ſed meri diſpenſatores: poſſunt tamen ab ipſis conferri ſub aliqua conditione, fini inſtitutionis earumdem accommodata, nempe ea conditione, ut Commendatarius expeditionem ſuſcipiat contra Turcas, vel quidpiam ſimile; immo poſſunt conferre illas cum onere penſionis alteri Equiti benemerenti tribuendæ: quia non violatur juſtitia, & alioquin cooperantur fini inſtitutionis earumdem.

* S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib. 12. cap. 5. num.* 16. cenſet graviſſimis rationibus innixam eſſe Theologorum ſententiam, quæ ſtatuit Prioratus, Præceptorias, aliaſque Dignitates & Commendas Ordinis Hieroſolymitani Eccleſiaſtica Beneficia non eſſe, adeoque in earum collatione, & proviſione ſimoniæ crimen admitti non poſſe. Siquidem ad eſſentiam Beneficii Eccleſiaſtici, juxta Theologos, id neceſſario requiritur, *ait num.* 17. ut ei adnexum ſit alicujus ſpiritualis miniſterii exercitium, utque idem in perſonam Clericali charactere inſignitam conferatur: quæ duo cum in Commendis Ordinis Hieroſolymitani minime reperiantur,

Digitized by Google

tur, idcirco putant Beneficiorum denominationem, & qualitatem iiſdem proprie non competere, & conſequenter neque ſimoniæ materiem in illis eſſe. Doctores plures ita ſentientes allegat ipſe *eodem num.* & præſertim Suarezium, qui *loco num. præced.* ab Auctore *citato* relata opinione illorum, qui exiſtimant ſaltem jure humano prohibitum eſſe has commendas vendere, & ſententia Victoriæ, qui putat poſſe vendi dumtaxat auctoritate Pontificis, ſub lit: *Sed mihi non conſtat de tali precepto poſitivo prohibente venditionem Commendarum vel ſimpliciter vel intuitu religionis, & rerum ſpiritualium: & ideo non credo, eſſe hanc ſimoniam contra jus Eccleſiaſticum. Numero vero ſeq.* 18. Præcit. S. P. in hujuſce rei confirmationem affert litteras, quæ a S. P. Clemente XI. in forma Brevis conſcriptæ fuerunt ad Magnum Magiſtrum Ordinis Hieroſolymitani ſub *die* 11. *Februarii anni* 1719. quæque incipiunt *Inclytum Ordinem* &c. In his quippe abſtinendum cenſuit Pontifex ab ea declaratione, quam quidam fieri poſtulaverant, quod ſcilicet prædicti Ordinis Prioratus, Præceptoriæ, aliæque Dignitates, atque Commendæ, tamquam Beneficia Eccleſiaſtica, materiam & ſubjectum ſimoniæ conſtituerent; proindeque ii, qui pactiones & munera in expiſcandis earum collationibus & proviſionibus interponerent, quique his conſentirent, ſimoniacorum pœnis puniendi forent.

Quid dicendum circa Hoſpitalia? VIII. Circa Hoſpitalia, jam nimis notum eſt, eſſe loca, in quibus admittuntur pauperes, infirmi, &c. alendi, & providendi ex reditibus illius loci, ſub præſidentia alicujus, vel aliquorum ad rectum regimen loci electorum. Prout autem ad rem noſtram pertinet, Hoſpitale dicitur Rectoratus, ſeu officium gubernandi Hoſpitale. Quædam ſunt Eccleſiaſtica, ſeu Religioſa, quæ Epiſcopi auctoritate ſunt erecta, ejuſdemque directioni ſubduntur. Quędam ſunt mere Laicalia, quę diſpoſitione laicorum eriguntur, eorumdemque gubernationi ſubduntur, quæ quamvis pia loca merito vocitentur, non tamen locis Eccleſiaſtis accenſeri debent; proinde illorum Rectoratus, cum ſit mere temporalis, nequit eſſet ſimoniæ materia, atque de eo nil ad nos. Hoſpitalia vero Eccleſiaſtica, vel afferunt Rectoratum habentem adnexam ſpiritualem adminiſtrationem, vel dumtaxat temporalem reſpectu pauperum receptorum: ſi adnexam habeant ſpiritualem, jam patet ex dictis quid reſolvendum ſit, nempe eſſe invendibilia; idemque dicendum de laicali, in caſu, quo introducta fuerit ſpiritualis adminiſtratio. Si autem nullam afferat ſpiritualem adminiſtrationem, quamvis non ſubjaceat ſimonię juris divini, probabilius videtur eſſe materia Simoniæ juris Eccleſiaſtici; eo quod comprehendatur in generali prohitione Concilii Chalcedonenſis can. 2. relata in Capite. *Si quis Epiſcopus* 8. q. 1. & confirmata ab Urbano Papa in Capite *Salvator* 1. q. 3. ubi inter officia jure Eccleſiaſtico invendibilia, & declarata ceu materiam ſimoniæ, eſt illud *Procuratoris*; ſub quo nomine explicat Urbanus *Prępoſitum, OEconomum* &c. cum igitur hęc hoſpitalia Eccleſiaſtica ſint, etiam Rectoratus eorum erit invendibilis, quia eſt Prępoſitura quędam, ut Simonię materia humani juris declarata.

Quid de permutatione rei ſpiritualis cum alia ſpirituali? IX. Quamvis ſimplex permutatio rei ſpiritualis cum altera ſpirituali, (non loquor de beneficiis) puta Reliquiæ cum Reliquia, nullam deformitatem involvere videatur, etiamſi poſt factam permutationem alter reddere nolit, quod acceperat; attſicere tamen permutationem pacto ſtricte accepto, ita ut, firmata pactione, neuter reſilire poſſit abſque violatione juſtitiæ, probabilius videtur eſſe ſimoniacum; quia quamvis ex parte materie non ſit inęqualitas, ex parte tamen modi ſe gerendi fit injuria rebus ſacris, illas ſubjiciendo contractui oneroſo: quod eſt contra earum naturam, que poſtulat, ut gratis dentur: & hanc tenent Richardus, Paludanus, Gabriel, & Adrianus relati a Suarez cap. 30. quibus ipſe non ſubſcribit. Et deduci poteſt ex S. D. 2. 2. q. 100. a. 1. ubi ut probet invendibilitatem rerum ſpiritualium, inter alias affert hanc rationem, *quia non ſumus domini rerum ſpiritualium, ... venditio repugnat ſpiritualium origini, quę ex gratuita Dei voluntate proveniunt; ideo aliquis emendo, vel vendendo rem ſpiritualem, irreverentia exhibet Deo in rebus divinis, propter quod peccat peccato irreligioſitatis:* & ad 5. *Nomine emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus:* atqui contrahens dictum pactum ſtrictum, & oneroſum, primo ſe gerit ut dominus rei ſpiritualis; ſecundo init conventionem non gratuitam, ſed vere oneroſam; igitur agit contra originem rerum ſpiritualium, & irreverenter ſe gerit ſubjiciendo illas pactui oneroſo.

* PP. Salmanticenſes *tract.* 19. *cap.* 3. *punct.*

Digitized by Google

punct. 2. §. 1. *n.* 18. certum exiſtimant in aliis rebus ſpiritualibus, quæ beneficia non ſunt, permutare unam pro alia propria auctoritate, & cum pacto non eſſe ſimoniam nec jure divino, nec humano; etiamſi cum omni proprietate una res ſpiritualis pro alia detur; & ſic, *ſubdunt*, licet paciſci, ut tu hodie pro me ſacrificès, & ego mane pro te ſacrificabo; tot pro te Roſaria, tot officia recitabo, & tu pro me totidem perſolves; hanc reliquiam tibi dabo, dummodo tu mihi aliam concedas. Quod hoc non ſit ex jure divino ſimoniacum patet; quia per talem pactionem non fit injuria rei ſpirituali; nam pro ſibi ſimili, vel æquivalenti permutatur; tota enim irreverentia ſimoniæ in eo conſiſtit, quod res ſpiritualis pro pecunia (quo nomine quidquid pretio æſtimabile eſt comprehenditur) permutetur Act. 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditione, quoniam exiſtimaſti, donum Dei pecunia poſſideri*. Quæ irreverentia ceſſat, dum res ſpiritualis permutatur cum alia ſpirituali; & ideo tales pactiones quotidie fieri inter pios, & doctos videmus, abſque ullo ſimoniæ ſcrupulo. Quod hoc inſuper nec ſit ullo jure prohibitum conſtat; quia nullibi talis prohibitio in jure invenitur. In generalibus autem prohibitionibus, quæ habentur *cap. quam pio* 1. *q.* 2., *cap. ſuper eo*, *cap. quam pridem cap. ult. de pactis*, ubi omnis pactio, & conventio a ſpiritualibus removenda jubetur, ſermo eſt de inhoneſtis pactionibus, non vero de honeſtis, ut dicto *cap. quam pio* explicat Gloſſa *verbo pactio*. Per inhoneſtas autem pactiones illas intelligit, quæ fiunt inter rem ſpiritualem, & temporalem, per honeſtas vero quæ inter ſpiritualia verſantur. Alia vero jura, quæ ſpecialius loquuntur damnando quæcumque pacta in ſpiritualibus, loquuntur in particulari de beneficiis, aut juribus quæ illa concernunt, non vero de aliis ſpiritualibus, de quibus commutandis numquam fuit in jure prohibitio, quin potius *in cap. ad quæſt. de rerum permutatione*, approbatur commutatio unius Eccleſiæ pro alia. Quod vero ibi auctoritas Prælati poſtuletur, ideo eſt vel quia Eccleſia Parochialis non poteſt Conventui uniri de novo ſine Epiſcopi auctoritate; vel quia fiebat ſimul permutatio Beneficiorum illarum Eccleſiarum quæ ſine Prælati licentia fieri non valet. Poſſunt igitur abſque ſimoniæ labe propria auctoritate res ſpirituales (exceptis beneficiis) permutari pro aliis ſpiritualibus etiam cum pacto. Et hæc eſt communis ſententia, quæ amplectenda videtur; cum æquo rigidior nobis appareat quam adoptavit Auctor *num. præced.* Nec difficultatem faceſſunt verba S. Thomæ ab ipſo allata: nam ut optime Sylvius obſervat, per contractum non gratuitum accipiendus eſt ille, qui fit temporali pretio interveniente; ſive quo res ſpiritualis aliquo temporali prætio, ſeu alia re pretio æſtimabili compenſatur.

Appoſite autem animadvertit P. Daniel Concina *Tom.* 10. *lib.* 1. *diſſert.* 3. *cap.* 7. *n.* 9. quod ſi rei ſpirituali puta reliquiæ, admixtum ſit aliquod temporale, tunc ſimonia committeretur, ſi pro pretioſiore materia fieret permutatio. Addit inſuper, quod ſi in rebus ſpiritualibus permutandis exceſſus in una præ altera ſit, gratis remittendus eſt, aut alia re ſpirituali compenſandus. Legantur etiam laudati Salmanticenſes *loc. cit. n.* 20.

Ad examen præterea vocant Theologi, an abſque ſimoniæ macula vendi poſſint ſepulturæ, vel jus, ut tali loco, aut parte Eccleſiæ nullus præter illum qui emit, aut ejus ſucceſſores ſepeliantur. Quæ communiter docent ipſi, quæque veritati magis conſentanea nobis videntur, paucis hic exhibere operæ pretium exiſtimamus. Itaque 1. vendere terram communem ad ſepulturam, ſeu ut ibi ſepulcrum conſtituatur, non eſt ſimonia, ut & tradit D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *ad* 3. Et ratio clara eſt, quia etiam ad Sacramenta conficienda licet vendere materias remotas: ergo multo magis ad ſepulturam. Item quia terra illa de ſe pretio æſtimabilis eſt, & res mere temporalis; quod autem emens velit illam ad illum uſum eſt per accidens. Unde etiam ad Eccleſiam ædificandam poteſt fundus pretio vendi. 2. poſtquam terra aliqua, vel cœmeterium ad ſepulturam fidelium benedictum, vel publice conſecratum eſt, eſt ſimonia juris divini & naturalis, ſi ratione benedictionis vendatur aut pluris vendatur. Nam ſic ſpectatum eſt aliquid ſacrum. Item ſi quid detur pro ſepeliendis mortuis; *ex cap.* 9. *de Simonia ex Concil. General. Lateran.* 3. ſi ſepultura benedicta, non ratione benedictionis, ſed ratione terræ, aut ſoli, in quo ſita eſt, vendatur, quamvis non ſit ſimonia juris divini, & naturalis, eſt tamen

nem ſimonia juris Eccleſiaſtici. Nam hoc ab Eccleſia prohibitum eſt ex motivo Religionis, & reverentiæ erga rem ſacram, nempe benedictionem annexam terræ ſepulturæ, atque ad vitandum periculum, & ſuſpicionem ſimoniæ, ut patet ex *cap.* 41. *de Simon. & ex cap.* 13. *de Sepulturis*, ubi Innocentius III. ſic ait: *Abolendæ conſuetudinis perverſitas, quæ apud Montempeſſulanum, ut dicitur, inolevit, ut decedentibus non prius permittatur effodi ſepulturam, quam pro terra, in qua ſepeliendi ſunt, certum pretium Eccleſiæ perſolvatur.* Et infra: *Mandamus, quatenus cum loci Diœceſanus exiſtas, inhibeas Clericis, ne quidquam omnino præſumant exigere hac de cauſa.* Poſſunt tamen pro tali loco ſepulturæ ſtipendia recipi non ut pretium illius, ſed per modum eleemoſynæ ad ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ, ſicut recipitur ſtipendium pro divinis & Miſſis celebrandis, vel ad conſervationem fabricæ, & cultus divini; quia æquum eſt, quod defuncti, qui in Templo inhabitant, ad ejus reparationem, & ornamentum concurrant. Multi etiam excuſant conſuetudinem vendendi certum locum cœmeterii, vel Eccleſiæ ad ſepulturam perpetuam familiæ, & hæredum cum obligatione, ut nullus alius in tali loco admittatur; quia in tali caſu venditur ſepultura nequidem ratione terræ, ſed tantum exigitur pretium ratione oneris, quod ſuſcipitur alios ibi non ſepeliendi, quod onus cenſent eſſe pretio æſtimabile, eo quod vi illius conventionis talis locus non ſit amplius juris communis, ſed privati. 4. Num autem ratione honorabilioris ſitus, ſeu dignioris loci poſſit eſſe licita pretii receptio pro ſepultura, magna eſt vel inter ipſos graviores Theologos diſceptatio. Plures partem affirmantem defendunt, nempe hoc licitum eſſe, quia, ajunt, ſolum ibi venditur honor quidquam humanus, qui non eſt ſpiritualis, ſed tantum in hominum apprehenſione conſiſtit; ut ſi quis emat ſedere in honoratiori loco, vel quid ſimile. Verum alii oppoſitum ſuſtinent, & præſertim Suarezius *Tom. 1. de Relig. lib.* 4. *de Simon. cap.* 14. *n.* 22. & hanc afferet ipſe rationem; quia in tali caſu tota ratio pretii eſt ſanctitas loci, vel quidam reſpectus ad majorem ſanctitatem; etiamſi fortaſſe motivum remotum ſit honor humanus. Deinde ſic infirmat contrariæ ſententiæ fundamentum. Non eſt, *inquit*, admittenda ſententia, quia, ut dixi, licet fortaſſe hoc ſit motivum ementis, tamen quod venditur ſacrum eſt, & ille honor eſt velut quid annexum conſequenter ad talem rem ſpiritualem, ſicut eſt honor humanus annexus dignitati, aut beneficio. Nam etiamſi quis propter illum honorem moveatur ad emendum beneficium, ſimoniacus eſt: ita ergo eſt in præſenti. Unde cum fundamentum hujus honoris ſit major ſanctitas loci ex majori propinquitate ad Altare majus, vel ad Domini corpus, videtur etiam ex natura rei ſimoniacum eſſe, vendere locum propter illum reſpectum: certius vero eſt, eſſe comprehenſum in eccleſiaſtica prohibitione. Hæc opinio præferenda videtur. 5. qui habet ſepulturam propriam ſuis ſumptibus pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus conſtructam, non committit ſimoniam, ſi eam vendat quoad proprietatem juxta valorem fundi, & reſpectu habito ad ſolas expenſas in ea ædificanda factas; nam tunc non venditur benedictio, nec proprium jus ſepulturæ, ſed ſolum materiale illud, ad quod alia ſequuntur. Unde ſimilia loca jure hæreditario transferri ſolent a parentibus ad filios ratione temporalitatis, quæ in eis eſt; nam in ſpiritualibus non poterat eſſe per ſe ſucceſſio: ergo eodem modo poſſunt per venditionem in alium transferri, quatenus temporalia ſunt. Qui plura circa hanc materiem cupit audeat Suarez *loc. cit.* Barboſam *de Offic. & Poteſt. Parochi part.* 3. *cap.* 26. *n.* 16. *& ſeq.* Sylvium 2. 2. 100. *art.* 4. *concl.* 2. PP. Salmanticenſes *tract.* 18. *cap.* 3. *punct.* 5. *n.* 180. & P. Lucium Ferraris V. *Sepultura nu.* 147. *& ſeqq.* Legatur etiam Johannes Pontas V. *Sepultura caſ.* 7. ubi oſtendit, Parochum unius Parœciæ jure gaudentem cadaverum ſuorum Parœcianorum in Cœmeterio vicinæ alterius Parœciæ ſepeliendorum non poſſe abſque graviſſimo peccato hoc jus, quod proprium ipſius non eſt, ſed Eccleſiæ, qui præficitur, vendere, nec poſſe jus idem emi a Parocho de vicina Parœcia.

§. XII. *De variis modis ſimoniacis jure vel Divino, vel Eccleſiaſtico, reſpective, circa Beneficia.*

I. DUbio vacat, Simoniam juris divini perpetrari, promittendo, dando, vel recipiendo aliquid pretio æſtimabile, ſeu temporale pro Præſentatione, Electione, Collatione, Confirmatione, nec *(Recenſentur plures ctiones ſimoniacæ.)*

non

non pro qualibet alia actione, qua acquiratur jus, quamvis dumtaxat inchoatum, ad beneficium; vel qua dubium aliquod circa beneficium tollatur & expurgetur; & conſtat ex dictis: Et multo magis conſtituendo, vel ſolum promittendo penſionem procuranti beneficium: Immo ſimoniaca eſſet promiſſio dandi aliquid etiam ſolo mutuo; quia quamvis mutuum reſtituendum ſit, tamen mutuum recipiens commodum temporale reportat, quod ſufficit ad ſimoniam. item exigere, vel dare aliquid pro introductione in poſſeſſionem beneficii, quæ dicitur inſtallatio, eſt ſimoniacum ex Capite 9., & 36. de Simonia, quia acquiritur jus ſpirituale. Item promittere, & a fortiori dare aliquid alteri, ut per ſemetipſum, vel per alium roget, aut procuret collationem beneficii: ita ex cap. n. 1. *Præſentium* q. 5. quia per hoc paratur via ad beneficium, & deprecatio illa eſt cauſa moralis obtinendi beneficii.

Aliæ actiones Simoniacæ circa Permutationem & Reſignationem.

II. Simonia ſaltem juris Eccleſiaſtici committitur, permutando beneficia, aut quodvis aliud jus ad beneficia pertinens: ſicut etiam quæcumque conventio, vel conditio, vel pactio obligans ad id quod non eſt de jure debitum, ſi hæc fiant privata auctoritate: ita etiam reſignatio ſub conditione, onere, vel pacto, quod non ineſt de jure ipſi beneficio, ſi fiant ſine licentia Pontificis, ex cap. 34. de Simonia, & ex capite 5. de rerum permutatione, & ex capite ult. de pactis. Ratio horum eſt, quia periculum eſt, ne pactio, commutatio &c. fiant intuitu temporalis commodi; cum alioquin id ſit divino jure vetitum. Reſignatio autem ſimplex in favorem alterius ideo eſt vetita, ne per ea tollatur Collatori jus conferendi beneficia dignioribus, & ne beneficia tranſeant in hæreditatem: unde omnes dicti actus, ſine licentia Papæ, ſunt invalidi.

Tranſactiones qualiter Simoniacæ?

III. Simonia committitur, faciendo tranſactionem, vel ceſſionem non mere gratuitam circa beneficium, vel aliquod jus beneficii etiam dubium, ſi fiat propria auctoritate, ita in cap. 7. de tranſact. Similiter quævis pactio, aut ad impediendam, aut ad dirimendam litem ſuper beneficio, ſi fiat, ut alter litigantium cedat juri ſuo, & alter beneficium pacifice poſſideat: Ita ex cap. 4. de pactis, quia nimis clare apparet commutari rem ſpiritualem pro temporali. Idem etiam crimen committitur, ſi conveniant, ut unus deſiſtat, dummodo alter ſolvat expenſas, quæ factæ fuerant; ſolutio namque harum expenſarum ſe habet ut pretium ad acquirendum beneficium. Et nota, quod hujuſmodi tranſactiones ſunt etiam invalidæ, ſi fiant privata auctoritate. Dicam num. 5. quid ſint tranſactio, & compoſitio.

Compoſitio inter litigantes quando ſimoniaca?

IV. Compoſitio inter litigantes non eſt illicita, ſi fiat per ſententiam Judicis ordinarii, aut delegati, vel judicio arbitrorum a Superiore deputatorum ut ſtatuatur inter litigantes concordia. Immo, ſi opus fuerit, poterunt prælati imponere alteri parti penſum pecuniæ erogandum, non pro compenſatione juris, quod eſt ſpirituale, ſed pro bono temporali pacis, & ut lis terminetur: ita cap. 2. de Arbitr. Item in hoc caſu poterit, ſi opus fuerit, imponi penſio annua illi, cui beneficium probabilius adjudicatur, ſolvenda alteri ad illius vitam; quæ penſio, non imponitur beneficio, ſed beneficiario: ita ex cap. 2. de Præbendis. Nota, quod hujuſmodi compoſitiones factæ privata auctoritate ſint ſimoniacæ, quamvis fierent ſub conditione approbationis a Superiore obtinendæ, quæ neque tunc poſſunt a Superiori approbari: ita ex eodem capite *de Præbendis*. Si opponas: volentes permutare beneficia, poſſunt tractare de modo permutandi, ſub conditione approbationis; cur ergo non in dicto caſu? Reſpondeo, quia in hoc caſu eſt ſpecialis prohibitio ex laudato Capite *de Præbendis*.

Diſtinctio inter Tranſactionem, & Compoſitionem.

V. Ut autem melius dicta, & dicenda percipias, nota quid interſit inter Tranſactionem, & Compoſitionem; non enim omnis Compoſitio eſt Tranſactio, quamvis omnis Tranſactio ſit quædam Compoſitio. Tranſactio proprie accepta tria requirit: Primum, ut jus ſuper rem, circa quam tranſigendum eſt, ſit incertum, & dubium, & tale reputetur inter tranſigentes: Secundum, ut conventio inter partes fiat cum aliquo onere: Tertium, ut fiat ad litem dirimendam, vel componendam, ſive lis ſit inchoata, ſive intentata, ſive comminata: ex quibus patet diſtinctio a Compoſitione, quæ fit etiam libera remiſſione gratuita, & cum jure certo, atque indubitabili, & fieri poteſt abſque ullo onere impoſito alteri parti. Compoſitio variis modis evenire poteſt: primo, quando altera partium libere cedit juri ſuo, quod aut certum, aut dubium ſit, quin aliquid dividatur. Secundo, ſi res diviſibilis ſit, dividendo inter partes rem il-

illam, vel emolumenta illa, judicio prudentum. Tertio, cedendo alteri rem totam, cum onere, ut ipſi compenſet per aliquid aliud. Primo modo facta, eſt innocens, cum ſit vera compoſitio, nullam ſuſpicionem ſimoniæ habet, & eſt vere amicabilis, & nullo modo eſt tranſactio. Si autem compoſitio fiat judicio prudentum, adjudicantium rem illi, qui juxta ipſos firmiorem rationem habet, cui alter omnino gratis cedere debeat; quamvis non requirat Prælati conſenſum in quantum eſt compoſitio, in quantum tamen eſt renunciatio juris, & nova inſtitutio reſpectu illius, cui renunciatur, requirit Prælati auctoritatem, poſt judicium factum ab Arbitris, ut obſervavit Panormitanus.

Quando ſit licita ſecundo & tertio modo facta cum ſit Tranſactio?

VI. Secundo, & tertio modo facta, eſt Tranſactio, ut patet ex dictis. Itaque tranſigere ſuper rem mere ſpiritualem, extra materiam beneficialem, cum aliqua compenſatione, vel ceſſione alterius rei ſpiritualis, nulla eſt, juxta communem, Simoniæ ſuſpicio; unde poteſt amicabiliter fieri inter partes, abſque ulla Prælati auctoritate, quatenus tranſactio eſt; cum enim fiat inter res ſpirituales, & nulla inveniatur prohibitio in jure, ex nullo capite redditur illicita. Proinde ſi contendatur ſuper aliquod jus ſpirituale, viſitandi, præſentandi, aut eligendi, poterunt partes inter ſe convenire, ut alterne viſitent, præſentent, eligant. Si inter Epiſcopos ſit contentio circa jus alicujus Eccleſiæ, poſſunt tranſigere, ut unus habeat jus ad portionem beneficiorum, alter jus viſitandi, & regendi. Si contentio ſit circa bona ſpirituali adnexa, puta circa decimas, poſſunt partes tranſigere, ut unus unam portionem habeat, & alius alteram. Si duo monaſteria contendant de fructibus alicujus Eccleſiæ ſibi unitæ, poſſunt tranſigere, ut vel dividantur fructus, vel cedantur uni, & compenſetur alterum per fructus alterius Eccleſiæ; in omnibus enim iſtiuſmodi non fit compenſatio, neque permutatio rei ſpiritualis cum temporali, ſed ſpiritualis cum ſpirituali, & adnexi cum adnexo. Conſulto dixi in præfatis tranſactionibus non requiri auctoritatem Prælati quatenus tranſactiones ſunt, utpote a Simoniæ labe immunes; nihilominus ex alio capite forte talem auctoritatem requirere poterunt: Illa, nempe Tranſactio de ſe (ait Suarez *lib. 4. de Simon. cap. 51. n. 10.*) ut careat vitio ſimoniæ, non requirit auctoritatem Prælati; tamen ut valeat poterit aliunde illa indigere. Puta ſi res ſpiritualis, quæ in recompenſationem datur, in dubium non vocetur, ſed extra litem ſit, & ad illam conferendam alteri ſit neceſſaria auctoritas Prælati. Et ideo Prælatus ipſe interdum poteſt jus aliquod ſpirituale certum alteri dare, ut recedat a lite ſuper alio ſpirituali jure: inferior autem hoc facere non poterit ſine conſenſu ſui Prælati. Poſtulatur autem hæc Prælati auctoritas, ut talis tranſactio poſſit eſſe perpetua; nam ut valeat inter perſonas non eſt neceſſaria, ut conſtat ex cap. *De cetero*. Continet enim interdum hæc tranſactio quamdam alienationem bonorum Eccleſiaſticorum, & ideo ut firma ſit, auctoritas Prelati neceſſaria eſt: immo & aliæ conditiones ad talem alienationem neceſſariæ poſtulantur, de quibus alibi. Quando autem cum laicis fit tranſactio ſuper decimas ex ſpeciali juris diſpoſitione, Pontificis confirmatio neceſſaria eſt.

Tranſactiones circa Beneficia.

VII. Circa Beneficia autem tranſactiones etiam ſolius ſpiritualis cum ſolo ſpirituali factæ, aut ſola litigantium conventione, aut privatorum Arbitrorum judicio, ſunt illicitæ: ita ex capite *Conſtitutus*, & cap. *ſuper eo* de Tranſactionibus, ubi excipitur ſola amicabilis compoſitio per hæc verba: *Alias ſi gratis, & amicabiliter inter ſe litigantes componant*: atqui tranſactio, ut vidimus, non eſt amicabilis compoſitio, ſed oneroſa, igitur &c. Confirmo: Si enim aliqua poſſet eſſe innocens, illa eſſet, in qua datur pro beneficio contentioſo aliud ſpirituale, quod non ſit contentioſum, ſed pacifice poſſeſſum ab uno litigantium; atqui tunc fieret permutatio, ſeu tranſactio permutationi æquivalens, quæ, ut fatentur omnes, eſt jure prohibita ſine licentia Superioris, igitur nulla alia poteſt eſſe licita.

Reſolvitur objectio, & ceſſus alii ſimul enodantur.

VIII. Oppones: ſi dum litigatur circa plura beneficia, & litigantes conveniant, ut unus unum, & alius alterum beneficium pacifice poſſideat, cedendo jus, quod uterque ſuper illa haberet; tunc non videretur eſſe Simoniæ ſuſpicio. Reſpond. eſſe revera ſimoniæ labem; tum quia eſt ceſſio oneroſa, & non gratuita; tum quia cum utriuſque litigantis jus dubium ſit, invalide conferretur ei, qui jus non haberet, per ſolam voluntatem tranſigentium, abſque licentia Superioris, ejuſque auctoritate neceſſaria. Iterumque dicas, ſi uterque litigans ſimul ſit actor, & reus,

nem-

nempe quando uterque movet litem ſuper beneficium alterius ; & conveniant permutare ſimpliciter beneficia, ut lis dirimatur ; etiam hoc modo illicite agunt, tum quia intervenit permutatio a jure prohibita ; tum quia, cum beneficia ſint dubiæ poſſeſſionis, non poteſt privata auctoritas reddere jus certum ſine Superioris auctoritate. Idem pariter dicas, quamvis unus tantum litigantium peteret beneficium alterius, & hic ab altero peteret aliud jus juriſdictionis, quia etiam hujuſmodi permutationes, & renunciationes factæ ſub tali modo, talive conditione ſunt a jure prohibitæ.

Caſus licitus. IX. Si autem præfati litigantes actores ſimul, & rei ita convenirent, ut unus ſe declaret contentum beneficio ſuo, dummodo, & alter ſe declaret contentum ſuo, & ita lis extinguatur, nullam videntur incurrere Simoniæ ſuſpicionem, dummodo tamen uterque bona fide, & abſque dubitatione ulla ſuum poſſideat; quia tunc tranſactio non tam cadit ſuper beneficia, quæ jam poſſidentur, quam ſuper litem, ideſt ſuper mutuam obligationem abſtinendi a lite : neque datur aliquid ſpirituale pro temporali ; & quamvis interveniat aliquid oneroſum, eſt tamen æquale, nempe renunciatio, & ceſſio reciproca juris, quod contenditur; quin interveniat nova acquiſitio juris, aut renunciatio, cum uterque omni dubio careat ſuæ poſſeſſionis, ſed relinquuntur res ſicut erant prius, nec quidpiam novi acquiritur, vel deperditur. Si vero aliquis eorum de ſua poſſeſſione dubitaret, Simoniace ageret, quia acquirerent firmitatem in ſuo beneficio per talem tranſactionem.

Alii caſus Simoniaci. X. Simonia committitur ab illo, qui ad obtinendum beneficium promittit ſe reſtauraturum Eccleſiam, ſeu aliquid erogaturum ad fabricam, aut elargiturum Eleemoſinam pauperibus, vel quidpiam ſimile facturum, rerum temporalium erogatione : ita cap. *ex multis* 1. q. 3. ; quia onera illa non inſunt beneficio, eidemque ſuperadduntur ; cum etiam, quia interventu rei temporalis paratur via ab beneficii aſſecutionem.

Alii caſus Simoniaci. XI. Si permutantes propria auctoritate compenſent pecunia, vel penſione inæqualitatem proventuum ; ſi unus illorum imponat alteri onus, quod ſit præter naturam permutationis, puta ſolvendi omnes expenſas ; ſi permutent Jura quælibet, vel actiones quaslibet ad beneficia pertinentes, puta, ſi unus cedat ſuæ præſentationi, ut alius ſibi conferat alteram, aut ita conveniant : tu elige, aut præſenta Petrum ad tale beneficium, & ego præſentabo te, aut Paulum ad alterum : do tibi meum votum in hac electione, & tu dabis mihi, aut Petro votum tuum ad illam alteram : eligam, aut præſentabo te ad tale beneficium, ſi tu reſignes Paulo tuum, hiſque ſimilia ; omnes illæ conventiones ſunt Simoniacę, & a jure generaliter vetitæ ; ſunt enim omnes actiones ſpirituales, quibus paratur via ad temporale ſpirituali adnexum. Et ſimiliter Simonia committitur hujuſmodi conventiones faciendo etiam circa ea officia, quæ non ſunt proprie beneficia ; eo quod in capite 5. de rerum permutatione generaliter prohibentur omnia pacta circa ſpiritualia, & circa adnexa : ac proinde etiam Vicaria Eccleſiaſtica amovibilis ad nutum, Prælaturæ Regularium, & hujuſmodi ſunt dictæ legi obnoxia, nec non in capite II. de Simonia, in quo ſimiliter quæcumque pacta ſuper quibuſcumque ſpiritualibus, & adnexis vetantur.

Alii caſus Simoniaci. XII. Simonia committitur, ſi in beneficio procurando, conferendo &c. fiat conventio de qualibet gratuita remuneratione dandi aliquid ex gratitudine, ſive ſpirituale, ſive temporale ; tum quia id fuit reprobatum ab Innocentio XI. ut vidimus in §. 8. n. 2. tum quia hujuſmodi conventiones non ſunt reipſa gratuitæ, ſed oneroſæ, cum pariant obligationem præſtandi promiſſum, ſaltem ex fidelitate, quæ eſt pretio æſtimabilis, tametſi præſtetur quid ſpirituale : tum denique, quia indicatis juribus etiam hæ pactiones ſunt vetitæ ut Simoniacæ. Item ſi conferendo, vel procurando beneficium conſanguineis, ut aut procuranti, aut ei, cui procuratur, aut familiæ commodum reſultet, puta, ut honoratior, potentior, aut opulentior fiat : Ita Theologi cum S. Thoma in 4. d. 25. a. 3. ad 7. *Qui dat* (& idem dicas de quovis modo procurante) *ratione conſanguinitatis præbendam, ſi intendat aliquod bonum in ſe ipſum redundans, ſic, quod magnificetur per hoc, & nobilitetur domus ſua, vel quod ipſe in conſanguineis ſit fortior, & ſic ipſe aliquid accipere ſperat, pro quo ſpiritualia dat, Simoniam committit*. Apparet enim, quod dat, aut procurat ſpirituale pro temporali : Et 2. 2. q. 100. a. 4. addit *Si aliquis aliquid ſpirituale conferat alicui gratis propter conſanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem*, (ideſt, quæ non ſit ſpiritualis) *eſt quidem illicita, & carnalis*

col-

Digitized by Google

collatio, non tamen Simoniaca, quia nihil accipitur: ad differentiam antedicti caſus, in quo intenditur nobilitas, potentia &c.

Reſolvitur an dare ex mera gratitudine, vel ſub ſpe meræ gratitudinis ſit Simoniacum?

XIII. Verum, occaſione modo dictorum, excitatur dubium, utrum intentio dandi ſpirituale pro temporali, aut e contra ob meram, & ſimplicem gratitudinem, vitio Simoniæ mentalis inquinentur? Antequam reſpondeam, præmitto, hic non inquiri, an ita agere liceat ex intentione gratuitæ compenſationis, quam jam dudum reprobatum audivimus ab Innoc. XI.; neque an temporale poſſit eſſe motivum principale, aut finis dandi ſpirituale, vel e contra; cum id quoque reprobatum fuerit ab eodem Pontifice relato in §. 8. num. 2. Sed quæſitum in eo conſiſtit, an ita operantes, habentes coram Deo merum, & ſimplicem finem gratitudinis, meramque ſpem in virtute ſolius gratitudinis fundatam ex parte collatoris, Simoniace agant? Et reſpondeo, quod ſi revera coram Deo habeant ſinceram intentionem mere internam dandi ex pura gratitudine, & ſperandi ex pura gratitudine, abſque eo, quod exterius quidpiam ſignificetur, neque ſpirituale, aut temporale ſperatum, ſit motivum principale, aut finis operandi, ſalvo meliori judicio, nulla videatur Simonia mentalis. Ratio eſt, quia ex parte retribuentis ob antidoralem beneficentiam, motivum ſolius gratitudinis eſt motivum virtutis; igitur nedum ſimoniacum eſt, ſed virtuoſum; ex parte vero obſequentis, ſervitium præſtantis &c. quod operatur, & præſtat, neque ſe habet ut pretium, nec exhibetur ut motivum principale, neque ut valens inducere aliam obligationem præter illam, quæ naturalis eſt beneficio non debito, & alia non eſt, quam excitare animum ad virtuoſam gratitudinem, & ad ſignificandum animum gratum aliquo dono, quod abſque ulla proprie accepta obligatione ſperari poteſt, utpote actus virtutis exercendus a perſona beneficiis non debitis donata; nihil ergo videtur immixtum Simoniam redolens; niſi velimus dicere, quod a materia beneficiali virtus gratitudinis exulare compellatur, quod quam abſonum ſit, nemo non videt. Conſulto autem dixi, *neque ſpirituale, aut temporale ſperatum, ſit motivum principale, aut finis operandi*, quia ſi ita eſſet, vereor, ne nimis accederetur ad theſim damnatam; quia quamvis diceretur fieri ob meram gratitudinem, timendum eſſet, ne in facto reapſe unum daretur pro alio; temporale pro ſpirituali, vel e contra; quod eſſet in facto Simoniace ſe gerere, atque tacito, implicite, & indirecte involveretur intentio Simoniaca. Idcirco hic moneo, caute legendos eſſe Theologos, qui ante proſcriptas illas theſes ſcripſerunt, nempe ante annum 1679. cum non pauci eorum, quamvis ſapientiſſimi, nimis lubrice videantur locuti, nimiumque ad theſes damnatas appropinquantes.

Monitum notabile.

* *D. Thomas q. 13. de Malo art. 4. ad 13.* aſſignat diſcrimen, quod intercedit inter illum, qui mutuat, & illum qui tribuit ſpiritualia. Juvat integrum S. D. textum exſcribere, & ob oculos ponere. *Dicendum*, inquit, *quod munus aliquod vel a manu, vel a lingua, vel ab obſequio poteſt uſurarius* (hoc eſt dans mutuum). *ſperare ex mutuo quod concedit, dupliciter: Uno modo quaſi debitum ex quadam obligatione tacita, vel expreſſa; & ſic quodcunque munus ſperet, illicite ſperat. Alio modo poteſt aliquod munus ſperare, non quaſi debitum, ſed quaſi gratuitum, & abſque obligatione præſtandum: & ſic licite poteſt ille, qui mutuat, ſperare aliquod munus ab eo, cui mutuat: ſicut qui facit ſervitium alicui, confidit de eo, ut amicabiliter ſuo tempore ſervitium faciat. Alia tamen ratio eſt de ſimoniaco, & uſurario, quia ſimoniacus non dat id, quod eſt ſuum; ſed id quod eſt Chriſti: & ideo non debet ſperare aliquam recompenſationem ſibi fiendam, ſed ſolum honorem Chriſti, & utilitatem Eccleſiæ: ſed uſurarius nihil alteri præſtat, niſi quod ſuum eſt: unde poteſt aliquam amicabilem recompenſationem ſperare per modum prædictum.* Itaque juxta D. Thomam, etſi ille, qui dat mutuum, nequeat aliquod munus ſperare ex mutuo quod concedit, quaſi debitum ex quadam obligatione tacita vel expreſſa; attamen poteſt aliquod munus ſperare quaſi gratuitum, & abſque obligatione præſtandum; quia qui dat mutuum, dat quod ſuum eſt: at qui ſpiritualia largitur, nullo modo debet aliquid ſperare, quia non largitur quod ſuum eſt, ſed quod eſt Chriſti.

Quomodo beneficia precibus obtenta ſint Simoniaca?

XIV. Simonia committi poteſt præſentando ad beneficium, vel illud conferendo propter commendationem id eſt recommendationem ab amico factam: ita S. D. l. c. ad 3. *Munus a lingua dicitur, vel ipſa laus pertinens ad favorem humanum, qui ſub pretio cadit, vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur: & ideo ſi aliquis ad hoc principaliter intendat, Simoniam committit: videtur autem*

ad

Digitized by Google

ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit; unde ipſum factum eſt Simoniacum. *Si autem preces pro digno porrigantur, ipſum factum non eſt Simoniacum, quia ſubeſt debita cauſa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, ſpirituale aliquid confertur; tamen poteſt eſſe Simonia in intentione, ſi non attendatur ad dignitatem perſonæ, ſed ad favorem humanum. Si vero aliquis pro ſe roget, ut obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus, & ſic preces ſunt pro indigno. Licite tamen poteſt aliquis, ſi non ſit indignus, pro ſe beneficium eccleſiaſticum petere, ſine cura animarum.* Hanc doctrinam aliqualiter emolliri poſſe putarem aliqua exceptione circa petentem beneficium cum cura: & quidem in caſu, ne beneficium conferatur aut indigno, aut vix digno, & ipſe petens & abſque proprii amoris fuligine, ſe a Deo miſericorditer donatum experiatur; ſaltem quoad ſufficientiam, conditionibus ab hujuſmodi beneficio requiſitis; non erit ex petitione ſua reputandus indignus. Quoties igitur petens, poſt conſultationem cum prudentibus, & doctis viris debitam, ſibi conſcius eſt; ſe vel plus aliis, vel æque ac alios eſſe ſcientia, probitate, & prudentia donatum, putarem, quod petendo, non ſe reddat eo ipſo indignum. Hanc doctrinæ mitigationem profecto approbare videtur Concil. Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 18. de reformatione; cum diſpoſuerit, quod ad ea beneficia curam animarum habentia, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Si igitur Concilium liberum relinquit volentibus concurrere ad examen, quod eſt virtualiter petere beneficia illa; non eſt dicendum, quod provocet actionem, quæ reddat petentem ipſo facto indignum: intelligenda igitur erit Angelici doctrina de petente minus habente conditiones, in prudenter petente requiſitas.

Neque ob metum licet dare beneficium.

XV. Eligere indignum ob preces, quas S. D. vocat armatas, nempe comminationibus adjunctas, eſt nedum injuſtum, ut patet, ſed Simoniacum etiam, ait S. D. in 4. d. 25. q. 3. a. 4. ad 4. *Quando preces ſiunt pro indigno, ſatis apparet, quod nil aliud intendatur, niſi favor, aut etiam periculum evitandum, quia etiam carere malo, quoddam bonum eſt, ut dicit Philoſ. 5. Ethic. & ideo quando ſiunt preces pro indigno, vel ab aliquo petente, qui periculum comminatur quæ dicuntur preces armatæ, manifeſte Simonia committitur, ſi propter hoc, beneficium Eccleſiaſticum detur.*

Suſcipere ordines intuitu proventuum beneficii eſt Simoniacum.

XVI. Simonia mentalis committitur, ſuſcipiendo ordines, eo intuitu, ut obtineatur beneficium propter proventus ex eodem prodeuntes. Ratio patet, quia per rem ſpiritualem, ut ſunt ordines, paratur via ad temporale principaliter intentum, & eſt abuſus ſuſceptionis Ordinum, tanquam mediorum ad temporalem proventum præcipue intentum.

Quando redimere pretio vexationem ſit Simonia?

XVII. Redimere pretio temporali vexationem, ideſt oppoſitionem, contradictionem &c. quæ non eſt injuſta, ad obtinendum beneficium, eſt aperta Simonia. Probatur ſimul, & explicatur exemplo. Titius vult concurrere ad beneficium; prævidet, vel timet, vel ſcit, Paulum poſſe collatori beneficii revelare ſuos defectus, vel poſſe obſecrare collatorem pro altera perſona, vel poſſe litem movere, quippe qui putet ſe habere aliquod jus, vel velle concurrere, quia magis, aut æqualiter idoneus; vel poſſe removere alterum ne concurrat; vel quidpiam ſimile: Titius dat, vel promittit Paulo quid temporale, ut ab aliquo horum actuum abſtineat, Simoniam apertam committit; quia per illud temporale datum, vel promiſſum parat ſibi viam ad beneficium obtinendum. Neque dicas, Titium non emere ſpirituale, ſed actionem illam temporalem Pauli, nempe ſilentium, ne revelet; aut ejus officia ut alterum removeat a concurrendo &c. Reſpondeo, quod quamvis immediate emat actiones illas Pauli, mediate emptio terminatur ad beneficium tanquam ad ſcopum & finem; unde omnia ſe habent ut media ad illum finem. Repones: ex hoc ſequi, quod etiamſi Titius aliquod jus habeat ad illud beneficium, redimere non poſſet, quod videtur falſum. Reſpondeo, id non eſſe falſum; ſed verum; quia quamvis Titius jus aliquod habeat, non tamen habet firmum ſed infirmum; redimendo autem vexationem, firmius reddit illud ius; quæ major firmitas eſt quid ſpirituale acquiſitum re temporali. Inſtabis adhuc: ſaltem redimere poterit pretio vexationem injuſtam, impediendo calumnias, fraudes &c., ut tueatur aliquod jus quod habet. Reſpondeo diſtinguendo: poterit redimere apud eos, qui ad beneficium juvare poſſunt, nempe apud Collatorem, Præſentatorem, Electorem, Inſtitutorem, nego; apud illos, qui injuſte dumtaxat poſſunt impedire, concedo. Titius dando temporale illis, qui juvare poſſunt, ut ab

in-

injuſta vexatione deſiſtant, acquirit mediante temporali jus firmum, quod antea non habebat, in rem ſpiritualem, quod eſt Simoniacum: quando autem illis, qui injuſte impedire dumtaxat poſſunt, puta ne calumniam falſam ſpargant &c. non acquirit Titius aliquod ſpirituale, nec parat ſibi viam ſecuriorem, quam antea eſſet parata: unde removendo impedimenta injuſte poſita, relinquit viam ſicut antea erat: ita ex cap. 23. de Simonia. Redimere per temporale vexationem injuſtam, eſt licitum illi, qui habet jus in re, ideſt in beneficio, quod pleno, & certo jure jam tenet, & poſſidet; quia temporale tunc non datur pro aliqua re ſpirituali, quæ jam plene, & integre poſſidetur, ſed pro re mere temporali removenda, nempe injuſto impedimento: ita ex cap. 28. de Simonia. Caveat tamen redimens, non det aliquid ſpirituale, quia incurreret Simoniam, dando pro temporali re, qualis eſt injuſta vexatio, rem ſpiritualem. Quando igitur S. D. 2. 2. qu. 100. a. 2. ad 5. dicit, quod *Poſtquam alicui jus jam acquiſitum eſt, licet per pecuniam injuſta impedimenta removere*; intelligatur de jure non ad rem, ſed in re pleno, & integro, cui nil aliud deſit, quam poſſeſſio capienda, quæ eſt factum quoddam mere temporale, neque ullo modo completivum juris ſpiritualis, quod jam cenſetur completum per electionem, confirmationem, inſtitutionem &c. & ſolum datur pecunia pro temporali poſſeſſione in ſe ipſa. Laudabiliter tamen ageretur, ſuſpendendo hanc pecuniariam redemptionem, ſi poſſet adiri Superior, qui vexationem tolleret, abſque erogatione pecuniæ: quam, ſi erogetur, injuſtus vexator reſtituere tenetur, ut jam eſt manifeſtum.

§. Ex tradita paulo ante ab Auctore doctrina, videlicet quod redimere per temporale vexationem injuſtam, licitum ſit illi, qui habet jus in re, ideſt in beneficio, quod pleno & certo jure jam tenet & poſſidet, colligendum eſt, ſimoniam eſſe, ſi redimatur vexatio juſta poſt obtentum & poſſeſſum beneficium. Quippe eo ipſo juſta eſt vexatio, ſequitur quod jus in beneficio non ſit omnino firmum, vel auferri poſſit. Unde tunc daretur pretium ad confirmationem, & conſervationem beneficii. Vel ſi ſit omnino firmum, neceſſe eſt, ut aliquod crimen ſit patratum, propter quod ille eſſet beneficio privandus; & tunc dare pretium ad removendum illud impedimentum, eſſet ſimonia, quia pretio temporali emeretur conſervatio rei ſpiritualis.

Notandum ulterius, eſſe item ſimoniacum dare beneficium cum pacto, ne is, cui datur, in poſterum vexet, vel noceat etiam injuſte. Quia tunc ſpirituale datur pro temporali commodo, ſeu in compenſationem mali temporalis vitandi, quæ eſt quid de ſe pretio æſtimabile. Legatur P. Antoine *Tract. de Virt. Relig. cap. 5. art. 3. reſp. 3. & 4. ad Quæſt. 17.*

XVIII. Non quodvis donum, quod fieri poteſt conferenti ſpiritualia, poteſt eſſe prohibitum, & ſimoniacum; eo quod jura ipſa præſupponant, poſſe temporale donum gratis fieri, ſive ante, ſive poſt collationem rei ſpiritualis, loquendo ex natura rei, & dummodo intentio ſit recta coram Deo, ut colligitur ex cap. *quam pio*, *& ſicut Epiſcopos* 1. quæſt. 2. & ex capite *etſi quæſtiones* de Simonia. Et ſimiliter pro miniſterio ſpirituali dari poteſt temporale etiam ex obligatione, non ut pretium, aut in commutationem, ſed tanquam ſtipendium ex juſtitia operario debitum, ut habetur nedum ex D. Th. loc. cit. in art. 2. ſed etiam ex jure canonico in c. *Charitatem* 12. qu. 2., & in cap. *dum ſecundum* de Præbendis. Hinc fit, quod tunc donum ſimoniacum evadat, quando datur pro ipſa re ſpirituali, & in commutationem ejuſdem; & proinde Auctores cum Navarro cap. 23. n. 100. hoc modo intelligunt jura, cum utuntur illa particula *pro*, & judicant actus ſimoniacos, quatenus ſignificat commutationem. Dices, ex hoc inferri, quod tota ſimoniæ ratio reducatur ad ſolam intentionem dantium, & recipientium: & hoc verificato, jam actum eſt de Simonia: quis enim erit adeo demens, qui intentionem commutandi habere velit? Reſpondeo in primis revera ita eſſe, quod ab intentione agentium pendeat tota Simoniæ ratio, idque eruitur etiam ex cap. *Tua nos* de Simonia, ubi clare dicitur: *Si tamen is, qui talem donationem facit ea intentione ducatur &c.* Dico ſecundo, revera ita eſſe, quod nemo erit adeo demens, qui velit hanc intentionem formalem habere. Dico tamen tertio, facillimum eſſe habere illam intentionem virtualem tacitam, & implicitam, quod ſufficit ad Simoniæ crimen incurrendum, quemadmodum indicatur in laudato cap. *Tua nos*, ubi ſubjungitur: *Ut per temporalia bona, ſpiritualia valeat adipiſci, & Clerici*,

Quando dona ſint cenſenda Simoniaca?

rici, qui eum in fratrem admittunt, non eſſent eum, niſi commoda temporalia percipe-rent, admiſſuri; ſine dubio tam iſti, quam ille apud diſtrictum judicem culpabiles judicantur. En igitur quam facile ſit donis Simoniam incurrere, & habere voluntatem virtualem ſimoniacam. Quando itaque donum datur, ut per illud, ſpirituale valeat adipiſci, nec daretur, niſi ſpirituale putaretur advenire; tunc apparet virtualis intentio ſimoniaca. Quoties igitur nec ratio ſtipendii (de quo nonnulla ſtatim) nec ratio laboris extrinſeci (de quo ſuo loco diximus) operi præſtito, vel præſtando, nec ratio ſinceræ benevolentiæ, aut honeſtæ amicitiæ, nec ratio urbanitatis, nec ratio virtuoſæ gratitudinis ſit motivum verum, & ſincerum coram Deo, dandi, donandi; ſed facto, & practice donetur intuitu rei ſpiritualis, ſeu pro re ſpirituali, erit donum ſimoniacum; ſi autem revera, & coram Deo detur ob aliquam ex indicatis rationibus, non erit tale; dummodo tamen primo, non ſit prohibitum a jure, ob reverentiam rei ſacræ, & ad tollendam omnem Simoniæ ſuſpicionem; ſicuti eſt donum datum ante, vel poſt examen ad beneficium, ut ſignanter juſſit Tridentinum ſeſſione, & locis citatis nu. 3., & in aliquibus aliis caſibus in jure notatis; quia tunc eſſet ſimoniacum ex declaratione juris poſitivi: & dummodo, ſecundo, nullum interveniat pactum ſive expreſſum, ſive tacitum.

Data in ſtipendium, an poſſint deduci in pactum?

XIX. An autem data pro ſtipendio, poſſint deduci in pactum? Antequam reſpondeam, nota, quod ſtipendium eſt quædam portio temporalis data ad miniſtrorum ſpiritualium ſuſtentationem, ut vidimus ex D. Thoma §. 9. num. 1., quæ illis debetur ſive ex conſuetudine ſive ex Eccleſiæ ſtatuto; quia juſtum eſt, ut illis, qui alia miniſteria laicalia, quibus vitam tranſigerent, prætermiſerunt, & ſe divino cultui, & animarum ſubventioni devoverunt, miniſtrentur a populo fideli ea, quibus congrue ad eorum ſtatum ſe alere poſſint; quamobrem ſtipendium evadit eiſdem debitum æquitate naturali, & religioſa. Hoc præmiſſo videretur propoſito quæſito reſpondendum ex verbis S. Thomæ, quod ſtipendium nequeat deduci in pactum; ait enim loco ſupra citato ad 3. *Similiter aliqua temporalia dantur .... non quaſi pretium, ſed quaſi ſuſtentationis ſtipendium ... ſi autem hujuſmodi, pacto interveniente fiant, ... Simonia eſſet*; & quidem conventionalis. Cum autem praxis communis ſit in oppoſitum, ſilentibus Epiſcopis; idcirco diſtinguendum eſt cum Cajetano in commentario ſuper laudatum articulum; diſtinguendo primo, inter Clericum pauperem, & divitem; & ſecundo, inter laborem operi intrinſecum, & extrinſecum, de quo ſupra locuti ſumus; & tertio, inter pretium locatarum operarum, & ſtipendium ſuſtentationis: & quoad hoc tertium obſervat, quod pretium operarum habet rationem mercedis; ſicut quando quilibet alius artifex locat ſuas operas: ſtipendium vero ſuſtentationis non eſt merces operarum, ſed opportuna ſubventio, qua alatur miniſter cum familia ſibi neceſſario conjuncta. Et hinc deducitur primo, quod dans mercedem, illam dat pro locatis operis, & pro labore eiſdem intrinſeco; qui vero dat ſuſtentationem, non dat pro labore operarum, ſed ut congrue alatur miniſter; in cujus ſignum, quod datur, non datur comparative ad operam, ejuſdemque laborem; ſed comparative ad qualitatem indigentiæ miniſtri. Deducitur ſecundo; quod cum detur ſtipendium ſuſtentationis in congruum alimentum miniſtri, poſſet hoc ſtipendium deduci in pactum, quemadmodum poteſt deduci in pactum proviſio quorumdam neceſſariorum, puta ad celebrandum, proviſio calicis, paramentorum &c.; & quemadmodum ſacerdos ad celebrandum vocatus, poteſt paciſci, ut provideatur de calice, cereis, paramentis &c., ita etiam poteſt paciſci de requiſito ad ſui ſuſtentationem, ſine qua non poteſt in miniſterio ſacerdotali inſervire: & hoc fieri poteſt abſque ulla Simoniæ labe. Nomine autem ſuſtentationis, addit Cajetanus, nedum intelligitur cibus, & potus, ſed quidquid neceſſarium eſt ad victum, & veſtitum ipſius miniſtri, & eorum, quorum cura neceſſitate morali ad ipſum pertinet. Addit præterea Eminentiſſimus, ac doctiſſimus ille, quod ſuſtentationis ſtipendium duobus modis poteſt advenire, nempe primo aut gratuito, aut ex ſtatuto Superioris; & quoad hoc non requirit neceſſitatem temporalem in illo miniſtro, cui datur; videmus enim, quod Epiſcopis etiam ditiſſimis datur contributio ſtatuta per canones in ſuis viſitationibus; & Sacerdotes, etiam non egentes, recipiunt ſtipendium pro Miſſa. Secundo modo ſtipendium advenire poteſt non gratuito, neque ex ſtatuto, ſed ex pacto, & hoc modo non niſi pauperi Sa-

cerdoti, aut miniſtro licite provenire poteſt; non autem diviti miniſtro; quia ait Cajetanus: *Sacerdos habens, unde ſecundum ſuum ſtatum honeſte vivat, ſi ex pacto velit ſtipendium ſuſtentationis, convincitur quod mendax eſt, conveniendo de ſtipendio, ut neceſſario, ſine quo non poteſt commode in ſacerdotio deſervire; quoniam ſine ſtipendio poteſt hæc commode facere: unde convincitur, quod convenit, non de ſtipendio ſuſtentationis, ſed de ſtipendio operarum ſuarum.* Et hoc modo conciliat Cajetanus S. Doctorem cum praxi fere communi, nempe quod pactum inire pro ſtipendio, ſi fiat a Sacerdote divite, ſit ſimoniacum; quia convincitur locare operam ſuam, & non quod conventionem ineat pro ſtipendio ſibi neceſſario, cum falſum ſit, ejuſdem habere neceſſitatem. Non me latet doctiſſimum Suarez cap. 46. num. 7. rejicere hanc Cajetani opinionem, & vocare illam *non veram*: ſed tanti viri pace, quem attente perlegi, quamvis multa, & docta dicat, revera non mihi apparet ſolutum modo relatum doctiſſimi Cajetani ratiocinium: concedo quidem & ego, quod poſſit miniſter dives recipere oblatum ſtipendium, ſeu, ut melius in hoc caſu dicam, piam eleemoſinam; poſſit etiam ad ſummum illam modeſte petere & recipere, quæ ex ſtatuto ipſi conveniunt; ſed quod poſſit de eadem paciſci, ſicut poteſt pauper, non video.

Simonia ficta, quamvis grave peccatum non eſt Simonia.

XX. Simonia ficta, quæ contingit, dum aut alter contrahentium, aut ambo contrahentes vere non habent animum contrahendi, ſed decipiendi, (deceptione quidem ab aliis ignorata) juxta probabiliorem Cajetani tom. 2. opuſc. tract. 9. q. 2., & Soti lib. 9. qu. 8. a. 1. & aliorum, non eſt peccatum Simoniæ, quamvis ita ficte contrahens peccet lethaliter, & ſacrilege, tum decipiendo in re gravi, tum cooperando peccato alterius contra religionem; & teneatur ad reſtitutionem damnorum, ſi quæ ſecuta fuerint. Ratio eſt, quia decipiens, vel decipientes nullo modo intendunt dare ſpirituale pro temporali, aut e contra, quamvis exterius, & verbis id ſignificent: igitur cum non adſit conſenſus in conventionem, nullo modo eſt contractus, nec propterea ullo modo in conſcientiæ foro Simonia; neque proinde in dicto conſcientiæ foro decipiens incurrit pœnas Simoniæ illatas. Obiicit Navarrus, qui oppoſitum docet in com. ad cap. ult. de Simonia num. 106. etiam promiſſio illa ficta eſt aliquid temporale pretio æſtimabile, quæ offertur, ut repromittatur ab altero quid ſpirituale. Reſpondeo, negando promiſſionem illam fictam, eſſe pretio æſtimabilem, aut pretium, quo emātur res ſpiritualis; quia ficte promittens non offert pro pretio promiſſionem fictam, neque hac movetur repromittens ſpirituale; ſed ille offert rem ficta promiſſione propoſitam; & repromittens, non promiſſione, ſed re promiſſa movetur ad repromittendum: cum igitur promiſſio ficta neque ſit pretium, neque quidpiam ejuſdem, nequit intervenire Simoniæ crimen in ficte promittente. Inſtauro reſponſionem ex doctrina Navarri, qui negat, per ſolam promiſſionem veram rei temporalis, & receptionem rei ſpiritualis haberi Simoniam realem completam, ſed requiri, quod ſaltem pars pretii ſit ſoluta. Hoc poſito: ſi promiſſio ficta eſſet aliquid pretii, multo magis eſſet promiſſio vera: atqui per Navarrum promiſſio vera non eſt pars pretii, aliter ſola promiſſione rei temporalis haberetur Simonia realis completa, quia eſſet ſoluta in ipſa promiſſione pars pretii; igitur, vel non eſt verum, quod promiſſio ſit pars pretii, vel non eſt verum, quod præter promiſſionem requiratur in Simonia reali completa etiam pars pretii, ſeu rei promiſſæ. Addit ipſe in favorem ſuæ opinionis ſimilitudinem, nempe, ſi pro re ſpirituali dentur mille auri falſi ex auricalco, eſt Simonia; igitur etiam ex ficta promiſſione, Simonia incurritur. Sed paritas hæc eſt tanto viro incongrua; quis enim non videt quod etiam auricalcum aliquid valoris habet, cum promiſſio ficta nullum habeat?

Quale peccatum ſit ſimonia?

XXI. Ex omnibus hactenus expoſitis liquet, Simoniam eſſe ſacrilegium, quia injurioſum rebus Deo dicatis, ac proinde Religioni, quæ cultum Dei tanquam objectum inſpicit: injuria autem gravi afficit res ſacras, quia facto reputat eaſdem pretio temporali æſtimabiles, quod ſi fieret animo deliberate ita judicante, eſſet hæreſis, ut patet; cum fides doceat: *Dona Dei pecunia non poſſideri* Act. 8. Immo admixtum habet peccatum etiam injuſtitiæ, quia venditur id, quod non cadit ſub dominio vendentis, ſed ſolius Dei. Simonia juris divini non admittit parvitatem materiæ, juxta omnes, & ſemper eſt peccatum grave: quia conſiderata ex parte rei ſpiritualis, hæc ſemper eſt ſuper omnem valorem temporalem, conſiderata

vero

vero ex parte pretii, ſemper eo major eſt parvipenſio rei ſpiritualis, quo minus eſt pretium. Eſt ſimiliter Simonia juris Eccleſiaſtici ſufficienti deliberatione patrata, eſt ſemper lethalis, tum quia ejuſdem ſpeciei cum altera; tum quia ſemper ſub gravi obligans; tum denique, quia prohibetur ſub eodem motivo reverentiæ ſacris debitæ.

§. XIII. *De pœnis Eccleſiaſticis Simoniæ criminis illatis.*

Simonia pure mentalis nulla cenſura plectitur.

I. Simoniæ pure mentali, quæ nullo pacto exteriori expreſſo, aut tacito, ſed ſolo animo perficitur, nulla pœna Eccleſiaſtica eſt inflicta; cum Eccleſia non puniat in foro externo actus mere interiores; tum quia in cap. 46. de Simonia, loquendo de ſimoniacis mentalibus dicitur, *ſufficere per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere Creatori.*

Quando in Conventionali?

II. Cum autem excommunicatio major in ſimoniæ crimine ipſo facto non incurratur niſi in ſolis tribus delictis, nempe pro Ordinationibus: pro Ingreſſu, aut profeſſione Religionis: & pro Beneficiis, & officiis quibuslibet juriſdictionem ſpiritualem afferentibus: idcirco diſtincte procedendum eſt. In Simonia pure Conventionali explicata §. 8. n. 2. (quæ non ſit Confidentialis, de qua inferius n. 8.) nulla incurritur ipſo facto pœna Eccleſiaſtica, quia jura, quæ pœnas infligunt, requirunt traditionem ſaltem rei ſpiritualis, de qua conventum fuit: ita in Extravag. prima, & ſecunda de Simonia, & in can. 1. qu. 1. Unde neque incurritur hæc cenſura, quamvis temporale traditum fuerit, ſi non fuerit datum ſpirituale. Tradita autem re ſpirituali; & accepta etiam minima parte rei temporalis; ſicut e contra data re temporali, & accepta etiam minima parte ſpiritualis, incurritur ipſo facto excommunicatio, in tribus percenſitis Papæ reſervata, tam a dante, quam a recipiente; quia verificatur ſufficienter conſummata juxta omnes. Nec juxta communiorem ſufficit, quod ſit traditum ſpirituale, ſi nil temporale traditum fuerit, ſed ſola promiſſio: Tum quia plures affirmant, talem eſſe praxim Romanæ Curiæ; tum quia cenſuræ non incurruntur, niſi ex delicto completo, cum odia ſint reſtringenda ad proprium ſignificatum; tum quia neque irregularitas incurritur ab occiſore, niſi compleatur actio occiſiva morte occiſi.

Pœnæ ſimoniæ Beneficialis?

III. Pœnæ Simoniæ Realis, quam loc. cit. explicavimus, circa Beneficia, & Officia ſpiritualia juriſdictionem habentia ſunt Excommunicatio Pontifici reſervata, quæ ipſo facto incurritur tam ab eligentibus, aut inſtituentibus, aut præſentantibus, quam ab electis, inſtitutis, præſentatis, necnon a mediatoribus, aut procuratoribus, aut quovis modo operam ſuam præſtantibus ad perficiendam ſimoniacam collationem. Ita ex Extravag. Pauli II. *Cum deteſtabile* de Simonia, & ex aliis juribus. Præterea omnes electiones, præſentationes, reſignationes, proviſiones, collationes ſimoniace factæ ante omnem ſententiam, ſunt ipſo facto nullæ, & irritæ; ita ut proviſus teneatur ſtatim beneficium dimittere, & omnes fructus reſtituere Eccleſiæ: Ita Martinus V. in Concil. Conſtant. ſeſſ. 43., & ex dicta Extravag. Pauli II. Item ſimoniace electus, vel proviſus, fit inhabilis ad idem beneficium ulterius habendum, nec ad id poteſt ab Epiſcopo diſpenſari: ita ex cap. 22. de Simon., & cap. penult. de Elect. Item fit inhabilis ad quaſcumque dignitates, & quæcumque alia beneficia: ita ex Bulla 5. S. Pii V. Si tamen Simonia commiſſa fuerit, ignorante ipſo electo, & eam ratam non habente, & beneficium fuerit ſimplex; facta prius pura reſignatione ejuſdem, poterit ab Epiſcopo diſpenſari: ex dictis juribus. Omnes recenſitas pœnas incurrunt illi, qui auctoritate propria permutant beneficia; quia in jure cenſentur vere Simoniaci beneficiales; & eſt communis. Omnes dictas pœnas item incurrunt ſimoniace obtinentes Prælaturas Regularium juriſdictionem ſpiritualem habentes: ita ex dictis juribus Martini V. & Pauli II.

* Dubio procul qui dat ſimoniace Beneficium, præſentando, eligendo, poſtulando, conferendo &c. ipſo facto excommunicationem incurrit, a qua pœna nonniſi a S. Pontifice, præter quam in mortis articulo, poteſt abſolvi. Idemque dicendum de mediatoribus, ac de iis, qui Beneficium hac arte comparaverunt.

At aliud ſentiendum eſt de penſione: unde qui eam dant, aut accipiunt ſimoniace, licet graviter delinquant contra Religionem, huic tamen cenſuræ minime obnoxii ſunt, quia penſio non eſt Beneficium, & pœnæ non ſunt ultra caſus in jure expreſſos extendendæ. Idem aſſerendum eſt de Vicaria temporali, quia nec ipſa Beneficium eſt proprie dictum. Peccat

tamen qui pretio conſtituit Vicarium, quamdiu contractum non reſcindit. Sic Petrus Collet *Inſtit. Theolog. tom. 2. tract. de Simon. part 2. ſect. 4. cap. 4. art. 2.*

Pœnæ Simoniæ Confidentialis.

IV. Pœnæ Simoniæ Confidentialis, quam loc. cit. explicuimus num. 23., ſunt Excommunicatio Papæ reſervata, quam ipſo facto incurrunt contrahentes, ſi ſint inferiores Epiſcopis; nam hi incurrunt ſolum interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. Præterea privatio beneficii obtenti per confidentiam; quia ejus collatio irrita & nulla eſt; & hoc abſque ulla judicis declaratione: Item inhabilitas ad obtinenda illud, & alia beneficia: Item privatio beneficiorum antea legitime poſſeſſorum, necnon penſionum juſte obtentarum; tamen poſt ſententiam judicis declaratoriam; cum hujuſmodi antea legitime poſſiderentur. Item beneficia per hanc Simoniam collata non poſſunt reſignari in manu Epiſcopi, neque ab eo conferri, ſed remanent reſervata Pontifici; & fructus beneficiorum, per hanc Simoniam acquiſitorum, necnon penſionum per eamdem conſecutarum, reſervantur Cameræ Apoſtolicæ: ita ex Bullis 84., & 85. & Pii V.: Quas omnes pœnas incurrit, etiam qui ſine ulla intentione ſimoniaca beneficium recepit, ſi tamen noverit intentionem confidentialem dimittentis beneficium; ex eiſdem Bullis. Ad eas autem pœnas incurrendas ſufficit, ut beneficium ſit datum, & receptum, quin requiratur, quod recipiens promiſſionem ſuam impleverit; quod ſpeciale eſt contra hanc Simoniam, utpote pernicioſiorem, & frequentiorem. Obſervandum tandem circa iſtam Simoniam, quod ſoli recipientes beneficium privantur beneficiis, & penſionibus ante legitime obtentis; non autem reſignantes, aut ad id operam præſtantes: ita ex laudatis Bullis.

Pœnæ contra ſimoniam in collatione Ordinum.

V. Pœnæ Simoniæ in collatione Ordinum, ſunt excommunicatio Pontifici reſervata, quam ipſo facto incurrunt Ordinatus, & Ordinans: ita ex laudata Extravaganti Pauli II. Et hanc excommunicationem multi extendunt etiam ad primam Tonſuram, quia confertur ſtatus Clericalis, ut dicitur Cap. II. de ætate præficiendorum: Præterea ſuſpenſio ipſo facto in Ordinato nedum ab ordine ſimoniace ſuſcepto; ſed ab omnibus aliis, quamvis legitime ſuſceptis: ita in laudata Extravag.: in Ordinante autem, eſt ſuſpenſio ipſo facto per triennium a collatione omnium Ordinum: ita ex cap. 45. de Simonia, & ex Bulla Sixti V., quæ incipit *Sanctum*; remanet ſuſpenſus etiam a collatione Tonſuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium, & interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ; quæ Bulla dicitur in multis locis non uſu recepta. Obſervandum, quod qui omnino ignarus, ſimoniace ordinatus fuit, cum id noverit, debet petere diſpenſationem exercendi ordinem receptum. Ita plerique.

Pœnæ pro ſimoniaco ingreſſu Religionis.

VI. Pœnæ inflictæ pro ſimoniaco ingreſſu, aut ſimoniaca profeſſione Religionis, ſunt excommunicatio, quæ ipſo facto incurritur, & Pontifici reſervatur, a perſonis ſingularibus, quæ dant, & recipiunt temporalia. Item ſuſpenſio ipſo facto ab officiis capitularibus, & hæc fertur in totum Conventum, ſi tamen conſenſum præſtiterit; & etiam hæc Papæ reſervatur: ita in extravaganti *Sancti* de Simonia. Qui autem ſimoniace ſcienter profitetur, debet in pœnam in arctius monaſterium detrudi: ita ex cap. 25. de Simon.

Pœnæ contra ſimoniacam gratiarum Pontificiarum impetrationem.

VII. Dantes, aut accipientes, aut promittentes aliquid pro obtinenda aliqua juſtitia, aut gratia apud Apoſtolicam ſedem, incurrunt ipſo facto excommunicationem reſervatam Pontifici. Item juſtitia, aut gratia obtenta eſt nulla, quamvis nondum completa fuerit promiſſio: ita in Etravag. de ſent. excom. in 6., id etiam fuit innovatum a Gregorio XIII. per Bullam 24.

§. XIV. *De Reſtitutione facienda ob Simoniæ delictum.*

Reſtituendi omnes fructus accepti ob ſimoniacam proviſionem.

I. Omnes proventus, & fructus Beneficiorum, Officiorum, Dignitatum, Miniſteriorum, ſimoniace receptorum, ante ſententiam judicis, reſtituendi ſunt: ita ex pluribus locis juris Can. & præcipue ex ſupra laudata Conſtit. Martini V. in Concil. Conſtant. ſeſſ. 43. in qua redditur ratio, *Quia retinent non ſua, ſed aliena*. Quæ reſtitutio nedum obligat jure Eccleſiaſtico, ſed juxta plures Theologos jure naturali.

Quinam alii ad reſtitutionem teneantur?

II. Hinc ad reſtitutionem tenetur etiam ille, qui ſciens Simoniam tertii in procurando ſibi beneficio, quamvis contradixerit, illud tamen acceptavit. Quia illud acceptando cooperatus eſt Simoniæ in collatione ſui beneficii perpetratæ, eamdemque conſummavit. Idem-

que

que dicendum eſt, ſi pecuniam ab aliquo promiſſam ipſe ſolverit, vel ab alio ſolutam ipſe reddiderit, quamvis forte contradixerit, aut ante ignoraverit: ita ex c. *Si tuis* 33. Quia id agendo, jam manifeſtat ſe aſſentiri Simoniæ ab alio patratæ, illamque voluntarie conſummare. Si autem Simonia perpetrata fuerit ab alio, ſe inſcio; atque ſi dumtaxat ſuſpicetur de Simoniaco pacto, & expreſſe contradicat, & proteſtetur, ſe nullo modo recepturum beneficium, ſi id ſibi conſtaret; videtur ex cap. 27. & 32. de Simonia, non ſubire onus reſtitutionis; ad differentiam illius, qui, ut paulo ante diximus, ſciens interveniſſe Simoniam, contradicit, & nihilominus acceptat. Qui igitur penitus ignoravit Simoniam ab aliis patratam circa beneficium ſibi procuratum, & in hac ignorantia perſeveravit per triennium, poteſt beneficium retinere. Quæ opinio videtur eſſe communior cum Cabaſſutio. Si autem ante triennium Simoniam animadvertat, tenetur ſtatim ſimpliciter reſignare beneficium, & fructus ab eo perceptos exiſtentes reſtituere, non tamen alios, quos ut bonæ fidei poſſeſſor conſumpſit. Hæc docuit etiam S. Thomas 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3. *Si vero, eo neſciente, nec volente, per alios alicujus promotio Simoniace procuretur, caret quidem ordinis executione (ſaltem ſi ante Simoniam id noverit) & tenetur reſignare beneficium, quod eſt conſecutum cum fructibus extantibus, non autem tenetur reſtituere fructus conſumptos, quia bona fide poſſidet; niſi forte inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret pro alicujus promotione*, (procurando, illam data opera vitiare, ad ipſum inhabilem reddendum) *vel niſi ipſe expreſſe contradixerit; tunc enim non tenetur ad renunciandum, niſi forte poſtmodum pacto conſenſerit, ſolvendo, quod promiſſum fuit.*

Quænam Conventionalis ſufficiat ad obligationem reſtituendi? III. Ad incurrendam obligationem reſtituendi, ſufficit Simonia Conventionalis mixta explicata §. 8. num. 3., ſeu Semirealis, nempe quod datum fuerit ſpirituale, quamvis pretium neque ex parte fuerit ſolutum; ſed dumtaxat promiſſum. Quia etiam in hoc caſu promiſſio eſt Simoniaca, ut patet ex laudatis Martino V., & Paulo II., & ex canone *Ea quæ* 1. q. 3. Neque objicies, quod ad incurrendam excommunicationem, ut diximus in §. 13. n. 2. requiratur ſaltem aliqua pars pretii ſoluta; quia ad cenſuram requiritur actus conventionalis, ſaltem inchoative conſummatus, qua conſummatio habetur ſaltem per erogationem partis pretii: ad obligationem autem reſtitutionis ſufficit, quod verificetur proviſio Simoniaca, & proinde nulla, & irrita.

Quid reſtituendum pro ſimonia rerum ſacrarum? IV. In Simonia commiſſa per emptionem rerum ſacrarum, puta Reliquiarum, eſt obligatio reſtituendi Reliquias ob nullitatem contractus circa rem invendibilem; & pretium reſtituatur ei, qui illud ſolvit. Quando autem res venditur pluris, quia ſacra, puta, fundus ob jus Patronatus adnexum, Calix, quia conſecratus &c.; dicunt plures contractum, quamvis ſimoniacum, non eſſe nullum, eo quod principale, quod eſt temporale, ſit vendibile; & juxta regulam juris, utile per inutile non vitietur: præcipue quando inutile eſt acceſſorium: unde ſufficit reſtituere exceſſum illum.

Simonia pure mentalis non obligat ad reſtitutionem. V. Simonia pure mentalis non affert obligationem reſtituendi, ita expreſſe in cap. 46. de Simon. ubi Gregorius IX. dicit: *eos pro Simonia hujuſmodi non teneri*, quamvis ſacrilege peccent: & ita docet communis poſt S. Thomam loc. cit. a. 6. ad 6. *Quoad pœnam Eccleſiaſticam exteriorem non punitur ut Simoniacus, ut abrenunciare teneatur; ſed debet de mala intentione pœnitere.* Si igitur non tenetur renunciare, valide poſſidet, & facit fructus ſuos. Dixi pure mentalis; quia ſi quovis modo, etiam tacito, & implicito, fuiſſet exterius patefacta, & invalidam reddit poſſeſſionem, & ad fructus reſtituendos conſtringit, ut ſupra dictum fuit.

Cui reſtituendi ſint fructus ſimoniace percepti? VI. Ex communi, proventus ſimoniace accepti in materia beneficiali ſunt reſtituendi, non danti, ſed Eccleſiæ, in qua eſt beneficium; vel pauperibus illius loci, nulla expectata Judicis ſententia, ut pluries dictum fuit; ita ex Cap. II. de Simon..... Simoniace autem accepta extra materiam beneficialem, ſunt reſtituenda illi, qui dedit, cum jure naturali res data ad dominium redire debeat, niſi forte per legem, & in pœnam privetur eadem: hæc autem lex non invenitur, niſi in materia beneficiali, & proinde in c. 19. de Simonia jubetur, ut pecunia illi reſtituatur, qui illam erogaverat propter Religionis ingreſſum.

Et his finem imponimus Tractatui de primo Decalogi Præcepto; cuncta hactenus ſcripta, & in poſterum ſcribenda, Sapientiorum emendationi libentiſſime offerentes.

TRACTATUS V.
DE
SPECTANTIBUS
AD SECUNDUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

CAPUT UNICUM.

De Juramento.

§. I. *De Natura, & Diviſione Juramenti: nec non de veritate ad juramentum aſſertorium requiſita.*

Notio juramenti, ejuſque conditiones, ut licitum ſit.

JUrare juxta S. Thomam 2.2. q.89.a.1. *eſt aſſumere Deum in teſtem, quia quaſi pro jure introductum eſt, ut quod ſub invocatione divini teſtimonii dicitur, pro vero habeatur.* Unde juramentum, ut & ſuperius aſſeruimus, eſt aſſumptio Dei in teſtem ad aliquid confirmandum. In art. autem tertio declarat idem S.D. conditiones ad illud requiſitas, quæ ex Jeremiæ 4. ſunt, Veritas, Judicium, & Juſtitia. *Ad bonum uſum juramenti duo requiruntur, primo quidem, quod aliquis non leviter, ſed ex neceſſaria cauſa, & diſcrete juret, & quantum ad hoc, requiritur Judicium, ſcilicet diſcretionis, ex parte jurantis. Secundo, quantum ad id, quod juramento confirmatur, ut ſcilicet neque ſit falſum, neque ſit aliquid illicitum; & quantum ad hoc requiritur Veritas, per quam aliquis Juramento confirmat, quod verum eſt, & Juſtitia per quam confirmat quod licitum eſt. Judicio autem caret juramentum incautum: veritate autem juramentum mendax: Juſtitia autem Juramentum iniquum, ſeu illicitum.* De quibus conditionibus paulo inferius ſingulatim.

Diviſiones juramenti.

II. Dividitur primo juramentum in Explicitum, & Implicitum: illud eſt explicita invocatio Dei in teſtem, puta per Deum: illud eſt invocare Deum, aut in illis creaturis, in quibus ſpeciali modo effulget Divina Majeſtas, puta per Evangelia, per Crucem, per Fidem Chriſtianam, per Sanctos, per Animam &c., vel invocando quamcumque creaturam, ut eſt creatura Dei, puta per hoc vinum Dei, per hunc panem Dei &c. Dividitur ſecundo in Simplex, & Solemne: illud fit abſque ulla ſolemnitate; illud vero cum quibuſdam ſolemnitatibus, puta coram Notario, & teſtibus tangendo Evangelia &c. Dividitur tertio in Conteſtativum, & Execrativum: de iſtis ita loquitur S.D. loc. cit. ad 3. *Deus manifeſtat an verum ſit, quod dicitur dupliciter; uno modo ſimpliciter revelando veritatem, ... alio modo per pœnam mentientis; & tunc eſt ſimul judex, & teſtis, ... & ideo duplex eſt jurandi modus. Unus quidem per ſimplicem Dei conteſtationem, ut cum quis dicit: eſt mihi Deus teſtis, vel per Deum: alius modus jurandi per Execrationem, dum ſcilicet aliquis ſe, vel aliquid ad ſe pertinens ad pœnam obligat, niſi ſit verum, quod dicit*, puta dicendo: Deus mihi vitam tollat, poſſit quam primum Pater meus mori, ſic Deus me adjuvet &c., niſi verum ſit quod dico. Dividitur tandem in Aſſertorium, & Promiſſorium: de quibus ita loquitur S.D. loc. cit.: *Divinum teſtimonium quandoque inducitur ad aſſerendum præſentia, vel præterita, & hoc dicitur juramentum Aſſertorium; quandoque autem inducitur ad confirmandum aliquod futurum, & hoc dicitur juramentum Promiſſorium.* Primum itaque eſt de re præſente, vel præterita; ſecundum de faciendo aliquid in futurum; & hoc ſubdividi poteſt in Abſolutum, & Conditionatum. Abſolutum fit abſque ulla appoſita conditione, puta juro me cras tibi ſoluturum pecuniam: Conditionatum afficitur conditione aliqua: puta juro me ſoluturum, ſi & ego exegero ſolutionem debiti mei.

Monitum Confeſſarii.

III. Caveat Confeſſarius, ne nimis præceps ſit, ad accenſendas inter juramenta quaſdam jurandi formulas, quas incertum eſt an ſint juramenta; in hujuſmodi enim ſtandum eſt intentioni proferentis illas; cum autem certum ſit, quod ſi quis movendo digitum, jurare intendat, juramentum fiat; ita quoque, ſi in dictis formulis incertis, dubiis, contentioſis, obſcuris ipſe revera nunquam jurare intendat, nec vera emittere juramenta; erunt quidem dicendi modi juxta patriæ ſuæ morem, ſed non juramenta. Hoc tamen monito, non idcirco ſuſtinere intendo, quod a nullis male aſſeritur, nempe quod in his noſtris Regionibus frequentiſſima illa formula dicendi *per Deum* feci, *per Deum* hoc, *per Deum*

Deum illud, non ſit juramentum, ſed modus quidam loquendi, ſicuti fertur uſurpari in quibuſdam Regni Siciliæ locis, in quibus non dicitur modo jurativo, ſed modo aut admirativo, aut invocativo, ſicut inter nos fieri ſolet in admirationibus, in invocationibus, & ſæpe etiam in impatientiæ motibus, de venerandis nominibus Jeſu, & Mariæ, quæ proferuntur admirando, invocando, aut in impatientiam erumpendo, & non jurando: At circa formulam *per Deum*, id apud nos non eſt verum, ita uſurpari formulam illam; etenim ex ſermonis textura, & ex modo proferendi, ſemper apud nos uſurpatur jurative, quamvis habitualiter, & cum maximo animæ detrimento; quia dum profertur hoc modo, nil attendendo, an quę dicuntur vera ſint, aut falſa, ſed ex prava conſuetudine, toties, quoties eſt perjurium mortale; nam tali modo proferre conſtituit proferentem practice paratum ad proferendum tam cum veritate, quam cum falſitate: & ego poſt quadraginta circiter annos, ex quo Confeſſarii munere immerito fungor, nunquam inveni, quod præfata formula *per Deum* proferatur, niſi in ſenſu jurativo, ideſt aut conteſtandi præſentia, vel præterita, aut ſpondendi futura: proinde mere arbitraria eſt hæc ſuaſio, quod in noſtris regionibus ſit merus dicendi modus, & non juramentum, præfata formula; ex qua Confeſſariorum ficta ſuaſione oritur, quod aut nullam, aut modicam rationem habeant in redarguendis pœnitentibus, qui in eadem formula proferenda aſſidue verſantur, & lachrymabilem habitum contrahunt ad ſingulas periodos proferendi *per Deum* ita, *per Deum* non, cum gravi Divinæ Majeſtatis irreverentia. Et hinc profluit, quod in omnibus pene vicis, plateis, & angulis tremendum Dei nomen juretur, & pejeretur abſque ulla formidine; exemplo etiam ſæpe populis dato ab Eccleſiaſticis ipſis, quorum plures audiuntur *per Deum* valde frequenter, & abſque ulla neceſſitate, proferre.

Veritas in juramento aſſertorio eſt indiſpenſabilis.

IV. Certum eſt apud omnes, quod defectus veritatis in juramento aſſertorio ſemper ſit lethalis; ita ut in eo non detur parvitas materię; quia vocare Deum in teſtem minimæ etiam falſitatis, gravem ſemper injuriam eidem irrogat. Hinc Innoc. XI. reprobavit theſim 24., in qua dicebatur: *vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.* Certum pariter eſt apud omnes, jurantem in dubio de veritate ſui dicti, mortaliter peccare ob periculum, cui ſe exponit, vocandi Deum in teſtem falſitatis. Debet igitur jurans eſſe prudenter, & moraliter certus, ſe verum dicere. Similiter certum eſt, lethaliter peccare, qui verum jurat, ſi putet ſe falſum jurare: eo quod formaliter juret falſum, & velit vocare Deum in teſtem falſitatis. Item lethaliter peccat, qui verum jurat, & putat eſſe tale, ſed dumtaxat ductus levibus conjecturis; quia exponit ſe periculo jurandi falſum; leves enim conjecturæ non ſunt ſufficiens fundamentum certitudinis moralis ad juramentum requiſitæ.

Propoſitiones in hac materia damnatæ.

V. Notandæ ſunt circa hoc punctum nonnullæ theſes reprobatæ ab eodem Innoc. XI. nempe 26. in qua dicebatur: *Si quis vel ſolus, vel cum aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid, quod non fecit, vel aliam rem ab ea, quam fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus*. Item theſis 27. in qua dicebatur: *Cauſa utendi his amphybologiis eſt, quoties id neceſſarium eſt, aut utile ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.* Item 28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.*

Deductio inferenda contra reſtrictionem mentalem.

Ex quibus damnatis doctrinis deducitur primo, nunquam licitum eſſe uti reſtrictione pure mentali; multoque minus ſub ea jurare; quia eſt vere mendacium; & juramentum illi additum eſt verum perjurium. Reſtrictio autem pure mentalis tunc committitur; quando verba ſecundum ſe accepta, ſecluſis quibuſvis aliis circumſtantiis, ſignificat falſum, & aliter quam proferens habeat in mente; quamvis conjunctum cum eo, quod proferens mente retinet, habeat ſenſum verum: puta ſi interrogatus, an talem rem habeat, quam revera habet domi, reſpondeat, ſe non habere, intelligens mente ſua in ſua crumena, & his ſimilia; manifeſte enim patet hæc eſſe mendacia, & abuſum enormem verborum, commercio civili pernicioſiſſimum, atque in-

innumeris fraudibus voraginem pandentem.

Reſtrictiones licitæ, & reales. VI. Inferunt autem plures Auctores, ſcribentes poſt reprobationem relatarum theſium, non perinde reprobari reſtrictionem, quæ non ſit pure mentalis, ſed quæ eſt realis externa ab æquivocatione immunis, quæ evenit, quando verba unum quidem ex ſe ſignificatum habent, ſed ex circumſtantiis in quibus proferuntur, & cum quibus conſignificant, aliud vere ſignificare poſſunt: ita Chriſtus Jo.7.dixit Apoſtolis: *Ego non aſcendam ad diem feſtum hunc;* cum alioquin aſcenderit; quia circumſtantiæ locutionis tunc conſignificabant, ſe loqui de aſcenſu publico, & non de occulto; & ideo Joannes ſubjunxit, Chriſtum aſcendiſſe *in occulto*. Ad hanc reſtrictionem realem ex circumſtantiis, reducitur illa, ſcientiæ communicabilis, & incommunicabilis, quæ præcipue fundatur in eo, quod perſona loquens gerat munus plurium perſonarum. Ita Chriſtus Marci 13., docens Diſcipulos, & loquens de Judicii die, dixit: *De die illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neque Filius:* & tamen quis dixerit, ipſum neſciviſſe? qui tamen proculdubio mentitus fuerit; quia cum gereret perſonas & Doctoris fidelium, & Redemptoris omnium: ſub primo munere id ignorabat; quod ipſum ut Redemptorem & ſupremum omnium Dominum non latebat. Ita Confeſſarius, ſi ab aliquo impio, etiam comminante, interrogetur, an filius, uxor &c. de tali crimine confeſſi fuerint, vere reſpondere debet, ſe nihil omnino de illo crimine ſcire; quia cum illud noverit in perſona Chriſti; interrogan.i reſpondet in illa temporis circumſtantia, quæ ipſum compellit loqui non in perſona Chriſti, ſed ut privata perſona, quæ revera de tali crimine nihil omnino ſcit; eo quia tunc reſpondeat juxta notitiam naturali, & non Sacramentali modo acquiſitam, ſecundum quam revera nihil ſcit: & ſi impius ille comminator reponeret; reſpondeas mihi ut Confeſſarius: ille adhuc vere diceret reſpondeo ut Confeſſarius, quod nihil ſcio; quia Confeſſarius, extra actum Sacramentalem, non ſcit, niſi ut cæteri homines: & ſi impius minaretur mortem, niſi juret, poſſet jurare, ſe nihil ſcire; quia ſemper extra actum Sacramenti vere nihil ſcit de eo crimine, ſicut & cæteri homines, & verum juraret; aliter, ſi jurare reluctaretur, ſuſpicionem augeret impio comminanti, neque ulla extaret via tuendi ſecretum graviſſimum contra impios comminatores.

Confeſſarius interrogatus de auditis in confeſſione abſolute, ut cæteri homines interpellantur, abſque ulla mendacii umbra reſpondere poteſt ſe neſcire; atque etiam ſine ullo perjurii metu valet juramento reſponſionem ſuam, ſi opus ſit, confirmare ſive extra judicium, ſive etiam in judicio interrogetur. Ratio evidens eſt. Quia, cum Sacerdos, ſeu confeſſarius duplici perſonæ fungatur, hoc eſt hominis ſimpliciter, & Dei vicem in confeſſione gerentis, ſi abſolute interrogetur eo modo, quo alii homines interpellantur compertum eſt, eum interrogari ſimpliciter ut hominem: at ipſe ſimpliciter ut homo reapſe nihil ſcit; ergo vere reſpondet ſe neſcire, neque ita reſpondendo mentitur. Hoc ſane unanimi conſenſu docent Theologi omnes cum D. Th. *in Suppl. q.11. a.1. ad 3. Dicendum*, inquit S.D., *quod homo non adducitur in teſtimonium, niſi ut homo: & ideo ſine læſione conſcientiæ poteſt jurare ſe neſcire quod ſcit tantum ut Deus*. Num autem Confeſſarius dum non abſolute & ſimpliciter ut homo, ſed ut confeſſarius interrogatur, & verſutus, ac ſceleſtiſſimus interrogator petit, ut pandat ea quæ ſcit ut confeſſarius, queat licite eamdem reſponſionem dare, & etiam in hoc caſu affirmare ſe neſcire, magna eſt inter Theologos diſceptatio. Partem ajentem tuentur plures, quibus & Auctor ſubſcripſit. Negantem alii Doctores propugnant, hac ducti ratione. Quippe dum confeſſarius ſacrilege interrogatus ut confeſſarius, reſpondet ſe neſcire, vel negat ſe audiviſſe delictum quod revera audivit; apertiſſime mentitur; etenim confeſſarius, ut talis, ſcit rem ita eſſe, ideſt crimen fuiſſe commiſſum. Nec hic locum habere poteſt, ſubdunt, diſtinctio duplicis perſonæ, ſcilicet hominis ſimpliciter, & Dei vicem in confeſſione gerentis, cum improbus ac flagitioſus interrogator ad notitiam habitam in confeſſione, ſeu ad Confeſſarium, ut Miniſtrum Dei ſuam limitet, atque coarctet interrogationem. Quomodo ergo in tali caſu ſacramentale ſigillum cuſtodiendum? In tali caſu, inquiunt, confeſſarius intrepide reſpondere debet interrogationem eſſe impiam, ſacrilegam, atque diabolicam; & hiſce, ſimilibuſve verbis apoſtolico pectore, invictaque fortitudine ſceleratiſſimum interrogatorem repellere: *Sacrilega eſt interrogatio tua, & ſacrilega foret reſponſio mea,*

ſive

Digitized by Google

ſive adfirmarem, ſive negarem, ſive quidpiam reſponderem. Abſtine ergo ab ea interrogatione, quam tu ſine graviſſimo ſcelere facere non vales, & cui ego abſque ſacramentali profanatione reſpondere nequeo. His, ajunt, ſimilibusve verbis impii, atque ſacrilegi interrogatoris os obſtruere debet Confeſſarius, eodemque modo ſe gerere ſive audierit, ſive non audierit in confeſſione crimen, de quo interpellatur. Hæc ratio cuſtodiendi ſigilli ſacramentalis, dum confeſſarius ſacrilegis hujuſmodi interrogationibus urgetur, juxta ipſos non ſecurior modo eſt, & ſacramenti ſanctitati, & miniſterii dignitati magis conſentanea, verum etiam plane neceſſaria. Dicunt conſulto quod eodem modo ſe gerere debet Confeſſarius, ſive audierit, ſive non audierit in confeſſione crimen, de quo interpellatur; quia primum de innocente doloſe interrogatus, ſtatim de nocente ſuſpecto poſſet interrogari, reſponſique incertus proderet vel hæſitando, quem ne minimum quidem prodere debet. Lege Dominicum Soto *Lib. de teg. ſec. memb.* 3. *q.* 3. *concl.* 4. *Dub.* 2. *pag.* 143. P. Danielem Concina *Tom.* 4. *Lib.* 5. *in Decalog. Diſſert.* 4. *cap.* 2. & Angelum Franzoja *Animadv.* 4. *ſuper cap.* 3. *Lib.* 6. *Tract.* 4.

An verbis æquivocis uti ſit licitum?

VII. Verbis æquivocis uti, paſſim, & ad arbitrium illa uſurpando in ſenſu minus obvio, eſt illicitum, utpote humano ac ſociali commercio valde perniciosum: nihilominus multi putant, in caſu urgentiſſimo, in quo agatur de impediendo graviſſimo malo proprio, aut proximi, non eſſe illicitum uti verbo revera habente plura ſignificata, & uſurpando illud juxta ſignificatum minus uſitatum, non animo, aut intentione decipiendi, quod nunquam licet, ſed dumtaxat permittendi deceptionem etiam prævisam alterius ad damnum illud grave evitandum; & quod alioquin injuſta infertur. Afferunt exemplum illud ſolemne: v. g. occidiſti hominem natione Gallum; occurrit tibi inermi furens homo, ſtricto gladio, qui vult auferre vitam occiſori; te interrogat an Gallum illum occideris? tu reſpondes: non occidi Gallum, intelligens Gallinaceum, & permittendo deceptionem illius, ut vitam tuam tuearis, non audent condemnare te mendacii: monent tamen communius, abſtinendum a juramento: monent item, iis æquivocationibus nunquam utendum in judicio, judice legitime interrogante, etiam cum vitæ diſcrimine. Qui plura videre deſiderat ſubtiliſſime diſcuſſa, legat perdoctum, & acutum P. Cardenas in ſua Criſi Theologica diſsert. 19.

§. II. *De Judicio ad licite jurandum requiſito.*

Jurare ex conſuetudine directe opponitur judicio ad jurandum requiſito.

I. CUm jurare in judicio ſit *jurare ex neceſſaria cauſa & diſcrete*, ut audivimus ex S. Doctore; propterea peccat mortaliter, qui jurat ſine conſideratione ad veritatem ſui dicti, ſicut plerumque faciunt, qui jurant ex conſuetudine, ut paulo ante dicebamus, & iſti toties quoties mortaliter peccant, quamvis forte aliquando verum jurent; quia verſantur in proximo, continuo, & volito periculo pejerandi: cum enim conſuetudinem extirpandi nullum ſtudium adhibeant, implicite volunt in damnabili conſuetudine perſeverare, quæ ex frequentatis actibus magis radicatur, & difficilius extirpabilis evadit. Qui igitur hujuſmodi exitiali peccato laborat, retractet, & deteſtetur ſerio talem conſuetudinem per ſinceros pœnitentiæ actus; firmiter ſtatuat, Divina opitulante gratia, ab ipſo ſæpe invocanda, non amplius deliberate jurare; & tandem ſtudium, & ſedulam attentionem adhibeat, abſtinendi a quovis juramento: & dum hoc modo ſe gerit, etiamſi inadvertenter labatur in juramenta, id non imputabitur ad crimen; quippe quod lapſus proveniat ex conſuetudine jam retractata, & ſtudioſa attentione ſe emendandi eradicanda: quod, naturaliter loquendo, nonniſi poſt debitum tempus evenire poteſt: ſicut enim per frequentiam actuum jurandi genita fuit, & adolevit; ita nonniſi frequentia invocationis divini auxilii, & ſedulæ reflexionis eſt extirpanda. Neque credas hujuſmodi conſuetudinariis tibi reſpondentibus, dum redarguuntur, quod ſemper verum jurent; tum quia id ſit moraliter impoſſibile, quod homo jam aliis mortalibus gravatus, & rarus ad Sacramenta ſuſcipienda, quales ſolent eſſe hujuſmodi, & ad ſingula pene verba jurans, etiam centies, & ducenties in die, ſemper attendat an verum dicat; id, iterum dico, eſt moraliter impoſſibile: nam, ex terminis nil curat conſuetudinem extirpare, & alioquin Deum non timet, cum aliis mortalibus ſit obnoxius; cogita itaque ſi attentio adeo continua, & ſtudioſa prudenter præſup-

poni

Digitized by Google

poni poſſit in homine Dei inimico, divinaque gratia deſtituto?

Nimia jurandi frequentia de ſe eſt lethalis ex defectu judicii.

II. Nihilominus, dato hoc moraliter impoſſibili, quod ſemper verum juret; adhuc hujuſmodi conſuetudinarii, ad ſingulas pene aſſertiones juramenta addentes peccant mortaliter ex alio capite, ad judicium in jurando ſpectante, nempe ob gravem irreverentiam Divinæ Majeſtati irrogatam, quæ ſapit contemptum implicitum religionis: ita Doctiſſimi Petrus de Soto in differt. de abuſu juramenti cap. 12. & Sylvius in 2. 2. q. 89. a. 3. n. 2. *Peccant enim bifariam*, ait ille, *& ob irreverentiam divinæ majeſtatis, & quia ſe conjiciunt in manifeſtum periculum tum perjurii, tum contemptus religionis jurisjurandi.* Ratio mihi urgentiſſima hæc eſt: Si quis nomen, aut vitam ſui Principis in juramento ita aſſidue uſurparet, ut centies in die, & amplius ad omnem ſermonem ita erumperet: per Ludovicum regem, per vitam Ludovici regis, & abſque omni reflexione has formulas proferret; putas ne quod Rex id reſciens, diſſimularet adeo enormem nominis ſui abuſum? putas ne quod nedum ab ipſo, ſed a toto Procerum ſenatu juſte reputaretur hujuſmodi frequentia gravis Regiæ Majeſtatis irreverentia? ita ut & vendendo, & emendo, & ludendo, & diſcurrendo, & jocando, & in ſingulis actionibus, omnibuſque temporibus (ut ab his hominibus fit de Dei nomine) nomen Regis reſonaret, & in officina, & in via, & in caupona; putas ne, dico, quod a quovis ſemiprudenti viro non judicaretur iſte loquendi modus Regiæ Majeſtati graviter injurioſus? Cur ergo non ita judicandum erit de illo, qui & in officina, & in plateis, & domi, & in quovis loco profert per Deum, per Chriſtum, per Evangelia, per Crucem Domini, &c., & emendo piſces, & vendendo calceos, & ludendo aleis, & jocando cum ſociis, & quodvis peragendo, de quovis diſcurrendo, ad ſingula pene verba ſimilia profert, ita ut ſingulis horis trigeſies, quadrigeſies, & centies illa proferat? hujuſmodi ſe gerendi tenor, meo videri, non poteſt a prudentia non judicari graviter injurioſus regiæ majeſtati; & talis non erit cenſendus reſpectu Divinæ? ſibi ita ſuadeant, qui voluerint, redditurі ſuo tempore Deo rationem de ſua perſuaſione, an prudens & rationabilis fuerit, & inculpabilis: quemadmodum reddam & ego, an mea oppoſita vera, & æqua fuerit.

Defectus judicii quando venialis.

III. Aliter autem eſt cenſendum de eo, qui non ex damnabili conſuetudine, ſed aliquando, raro tamen; ſine neceſſitate jurat; qui dummodo verum juret, non eſt cenſendus reus peccati mortalis ex defectu judicii, ſed venialis dumtaxat, ut docet communis cum S. Antonino 2. p. tit. 14. cap. 4. *Requiritur judicium, ideſt diſcretio, ut ſcilicet non juretur niſi in caſu neceſſitatis, vel magnæ utilitatis, ... alias jurando leviter, ut communiter fit, etſi verum ſit, & licitum quod juratur, eſt peccatum, non tamen mortale, niſi fieret in contemptum:* qualis apparet in relatis conſuetudinariis.

§. III. *De Juſtitia in Juramento requiſita.*

Defectus juſtitiæ in re gravi eſt mortalis.

I. Cum Juſtitia juramenti in eo conſiſtat, quod juretur, *aliquod licitum*, ut ſuperius dixit S. Thomas; idcirco qui jurat ſe facturum rem graviter malam, peccat mortaliter peccato duplicis ſpeciei, nempe ſpeciei actionis, quam vult facere, & contra religionem, vocando Deum in teſtem rei, quæ eſt gravis ipſius injuria. Si autem juret ſine animo exequendi, quod dicit; mendaciter jurat, & vocat Deum in teſtem falſitatis cum peccato gravi; & hæc ſunt communia. Sicut etiam qui juramento utitur tanquam inſtrumento ad effectum graviter peccaminoſum; puta ad confirmandam detractionem gravem, quamvis veram, tamen occultam; ad ſeducendam mulierem, ut aſſentiatur peccato, vere promittendo, & jurando ſe daturum eidem &c. Ratio patet, ob injuriam gravem Deo irrogatam abuſu ſui Divini nominis, ut medio ad finem eidem gravem offenſam allaturum. Peccantes autem hoc modo contra religionem, ſimul peccant aliis ſpeciebus peccatorum contra juſtitiam, caſtitatem, &c.

Aſſerere cum juramento peccatum verum a jurante factum, non eſt peccatum grave.

II. Aſſerere cum juramento vero peccatum grave tuum, quod aliis narras cum complacentia, aut jactantia, aliqui ſuſtinent, quod ſit gravis abuſus juramenti, ob rationem dudum allatam. Mihi cum aliis negandum videtur, nam juramentum non afficit complacentiam, aut jactantiam tuam graviter malam, ſed veritatem facti, & narrationis tuæ; neque aſſumit ur ut medium ad complacentiam, & jactantiam, ſed ut medium, ut credatur narrationi tuæ; idcirco juramentum non excedet culpam venialem, & quidem ob defectum judicii, non juſtitiæ.

Quodnam peccatum.

III. Juxta communiorem Cajetano adhæ-

Digitized by Google

Sit juramentum de peccato veniali.

hærentem, verbo *perjurium promiſſorium*, juramentum de committenda actione tantum venialiter mala non videtur peccatum lethale, eo quod non videatur gravis injuria divini nominis. Nec valet opponere, quod votum de peccato veniali, ſit mortale; quia differt votum a juramento in eo, quod per votum offertur Deo res, quæ cenſetur ipſi grata; offerre autem eidem peccatum veniale ut gratum, vacare non poteſt a gravi injuria; immo & ab hæreſi, ſi fiat advertenter, & cum judicio ita credente: vocare autem in teſtem peccati venialis, non vocatur teſtis rei ut ſibi gratæ, ſed dumtaxat voluntatis actum illum facere ſtatuentis; quod non videtur gravis injuria. Fateor nihilominus, mentem meam eſſe ambigentem; tum ob rationem modo in objectione allatam, nempe vocandi Deum in teſtem actionis, quæ tandem ipſi diſplicet, & eſt ejus offenſa, quamvis levis, tum etiam vocandi in teſtem actionis, quam jurans agere nec debet, nec tenetur; unde vocatur teſtis actionis, quæ vel non eſt perficienda, vel ſi perficiatur, eſt illius offenſa: fateor, repeto, mihi non apparere, quomodo hic ſe gerendi modus poſſit a notabili tantæ majeſtatis injuria purificari. Ad ſummum excuſandos crederem a gravi culpa illos, qui ſuaſi ab oppoſitis motivis, putant ſe non graviter peccare; ſicut etiam qui abſque reflexione, ex aliquo iræ impetu venialem actionem ſe facturos jurant.

§. IV. *De obligatione Juramenti Promiſſorii.*

Aliquis caſus perjurii promiſſorii.

I. CErtum eſt apud omnes jurantem, ſe aliquid facturum ſine animo illud faciendi, vel prævidentem ſe illud agere non poſſe, vel prudenter timentem, an illud præſtare poterit, eſſe perjurium; quandoquidem deſit juramento veritas de præſenti neceſſaria; in primo namque caſu aperte falſum dicit, cum jurat, ſe animum habere, quem non habet: in ſecundo ſimiliter, quia non poteſt haberi propoſitum efficax, & ſincerum ad id, quod ſibi conſtat moraliter impoſſibile; in tertio denum, quia non poteſt habere certitudinem ſufficientem præſtandi quod jurat; ac proinde deeſt illa certitudo, & veritas de præſenti, quæ neceſſaria eſt etiam juramento promiſſorio. Jurans enim aliquid de futuro duas veritates reſpicit, unam præſentem quoad animum faciendi, quod ſpondet, alteram de futuro, exequendi quod promittit: in adductis caſibus evenit perjurium ob defectum veritatis præſentis.

Deficere in modica parte rei promiſſæ cum juramento, non videtur grave.

II. Certum quoque eſt apud omnes, quod quando res promiſſa cum juramento eſt notabilis, illam voluntarie non exequi, eſt lethale; quia obligatio juramenti promiſſorii de his, quæ ſunt facienda a nobis, cadit ſuper rem, quam aliquis juramento firmavit; tenetur enim, ut faciat verum eſſe id, quod juravit; aliter deeſt veritas juramento; igitur ſaltem quando hæc veritas facienda, & exequenda eſt in re notabili, erit peccatum grave. Dixi ſaltem, quia quando materia eſt levis & modica, diſputatur an ſit peccatum grave, illam totam omittere: dico totam; quia omittere vel modicam partem rei notabilis, vel modiciſſimum rei modicæ; communiter dicunt non eſſe lethale, ſed veniale, eo quod dici nequeat quod deſit veritas juramento, cum poſita fuerit res promiſſa quoad majorem ſui partem, & ſolum deficitur in modico; hæc enim veritas facienda, & exequenda non eſt indiviſibilis, ſicut in aſſertorio, ſed veritas diviſibilis, ſicuti eſt materia ponenda: an autem etiam ſit veniale, ſi materia modica, promiſſa juramento, tota voluntarie omittatur, variant etiam noſtrates: nam Cajetanus & Medina 2. 2. q. 89. ſuper a. 7, quibus etiam extranei Gabriel, Leſſius, Valentia, Toletus, & alii ſubſcribunt, ſuſtinent eſſe lethale: pro contraria, nempe quod ſit veniale, referuntur ex noſtris S. Antoninus, Sylveſter, & Sotus, cum quibus multi extranei, quos inter Navarrus, & Suarez. Si ſtandum ſit menti S. Thomæ, prima opinio eſt eligenda. Nam ſi juxta doctrinam Angelici loc. cit. art. 7. per hoc diſtinguitur, & conſtituitur juramentum promiſſorium ab aſſertorio, *quod obligatio promiſſorii cadat ſuper rem, quam aliquis juramento firmavit: quia tenetur, ut faciat verum id quod juravit, alioquin deeſt veritas juramento*: igitur non eſt verum quod aſſerunt opponentes, nempe quod in juramento promiſſorio non intendatur adducere Deum in teſtem futuræ executionis rei promiſſæ, ſed præſentis intentionis; cum expreſſe dicat Angelicus, quod *Obligatio*, quæ eſt vinculum inductum ob invocationem teſtis *cadit ſuper rem, quam aliquis juramento firmavit*, & non dumtaxat ſuper præſentem animum; quod ſpectat ad promiſſorium, in quantum eſt aſſertorium, & non in quantum contradiſtinguitur ab aſſertorio. Præterea ſubdit, quod, non poſita re promiſſa, *deeſt*

Deficiente tota materia, quamvis modica, eſt grave perjurium.

veri-

veritas juramenti: atqui quando tota res, quamvis modica, non ponitur, deficit tota veritas ab hoc juramento; ergo eſt perjurium grave; intantum enim non eſt perjurium grave, quando poſita majori parte rei promiſſæ, omittitur modica pars; quia, ut vidimus cum communi, ſubſiſtit veritas pro majori parte; (cum ſit veritas iſta diviſibilis, ut notavimus). Igitur dum tota omnino ſubtrahitur materia promiſſa, deeſt totaliter veritas juramento: ergo non poteſt non eſſe perjurium grave; quippe quod remaneat Deus teſtis falſitatis.

Solutio paritatis de voto.

III. Neque valet paritas de voto, cujus ſi omittatur tota materia, quæ ſit modica, juxta a nobis aſſerta de voto §. 4. nu. 2., non eſt mortale; quia ratio voti conſiſtit in mera promiſſione, quę quamvis acceptetur a Deo, & acceptata obliget; ſi tamen res promiſſa ſit modica, nequit inferre obligationem gravem, quia obligatio commenſuratur dumtaxat rei promiſſæ: at in juramento promiſſorio duo inveniuntur, nempe materia promiſſa, & veritas obſervanda, exequendo rem promiſſam: ex parte materiæ promiſſæ, dum eſt modica non habet perjurium promiſſorium gravitatem, niſi tota omittatur; quia dum tota omittitur, perit omnino veritas exequenda a juramento, & relinquitur Deus teſtis falſitatis, quod ſemper eidem affert injuriam gravem.

Juramenta promiſſoria addita contractibus induunt naturam eorumdem contractuum.

IV. Juramentum promiſſorium afficitur eiſdem conditionibus, limitationibus, & extenſionibus tam expreſſis, quam tacitis, quas habent promiſſiones, & contractus, quibus ſuperadditur juramentum, juxta mentem contrahentium: Et proinde eodem modo interpretandum eſt, & explicandum, quo promiſſiones & pacta inita interpretantur. Ita ex cap. 25. de jurejurando. Ratio eſt, quia juramentum non mutat naturam Conventionum, quibus additur, ſed dumtaxat fortius vinculum ſuperaddit Religionis: ita ſi V. G. promiſiſti Titiæ virgini te illam ducturum in uxorem; illa deinde fornicetur, ſicut ſolvitur contractus, ſic & juramentum; ita poſtulante natura talis contractus; & ſic de aliis.

Quando juramentum promiſſorium tranſeat ad hæredes?

V. Juramentum promiſſorium, quamvis quantum ad vinculum Religionis perſonale jurantis non tranſeat ad hæredes, tranſit ad eoſdem quoad vinculum reale: nempe quoad rem promiſſam, & quidem ex juſtitia; ac proinde tenentur hæredes promiſſoris dare illam promiſſario, vel ipſius hæredibus, ſi obierit; cum omnia onera realia promiſſoris defuncti tranſeant ad ejus hæredes, ſicut omnia jura realia rerum defuncto debitarum.

Juramentum ſine promiſſione qualiter obliget quoad obſervantiam quarumdam legum &c.

VI. Jurans ſe aliquid præſtiturum, ſine promiſſione alicui facta, tenetur illud præſtare, ſi licitum ſit, & honeſtum; quia, ut patet, deficeret in veritate exequenda. Hinc infertur, juramenta præſtari ſolita obſervandi ſtatuta, & leges Communitatis, Capituli, Collegii, &c., obligare quidem quoad ea quorum obligatio ſubſiſtit, & ſub eodem gradu obligationis; ſi enim quædam jam ceſſaſſent obligare, aut ob conſuetudinem contrariam jam præſcriptam, vel per manifeſtam abrogationem; ſuper illis non caderet juramentum; quæmadmodum ſi quædam obligarent dumtaxat ſub veniali, tranſgreſſio non excederet culpam venialem, quia juramentum in his caſibus confirmat obligationem, & gradum ejuſdem, prout illam invenit. Excipe ſolum caſum, in quo omitteretur tota materia juramenti, quia tametſi in ſe levis, tranſgreſſio evaderet gravis ex defectu totius veritatis promiſſæ, ut diximus n. 2.

§. V. *De Juramento ficto, & vi extorto.*

Qualis culpa jurare ficte?

I. INnoc. XI. hanc theſim damnavit nu. 25. *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.* Proinde in primis certum eſt apud omnes, quod jurans ficte, ideſt ſine animo jurandi, peccet, tum ex definitione S. Sedis, tum quia mendacium profert, ſignificando animum, quem non habet; tum denique, quia everteretur commercium humanum, in quo juramenta adhibentur ad firmanda immobiliter pacta: proinde, niſi eſſet certo illicitum jurare ſine animo, ſemper nutarent homines, an pactum juratum eſſet immobiliter firmatum per juramentum emiſſum. Secundum certum eſt apud omnes, quod jurare exterius falſum, ſine animo jurandi, in re gravi eſt lethale; ob gravem injuriam illatam Divino nomini invocato, quamvis exterius tantum, in teſtem falſitatis; immo etiamſi materia ſit levis, quia ſequitur eadem gravis injuria Divino nomini, ut patet. Hæc ſunt certa. Sed an ſit culpa gravis jurare ſine animo jurandi in re, qua ſit vera, controvertitur. Ac communius, & meo judicio probabilius

do-

Digitized by Google

docetur contra Cajetanum loco cit. quod non ſit culpa gravis, quia committitur purum mendacium, nempe fingendo jurare ore, cum non ſit animus jurandi; proinde neque Deo, neque proximo gravis injuria reſultat; non Deo, qui invocatur exterius tantum ad teſtandam veritatem, & quamvis invocetur ſine animo, non eſt gravis irreverentia: ſi enim non eſt gravis irreverentia illum vocare in teſtem ſine neceſſitate: & cum ſolo defectu judicii, dummodo adſint veritas, & juſtitia, ut diximus in §. 2. n. 3. multo minus cenſenda erit mortalis irreverentia mere invocare ſine animo. Quod autem neque homini fiat injuria gravis, ex eo patet, quia præſupponitur emitti juramentum tale extra omnem contractum, aut judicium publicum, aut omnem caſum alicujus ponderis: unde igitur erit peccatum grave?

Juramentum ſine animo ſe obligandi, nec implendi quale ſit? II. Juramentum emiſſum cum animo quidem jurandi, ſed non ſe obligandi, neque implendi, eſt verum juramentum, & obligatorium; quia eo ipſo quod quis voluerit verum emittere juramentum, voluit id quod eſt eidem eſſentialiter conjunctum, nempe vim obligandi, & obligationem implendi; quæ duo non poteſt jurans ſuſpendere, poſito quod voluerit revera jurare: Qui autem hæc facit, graviter peccat, & perjurium committit.

Juramentum injurioſe extortum ad quid obliget? III. Juramentum injurioſe extortum, quando non eſt de re illicita, obligat, quamvis nullum jus acquirat ille, qui illud extorſit, aut pro quo extortum fuit; & ideo, qui juravit, poteſt & petere ab Epiſcopo relaxationem juramenti, & a judice reſtitutionem datorum; & hoc facere poteſt, etiamſi juraſſet, ſe neutrum petere; quia hoc juramentum non tenet, quippe quod ſit contra bonum commune, quod poſtulat, ut injurioſe extorta, poſſint via juridica repeti. Hæc omnia docuit S. Th. l. c. a. 7. ad 3. *In juramento, quod quis coactus fecit, duplex eſt obligatio: una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit; & talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur: alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promiſit, & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ, quia magis debet malum temporale ſuſtinere, quam juramentum violare. Poteſt tamen repetere in judicio, quod ſolvit, vel Prælato denunciare; non obſtante quod contrarium juravit; quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum; eſſet enim contra juſtitiam publicam.* Ex his deducitur primo, quod qui promiſit latroni, ob metum gravem injuſte incuſſum cum juramento, ſe daturum pecuniam, & ſimul illum non denunciaturum, tenetur pecuniam dare, non ob promiſſum, quod nullum eſt, ſed ob reverentiam divini nominis invocati; poterit tamen denunciare illum, ut recuperet data. Secundo deducitur, quod captivus teneatur redire in carcerem, quamvis cum mortis periculo, ſi ſe rediturum juraverit: *quia magis debet malum temporale ſuſtinere, quam juramentum violare.* Et ita docet probabilior Cajetani, Sylveſtri, Soti, Suarez, & aliorum, contra recentiores, qui obſtrepunt, quod redire, eſſet ſe indirecte occidere; id autem negatur; nam redire eſſet tantummodo ſe exponere vitæ periculo, & quidem ob motivum virtutis, nempe Religionis, veracitatis, & fidelitatis ſervandæ. Tertio deducitur, neque reum mortis poſſe licite fugere, ſi juramento ſpoponderit, ſe non fugiturum, ob eadem motiva; quibus additur, quod fuga vergeret in grave damnum cuſtodis, qui alioquin licentiam conceſſit, inductus juramento dato. Ex his inferas denium, multo magis eſſe præſtanda leviora, in reverentiam juramenti. Hæc videntur dura; ſed doctrina S. Thomæ eſt clara, & ratio quam adfert inſolubilis.

Deducuntur ſolutiones aliquorum caſuum.

§. VI. *De Caſibus in quibus juramentum non obſtringit.*

I. Certius eſt quam probatione indigeat, quod juramentum de re contraria legi aut Dei, aut Eccleſiæ, aut Civili, non obligat, quippe quod ſit de re mala. Si tamen lex Civilis aliquid fieri prohiberet in merum favorem privatarum perſonarum, & illæ huic legis beneficio renunciarent, & jurarent contrarium facere, quod non ſit malum, non peccarent, & juramentum teneret; eo quod leges illæ non obligent in conſcientia perſonas illas privilegiatas ad acceptandum privilegium: unde ſi per juramentum advertenter ſe obligent oppoſitum agere, tenebuntur. Do exempla: Jus Civile reſcindit obligationem ſolvendi pecunias perditas in ludo alearum; ſi juramentum fiat ſolvendi, erit obſervandum: ab eodem jure alienatio fundi dotalis ab uxore facta, irritatur; ſi tamen ipſa ſine ulla vi, aut dolo, illam juramento confirmet, valet, & tenet; ita ex cap. *cum*

Quædam obligant addito juramento, quæ ſine illo, a lege irritantur.

Digitized by Google

cum contingat &c. Similiter pactum renunciationis de non ſuccedendo in paternam hæreditatem, irritum eſt; ſi tamen firmetur juramento, eſt obſervandum, Cap. *quamvis pactum* de pactis in 6. Contractus Minoris, ſine Curatoris licentia, ineſſicax eſt, & reſcindibilis in alienatione rerum immobilium; ſi addatur juramentum, obſervandum eſt: ex Authentica *Sacramenta Puberum.* Aliaque multa exempla afferuntur a Doctiſſimo Sanchez lib. 3. moral. cap. 9.

Juramenta quibuſdam pactis addita,non obligant. Quædam vero obligant.

II. Juramenta addita pactis, & contractibus effectis irritis a lege poſitiva, nulla reddente etiam ipſa juramenta adjecta, non obligant: hujuſmodi ſunt primo ex Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 16. de Regular. renunciatio etiam jurata novitii ingredientis religionem, niſi addantur conditiones ibidem aſſignatæ, nempe *niſi cum licentia Epiſcopi, aut ejus Vicarii fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, ac non alias intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione; aliter vero facta, etiamſi jurata, ſit irrita, & nullius effectus:* ita ibidem. Similiter Matrimonium metu gravi extortum, quamvis juramento firmatum, eſt invalidum, ita ex cap. 2. *de eo, qui duxit &c.*; quia judicio Eccleſiæ, bonum commune ita fieri poſtulat. Quando vero pacta, & contractus per legem poſitivam dumtaxat irritantur, abſque eo quod addatur, irritari, tametſi jurata, tunc ſi eiſdem addatur juramentum, obligant, & ſunt obſervanda, ſi licita ſint: & hujuſmodi ſunt illa numero præcedenti indicata; quia cum hæ leges ſint inſtitutæ in favorem contrahentis, ſi hic cedat juri ſuo, & juret, ſtandum erit juramento, ob reverentiam Divino nomini debitam; & contractus illi obligabunt, nedum virtute religionis, verum etiam, ut probabilior, & communior tenet, virtute juſtitiæ, eo quod contractus reſtituatur ad ſuam integram vim, & naturam, quæ eſt obligandi ex juſtitia.

Opportunum ducimus hic adjicere quæ ad rem hanc habet P. Paulus Gabriel Antoine *Tract. De Contract. Part. cap. 1. q. 7. reſp.* 3. Statuit. 1. contractum ſolo jure poſitivo irritum non firmari juramento, ſi irritatio facta ſit immediate & principaliter propter bonum commune; idque probat tum ex cap. 12. *de foro compet.* ubi dicitur: Clericum non poſſe etiam cum juramento renuntiare privilegio fori, cum hoc principaliter conceſſum ſit ordini, & ſtatui clericorum, & juri ſeu beneficio publico privatorum pactio derogare non poſſit; tum quia tunc eo ipſo contractus eſt in detrimentum communitatis, ac proinde res promiſſa non poteſt licite præſtari, & ſic juramentum nullius roboris eſt ex cap. 28. *de jurejur.*

Statuit 2. contractum juramento firmari, ſi irritatio facta ſit immediate, & principaliter propter utilitatem privatam contrahentium, modo abſit injuſtitia ex parte illius, cui juratur; idque oſtendit 1. quia tales contractus accedente juramento transferunt dominium, & dant actionem, tum ex jure civili, tum ex jure Canonico *cap. 2. de pactis in 6. & cap. 28. de jurejur.* ubi Pontifex declarat contractum, quo uxor conſentit in alienationem fundi dotalis, qui jure poſitivo irritus eſt, ſervari debere, ſi acceſſerit juramentum ſine vi & dolo præſtitum. Igitur cum jura tunc negent jus repetendi, & reclamandi, quod concedunt quando juramentum dolo vel metu extortum eſt; agnoſcunt jus juſtitiæ tunc oriri, & volunt valere contractum ob reverentiam juramenti. 2. Quia quiſque poteſt renuntiare favori pro ſe directe introducto per legem, niſi ob aliquam cauſam id prohibeatur, ex Lib. 51. cod. *de Epiſc. & Cleric.* licet enim cedere juri, & bono privato, cujus domini ſumus. Ergo poſita renuntiatione perinde eſt ac ſi non eſſet jus poſitivum: at jure poſitivo ſeclufo, contractus illi ſunt ex natura ſua firmi, & validi, ideoque perinde obligant ex juſtitia, ac ſi per leges non fuiſſent irriti.

Si tamen Legiſlator, *ſubdit*, ita irritum efficeret contractum, ut nullam vim habere vellet in conſcientia, quantumvis contrahentes velint, tunc non firmabitur juramento. Quia ſubditus non poteſt derogare poteſtati, ac voluntati Legiſlatoris, & juramentum, cum ſit acceſſorium contractui, non poteſt facere, ut id, quod non eſt, valeat.

Juramenta emiſſa ex errore vel dolo quando obligent?

III. Juramentum emiſſum ex errore, ignorantia, vel dolo antecedente, qui verſetur circa ſubſtantiam rei, non obligat, quia tollitur voluntarium, ut dictum fuit tract. 3. cap. 2. §. 2. & alioquin juramentum poſtulet deliberationem. Hinc ſi juraſti donare Petro berillum, putans eſſe falſum, & modici valoris: advertis poſtea eſſe bonum, & magni valoris; cadunt contractus, & juramentum. Et idem dicendum eſt de errore, aut ignorantia concomitan-

tante, quæ quamvis non efficiat involuntarium poſitive, eo quod adhuc fieret, ſi ſciretur; efficit tamen non voluntarium, ideſt involuntarium negative. Si autem error, ignorantia, dolus vertetur circa meras circumſtantias rei, ejuſque qualitates, obligat juramentum; quia adeſt aſſenſus ſufficiens, nempe circa ſubſtantiam rei: puta ſi ignorares berillum illum eſſe unicum in tua familia, aut prætioſiorem cæteris tuæ Civitatis, teneberis dare, quia error eſt circa accidentalia. Excipe caſum, in quo jurans expreſſe intenderet illam qualitatem: puta, juro dare berillum, niſi ſit unicus &c.; tunc enim illa qualitas tranſiret in ſubſtantiam rei, & in motivum juramenti, ut patet ex dictis, & dicendis alibi.

Juramenta promiſſoria non acceptata non obligant.

IV. Juramenta promiſſoria homini facta, non obligant, niſi a promiſſario acceptetur promiſſio; cum enim addantur promiſſioni, & natura promiſſionis ſit, ut non obliget ex juſtitia ante acceptationem, ideo &c. Ad differentiam juramentorum, quæ fiunt Deo, & de re ad illius honorem, quæ quamvis homini enuncientur, a Deo jam acceptantur; puta ſi jures patri tuo, te ingreſſurum religionem, teneris, quamvis pater non approbet, quia eſt juramentum Deum reſpiciens: niſi forte aliqua recurrat circumſtantia, quæ prudentum judicio reddat ingreſſum non bonum.

Juramenta impeditiva melioris boni.

V. Juramentum impediens melius bonum regulariter non obligat, quia non approbatur a Deo. Quod intelligas, dummodo non interveniat prejudicium tertii; quia tunc non poteſt eligi quod de ſe eſt melius, cum tali præjudicio: V.G. juraſti Titiæ diviti ducere eam in uxorem cum pingui dote, occurrit tibi Anna virgo honeſta pauperrima, multiſque inſidiis impudicorum obnoxia, libenter eam ex charitate duceres; non potes, niſi Titia laxet promiſſionem juratam. Promiſiſti Sempronio amico mediocris fortunæ centum aureos; non potes illos dare, aut donare Simplicio pauperrimo, niſi de licentia Sempronii; & ſic de aliis.

§. VII. *De Caſibus, in quibus licet, aut non, petere juramentum.*

An liceat petere juramentum a juraturo per falſos Deos?

I. EX motivo urgenti & gravi, non eſt illicitum recipere juramentum a juraturo per falſos Deos: ita S. Th. 2. 2. q. 98. art. 4. ad 4. *licet malo uti propter bonum, ſicut & Deus utitur: non tamen licet aliquem ad malum inducere: unde licet ejus, qui per falſos Deos jurare paratus eſt, juramentum recipere.* Ratio eſt, quia in gravi, & urgenti neceſſitate licitum eſt ab aliquo petere id, quod, ſi velit, poteſt innocenter præſtare, quamvis prævideatur præſtiturus illicite, ut patet in eo, qui non habens alterum, ad quem recurrat ad petendam mutuo pecuniam ſibi neceſſariam, pergit ad uſurarium, quem prævidet non daturum, niſi ſub injuſtis uſuris, quem omnes excuſant: atqui petere juramentum ab idololatra ex neceſſitate, petitur id, quod ipſe innocenter præſtare poteſt jurando per verum Deum, & non per Jovem, Saturnum &c. ergo non erit illicitum illud petere; quandoquidem non detur ignorantia invincibilis exiſtentiæ unius veri Dei. Dixi ex gravi neceſſitate, id eſſe licitum; quia, hac præciſa, eſſet lethale: eſſet enim directe inducere prximum ad actum peccaminoſum, id autem non fit ab illo, qui directe occurrit ſuæ neceſſitati, & permittit indirecte peccatum alienum, a quo alioquin, ſi velit, poteſt abſtinere.

Petere juramentum, a perjuraturo.

II. Non licet privatæ perſonæ, neque in judicio, petere juramentum ab eo, quem ſcit eſſe pejeraturum. Si tamen ordo juris id fieri requirat, poteſt Perſona Publica illud petere: ita S. Th. l. c. *Circa eum, qui exigit ab alio juramentum, diſtinguendum videtur: aut enim exigit juramentum pro ſe ipſo propria ſponte, aut exigit juramentum pro alio ex neceſſitate officii ſibi commiſſi: & ſi quidem aliquis pro ſe ipſo exigit juramentum tanquam perſona privata, diſtinguendum videtur: ſi enim neſcit eum juraturum falſum.... non eſt peccatum, tamen eſt humana tentatio, ut Auguſtinus dicit, quia ſcilicet procedit ex quadam infirmitate, qua homo dubitat, alium eſſe verum dicturum.... Si autem ſcit eum feciſſe, ſcilicet contrarium ejus, quod jurat, & roget eum jurare, homicida eſt, ille enim ſuo perjurio ſe interimit, ſed iſte manum interficientis impreſſit. Si autem aliquis exigat juramentum tanquam Perſona publica, ſecundum quod exigit ordo juris, ad petitionem alterius, non videtur eſſe in culpa, ſi ipſe juramentum exigat, ſive ſciat eum falſum jurare, ſive verum; quia non videtur ille exigere, ſed ille ad cujus inſtantiam exigit.* Ille tamen, qui ita inſtat apud judicem, peccat, ſi ſciat illum pejeraturum: & ideo addit S. D. ad 2: *Quis peccat, quando propria ſponte*

te ad jurandum cogit eum, quem ſcit falſo juraturum. Et idcirco aliud eſt, quod judex petat, quamvis prævideat pejeraturum quia petit ex neceſſitate ſervandi ordinem juris: & aliud eſt, quod privatus apud judicem inſtet, ut petat juramentum a pejeraturo: Judex tenetur petere ex neceſſitate officii, inſtans tenetur abſtinere ex neceſſitate charitatis proximi, & Religionis erga Divinum nomen. Si demum dumtaxat dubites an ſit pejeraturus, & non pateat alia via ad tuum damnum notabile redintegrandum, potes licite experiri, an petendo ab eo juramentum, ipſe abſterreatur a peccato perjurii, & nolendo præſtare juramentum, tu recuperes tibi debita.

An liceat inducere ad jurandum illum, qui putat jurare verum cum ſit falſum?

III. Non licet homini privato inducere ad jurandum illum, qui putat ſe verum jurare, cum tamen inducens ad jurandum ſciat eſſe falſum. Ita Bannez in 2. 2. q. 33. art. 2. dub. 3. concluſ. 4. quem ſecuti ſunt Gonet, & Mercorus cum aliis, contra nonnullos recentiores. Ratio eſt; quia quamvis inductus juret innocenter, ob ignoratam invincibiliter falſitatem; tamen inducens excuſari non poteſt a gravi injuria Divini nominis, quod ſcit uſurpari in teſtem rei falſæ. Sexcenta ſunt exempla id confirmantia. Actum juſtitiæ faciet uxor reddens debitum novo marito, invincibiliter a ſe putato tali, graviter tamen peccat ille, qui ſciens primum maritum vivere, illam poſitive inducit ad reddendum. Actum bonum elicit, qui hoſtiam, quam prudenter putat conſecratam, adorat; graviter tamen peccat, qui ſciens certo non eſſe conſecratam, illum poſitive inducit ad adorandum. Actum obedientiæ, & juſtitiæ exercet famulus, qui in die quem ferialem invincibiliter credit, laborat tota die ex præcepto ſui heri; peccat tamen graviter herus ſciens eſſe feſtivum, idque præcipiens, & ſic de aliis.

§. VIII. *De modis ſolvendi obligationem juramenti.*

Tollitur obligatio ex mutatione materiæ.

I. JAm ex antecedentibus deduci poteſt, tolli obligationem juramenti per notabilem materiæ mutationem: puta ſi evadat impoſſibilis, ſi illicita ex præcepto oppoſito Superioris: ſi inutilis ad finem intentum, ſi noxia ei, in cujus favorem juratum fuit; ſi ita mutetur, ut judicio prudentum evadat moraliter altera ab illa, quando promiſſa fuit: ita ex cap. 17. & 25. de jurejurando. Ratio jam patet.

Tollitur per remiſſionem illius, in cujus favorem juratum fuit.

II. Tollitur obligatio per remiſſionem illius, in cujus ſolius favorem emiſſum fuit juramentum; ſi enim ille renunciet, jam ceſſat obligatio promiſſionis, ac proinde juramentum eidem adjunctum. Conſulto dixi in cujus ſolius favorem juratum fuit: nam ſi motivum juramenti fuiſſet etiam aliud, ſubſiſteret obligatio. V. G. juraſti dare Petro centum, ad augendam dotem filiæ ſuæ pauperis, id tamen principaliter juraſti, ut pro peccatis tuis ſatisfaceres; etiam Petro remittente juramentum, ſubſiſtit, quia ſubſiſtit motivum principale. Tollitur item, quando juramentum promiſſorium eſt reciprocum, ſi alter deſit voluntarie promiſſioni factæ; quia in juramento reciproco imbibitur tacita conditio; ſi & tu ſteteris promiſſioni.

Tollitur in reciprocis altero deficiente.

Circa quod eſt advertendum, quod requiritur ſimultas, ut verificetur reciprocatio; nam ſi unus nunc abſolute juret de aliquo dando, & alter poſt horam juret alteri ſe daturum aliam rem; ſi iſte non det, non ideo abſolvitur primus, quia juramentum ſuum fuit abſolutum, atque ab omni reciprocatione independens; immo ſi ſecundus juraſſet daturum alteram rem, nullo habito reſpectu ad juramentum alterius, ideſt nulla reciprocatione intenta; etiam hic teneretur, quamvis primus deficeret, ob eamdem rationem; quia Juramentum fuit abſolutum, nullaque vel implicita conditione affectum.

Tollitur per Commutationem, Irritationem, Diſpenſationem.

III. Tollitur item per commutationem factam a Superiore ex cauſa juſta, dummodo juramentum factum ſit ſoli Deo; nam ſi ſit & Deo, & homini, requiritur pro hac parte conſenſus ſpontaneus, & liber promiſſarii. Secundo tollitur per irritationem factam ab eo, ſub cujus poteſtate degit jurans, vel ſubeſt materia jurata: nec in irritatione requiritur cauſa, cum irritatio fundetur in poteſtate dominativa, ut diximus in tract. 4. capite 10. §. 5. num. 2. & ſeq. ubi videas, quæ hic inutiliter repetenda eſſent. Tertio per diſpenſationem, quæ requirit juſtam cauſam, ut Superior licite diſpenſet, & valide: Et circa hoc notandum eſt, quod qui habet poteſtatem delegatam diſpenſandi in votis, illam non habet diſpenſandi in juramentis, ex ſtylo Romanæ Curiæ, ut dicunt Navarrus, & alii. Henricus autem a S. Ignatio a nobis citatus loco cit. §. 5. num. 15. & ſeq. aſſerens plures Auctores, qui

Notanda circa Diſpenſationem.

de

de Privilegiis Regularium ſcripſere, affirmat, Confeſſarium Ordinum Mendicantium habere poteſtatem delegatam a Summo Pontifice commutandi, & diſpenſandi omnia vota Summo Pontifici non reſervata, etiam jurata. Cavendum ne diſpenſet circa jurata in beneficium tertii, quæ diſpenſari nequeunt, ut dudum diximus, ſine ipſius libero conſenſu; vide dicta circa vota in laudato paragrapho. Excipiuntur aliqui caſus inſpicientes bonum commune, in quibus non eſt expectanda ceſſio tertii, puta ſi juraſſes reſignare debitis modis Beneficium Petro, & Epiſcopus haberet longe digniorem Petro. Si juraſſes in favorem Pauli, rei alicujus criminis in materia Epiſcopo ſubjecta. Si juramentum alteri favens, fuiſſet modis injuſtis extortum, metu, fraude &c. poteris ab Epiſcopo diſpenſari, ne juramentum obſerves: in his namque caſibus bonum commune poſtulat, ut & Petrus poſtponatur digniori; & Paulus luat pœnam criminis ſui, & juramentum injurioſum non habeat effectum, nullo expectato conſenſu dictorum promiſſariorum.

TRACTATUS VI.

DE SPECTANTIBUS AD TERTIUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

CAPUT PRIMUM.

De obſervantia hujus Præcepti, quoad abſtinentiam ab operibus ſervilibus.

§. I. *De poteſtate inſtituendi, & mutandi Feſta.*

Sanctificandi Feſta quale tempus?

SAnctus Thomas 2.2.q.122.a.4. ad 1. docet, *quod Præceptum de Sanctificatione Sabbathi litteraliter intellectum partim eſt morale, & partim ceremoniale: morale quidem quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ ſuæ ad vacandum divinis .... ſed inquantum in hoc præcepto determinatur ſpeciale tempus, ſic eſt præceptum ceremoniale... Unde præceptum de ſanctificatione ſabbathi ponitur inter præcepta Decalogi in quantum eſt præceptum morale, non in quantum eſt ceremoniale.* Et idcirco ab Apoſtolis, juſta de cauſa, Sanctificatio Sabbathi tranſlata fuit ad diem Dominicam: proinde S. Auguſtinus Serm. 25. de tempore: *Dominicam diem Apoſtoli, & Apoſtolici viri ideo religioſa ſolemnitate habendam ſanxerunt, quia in eodem Redemptor noſter a mortuis reſurrexit, & in ipſo Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos deſcendit.*

Tranſlatio Sabbathi in Dominicam.

II. Diei Dominicæ addita ſunt ex inſtitutione Eccleſiæ alia feſta ſub eodem præcepto obſervanda; cum enim Eccleſiæ, ejuſdemque Paſtoribus ex Chriſti commiſſione incumbat paſcere gregem fidelium; ad id maxime confluit quaſdam præſcribere dies, in quibus a ſervilibus vacando, commodius poſſint Fideles Divinæ Majeſtati devotum cultum exhibere. Nec refert, quod nedum in commemorationem myſteriorum Chriſti, dies feſti inſtituti fuerint, verum etiam in commemorationem Beatæ Virginis, & præcipuorum Sanctorum; quorum enim interceſſio valde utilis ſpeciali modo eſſe poteſt; propterea, ut eorum opem conſequamur, & Deo frequentius vacemus, alia etiam feſta inſtituit pia Mater Eccleſia: quæ feſta ex primaria intentione diriguntur, ut colatur Deus in Sanctis ſuis. Hujus autem moris antiquitas deduci poteſt tum ex Auctore tertii ſeculi Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. cap. 33., tum ex Euſebio Cæſarienſi auctore quarti ſæculi lib. 4. hiſt. cap. 14.

Inſtitutio aliorum Feſtorum.

III. Hinc ſequitur, nedum ſummum Pontificem pro tota Eccleſia, verum etiam Epiſcopos pro ſuis Diœceſibus poteſtatem habere inſtituendi aliqua feſta ſub præcepto; tum quia iſtis non eſt vetitum aliquo jure, tum quia in cap. ultimo de feriis id conceditur omnibus Epiſcopis, quemadmodum etiam in capite 1. de conſecr. diſt. 3. Requiritur tamen, quod Epiſcopus habeat conſenſum ſui Cleri, ut ſtatuitur in citato cap. de Feriis; immo etiam conſenſum Populi, ut innuitur in dicto cap. 1. de conſecr., ubi fit expreſſa mentio populi; & quidem majoris partis. Aliqui Doctores cum Suarez lib. 2. de relig. c. 11. n. 9. dicunt, conſuetudinem invaluiſſe quod non expectetur conſenſus populi; quod an verum ſit, me latet. Populus autem cenſetur acquieſcere, ſi non contradicat

Facultas inſtituendi Feſta.

Utique Epiſcopi de jure communi poſſunt cum Clero, & populo dies feſtos indicere in propria Diœceſi, ut compertum eſt ex textibus juris ab Auctore allegatis, & ut oſtendunt Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſ. part.* 3. *allegat.* 105. *n.* 36., & Pignatellus *Tom.*4.*Conſult.*105. Modo tamen, etſi talis poteſtas non ſit illis ablata, nihilominus ab indictione ſub præcepto novorum Feſtorum debent abſtinere, prout illos monuit Urbanus VII. in Conſt. incip. *Univerſa* 83. ubi hæc habentur: *Ne autem dies Feſtos a Locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, iidem Ordinarii in Domino monentur, ut ad Eccleſiaſticam ubique ſervandam æqualitatem, de cetero perpetuis futuris temporibus ab indictione ſub præcepto novorum Feſtorum ſtudeant abſtinere.* Lege P. Lucium Ferraris *Verb. Feſta n.* 2.

Quid circa id poſſit laicalis poteſtas?

IV. Facultas inſtituendi feſta de præcepto non competit poteſtati laicali, ut docet S. Antoninus 2. p. tit. 9. cap. 7. §. 1., quem ſequitur communis, eo quod poteſtas laicalis nullam habeat in ſpiritualibus juriſdictionem: & deducitur ex capite *cum laicis* de rebus Eccleſ. non alien. & ex capite *decernimus* de judic., & ex capite *bene quidem*. Immo neque tota Communitas Cleri, & populi poteſt talem obligationem ſub præcepto inducere, niſi accedat conſenſus Epiſcopi, & proinde ſi conſuetudo fuiſſet introducta, non obligaret ſub præcepto, ſine Epiſcopi aſſenſu ſaltem tacito: ſufficiet autem ad illum præſumendum, quod tota Civitas, aut Diœceſis exiſtimet eſſe ſub præcepto, & Epiſcopus non contradicat. Quando autem Principes jubent, vel legem condunt, ut tali die ſubditi ceſſent a ſervilibus, & diem feſtum agant; peccabunt quidem ſubditi graviter, ſi deobediant, contra juſtitiam legalem, & obedientiam debitam Principibus; immo & contra caritatem proximi, ſi ſcandalum acceſſerit; at non contra religionem.

Qualitas obligationis hujus præcepti.

V. Præceptum Eccleſiæ ſervandi feſta obligare ſub mortali certius eſſe debet, quam quod ratione probetur, cum conſtet manifeſte eſſe de re gravi, tum ſpectato fine intrinſeco ipſius præcepti, qui eſt cultus Dei, tum materia præcepta, quæ declaratur ſuo loco: tamen non defuerunt Theologi ideo animoſi; qui auſi ſunt docere. *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus*, quam theſim reprobavit Innoc. XI. n. 52.

§. II. *De perſonis, quæ tenentur feſta ſervare.*

Subditus e territorio egreſſus non tenetur ad feſtum locale ſervandum.

I. NOn pauca diximus circa hoc punctum tract. 1. cap. 2. de legibus §. 8., nihilominus hic tanquam in propria ſede de illis iterum breviter agendum occurrit. Et in primis, ſubditus civitate, territorio, aut Diœceſi egreſſus ob aliquod honeſtum motivum, non tenetur ſervare feſtum ſui loci, ut docet communior, & mihi videri probabilior, contra quoſdam noſtrates, & quidem graves. Deducitur primo ex capite *ut animarum*, §. *ſtatuta* de conſtitut. in 6., ubi declaratur, illum non incurrere cenſuram per ſtatutum latam ab Epiſcopo, qui extra terminum agit contra ſtatutum, ſed vel dumtaxat peccare ex alio capite, vel nullo modo, & non contra obedientiam Epiſcopo debitam, *Quia extra territorium jus dicenti non paretur impune*, ait canon. Ratio autem eſt, quia hujuſmodi ſtatuta ſunt localia, & afficiunt ſubditos non abſolute, ſed prout in loco exiſtentes: unde quamvis ſubditus egreſſus, ſit ſubditus illius Epiſcopi, non eſt ſubditus præſens, quos tantum afficiunt ſtatuta localia, ad differentiam perſonalium, quæ comitantur ſubditum quocumque perrexerit.

Explicatur, & ſolvitur objectio exeuntis in fraudem: & ad quid teneatur extens?

II. Oppones: ſequeretur, quod quis poſſet exire territorio in fraudem, quæ tamen nemini ſuffragari debet. Reſpondeo negando deductum; & dicendo, quod quando revera in fraudem exit, peccat: vere autem exire in fraudem eſt, exire ſolo motivo ſe ſubtrahendi a præcepto; quod ſubditum notabiliter dedecet; indicat enim voluntatem repugnantem præcepto, & nolentem ſe eidem ſubjicere, quod ut commodius, & liberius faciat, exit loco. At quando exit ob aliquod aliud motivum vel neceſſitatis, vel inviſendi amicum, vel etiam honeſtæ recreationis gratia; non exit in fraudem, ſed ob motivum reddens ſuum exitum inculpatum. Si tamen exeat ipſo die feſto, tenetur primo mane Miſſam audire; & ratio urgentiſſima eſt; quia in eo loco tenetur audire Miſſam eo tempore, quo poteſt: neque de ipſo verum eſt, quod tempus præcepti implendi duret uſque ad meridiem; quia qui non habet aliud tem-

pus

pus, niſi v. g. uſque ad horam, tenetur ea hora audire; ſicuti qui exiſtens in loco obligato, prævideret, ſe, poſt primam horam, totius diei reliquo impeditum iri ab audienda Miſſa, non ne teneretur illa prima hora audire? ita in caſu noſtro, ille egreſſurus invenitur ſubditus obligationi; non poteſt audire, niſi prima hora; igitur prima hora eſt eidem tempus determinatum ſatisfaciendi præcepto.

Advenæ aliquo tempore commorantes an teneantur?

III. Certum eſt, quod illi advenæ, qui quamvis alibi domicilium fixum habeant, reliquo tamen tempore anni morantur in loco obligato, tenentur feſtis eo tempore occurrentibus; quia ſicut hic inhabitandi modus ſufficit ad acquirendum forum competentem in ordine Sacramentorum uſum, debet etiam ſufficere ad ſubdendum Epiſcopo loci, & obligationibus loco affixis: eſt enim valde diſſonans, quod non teneatur eo tempore vivere juxta leges illius loci; quod a ſcandalo vacare non poteſt; fluxus autem temporis requiſitus, ut quis quaſi domicilium acquirat, juxta Navarrum, ſufficit, ut quis eo accedat animo diutius permanendi ad tempus etiam incertum, puta quouſque perficiat negotium non adeo brevi expediendum, aut commorandi aliquo menſe. Juxta Suarez autem etiam minor tractus ſufficit.

Advenæ recenter pervenientes an teneantur?

IV. Juxta probiliorem, & communiorem, advenæ pervenientes ad locum, ubi feſtum celebratur, & ibi aliquo die commoraturi, tenentur feſtum obſervare. Prob. primo ex capite *quæ contra* diſt. 8., verb. *aut peregrini*, ubi ex Sancto Auguſtino lib. 3. confeſſionum dicitur: *Ut pactum inter ſe civitatis, aut Gentis conſuetudine, vel lege firmatum, nulla ejus, aut peregrini libidine violetur; turpis enim eſt pars ſuo univerſo non congruens:* Si igitur peregrinus ad id tenetur, multo magis advena ibi aliquandiu moraturus; & ſi peregrinus judicatur pars illius communitatis, multo magis advena aliquo tempore inhabitaturus. Item ex ca. *Illa* diſt. 12. verbo *veniens*, ubi ex eodem Auguſtino Epiſt. 118. cap. 2. ſermonem habente de legibus, dicitur: *Nec diſciplina ulla eſt his melior gravi, prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo viderit Eccleſiam, ad quamcumque forte devenerit*: & ſubjungit reſponſum a Sancto Ambroſio datum genitrici ſuæ Sanctæ Monicæ: *Ad quam forte Eccleſiam perveneris, ejus morem obſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi*: & cap. 4. concludit, *violare quietem, & pacem, qui hanc regulam non ſervat*: ex quibus omnibus nemo non videre poteſt, gravem inferri obligationem. Ratio etiam ſuadet: quia Epiſcopi locorum poſſunt hujuſmodi advenas tranſgreſſores punire, & reapſe puniunt, quando ſuorum ſtatutorum tranſgreſſores eſſe probantur; atqui non eſt præſumenda in Epiſcopis tam frequens uſurpatio juriſdictionis; ſignum ergo eſt, quod ſubduntur legibus loci; id namque eſt neceſſarium ad bonum Communitatis regimen, ad ſcandala evitanda, & ad præcavendas perturbationes. Immo ſi Princeps laicus poteſt juſte conſtringere advenam ad obſervandas leges ſuæ civitatis, puta arma non deferendi, ita poſtulante bono regimine Reipublicæ; cur id non poterit Epiſcopus reſpectu legum ſuarum ob altiorem finem? in cujus ſignum, ſi advena perpetret delictum aut reſervatum, aut cenſura affectum in eo loco, nec abſolvi poteſt, & cenſuram incurrit: ſunt igitur ſubditi etiam pro audienda Miſſa. Et profecto recta obligationum diſtributio ita exigere videtur; nam ſi quando abeſt a ſuo territorio, legibus localibus ejuſdem non tenetur; juſtum erit, ut teneatur legibus territorii, ad quod advenit: ſi enim in utroque feſtum ageretur, nec teneretur ex vi ſui territorii, a quo abeſt, neque territorii, ad quod advenit, quia advena; quid igitur magis abſonum ab æquitate?

Quid dicendum de aliis advenis?

V. Conformiter ad illa, quæ diximus loc. cit. de legibus, advenæ tranſeuntes per loca, in quibus feſtum celebratur, ſi per aliquas horas ibi quieſcant, aut commorentur, tenentur abſtinere ab operibus ſervilibus; etſi eis vacat, etiam Miſſam audire; ſin autem, ab hoc actu præſtando excuſari poterunt: cum enim vacatio a ſervilibus ſit negativum præceptum, patet, quod nullum afferre poſſit incommodum advenæ illi, ad illud obſervandum: auditio autem Sacri, cum ſit præceptum affirmativum, obligabit advenam diſcrete, & habito reſpectu ad tempus quo ibidem moraturus eſt; ſi enim mere tranſeat per territorium, patet, quod non tenetur deſiſtere ab itinere, ut Miſſam audiat, niſi forte ibidem aliqua hora quieſcat; qua tamen hora, ſi aliquod ſibi neceſſarium perſonaliter expediendum occurrat, pro itinere proſequendo, non tenebitur; quia eſt eadem prudens ratio illum diſpenſandi: ſi

pernoctet in loco, in quo celebrandus eſt dies feſtivus ſequens, & ſit diſceſſurus ſummo mane, non tenebitur retardare iter, ut expectet horam celebrationi idoneam; ſecus autem, ſi ibidem moraretur aliquot horis matutinis, & ſibi vacare poſſet audire Sacrum; quia tunc locum haberent motiva ſuperius adducta.

§. III. *De operibus hoc præcepto vetitis.*

Quænam opera ſint ſervilia?

I. CUm Deus Levit. 23. juſſerit de die feſto: *omne opus ſervile non facietis in eo*; propterea docet S. Th.2.2.q.122. a. 4.ad 3. *Quod triplex eſt ſervitus: una quidem, qua homo ſervit peccato, ... & ſecundum hoc omne opus peccati dicitur ſervile. Alia vero ſervitus eſt, qua homo ſervit homini: eſt autem homo alterius ſervus, non ſecundum mentem, ſed ſecundum corpus; & ideo opera ſervilia ſecundum hoc, dicuntur opera corporalia, in quibus unus homo alteri ſervit. Tertia autem eſt ſervitus Dei, & ſecundum hoc, opus ſervile poteſt dici actus latriæ, quod pertinet ad Dei ſervitium: ſi autem ſic intelligatur opus ſervile, non prohibetur in die ſabbathi .... Nullius ſpiritualis actus exercitium eſt contra obſervantiam ſabbathi; puta ſi quis doceat verbo, vel ſcripto ... Sed alia opera ſervilia, quæ dicuntur ſervilia primo vel ſecundo modo, contrariantur obſervantiæ Sabbathi inquantum impediunt applicationem hominis ad Divina...Opera enim corporalia ad ſpiritualem Dei cultum non pertinentia, intantum ſervilia dicuntur, inquantum proprie pertinent ad ſervientes; inquantum vero ſunt communia ſervis, & liberis, ſervilia non dicuntur.* Ex his habes notionem operum ſervilium diebus feſtis prohibitorum, quæ aut fiant lucri, aut recreationis gratia, ſemper ſunt prohibita. Opera autem liberalia, quæ non ad corpus, aut ad corporale commodum collimant, hominique libero conveniunt, ut inde liberalia vocitentur, non ſunt natura ſua prohibita; quædam tamen eorum ſpeciali jure prohibentur, ut paulo inferius videbitur.

An peccare ſit opus ſervile vetitum hoc præcepto?

II. Cum autem S.Thomas inter opera ſervilia contraria obſervantiæ ſabbathi recenſuerit peccatum, examinandum eſt utrum revera ſit opus ſervile vetitum, & proinde circumſtantia in confeſſione explicanda. Affirmative reſpondent graves auctores Halenſis, S. Bonaventura, Lyranus, Abulenſis, Joannes Medina, Gabriel, Major, Angelus, Roſella, & ex noſtris S. Antoninus, & Catharinus, quos omnes citat, & ſequitur Corduba in ſuo quæſtionario, q. 6., addens inſuper contrariam non eſſe tutam. Contrariam nihilominus tenent, nempe negativam communius auctores; & ex noſtris quidem Cajetanus 2.2.q.122. ſuper art. 4., & 12.q. 7.ſuper art. 1., & in ſummula verbo feſtorum obſervatio. Victoria in ſumm. de Sacramentis in tit.de confeſſione n.199., Sotus in 4.d. 18.q.2.art. 4., & lib.2.de juſtitia q.4. art.4. Sylveſter verbo Dominica q. 8.§. 4., & verbo conſtantia §. 3., & verbo confeſſio q. 1. §. 10. & in Roſa Aurea caſu 63., ubi addit, *omnes viros doctiſſimos ſui Ordinis ita ſentire*: ex extraneis autem Almainus, Tabiena, Covarruvias, Navarrus, Suarez, & fere omnes iſtis poſteriores. Fateor, quod ſi clara eſſet mens S. Doctoris, nullius auctoris habita ratione, illum pro decem millibus reputarem; ſed quia concors fere omnium ſuorum diſcipulorum opinio declarat, illam eſſe aut alienam, aut ambiguam, propterea ſecundæ opinioni ſubſcribo.

Reſolvitur negative, & probatur primo ex S. Doctore.

III. Et primo illam probo ex doctrina S.Thomæ in 3. ſentent. d. 37. quæſtiunc. 2.a. 5.ad 2. *Dicendum, quod opera ſervilia myſtice intelliguntur peccata: ſed ad litteram* (præcepti) *opera ſervilia dicuntur, ad quorum exercitium ſervos deputatos habemus, in quibus debent artes mechanicæ dirigere, quæ a liberalibus diſtinguuntur.* Igitur juxta S.D. peccata non ſunt opera proprie ſervilia, ſed duntaxat myſtice; ac proinde non proprie, & directe prohibita a præcepto iſto. Item in 4. ſent. diſt. 32. q. 1. a. 5. quæſtiunc. 2. docet: *Petere debitum in die feſto non eſt circumſtantia trahens ad aliam ſpeciem peccati, unde non poteſt aggravare in infinitum.* Ex quibus verbis deducitur regula (præſcindendo a caſu, ſuper quem profertur, de quo nihil ad nos) quod circumſtantia diei feſti, non trahat peccatum in die feſto commiſſum ad aliam ſpeciem; quod non eſſet, ſi foret neceſſario confitenda. Quando igitur in loco ſuperius citato enumerat peccatum inter ſervilia, loquitur in ſenſu myſtico, & de ſervilitate myſtica, & non proprie dicta, qualis vetatur ab hoc præcepto, & in ordine ad finem extrinſecum præcepti, ut ipſe clare fatetur: *ſed ad litteram præcepti ſervile non dicitur:* Cognovit ergo ſervilitatem peccati non cadere ſub prohibitione hujus præcepti.

IV. Ra-

Digitized by Google

Probatur ratione & reſol. vitur objectio.

IV. Ratio in Angelici verbis fundata idem evincit. *Ad litteram* (præcepti jubentis) *opera ſervilia dicuntur, ad quorum exercitium ſervos deputatos habemus, in quibus debent artes mechanicę dirigere:* atqui peccatum ex ſe non eſt hujuſmodi, nam plurima peccata ſunt, quæ ſunt propria dominorum, neque per artes mechanicas diriguntur; ergo non prohibentur hoc pręcepto, quo vetantur opera ſervilia. Neque valet opponere, quod peccatum avertat a Deo; quia conceditur, quod avertat a Deo, & negatur cum Cajetano ſuppoſitum; quod non avertere a Deo ſit de ſubſtantia hujus præcepti, aut finis intrinſecus ejuſdem, ſed dumtaxat de fine ejuſdem extrinſeco; finis autem extrinſecus pręcepti non cadit ſub pręcepto, ut omnes norunt, & docet etiam S. Thom. 1. 2. q. 10. art. 10. Ut autem id recte, & clare intelligas, in quo tota conſiſtit baſis oppoſitæ opinionis. Finis præcepti cujuſcunque duplex eſt, unus intrinſecus, alter extrinſecus; intrinſecus eſt de ſubſtantia pręcepti, & cadit ſub præcepto; extrinſecus eſt intentus quidem a legiſlatore, ſed non cadit ſub præcepto: in hoc præcepto finis intrinſecus eſt cultus Dei, non utcunque, ſed cultus Dei determinato modo, nempe abſtinendo a ſervilibus corporalibus, &, ex Eccleſiæ addito, audiendo devote Sacrum: qui igitur, hæc duo præſtando, expreſſe non intenderet colere Deum, non obediret præcepto, quod eſt de cultu Deo dicto modo exhibendo. Finis extrinſecus eſt, ut, abſtinendo a ſervilibus, fidelis faciliorem habeat aditum ſe conjungendi Deo: & hic non cadit ſub præcepto: unde concedendo, quod peccatum avertat a Deo, conceditur quod opponatur fini extrinſeco præcepti, & negatur, quod opponatur fini intrinſeco, & ſubſtantiæ ejuſdem, poſito quod ille peccator abſtineat a ſervilibus proprie, & non myſtice talibus; quod præſtando, colit Deum modo ab hoc præcepto præſcripto. Si reponas: vacatio a ſervilibus ordinatur ad conjunctionem cum Deo: diſtinguo: ordinatur ad conjunctionem cum Deo, tamquam ad finem extrinſecum præcepto, conc. intrinſecum præcepto, nego. Si adhuc inſtes: peccatum impedit conjunctionem cum Deo: diſtinguo: conjunctionem intentam a fine extrinſeco, conc. intentam a fine intrinſeco, nego. Conjunctio intenta a fine intrinſeco præcepti eſt, ut conjungatur Deo, cultum eidem exhibendo determinato illo modo, abſtinendo a ſervilibus corporalibus, & audiendo Sacrum. Ponamus hypotheſim, quod quis jam in mortali exiſtens abſtineat a ſervilibus, & Sacrum audiat: & deinde toto die feſto nihil aliud faciat, quam continuata peccata venialia; hic proculdubio Deo non conjungitur, quandoquidem peccata venialia, quamvis ex ſe gratia non privent, Deum offendunt, tametſi leviter; hic igitur Deo non conjungitur; & alioquin eſt ab eo averſus ob anteriora peccata mortalia; nihilominus nemo illum condemnabit tranſgreſſionis hujus præcepti: en igitur, quomodo conjungi Deo, eſt finis pręcepto extrinſecus, & habetur præcepti adimpletio per abſtinentiam a ſervilibus corporalibus, exhibendo Deo cultum per hujuſmodi abſtinentiam, & Sacrum pie audiendo.

Unde oriatur deformitas in peccato die feſtivo perpetrato?

V. Concedunt quidem auctores noſtri, quod circumſtantia diei feſti poſſit addere deformitatem peccato, non ex hoc præcepto, ſed ex majori importunitate temporis; ſi enim nullum eſt tempus opportunum peccato, multo minus dies conſecratus: & eo majorem deformitatem affert, quo ſanctior; puta dies, in quibus præcipua celebrantur myſteria, quamvis non ſint feſtivi, ut dies Cœnæ Domini, Paraſceves &c.; deformitas autem ſpectat ad ſpeciem ingratitudinis erga Divina beneficia, non ad violationem feſti, nec excedit culpam venialem magis, vel minus gravem.

Ciborum decoctio an liceat?

VI. *Decoctionem cilorum*, ut ait S. D. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 4. *& alia hujuſmodi*, non eſſe contra præceptum, ex conſuetudine populi Chriſtiani, non per derogationem legis, ſed per communem interpretationem ejuſdem, communiter aſſeritur. Quam conſuetudinem extendi etiam ad cibos non neceſſarios, ſed voluptuoſos; & non modicum artificium requirentes, ſcribit Suarez cap. 21. num. 4., nec non ad colligendos aliquos fructus, ut recentiores habeantur. Nihilominus ſtatim monet ſapiens, & cordatus Theologus: Hęc vero & ſimilia extendenda non ſunt, ſed quoad fieri poterit, coarctanda ad eas res, quæ convenienter præcedenti die prępararі non poſſunt, vel quia non commode conſervantur, vel quia propter multitudinem populi non ſufficiunt: & ita regulariter non licet coquere panem in die feſto; quia poteſt commodiſſime pręveniri: ubi tamen id fieri non poſſet, vel propter po-

populi multitudinem, vel quia dies feſti continui multi ſunt; tunc eadem die preparari poſſet, ſicut & alii cibi. Hęc ille verbo tenus.

Incommodum vitare an licitum?

VII. *Quilibet tam ſervus, quam liber*, ait S. D. loco cit. *tenetur in neceſſitate providere, non tantum ſibi, ſed etiam proximo; præcipue quidem in iis, quæ ad ſalutem corporis pertinent; ſecundario etiam in damno rerum evitando; .... & ideo opus corporale pertinens ad conſervandam ſalutem proprii corporis, non violat ſabbathum ....., ſimiliter nec opus corporale, quod ordinatur ad ſalutem corporalem alterius, ..., nec quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum*. Et hoc vel quia, ut docet Cajetanus in commentario, deſinunt eſſe ſervilia, eo quod neceſſitas efficit illa communia ſervis, & liberis, vel quia non prohibeantur præcepto.

Opera corporalia ad Dei cultum reſpicientia qualiter licita?

VIII. Opera ſervilia, & mechanica ad Dei cultum proxime reſpicientia, & de ſe ordinata, puta ornare, & ſcopare templum, candelabra, vaſa &c. deferre, præcipue ſi præveniri non potuerint, non ſunt in hoc præcepto comprehenſa, eo quod Dei cultus immediatus illa excipiat: ita Sanctus Thomas loco citat. a. 4. ad 3. ex illo Matthæi 12. *Sabbathis ſacerdotes ſabbathum violant, ideſt corporaliter in Sabbatho operantur, & ſine crimine; & ſic etiam ſacerdotes in Sabbatho circumferentes Arcam, non tranſgrediebantur præceptum de Sabbathi violatione*. Dixi, ſi præveniri non potuerint, quia ſi poſſent commode præveniri, non vacat a culpa veniali. Dixi immediate reſpicientia Divinum cultum; quia quæ dumtaxat remote reſpiciunt, puta lapides colligere ad ædificationem altaris, vel quidpiam ſimile, proculdubio interdicuntur a pręcepto. Quemadmodum etiam ſuere veſtes pro indigentibus ob eleemoſinam; quia nimis remote ſe habet a Divino cultu, & a proximi imminenti gravi neceſſitate.

Diſcutiuntur nonnullæ actiones.

IX. Ex regula a S. Thoma tradita loc. citato, nempe: *Nullius ſpiritualis actus exercitium eſt contra obſervantiam; puta ſi quis doceat verbo, vel ſcripto:* Infertur primo, opera liberalia non eſſe prohibita; quamvis ob lucrum fiant, quia facere ob lucrum, non mutat naturam, & ſpeciem actionum. Neque, ad mathematicas diſcendas, eſt illicitum aliquam figuram calamo delineare; quia fit ad manuducendum intellectum ad vim demonſtrationis percipiendam. Neque diſcere theoremata, & regulas artium mechanicarum, quia hoc totum eſt officium mentis: (non autem licet regulas ad praxim deducere) Neque actio ſcribendi ſive proprios, ſive alienos conceptus, ut faciunt amanuenſes pretio ducti, de quo aliqui dubitant; quia omnes ſunt actus mentis, & locutiones ſcriptio conſignatæ; & prius mente conceptæ etiam ab amanuenſi, quam ſcripto exaratæ. Immo Navarrus c. 13. n. 14. & alii id docent etiam de amanuenſi non intelligente idioma, quod ſcribit; quia actio illius per ſe ordinatur ad aliorum mentem, & intelligentiam, & non ad corpus: & in hoc vidimus a S. D. repoſitam diſtinctionem actionis ſervilis a liberali. Tranſcribere autem vetitum reputat Cajetanus, ſed pace tanti Doctoris, parum conſequenter; eadem enim omnino videtur eſſe ratio tranſcribentis, ac prædictorum; quandoquidem etiam tranſcribere eſt opus mentis, & locutio quædam manu exarata eorum, quæ audit ex ſcripto alterius, ſicut enim ſcribens loquitur ſcripto, ita tranſcribens audit & repetit audita per ſcriptum: eo vel magis, quia ſemper aliquis mentalis proventus eidem reſultat, & id eſt verum quamvis tranſcribat ob ſtipendium.

Reſolvuntur objecta circa Tranſcriptionem.

X. Duo opponit Cajetanus; primum, tranſcribens, non intelligens quod tranſcribit, ita ſe habet ſicut formans, & pingens characteres, quod certe non eſt licitum. Sed nego quod ita ſe habeat; quia effingens characteres ab exemplari, illud imitatur omnino materialiter, & mechanice; non ita tranſcribens, qui tranſcribendo, intendit exprimere ſcripto ſenſa alterius mentis, eademque ſigno ſenſibili conſignare, ut ad aliorum mentes erudiendas deſerviant; quemadmodum enim hic eſt finis ſcribendi, ita & tranſcribendi: proinde non imitatur exemplar dumtaxat materialiter, ſed quatenus eſt ſignificativum; neque conatur imitari figuram materialem, ſed conformare ſenſa ſenſibus, & ſignificationes ſignificationibus: & hac ratione illicitum redditur die feſto imprimere, & ordinare characteres, eo quod talia agens, mechanicum agat; non enim operatur, ut locutionem locutioni conformet, & ſigna intellectus aliis ſignis ejuſdem; ſed ſcopus illius eſt, imprimere figuras illas chartæ, quemadmodum ſi imprimeret quamcumque aliam imaginem, & figuram, vel ſigillum ceræ: unde reſpectu ipſius de materiali

Pingere, diſponere, ordinare, imprimere characteres.

riali

riali ſe habet, quod ſigna illa ſint ſignificativa, mentiſque conceptus. Secundum, quod opponitur a Cajetano, eſt: opus phrygium nempe acu pingere, italice *ricamare* & penicillo pingere eſt ſervile; igitur etiam tranſcribere. R. concedendo juxta communiorem, & probabiliorem antecedens, & negando conſequentiam; & paritatem; quia pingere tam acu, quam penicillo, etiamſi fierent intentione pia donandi Eccleſiæ, reputatur ſervile; etenim quamvis procedat a mente, procedit tamen tamquam arteſactum quoddam conforme idolo in mente formato; ſicut ſtatua, domus, altare &c.; & finis intrinſecus eſt conformare rem artefactam rei materiali veræ; unde totum eſt mechanicum. Tranſcriptio autem fit ad exprimendos conceptus mentis, ratiocinia, judicia &c., & inde ejus finis intrinſecus eſt ſpiritualis, nempe inſtruere mentem, docere, loqui ſcripto &c. quod totum liberale eſt.

Opus Phrygium, nec non pingere penicillo.

Cl. Sylvius in 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. poſteaquam ſtatuit ſcriptionem, ac etiam tranſcriptionem, quæ fit gratia juvandę memoriæ, vel cauſa addiſcendi, docendi, concionandi, diſputandi, patrocinium pręſtandi, licitam eſſe, cum ſit ſpecies quædam locutionis; ac proinde opus ad liberos, ac ingenuos pertinens, non autem proprium ſervis, inquirit, *num licita ſit tranſcriptio, quæ fit ab iis, qui mercede ſunt conducti?* Et circa hanc difficultatem, quam non omnes Theologi uno modo reſolvunt, ſic mentem ſuam aperit ipſe: „ Quamvis, *inquit*, opus quod de ſe non „ eſt ſervile, non ex eo tranſeat in ſervi„ le, quod fiat ob lucrum vel mercedem; „ non videtur tamen admittendum quod „ nulla tranſcriptio ſit aliquid ſervile. „ Qui enim officium tranſcribendi exer„ cent velut artem aliquam, merito vide„ ri poſſunt facere opus ſervile, non quia „ tranſcribant propter lucrum, ſed quia „ ſervorum videtur tale officium exer„ cere; cum non ſint domini, ſed ama„ nuenſes & famuli, qui ad officium tran„ ſcriptionis deputantur. Eadem ratione „ non videntur a violatione diei Domini„ cę immunes famuli conſiliariorum, advo„ catorum, & ſimilium, ſi magnam talis „ diei partem inſumant in deſcribendis pro„ ceſſibus, computibus, & aliis hujuſmo„ di, quæ ſunt mere profana. Qui vero „ non ut officium exercentes, ſed ſolum „ tamquam rogati deſcribunt conciones, le„ ctiones, & ſimilia; quamvis ob mercedem faciant, excuſari poſſe videntur, „ ſive quia non ſerviliter agant, ſive quia „ neceſſitas, vel juſta aliqua cauſa poſtulet; „ ut diebus Dominicis tranſcribant." Hactenus ille. Sententiam hanc plures ante ipſum adoptarunt, & docuerunt.

XI. Iter agere, ſecundum ſe acceptum, non eſt prohibitum; cum non ſit ſervile, ſed commune omnibus, famulis, & liberis; ita communior; & conſtat ex conſuetudine a nullo Superiore reprehenſa. Dixi, ſecundum ſe acceptum, quia ſi iter aſſocietur alicui actioni ſervili, puta imponendi onera jumentis, eadem exonerandi &c., fatentur omnes eſſe ſervile, & vetitum; quapropter, niſi evidens neceſſitas, vel materiæ parvitas excuſet, erit peccatum grave, & circa hoc animadvertere debent vectores curruum, & jumentorum mercibus onuſtorum, quod juxta Cajetanum, Navarrum, & alios, iter inchoare ſit abuſus prohibitus, niſi forte ducantur animalia de uno loco ad alterum jam exonerata, quod eſſe videtur quoad ſubſtantiam itinerari. Quod ſi iter ante feſtum fuerit bona fide inchoatum cum dictis oneribus, excuſari poterunt vectores, vel ob neceſſitatem, publicamque utilitatem, vel ad evitandum grave nocumentum, quod ex retardatione itineris incurri poſſet: unde concludit Suarez; & ideo conſuetudo hanc etiam excuſationem approbavit. Iter agere.

XII. Saltare, inſtrumenta pulſare, canere diebus feſtis, non eſſe opera ſervilia, cum non ſint propria ſervorum, ſed liberis communia, cenſent Cajetanus, Sotus, Medina, Navarrus, Suarez, & alii, & quamvis ſaltatione non modice agitetur corpus, id fit ad levandum animum. Cæterum ſaltare ex alio capite poteſt eſſe vetitum diebus feſtivis, & grave peccatum, aut ob prohibitionem Superioris, aut ob ſcandalum, quod non raro creatur. Quamobrem in pluribus regionibus ſaltationes a Conciliis in feſto prohibentur: ita a Concilio Toletano 3., canon. 23. Mediolan. 3., tit. 1., a Turonenſi anni 1583., tit. de feſtorum cultu, a Bituricenſi anni 1583. can. 6., ab Aquenſi anni 1585. a Rothomagenſi anni 1681. ſub eodem titulo de feſtorum cultu.

Saltare, Canere, Inſtrumenta pulſare.

XIII. Venatio, Piſcatio, Aucupatio de ſe ſunt ſervilia, & mechanica, cum ſint actiones mere corporales, ex ſe primario ad utilitatem corporis ordinatæ, & de ſe in-

Venari, piſcari, et aucupari.

inſpicientes ſolum opus corporeum: unde niſi excuſet materiæ parvitas, ſunt mortalia. At inquies: Durus ſermo; non licebit igitur recreationis gratia, & ſolius relaxandi animi motivo, in illis ſe exercere? Reſpondet communis, quod profecto ſi magnus apparatus, & labor impendendus ſit in delatione, & præparatione inſtrumentorum, ſi intervenire debeat venatorum tumultus, ut contingit in venatione ferarum, & piſcatione maritima, omnia recenſita preceptum graviter violent, idque ſentiunt etiam benigniores Theologi. Si autem fiant quiete, ſine tumultu, aut magno apparatu, ut fieri ſolet in aucupio, aut piſcatione hamo facta ſolius recreationis gratia, non videntur prohibita, dicit Suarez cap. 28. num. 5. Ut conſoleris, afferam tibi hujus pii, & docti Theologi verba: Si aliqua venatio recreationis gratia excipienda eſt, per modum excuſationis eximenda eſt; non quia per ſe ſervilis non ſit, & prohibita: erit autem excuſatio prima, ob levitatem materiæ, & ex quadam morali neceſſitate ad evitandum vel otium, vel pejora opera: & quidem ſi venatio eſſet moderata, & quidem ſolum a prandio per duas, aut tres horas, mihi non diſpliceret excuſatio. Tamen quia difficile eſt damnare illos omnes, qui majorem ſumunt licentiam; ideo poteſt addi alia excuſatio ex conſuetudine, quæ poteſt legem remittere, quæ videtur in hac parte prævaluiſſe, ſcientibus, & tolerantibus Paſtoribus Eccleſiæ, quamvis forte introducta fuerit ex apprehenſione & vulgi æſtimatione, quod venatio nobili modo exercita non reputetur opus ſervile, neque inde ſcandalum ſumant, etiamſi in die feſto fiat. Hæc ille.

Militiam agere.

XIV. Militiam agere die feſto prohibetur hoc præcepto; quia quamvis militiam dirigere ſit opus liberale, congredi tamen, & pugnare eſt opus de ſe ſervile; conſiſtit enim in uſu membrorum corporis, & armorum. Quia tamen captare occaſionem victoriæ opportunam, multum pendet a circumſtantia temporis; propterea pugnare, nedum ſe defendendo, ut ſupponitur, ſed etiam aggrediendo, cenſetur diſpenſatum in cap. *licet* de feriis. Unde conſuetudo invaluit, quod etiam tempore pacis fiant feſtivis diebus quædam exercitationes militares, quæ multoties fieri nequeunt diebus ferialibus; eo vel magis, quia hujuſmodi exercitationes magis accedunt ad opus liberale, quibus erudiuntur homines ad prælium.

Actiones forenſes.

XV. Quædam actiones non ſerviles jure ſpeciali prohibentur: hæ ſunt primo actiones judiciales forenſes, quę cum aliquo ſtrepitu fiunt, & vocitantur *ſtrepitus judicialis*; nempe reum citare, teſtes examinare, proceſſum formare, exigere juramentum judiciale, inſtrumenta exhibere, proferre; & multo magis, exequi ſententiam, aliæque conſimiles: ita ex cap. 1. & ultimo de feriis, & ex Conſtit. S. Pii V. *cum primum* &c. Secundo Mercaturæ, ideſt contractus emptionum, venditionum, locationum, permutationum; niſi excuſet conſuetudo approbata, aut juſta neceſſitas. Addit Cajetanus, nunquam fuiſſe prohibitum die feſto emere neceſſaria ad victum illius diei; ſed alii id moderantur, ideſt niſi ante feſtum procurari nequiverint: & profecto in quibuſdam civitatibus comeſtibilia nonnullorum generum in feſtis publice ex conſuetudine venduntur, quin Superiores, ad quos ſpectat, quidquam dicant. Specialiter tamen prohibentur Nundinæ publicæ, quæ aliquoties in anno fieri conſueverunt, quo advehuntur variæ merces cum magno hominum confluxu: nec non mercatus; qui aliquoties in hebdomada fieri ſolent. Cajetanus tamen, & Navarrus putant, nundinas ſolemnes excuſari ob conſuetudinem jam poſſidentem: variæque afferuntur congruentiæ hanc conſuetudinem cohoneſtantes. Monent auctores, conſuetudinem non eſſe introducendam, ubi non eſt, neque amplianda, ubi viget.

Mercaturæ, & Nundinæ.

* Ad Mercatum, Nundinaſque quod ſpectat S. P. Benedictus XIV. duas edidit Conſtitutiones. In prima quæ incipit *Paternæ Charitatis* ſtatuit, Senogallienſium Nundinarum tempore abſtinendum eſſe diebus Feſtis ab operibus ſervilibus: in altera vero, cujus initium eſt *Ab eo tempore* hæc Antiſtitibus ſignificanda cenſuit 1. *Mercatus & Nundinas Feſtis diebus non licere*. 2. *Antiquum profecto eſſe abuſum Mercatuum, itemque Nundinarum iiſdem diebus*. 3. *Eccleſiaſticis legibus quovis tempore illas fuiſſe vetitas*. 4. *Hujuſmodi juſtas, ſanctaſque leges caruiſſe effectu*. 5. tandem. *Qua malum univerſale eſt, ac alte radices egit, eſt opus prudentia, & maturitate, ne fructu careat medela, ac vulnus exaſperet*. *Quod poſſumus*, ſubdit, *exigendum eſt, non quod optamus*. *Admonitionibus proinde uti ſatius videtur, quam minis; & ſi minæ quandoque intententur, ſervan-*

Digitized by Google

vandum eſt exacte monitum ſapientiſſimum S. Auguſtini in Epiſtola 22. ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum: Si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futurorum; ne nos ipſi in noſtra poteſtate, ſed Deus in noſtro ſermone timeatur &c. Præfatæ Conſtitutiones habentur *tom.* 1. *Bullarii* ejuſdem Pontificis *n.* 105. *&* 144. *pag.* 378. *&* 582. *Edit. Rom.* 1746.

§. IV. *De cauſis excuſantibus opera ſervilia in feſto.*

Cauſæ excuſantes ab abſtinendo ſerviliter in die feſto, & primo neceſſitas.

I. CAuſæ excuſantes opera ſervilia in feſto facta, ſunt: Neceſſitas, Pietas, Charitas, Conſuetudo, Diſpenſatio. Neceſſitas propria, aut aliena, ſive ſpiritualis, ſive temporalis, quæ præveniri non potuit, quando nempe abſque gravi damno opus ſervile omitti nequit, neque differri: ex cap. ult. de feriis. Debet autem neceſſitas eſſe certa: ſi enim eſſet tantum dubia, eſt petenda licentia a Superiore: immo etiam quando eſſet certa, & actio ſervilis eſſet publice facienda, ad obmurmurationes evitandas. Hinc ſolent excuſari pauperes, qui ſine ſcandalo laborant; quia alio modo familiam alere non poſſunt. Item famuli, & ancillæ, qui juſſu dominorum laborare compelluntur, nec omittere poſſunt, abſque gravi ſuo detrimento: qui conſulendi erunt, ut ſibi de alio hero provideant. Item operarii illi, qui toties diebus profeſtis tenentur pro ſuis heris laborare, quia aliunde familiam alere nequirent; in diebus feſtivis, quibus dumtaxat eis vacat, ſuas veſtes reſarcirent occulte, & remoto omni ſcandalo. Item ſi uxor compellatur a marito laborare, quem placare non poteſt; & prævidet, niſi obediat, gravia diſſidia exoritura. Item Agricolæ qui ob diuturnas pluvias, aut quæ ſuper venturæ prævidentur, congregant fœnum, ſegetes &c., ne pereant: conſultum tamen eſt, licentiam a Parocho obtinere. Item operarii illi, quorum opera ſemel cæpta interrumpi non poſſunt ſine periculo gravis damni, hi ſunt vitriarii, ſalinarii, nautæ &c. Quidam excuſant ſartores, qui ceptas veſtes finire non poſſunt tempore nuptiarum, exequiarum &c. niſi die feſto laborent: hoc puto verum, ſi id per accidens eveniat: ſi autem ſæpe hanc obligationem ſibi aſſumant, dandi veſtes tali die; eos minime excuſari cenſeo cum gravibus Auctoribus; quia in contrahendis hujuſmodi obligationibus, tenentur rationem habere ad feſta occurrentia, &, his ſervatis, tempus tradendi veſtes ſibi præſcribere; ne in neceſſitatem laborandi diebus feſtivis ſe ultro conjiciant.

Quid quoad Pietatem & quoad Charitatem? quoad conſuetudinem & diſpenſationem?

II. Pietas reſpicit cultum Dei, & de hac ſatis diximus in §. præcedenti n. 8 Charitas reſpicit proximum; & etiam de hac dictum fuit in laudato §. præcedente n. 7. Conſuetudo ab Epiſcopis tolerata, & permiſſa, efficit, ut opera quædam ſervilia excuſentur, ut vidimus in laudato paragrapho: quæ conſuetudines, cum variæ ſint, & circa varias actiones, juxta diverſitatem regionum, videat unuſquiſque quod ſibi ex conſuetudine licere poſſit. Diſpenſatio pertinet ad Pontificem pro tota Eccleſia: ad Epiſcopum pro diœceſi: & ad Parochum pro ſua parœcia in caſu non facilis acceſſus ad Epiſcopum.

* Quæres 1. an Barbitonſores valeant licite diebus feſtis artem ſuam exercere, ſeu barbam radere, & caput tondere?

Reſp. Plura ut certa ſupponunt, ac præmittunt P.P. Salmanticenſes *Tract.* 23. *cap.* 1. *punct.* 14. §. 3. *n.* 341.,, Non loquimur, *inquiunt*, quando Agricolę pergunt ad locum, ubi eſt Barbitonſor, quia tunc certum eſt, poſſe illis barbam radi ob neceſſitatem, & quia alio die commode accedere non poſſunt, ne operas ſuas cogantur deſerere. Nec loquimur quando Barbitonſor ſolet e contra diebus feſtis accedere ad tondendos Agricolas ad locum, in quo ipſi reſident, quia tunc adeſt neceſſitatis cauſa. Si vero Barbitonſor reſideat in loco, ubi Agricolæ habitant, licet Sanchez *tom.* 2. *Conſil. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 21. *n.* 6. dubitare videatur, tamen credimus poſſe eorum barbas radere, quia aliis diebus commode id fieri non poteſt, tum ob penuriam Barbitonſorum; tum quia ſuas operas deſerere cogendi ob id non ſunt; tum quia adeſt jam conſuetudo legitime introducta. Nec loquimur quando unam aut alteram barbam radunt, quia excuſantur ob materiæ parvitatem. Nec quando tondunt aliquem itinerantem, aut Peregrinum, vel qui celebraturus eſt nuptias, vel ovium Paſtores; quia adeſt neceſſitas, & alias materiæ parvitas datur. In his omnibus caſibus, *ſubdunt*, ob rationes allegatas conveniunt Auctores, excuſari Barbitonſores, & eos, qui ab eis barbam radere poſtulant,

Quod ergo in controverſiam vocatur, eſt,

eſt, an Barbitonſores poſſint licite diebus feſtis omnes promiſcue ad ſuam officinam accedentes tondere, vel eos, quorum barbas jamdiu radere conſueverunt, etſi ad hoc opus ſit majorem diei partem inſumere? Partem ajentem propugnant nonnulli ob conſuetudinem, quam exiſtimant legitime invectam. Alii communiter, quibus & iidem Salmanticenſes ſubſcribunt, oppoſitum ſuſtinent, aſſeruntque talem conſuetudinem nullibi eſſe receptam; quin potius ſemper reprehenſam a Prælatis, Confeſſariis, & Viris doctis. Profecto eam improbavit S. P. Joannes XXII. in litteris ad Philippum V. Galliarum Regem datis anno 1315, ut videre eſt apud Odoricum Raynaldum ad eundem annum *num.* 4. *Illud ſane*, inquit, *quod inoleviſſe in illis partibus dicitur, ut videlicet paſſim in quamdam divinam irreverentiam ... die dominico radendis, ac tondendis barbis, atque capitibus intendatur, te diſſimulare non licet, cum dies illa Divino cultui ſpecialiter dedicata talibus profanari non debeat &c.* Legatur *Inſtit.* 43. Em. Card. Lambertini poſtea S. P. Benedict. XIV. *a nu.* 1. *uſque ad* 9. ubi materiem hanc fuſo calamo diſcutit.

Quid igitur aſſerendum de iis Barbitonſoribus, qui ni artem ſuam exerceant feſtis diebus, & clientes ſuos amittunt, & lucri jacturam faciunt? damnandine erunt ut rei lethalis criminis?

„ Abſoluta reſponſio vix dari poteſt,
„ ait P. Daniel Concina *Theolog. Chriſt.*
„ *tom.* 5. *lib.* 1, *diſſert.* 11. *cap.* 8. *n.* 9,
„ ſed ex multis circumſtantiis quod fa-
„ ciendum ſit, pendet. Qui ob ſolam lu-
„ cri aviditatem his diebus artem exer-
„ cent, damnandi ſunt. Qui alendæ fa-
„ miliæ, neceſſitate cogente, laborant,
„ tolerandi & admonendi, ut majori
„ qua poſſint cautela id faciant, ut Miſ-
„ ſam audiant, veſperis, & divinis lau-
„ dibus, quoad fieri poteſt, interſint.
„ Verum majoris culpæ, *ſubjungit*, ſæ-
„ pius rei ſunt ipſi homines tondendi,
„ qui nulla neceſſitate coacti, ſed ob ſo-
„ lam vanitatem, ut ſe magis comptu-
„ los & ornatulos prodant ſolemnioribus
„ diebus, tempore dumtaxat ſacro Bar-
„ bitonſores adeunt, & profeſtis diebus
„ perpetuo diffluunt otio, vel ludis re-
„ buſque ineptis vacant. Iſti ſane excu-
„ ſari nequeunt, reique ſunt: tum quod
„ ipſi peccent; tum quod aliis peccandi
„ occaſionem præbeant, pravumque abu-
„ ſum, & ſcandalum foveant." Sic quidem præcitatus Theologus.

Quæres 2. Quotum tempus requiratur, ut cenſeatur quis lethaliter peccare exercendo ſervilia vel vetita diebus feſtis?

Reſp. Dari parvitatem materiæ ſeu temporis a gravi feſtorum violatione excuſantem eos, qui in iis ſervilia, vel vetita exercent, in confeſſo eſt apud omnes. Quamobrem ſi mulier in die feſto aliqua puncta conſuat, etiam cauſa juſta ſublata, graviter non peccat. Dicimus graviter non peccare, quia a levi ſeu veniali culpa excuſari non poteſt, cum vere in materia levi præceptum infringat, nulla cauſa ad id cogente. *Si tamen cum materiæ levitate*, inquit Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 2., *ſimul concurrat aliqualis neceſſitas, licet magna non ſit, facile poterit etiam a veniali culpa excuſari.* Tota igitur difficultas eſt in aſſignando quorum tempus requiratur, ut cenſeatur quis lethaliter peccare exercendo ſervilia, vel vetita diebus feſtis. Circa hoc magnum adhuc viget inter Theologos diſſidium. Septem ſententias referunt P. P. Salmanticenſes *tom.* 5. *tract.* 23. *c.* 2. *punct.* 14. §. 1. *n.* 319., *&* 320. Non vacat ſingulas, quarum aliquæ profecto laxiſſimæ ſunt, ideoque a gravioribus Theologis omnino improbantur, ob oculos ponere. Iidem Salmanticenſes tandem adhærent opinioni, quæ ſtatuit, quod quamvis laborare minus quam duas horas non ſit mortale; attamen ſi duabus horis quis in feſto labori incumbat, abſque dubio mortaliter peccet. Et hæc tamen nobis laxa nimis apparet. Nam ſi jure meritoque mortale reputatur, ſi duarum horarum ſpatium ſive continenter, ſive interrupte in operibus ſervilibus impendatur, cum revera ſit tempus notabile, mortale quoque ob eamdem rationem exiſtimandum erit ſpatium unius horæ cum tribus quadrantibus; & tamen in tali caſu laboraret quis minus quam duas horas. Quid igitur in tanta opinionum varietate aſſerendum? Magis nobis arridet ſententia Suarezii *loco ſupra citato*. In primis ut nimis rigoroſam rejicit ipſe opinionem illorum, qui ſentiunt lethaliter delinquere qui unicam integram horam in operibus ſervilibus die feſto inſumit; quia, *ait*, reſpectu totius diei pars vigeſima quarta non apparet nimia, nec multum impedire finem præcepti, qui eſt cultus Dei. Deinde prudenti arbitrio hoc

exiſti-

exiſtimat relinquendum; nam conſiderare oportet, *ſubdit*, qualitatem, & laborem operis. Duo itaque certa videntur circa hanc difficultatem. 1. laborem ſervilem per duas integras horas abſolute, & quocumque circumſtantiarum reſpectu praeciſo, materiam eſſe gravem, ac mortale peccatum, ut communior ſententia docet. 2. laborem ſervilem per unicam ſolum integram horam materiam eſſe levem, & veniale dumtaxat peccatum. Dubium autem eſt quodnam ſit ſpatium temporis leve vel grave infra duas horas. Dum igitur pius, doctus, ac prudens confeſſarius in pœnitentem incidit qui die feſto ſupra horam laboraverit, attente perpendat laboris qualitatem, & perſonæ ſtatum, nempe neceſſitatem, finem, paupertatem, iiſque mature perpenſis, decernat, quid magis conſentaneum judicaverit, ſeu judicium efformet, num peccatum mortale commiſerit vel veniale. Ex iis ſane, aliiſque circumſtantiis melius, quam ex uno vel altero plus minuſve quadrante qualitas culpæ gravis, vel levis colligenda eſt, quidquid in oppoſitum ſentiant Salmanticenſes, qui laudati Suarezii conſilium immerito carpunt ut incertum, pluribuſque laxitatibus obnoxium.

Animadvertendum autem cum P. Antoine *tract. de Virt. Relig. cap.* 2. *reſp.* 2. *ad Q.* 1. in mercato, & præſertim in placito, materiæ quantitatem non ſolum ex quantitate temporis, ſed ex qualitate operis deſumendam. Sic brevis agitatio litis in re magni momenti, & prolatio ſententiæ, eſt gravis culpa.

CAPUT II.

DE SANCTIFICATIONE FESTORUM.

Quoad opera pia impoſita.

§. I. *De obligatione, & modo audiendi Miſſam.*

Obligatio Miſſę audiendę ab eodem Sacerdote.

I. Eccleſiæ præcepto tenentur ſub mortali fideles diebus feſtivis audire Miſſam, & quidem integram ex cap. 62. de conſecr. diſt. 1. *Miſſas totas audire*. Excuſat tamen a mortali, ſicut & in aliis præceptis, parvitas materiæ, quæ a multis eſſe cenſetur, dum quis non intereſt ab initio uſque ad epiſtolam incluſive, modo dein uſque ad finem interſit; vel cum interfuiſſet ab initio uſque ad communionem ſi poſtea abeat. Neceſſaria eſt aſſiſtentia Conſecrationi, & Conſummationi, quarum alterutri ſi deſit aſſiſtens, non ſatisfacit, quia ſunt partes potiſſimæ, ac præcipuæ celebrationis; in illa quippe eſſentia conſiſtit Sacrificii, iſta vero ſaltem ad ejus integritatem, ac complementum ſubſtantiale ſpectat. Miſſa audiri debet ab eodem Sacerdote, neque ſatisfacit, qui illam audit a duobus ſimul celebrantibus ſecundum diverſas medietates, vel ſibi ſuccedentibus; non primum, quia extat theſis ab Innoc. XI. damnata n. 53. *ſatisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor ſimul a diverſis celebrantibus audit*: non ſecundum quia revera neque in hoc caſu neque in primo auditur Miſſa, quæ eſt quoddam totum ſucceſſivum conſtans ſuis partibus ſucceſſivis, quod non verificatur de Miſſis aliquo ex his modis auditis. Qui autem totam audire non potuit, audiat eam partem quam poteſt.

* Præceptum audiendi Miſſam diebus Dominicis, aliiſque feſtis comprehendit fideles omnes utriuſque ſexus, rationis uſum adeptos, non legitime impeditos, cujuſcumque ſint ſtatus & conditionis, etiam Religioſos, & Sacerdotes, quando non celebrant, ut Eccleſiæ ſenſus, praxis, & conſuetudo teſtatur. Diximus *Fideles omnes utriuſque ſexus*; quippe infideles non baptizati cum legibus Eccleſiæ ſubjecti non ſint, ad Miſſam audiendam non tenentur; & ob eamdem rationem nec Cathecumeni obligantur ad partem Miſſæ ante Offertorium, cui poſſunt intereſſe. Diximus ulterius *fideles omnes rationis uſum adeptos*. Nam excluduntur 1. pueri ante ſeptennium, vel potius ante uſum rationis, quæ aliis ſerius, aliis ocius advenit; cum ante uſum rationis capaces non ſint aſſiſtendi Miſſæ præſentia humana. Dicimus de induſtria *ante ſeptennium, vel potius ante uſum rationis*; quia ſi alicui ante ſeptennium perfectus rationis uſus illuxerit, ad illud adimplendum tenebitur, ut probant P. P. Salmanticenſes *tract.* 33. *cap.* 1. *punct.* 9. §. 1. *n.* 152. Immo Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 88. *ſect.* 4. advertendum cenſet, in hujus præcepti exe-

cu-

cutione nullam eſſe occaſionem differendi executionem ejus, quamprimum probabilia ſigna apparent diſcretionis & rationis uſus. Monet vero juſtiſſime S. Antoninus 2. *p. Sum. tit.* 9. *cap.* 10. §. 1. quod a tenera ætate pueri a parentibus inducantur, & deferantur ad aſſiſtendum Miſſæ, ut ſic hanc legem aſſueſcant obſervare. Sed hoc conſilium tantum eſt, non præceptum. Pueri autem completo ſeptennio, quamquam myſterium non aſſequantur, ſintque adhuc nimium rudes, nihilominus præcepto hoc ligantur, ut aſſerit P. Concina *tom.* 5. *diſſert.* 3. *cap.* 1. *n.* 3. Excluduntur 2. perpetuo amentes, cum & ipſi humano modo aſſiſtere ſacrificio nequeant. Dicimus perpetuo amentes; etenim qui ad tempus dumtaxat delirant excuſantur ſolum, dum delirio rapiuntur; ſicut & ebrii tantum eximuntur ab obligatione, dum ebrietate completa opprimuntur. Legantur quæ habet Auctor tract. 1. c. 2. de *legibus* §. 8. *n.* 4. 5. *&* 6.

Ad ſatisfaciendum autem huic præcepto ſufficit audire quamcumque Miſſam, a quocumque catholico Sacerdote, in quacumque Eccleſia, & in quacumque hora intra tempus, in quo juxta Eccleſiæ præſcriptum poteſt Miſſa celebrari; dummodo tamen integra Miſſa audiatur.

Sufficit 1. audire *quamcumque Miſſam* ſive ſolemnem, ſeu cum cantu, ſive privatam, ſeu quæ ſine cantu celebratur, ſive propriam, ſive de tempore, ſive de ſanctis, ſive votivam, ſive de defunctis; & in quocumque idiomate ſive Latino, ſive Græco, ſive Syriaco, ſive Illyrico &c. & quocumque ritu ab Eccleſia Romana approbato, quemadmodum communiter tradunt Doctores.

2. A *quocumque Sacerdote catholico*, qui tamen non ſit excomunicatus vitandus, ſeu aut nominatim denuntiatus, aut publicus Clerici percuſſor. Quare ſi alius non foret Sacerdos niſi excommunicatus vitandus, qui die feſto celebraret, Miſſa potius omittenda eſſet, quam cum ipſo in divinis communicandum. Ad rem hanc hæc habet Auctor *Theologiæ Moralis ad uſum Seminarii Petrocorenſis tom.* 3. *lib.* 1. *tract.* 4. *de Euch. cap.* 11. *in reſp. ad Q.* 3. Poſt relatam doctrinam, quam tradit D. Thoma. 3. *p. quæſt.* 82. *art.* 9. ſubdit:
„ Non eadem tamen ſemper fuit Eccle-
„ ſiæ diſciplina. Olim ſiquidem ſcandalo-
„ ſi, & publice mali Sacerdotis Miſſam
„ vitare jubebat, ut patet ex variis ca-
„ nonibus: *Nullus Miſſam audiat Preſ-*
„ *byteri, quem ſcit concubinam indubitan-*
„ *ter habere, aut ſubintroductam mulierem,*
„ inquiunt Nicolaus V. & Alexander II.
„ *C. Nullus*, & *C. Præter diſt.* 32. A
„ tempore vero Conciliorum Conſtantien-
„ ſis, & Baſileenſis malorum Sacerdo-
„ tum Miſſas audire, aut ab iis com-
„ munionem recipere nemo prohibetur,
„ niſi ſint excommunicati, ſuſpenſi, vel
„ interdicti denuntiati, vel notorii Cle-
„ rici alicujus percuſſores. Monet tamen
„ Eſtius *in* 4. *diſt.* 13. § 5. quod hujuſ mo-
„ di criminoſi Sacerdotes ſcandaloſe viven-
„ tes, licet ab Eccleſia tolerati, plerum-
„ que a Fidelibus vitandi ſint, dum non
„ urget audiendæ Miſſæ, vel commu-
„ nionis accipiendæ præceptum; tum ne
„ morum contagio inficiantur; tum ut
„ illi ipſi confundantur de vita ſua ma-
„ la, & ad Dominum per veram pœni-
„ tentiam convertantur." Legatur etiam Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 88. *ſect.* 6.

3. *In quacumque Eccleſia*. Non enim neceſſe eſt ad ſatisfaciendum præcepto Miſſam audire in propria Parochia, ſed ſatisfit audiendo illam etiam in Parochia aliena, vel in Eccleſiis Regularium, ut Leo X. in Bulla *Intelleximus* ann. 1517. Pius V. in Bulla *Etiamſi mendicantium* ann. 1567. & Clemens VIII. in Brevi quod incipit *ſignificatum* an. 1592. dato ad Nuntium Apoſtolicum declararunt. Immo præcepto faciunt ſatis qui Miſſam audiunt in Oratoriis ſive Sacellis erectis in Palatiis Epiſcoporum, aut in Conventibus Regularium, vel in parvulis illis Eccleſiis, quæ januam habent publico ingreſſui, & communi viæ expoſitam, aut in Capellis a Miſſionariis privilegiatis certo loco erectis. Videatur S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib.* 11. *cap.* 14. *a n.* 7. *uſque ad* 10. in quo concludit, integrum hodie omnibus eſſe in qualibet Eccleſia, modo non ſit Cappella, ſeu Oratorium privatum, ſacris Miſteriis intereſſe, quia contraria conſuetudine, in toto orbe Chriſtiano recepta, derogatum eſt præcepto audiendi Miſſam Parochialem. Quinam autem ſatisfaciant, audiendo Miſſam in Oratoriis privatis in domibus ſive Clericorum ſæcularium, ſive Laicorum extantibus, diſtincte exponit Auctor *tom.* 2. *in Append. de Privilegio audiendæ & celebrandæ Miſſæ in Orato-*

riis

Digitized by Google

tiis privatis §. 13. 14. & 15. Etſi autem huc uſque dicta indubia ſint; veruntamen ſedulo meminiſſe oportet eorum, quæ laudatus Clemens VIII. *in præcitato Brevi* ſubjicit: *Ipſis vero privilegiatis*, ait, *eadem auctoritate* (Apoſtolica ſcilicet) *præcipias, ut in Concionibus, & Catechiſmis populum ipſum tum ad reverentiam Parochorum, tum ad eorum Miſſas, præſertim Dominicis, & aliis ſolemnibus feſtis diebus audiendas, tum ad decimas, reſque alias Eccleſiis debitas ſolvendas frequenter moneant, & adhortentur.* Quæ conſentanea ſunt verbis Concilii Tridentini *ſeſſ. 22. in Decr. de obſervan. & evit. in celeb. Miſſæ; & ſeſſ. 24. cap. 4. de reform.* Legatur P. Renatus Hyacinthus Drouven *de Re Sacramentaria tom. 1. lib. 5. quæſt. 10. q. 3. & ſeq. ubi ad rem hanc plura habet.*

4. *In quacumque hora intra tempus, in quo juxta Eccleſiæ præſcriptum poteſt Miſſa celebrari.* Circa quod videantur quæ docet Auctor *tom. 2. tract. 14. cap. 3. §. 11. nu. 3.*, quæque nos ibidem ex Em. Lambertino adjecimus. In memoriam ſolummodò revocamus, quod & tradit Auctor idem *cap. præced. §. 2. n. 2.* nempe quod teneatur die feſto prima hora Miſſam audire, qui poſtea reliquo mane prævidet, ſe ab ea audienda impeditum iri. Quippe præceptum obligat ſimpliciter illo die; & in tali caſu non poteſt impleri, niſi audiendo Miſſam prima hora; nam hic & nunc, & reſpectu talis hominis eſt unica, & ultima hora ipſi apta ad adimplendum præceptum: ergo illa hora tenetur illud implere.

Animadvertendum autem occurrit cum P. P. Salmanticenſibus *tract. 5. de Miſſæ Sacrif. cap. 6. punct. 1. num. 16.* „ Sæpe „ contingere aliquem audiſſe Miſſam, „ & tamen peccaſſe mortaliter contra „ hoc præceptum, eo quod voluntarie „ moratus fuit tanto tempore, ut ſe „ expoſuerit periculo morali non inveniendi Sacrum, tametſi caſu evenerit „ inveniſſe, quod non impedit, quod a „ principio peccaverit. E contra vero „ contingit, aliquem non audiſſe Sacrum, nec tamen peccaſſe mortaliter; „ quia per illum moraliter non ſtetit, „ quin audiret; ſed Sacerdoti Sacrum „ maturanti, & hora conſueta non celebranti tribuendum eſt. Unde Confeſſarii diligentes debent eſſe in examinandis pœnitentibus, an ſe expoſuerint „ periculo omittendi Sacrum? An eodie, „ quo Sacrum omiſerunt, fecerint quantum in ipſis fuit, ut audirent.“

5. Tandem *dummodo tamen integra Miſſa audiatur.* Nam integram vi hujus præcepti adſtringi fideles Miſſam audire, nempe a principio uſque ad finem, clare habetur in jure variis locis, & præſertim relato etiam ab Auctore *cap. Miſſas de conſecrat. diſt. 1. ex Concilio Agathenſi anni 506. can. 47. & cap. cum Celebrandus ex Concilio Aurelianenſi anni 511. can. 28.* in quibus ſemper prohibetur, ne populus ante diſcedat, quam Miſſæ ſolemnitas compleatur, & ubi Epiſcopus non fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis. Quamobrem non poſſunt voluntarie, & ſine legitima, atque excuſante cauſa aliquam omittere Miſſæ partem etiam minimam abſque culpa, quia vel in toto, vel in parte hoc non adimplebunt præceptum. Et quidem ſi partem notabilem omittant ſine juſta cauſa excuſante, graviter præceptum violant; & proinde lethale peccatum perpetrant; ſi vero partem omittant exiguam, leviter dumtaxat præceptum infringunt, ac nonniſi venialem culpam committunt. In hoc Doctores omnes conveniunt. At quænam pars notabilis, quænam exigua cenſenda ſit, magna inter ipſos reperitur diſſenſio. Non vacat ſingulas referre opiniones, quarum aliquæ profecto laxiſſimæ ſunt, ideoque omnino improbandæ. Quæ veritati magis conſona nobis apparent, quæque ab utroque extremo ſeveritatis & laxitatis declinare videntur, paucis ob oculos ponimus. Itaque exigua ſeu levis pars cenſetur communiter a Doctoribus omiſſio uſque ad Epiſtolam excluſive, & a communione jam perfecta uſque ad finem; & ſic excuſantur a mortali qui Miſſam audiunt a principio Epiſtolæ uſque ad finem, vel etiam ab initio uſque ad communionem incluſive. Notabilis vero pars exiſtimatur tum ea, quæ eſt ab Introitu ad Evangelium uſque; tum quæ eſt ab Offertorio ad conſecrationem, tum maxime quæ eſt a conſecratione ad communionem uſque Sacerdotis. Item partem notabilem omitteret qui inciperet Miſſam tantum audire ante incæptam Epiſtolam; & deinde ſtatim poſt Sacerdotis Communionem egrederetur; aut qui, audita Miſſa ab initio, recederet, antequam celebrans ſeipſum communicaret. Imo notabilis eſt omiſſio ſolius conſecrationis utriuſque ſpeciei; & juxta non pau-

Digitized by Google

cutione nullam eſſe occaſionem differendi executionem ejus, quamprimum probabilia ſigna apparent diſcretionis & rationis uſus. Monet vero juſtiſſime S. Antoninus 2. *p. Sum. tit.* 9. *cap.* 10. §. 1. quod a tenera ætate pueri a parentibus inducantur, & deferantur ad aſſiſtendum Miſſæ, ut ſic hanc legem aſſueſcant obſervare. Sed hoc conſilium tantum eſt, non præceptum. Pueri autem completo ſeptennio, quamquam myſterium non aſſequantur, ſintque adhuc nimium rudes, nihilominus præcepto hoc ligantur, ut aſſerit P. Concina *tom.* 5. *diſſert.* 3. *cap.* 1. *n.* 3. Excluduntur 2. perpetuo amentes, cum & ipſi humano modo aſſiſtere ſacrificio nequeant. Dicimus perpetuo amentes; etenim qui ad tempus dumtaxat delirant excuſantur ſolum, dum delirio rapiuntur; ſicut & ebrii tantum eximuntur ab obligatione, dum ebrietate completa opprimuntur. Legantur quæ habet Auctor tract. 1. c. 2. de *legibus* §. 8. *n.* 4. 5. & 6.

Ad ſatisfaciendum autem huic præcepto ſufficit audire quamcumque Miſſam, a quocumque catholico Sacerdote, in quacumque Eccleſia, & in quacumque hora intra tempus, in quo juxta Eccleſiæ præſcriptum poteſt Miſſa celebrari; dummodo tamen integra Miſſa audiatur.

Sufficit 1. audire *quamcumque Miſſam* ſive ſolemnem, ſeu cum cantu, ſive privatam, ſeu quæ ſine cantu celebratur, ſive propriam, ſive de tempore, ſive de ſanctis, ſive votivam, ſive de defunctis; & in quocumque idiomate ſive Latino, ſive Græco, ſive Syriaco, ſive Illyrico &c. & quocumque ritu ab Eccleſia Romana approbato, quemadmodum communiter tradunt Doctores.

2. A *quocumque Sacerdote catholico*, qui tamen non ſit excommunicatus vitandus, ſeu aut nominatim denuntiatus, aut publicus Clerici percuſſor. Quare ſi alius non foret Sacerdos niſi excommunicatus vitandus, qui die feſto celebraret, Miſſa potius omittenda eſſet, quam cum ipſo in divinis communicandum. Ad rem hanc hæc habet Auctor *Theologiæ Moralis ad uſum Seminarii Petrocorenſis tom.* 3. *lib.* 1. *tract.* 4. *de Euch. cap.* 11. *in reſp. ad Q.* 3. Poſt relatam doctrinam, quam tradit D. Thoma. 3. *p. quæſt.* 82. *art.* 9. ſubdit: „Non eadem tamen ſemper fuit Eccleſiæ diſciplina. Olim ſiquidem ſcandaloſi, & publice mali Sacerdotis Miſſam vitare jubebat, ut patet ex variis canonibus: *Nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, aut ſubintroductam mulierem*, inquiunt Nicolaus V. & Alexander II. *C. Nullus*, & *C. Præter diſt.* 32. A tempore vero Conciliorum Conſtantienſis, & Baſileenſis malorum Sacerdotum Miſſas audire, aut ab iis communionem recipere nemo prohibetur, niſi ſint excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti denuntiati, vel notorii Clerici alicujus percuſſores. Monet tamen Eſtius *in* 4. *diſt.* 13. § 5. quod hujuſmodi criminoſi Sacerdotes ſcandaloſe viventes, licet ab Eccleſia tolerati, plerumque a Fidelibus vitandi ſunt, dum non urget audiendæ Miſſæ, vel communionis accipiendæ præceptum; tum ne morum contagio inficiantur; tum ut illi ipſi confundantur de vita ſua mala, & ad Dominum per veram pœnitentiam convertantur." Legatur etiam Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 88. *ſect.* 6.

3. *In quacumque Eccleſia*. Non enim neceſſe eſt ad ſatisfaciendum præcepto Miſſam audire in propria Parochia, ſed ſatiſfit audiendo illam etiam in Parochia aliena, vel in Eccleſiis Regularium, ut Leo X. in Bulla *Intelleximus* ann. 1517. Pius V. in Bulla *Etiamſi mendicantium* ann. 1567. & Clemens VIII. in Brevi quod incipit *ſignificatum* an. 1592. dato ad Nuntium Apoſtolicum declararunt. Immo præcepto faciunt ſatis qui Miſſam audiunt in Oratoriis ſive Sacellis erectis in Palatiis Epiſcoporum, aut in Conventibus Regularium, vel in parvulis illis Eccleſiis, quæ januam habent publico ingreſſui, & communi viæ expoſitam, aut in Capellis a Miſſionariis privilegiatis certo loco erectis. Videatur S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib.* 11. *cap.* 14. *a n.* 7. *uſque ad* 10. in quo concludit, integrum hodie omnibus eſſe in qualibet Eccleſia, modo non ſit Cappella, ſeu Oratorium privatum, ſacris Miſteriis intereſſe, quia contraria conſuetudine, in toto orbe Chriſtiano recepta, derogatum eſt præcepto audiendi Miſſam Parochialem. Quinam autem ſatisfaciant, audiendo Miſſam in Oratoriis privatis in domibus ſive Clericorum ſæcularium, ſive Laicorum extantibus, diſtincte exponit Auctor *tom.* 2. *in Append. de Privilegio audiendæ & celebrandæ Miſſæ in Orato-*

riis

Digitized by Google

viis privatis §. 13. 14. & 15. Etſi autem hucuſque dicta indubia ſint; veruntamen ſedulo meminiſſe oportet eorum, quæ laudatus Clemens VIII. *in præcitato Brevi* ſubjicit: *Ipſis vero privilegiatis*, ait, *eadem auctoritate* (Apoſtolica ſcilicet) *præcipias, ut in Concionibus, & Catechiſmis populum ipſum tum ad reverentiam Parochorum, tum ad eorum Miſſas, præſertim Dominicis, & aliis ſolemnibus feſtis diebus audiendas, tum ad decimas, reſque alias Eccleſiis debitas ſolvendas frequenter moneant, & adhortentur.* Quæ conſentanea ſunt verbis Concilii Tridentini *ſeſſ. 22. in Decr. de obſervan. & evit. in celeb. Miſſæ; & ſeſſ. 24. cap. 4. de reform.* Legatur P. Renatus Hyacinthus Drouven *de Re Sacramentaria tom. 1. lib. 5. quæſt. 10. q. 3. & ſeq. ubi ad rem hanc plura habet.*

4. *In quacumque hora intra tempus, in quo juxta Eccleſiæ præſcriptum poteſt Miſſa celebrari.* Circa quod videantur quæ docet Auctor *tom. 2. tract. 14. cap. 3. §. 11. nu. 3.*, quæque nos ibidem ex Em. Lambertino adjecimus. In memoriam ſolummodò revocamus, quod & tradit Auctor idem *cap. præced.* §. 2. *n.* 2. nempe quod teneatur die feſto prima hora Miſſam audire, qui poſtea reliquo mane prævidet, ſe ab ea audienda impeditum iri. Quippe præceptum obligat ſimpliciter illo die; & in tali caſu non poteſt impleri, niſi audiendo Miſſam prima hora; nam hic & nunc, & reſpectu talis hominis eſt unica, & ultima hora ipſi apta ad adimplendum præceptum: ergo illa hora tenetur illud implere.

Animadvertendum autem occurrit cum P. P. Salmanticenſibus *tract. 5. de Miſſæ Sacrif. cap. 6. punct. 1. num. 16.* „ Sæpe „ contingere aliquem audiſſe Miſſam, „ & tamen peccaſſe mortaliter contra „ hoc præceptum, eo quod voluntarie „ moratus fuit tanto tempore, ut ſe „ expoſuerit periculo morali non inveniendi Sacrum, tametſi caſu evenerit „ inveniſſe, quod non impedit, quod a „ principio peccaverit. E contra vero „ contingit, aliquem non audiſſe Sacrum, nec tamen peccaſſe mortaliter; „ quia per illum moraliter non ſtetit, „ quin audiret; ſed Sacerdoti Sacrum „ maturanti, & hora conſueta non celebranti tribuendum eſt. Unde Confeſſarii diligentes debent eſſe in examinandis pœnitentibus, an ſe expoſuerint „ periculo omittendi Sacrum? An eodie, „ quo Sacrum omiſerunt, fecerint quantum in ipſis fuit, ut audirent. “

5. Tandem *dummodo tamen integra Miſſa audiatur.* Nam integram vi hujus præcepti adſtringi fideles Miſſam audire, nempe a principio uſque ad finem, clare habetur in jure variis locis, & præſertim relato etiam ab Auctore *cap. Miſſas de conſecrat. diſt. 1. ex Concilio Agathenſi anni 506. can. 47. & cap. cum Celebrandus ex Concilio Aurelianenſi anni 511. can. 28.* in quibus ſemper prohibetur, ne populus ante diſcedat, quam Miſſæ ſolemnitas compleatur, & ubi Epiſcopus non fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis. Quamobrem non poſſunt voluntarie, & ſine legitima, atque excuſante cauſa aliquam omittere Miſſæ partem etiam minimam abſque culpa, quia vel in toto, vel in parte hoc non adimplebunt præceptum. Et quidem ſi partem notabilem omittant ſine juſta cauſa excuſante, graviter præceptum violant; & proinde lethale peccatum perpetrant; ſi vero partem omittant exiguam, leviter dumtaxat præceptum infringunt, ac nonniſi venialem culpam committunt. In hoc Doctores omnes conveniunt. At quænam pars notabilis, quænam exigua cenſenda ſit, magna inter ipſos reperitur diſſenſio. Non vacat ſingulas referre opiniones, quarum aliquæ profecto laxiſſimæ ſunt, ideoque omnino improbandæ. Quæ veritati magis conſona nobis apparent, quæque ab utroque extremo ſeveritatis & laxitatis declinare videntur, paucis ob oculos ponimus. Itaque exigua ſeu levis pars cenſetur communiter a Doctoribus omiſſio uſque ad Epiſtolam excluſive, & a communione jam perfecta uſque ad finem; & ſic excuſantur a mortali qui Miſſam audiunt a principio Epiſtolæ uſque ad finem, vel etiam ab initio uſque ad communionem incluſive. Notabilis vero pars exiſtimatur tum ea, quæ eſt ab Introitu ad Evangelium uſque; tum quæ eſt ab Offertorio ad conſecrationem, tum maxime quæ eſt a conſecratione ad communionem uſque Sacerdotis. Item partem notabilem omitteret qui inciperet Miſſam tantum audire ante incæptam Epiſtolam; & deinde ſtatim poſt Sacerdotis Communionem egrederetur; aut qui, audita Miſſa ab initio, recederet, antequam celebrans ſeipſum communicaret. Imo notabilis eſt omiſſio ſolius conſecrationis utriuſque ſpeciei; & juxta non

pau-

paucos etiam ſolius aſſumptionis; atque adeo, ut & aſſerit Auctor, præcepto minime ſatisfaceret, & lethaliter delinqueret qui aut illi, aut iſti voluntarie, & abſque rationabili cauſa non intereſſet, tametſi reliquis Miſſæ partibus aſſiſteret; quippe in partibus Miſſæ, ſicut optime animadvertit Suarez *cit. diſp. 88. ſect. 2.* non tam attendenda eſt temporis mora quam dignitas rei omiſſæ ob propinquitatem ad eſſentiam, & integritatem Sacrificii. Et hinc inferunt PP. Salmanticenſes *loco ſupra citato n. 2.* quod neque præcepto ſatisfaceret qui abeſſet a peracta conſecratione uſque ad *Pater noſter* excluſive; quia ſcilicet & hæc eſt pars gravis & notabilis in dignitate orta ex propinquitate ad ſubſtantiam Sacrificii.

Hinc etiam obſervat Cl. Sylvius *in 22. q. 122. art. 4. poſt reſp. ad Q. 3.* peccatum mortale ejus qui ſine cauſa legitima omittit eam partem, quæ vocari ſolet Miſſa Fidelium & extenditur ab Offertorio uſque ad finem, gravius eſſe quam alterius, qui ſolum omittit Miſſam Catechumenorum ita dictam, quod catechumeni poſſunt illi intereſſe, & conſiſtit in iis, quæ ab initio Miſſæ leguntur uſque ad Evangelium, & Concionem (ſi habetur) incluſive; eo quod nempe in Miſſa Fidelium contineantur illæ actiones Sacrificii principales; nimirum conſecratio, & communio; quæ in Miſſa Catechumenorum non continentur: gravius autem eſt etiam in eodem genere peccati omittere partes principaliores, quam alias.

Quænam requiratur aſſiſtentia? II. Requiritur præſentia corporalis humana, ita ut audiens poſſit ſaltem colligere quid agatur a Sacerdote, & prudenter cenſeri poſſit pars moraliter unita, & conjuncta multitudini adſtantium Miſſæ audiendæ, attentis circumſtantiis loci, & perſonarum: unde niſi alio modo poſſit accedere ad celebrantem, ſufficit etiam, ut ſtet in gradibus veſtibuli Eccleſiæ non magnæ. Requiritur etiam præſentia moralis, & religioſa, nempe mens attenta, vel ad ipſam Miſſam, vel ad res Deum ſpectantes. Qui igitur adſtat mente advertenter diſtracta, vel adeo negligente, ut voluntarie diſtractus vere dici poſſit vel dormitando, vel confabulando, vel hinc inde circumſpiciendo per notabilem partem Miſſæ, non ſatisfacit præcepto, & peccat lethaliter, niſi alteram religioſe audiat. Qui inſerviendo Miſſæ recedit ab altari, procuraturus a Sacriſtia quid celebrationi neceſſarium, ſatisfacit, dummodo abſit modico tempore, & adſit dum conſecratur, & conſummatur. Qui pulſat organa, non videtur ſatisfacere, quia eſt actio nimis diſtrahens ab attentione Miſſæ; quidquid aliqui affirment.

* Fuſius exponenda eſt præſentia tum corporalis humana, cum moralis, & religioſa ad ſatisfaciendum præcepto de Sacri auditione requiſita, indeque plures caſus in praxi occurrentes ſummatim reſolvendi.

In primis igitur neceſſaria eſt præſentia corporalis humana, ideſt, ut quis ſit ita præſens loco, in quo Miſſa celebratur, ut poſſit dici unus e numero eorum, qui humano modo libere aſſiſtunt, & cum Sacerdote offerunt Sacrificium. Unde opus non eſt quod actu quis videat, aut audiat Sacerdotem celebrantem, ſed ſatis eſt, quod ſit in tali loco, ut cenſeatur facere unam ſocietatem cum iis qui Miſſam audiunt; & ex ſignis ſaltem colligere aliquo modo poſſit, quid in Sacrificii celebratione peragatur. Uno verbo hæc præſentia non tam phyſice, quam moraliter penſanda eſt. Hinc

Colligendum 1. eſt, cæcos & ſurdos moraliter Miſſæ intereſſe, & ſatisfacere præcepto, ſi ſint in loco unde alias poſſent videre, audire, vel advertere celebrantem, ſi ſuarum potentiarum uſu gauderent.

Colligendum 2. moraliter præſentes eſſe, ac proinde adimplere præceptum qui extra Eccleſiam multitudinis totius non capacem conſiſtunt, puta in platea, in campo &c. modo tamen ad multitudinem aſſiſtentium pertineant, & cum ipſa unum corpus conſtituere in morali exiſtimatione videantur, ac proinde nimio ab ea intervallo non diſtent.

Colligendum 3. potiori jure moraliter præſentes eſſe qui Miſſam audiunt in atrio exteriori Eccleſiæ, in Cancellis, Cubiculis, & Oratoriis Eccleſiæ annexis, in Choro poſt Altare, vel poſt Templi columnam, & in Sacriſtia habente oſtium patens directe ad Eccleſiam. Qui tamen in alicujus magni Templi, puta Baſilicæ Romanæ S. Petri, Sacello, Sacriſtia, aliove angulo omnino ſeparato exiſteret, non cenſeretur moraliter præſens Sacerdoti celebranti in alio loco diſtanti & ſejuncto; atque adeo etſi intenderet audire privatam Miſſam, quam ſciret tunc in-

in eo loco dici, eam reapſe non audiret, nec proinde præceptum impleret.

Colligendum 4. moraliter eſſe præſentes, & præcepto ſatisfacere, qui Sacerdoti celebranti inſerviunt, licet per modicum temporis a Sacrificio recedant; & ad Sacriſtiam pergant, aliquid pro miniſterio Miſſæ allaturi, vel ad Campanile ad pulſandas campanas, poſito tamen quod campanile ſit Eccleſiæ conjunctum. Diximus *per modicum temporis*; quia ſi notabilis foret abſentia, aliter eſſet decernendum. Ad rem hanc hæc habet Suarez *cit. diſp.* 83. *ſect.* 2. „ Illud e-
„ tiam hic adnotandum cenſeo, quod
„ Doctores advertunt eos, qui Miſſæ in-
„ ſerviunt, quamvis aliquas ejus partes
„ non videantur percipere, vel audire,
„ dum per Eccleſiam diſcurrunt, vel ad
„ Sacellum accedunt, ut vinum, thus,
„ aut ſimilia ad Miſſam neceſſaria afſe-
„ rant, non tamen propterea eſſe cen-
„ ſendos partem ullam Miſſæ omittere,
„ ſed potius toti aſſiſtere, cum toti in-
„ ſerviant, & ad hoc ſemper intendant.
„ Quod intelligendum eſt, dummodo bo-
„ na fide procedant, & mediocrem di-
„ ligentiam adhibeant, ne plus juſto,
„ & ſine neceſſitate abſint, aut in Sa-
„ cello, vel aliis locis immorentur. De-
„ bent etiam non reſervare in illud tem-
„ pus earum rerum præparationem, quæ
„ ante Miſſam præveniri poſſunt ut in
„ illo tempore ſolum his actionibus in-
„ cumbant, quas ſolemnitas officii re-
„ quirit, & quæ antea commode præ-
„ veniri non poſſunt. Si tamen contin-
„ gat, alia etiam quæ præveniri pote-
„ rant ex oblivione, vel incuria fuiſſe
„ omiſſa, & inter Miſſarum ſolemnia
„ eſſe quærenda, vel præparanda, tunc
„ licitum erit ob eam cauſam abeſſe,
„ quia omnino expedit, ut ad integram
„ Miſſæ ſolemnitatem nihil deſit; & Mi-
„ niſter excuſabitur ratione jam dicta,
„ quamquam ſi oporteret, magnam par-
„ tem Miſſæ omittere ex accidentali oc-
„ caſione, ut v. g. ſi deeſſet vinum, &
„ extra Eccleſiam quærendum eſſet, tunc
„ teneretur aliam Miſſam audire, ſi poſ-
„ ſet; ſi autem non poſſet, excuſaretur
„ ratione juſſi & debiti miniſterii. "
Legantur etiam PP. Salmanticenſes *loco cit. punct.* 2. *num.* 21. & 22.

Colligendum 5. eſſe moraliter præſentes qui audiunt Miſſam e feneſtra propriæ domus, ſi domus ſit omnino conjuncta cum ipſa Eccleſia: at non idem ſentiendum, ſi domus ſit ab Eccleſia ſeparata, ita ut inter feneſtram & Eccleſiam mediet via licet anguſta. In hoc caſu præcepto ſatis minime facerent, quanquam viderent Sacerdotem celebrantem, quia non cenſerentur conſtituere unum corpus cum ipſo, ceteriſque aſſiſtentibus.

Colligendum 6. non eſſe moraliter præſentes nec humano & religioſo modo aſſiſtere Sacrificio aut ebrios, aut eos qui Miſſam incipiunt audire, & poſtea etiam involuntarie dormiunt per notabilem ejus partem. Sed hi defectus etiam attentionis requiſitæ, ut infra videbimus, præcepto minime ſatisfaciunt.

Ulterius ad ſatisfaciendum præcepto Miſſæ audiendæ neceſſaria eſt præſentia pia, religioſa, & devota. Ad quod duo requiruntur, videlicet intentio ex parte voluntatis, & attentio ex parte intellectus.

In primis itaque requiritur intentio, ſeu voluntas libera Miſſam audiendi. Satis eſt autem intentio interpretativa, & virtualis, quæ ſita eſt in actuali voluntaria aſſiſtentia, quamvis non ſit expreſſus animus ſatisfaciendi præcepto. Eccleſia quippe præcipit voluntariam ſolummodo Miſſæ auditionem; minime vero reflexam intentionem adimplendi præceptum. Sufficit igitur voluntas audiendi Miſſam, tamquam Sacrificium, ſeu tamquam actionem Sacram, qua Deo ſupremus cultus defertur. Hinc

Colligendum eſt 1. præcepto ſatisfacere qui ſolet intereſſe Miſſæ tanquam rei ſacræ, qui adit Eccleſiam volens partes chriſtiani adimplere; qui adit ut præſentia ſua honoret Sacrificium; qui adit ex nulla alia cauſa; ſi enim non adit ex alia cauſa, reputatur adire ex iſta; & uno verbo quicumque Miſſam audit, ſi non conſtet, eum habere contrariam intentionem, præſumitur habere ſufficientem ad adimplendum præceptum, ut ſentiunt communiter Doctores.

Colligendum 2. non ſatisfacere præcepto qui intereſt Miſſæ coactus v. g. ligatus, & reluctans, ut & Auctor docet *tract.* 1. *cap.* 2. § 7. *nu.* 1. Si tamen quis coactus Templum ingrederetur, & deinde voluntarie Miſſam audiret, præceptum impleret. Teneretur tamen priorem pravam ſuam voluntatem præcepto repugnantem, utpote grave peccatum jam commiſſum, in confeſſione aperire. Videatur Suarez *cit. diſp.* 88. *ſect.* 3.

Aa

An autem præcepto faciat ſatis qui ob intentionem pravam aſpiciendi impudice fœminam pergit ad audiendum Sacrum diſſident inter ſeſe Theologi. Affirmant communiter recentiores; ſed alii verius negant cum S. Antonino *2. part. tit. 9. cap. 10. §. 2.* illorumque opinionem ut laxam & falſam rejiciunt. Conſulatur P. Daniel Concina Theolog. Chriſt. *tom. 5. lib. 1. diſſert. 3. cap. 4.* ubi difficultatem hanc examini ſubjicit, atque pro dignitate tractat. Relegantur etiam quæ addidimus *tract. 1. cap. 2. §. 7. num. 7.*

Præterea ad ſatisfaciendum præcepto, audiendi Miſſam diebus feſtis requiritur attentio tum externa, cum etiam interna, ut ſentiunt, & oſtendunt communiter Theologi adverſus nonnullos a Cardinali de Lugo relatos *diſp. 22. ſect. 2. n. 27.* qui arbitrati ſunt, non eſſe neceſſariam attentionem internam, ſed externam ſufficere. Externa excludit occupationem exteriorem impedientem occupationem mentis: Interna vero eſt advertentia ſeu applicatio animi ad ea quæ in Miſſa peraguntur a Sacerdote. Hæc attentio interna juxta ea quæ tradit S. Thomas 2. 2. *q. 83. art. 13.* triplex eſt, nempe ad verba, ad ſenſum verborum, & ad Deum," quas hic „ etiam cum proportione applicare poſſumus *inquit* Suarez *ſect. 3.* Alia eſt enim *ſubdit* attentio ad ea, quæ Sacerdos dicit vel facit, non ultra progrediendo, nec diſtincte intelligendo, ſed ſolum attendendo, ut ad rem quamdam Sacram: & hæc attentio eſt infima omnium, tamen ſufficiens, quia illa ſatis eſt, ut illa Miſſæ auditio ſeu præſentia ſit humana moralis, & ex objecto religioſa. Secunda attentio eſt ad ea, quæ illis verbis vel factis ſignificantur, & hæc eſt melior, & non ſolum ſufficiens ad ſubſtantiam præcepti, ſed multum etiam accedens ad finem ejus, qui eſt commemoratio beneficiorum Dei, & præſertim Chriſti Domini Noſtri paſſionis, & redemptionis: non eſt autem neceſſaria tam perfecta attentio, cum prima quæ longe minor eſt ſufficiat: immo interdum multis eſt impoſſibilis magna ex parte hæc attentio, qui nec verborum ſenſum, neque actionum ſignificationem percipere valent: nulli tamen ſunt, qui ſaltem in confuſo conſiderare non poſſint illis verbis, & actionibus ſignificari Chriſti Domini paſſionem, doctrinam, & ſimilia. Ultima demum attentio eſt ad Deum, quæ eſt ſuprema, & finis cæterarum, & maxime conſulenda, & procuranda etiam in auditione Miſſæ .... ſub hac autem attentione ad Deum includitur omnis interior reverentia & cultus, omnis oratio & petitio, ut eleganter deſcribit Gregorius X. *in cap. Decet. de Immunitat. Eccleſ. in 6.*

„ Atque hinc etiam facile intelligitur, *pergit idem*, quomodo neceſſarium ſit in aliqua ex his attentionibus, toto tempore Miſſæ perſeverare; eſt enim neceſſaria hæc actualis attentio quantum eſt ex voluntate & intentione audientis Miſſam: non vero neceſſe eſt, ut actu ſemper duret; nam potius moraliter, & humano modo loquendo id eſt impoſſibile: ſatis ergo eſt, ut virtute durare cenſeatur, ratione prioris voluntatis non retractatæ. Quocirca neceſſe eſt, ut a principio quis accedat ad Miſſam audiendam animo, & intentione attendendi aliquo modo ſufficiente ex prædictis, inter quos poteſt etiam voluntarie attentionem mutare ab uno in alium pro ſuo arbitrio: tamen non debet voluntarie diſtrahi ad alia, quæ neceſſariæ attentioni omnino repugnant; ſic enim jam interrumperet priorem voluntatem & attentionem. Si autem (quod ſæpe contingit) involuntarie diſtrahatur, etiamſi ad magnam Miſſæ partem actualiter, & formaliter non attendat, implet ſufficienter præceptum ex vi prioris voluntatis non retractatæ; ratione cujus virtualis attentio manet, quia reliquum non eſt in hominis poteſtate, ut eleganter dixit Ambroſius lib. de fuga ſæculi c. 1. & Baſilius lib. de vita perfecta c. 2. Dicitur autem involuntarie diſtrahi, quamdiu non advertit, ſe non attendere ad rem divinam, quamvis voluntarie de aliis rebus cogitet, tamen ſine reflexione, & ſufficiente advertentia, quod id facit tempore Miſſæ, & quando deberet ad divina attendere." Hactenus præcitatus Theologus.

Ex his autem colligere pronum eſt plurium caſuum deciſiones.

I. Satisfaciunt præcepto, qui tempore Miſſæ actum doloris de peccatis ad confeſſionem neceſſarium eliciunt, vel aliis piis actionibus ſeſe ad illam diſponunt. Idem aſſerit P. Lucius Ferraris *v. Miſſa art. 17, n, 28.* & de iis, qui eodem tem-

Digitized by Google

pore conſcientiam examinant. At ſecus dicendum exiſtimat Auctor *tract.* 1. *cap.* 2. §. 7. *n.* 10. niſi de breviſſimo examine ſermo ſit: nam, *ait*, ut examen recte fiat, præcipue ſi longiuſculum, a Sacro nimis diſtrahere neceſſe eſt. Satisfaciunt etiam qui ſub Miſſa horas canonicas, aut pœnitentiam a Confeſſario impoſitam, niſi tamen aliter confeſſarius ipſi præſcripſerit, aut orationem ex voto debitam recitant. Satisfaciunt inſuper qui quoquomodo miniſtrant Sacro, atque ſervitium præſtant in Miſſæ celebratione, etiamſi, ut ſuperius expoſuimus, per pauculum temporis ab Altari diſcedant quærendis e Sacriſtia neceſſariis v. g. vino, thure &c. Satisfaciunt præterea Muſici, Tympaniſtæ, Tubicinæ, Chelyſtæ, & qui occupantur pulſandis organis, vel follibus attollendis, ſi ſimul attendant ad ea, quæ in ara geruntur. Quare æquo rigidior videtur ſententia, quam adoptavit Auctor *n. præced.* de iis qui organa pulſant. Idem & de Collectoribus eleemoſynarum ſentiendum, nimirum quod ſatisfaciant, ſi ſimul attendant ad Miſſam. Quia vero non eſt adeo facile, ut omnes recenſiti attentum animum ad Miſſam conſervare valeant, idcirco in re tanti momenti hortandi ſunt, ut Miſſam privatam audiant. Satisfaciunt demum qui tempore Miſſæ in altam contemplationem, ſeu extaſim abripiuntur, maxime, ſi pergant contemplari myſteria, quæ in Miſſa peraguntur.

2. Verum non ſatisfaciunt præcepto qui tempore notabili Miſſæ, ſcribunt, pingunt, ludunt, diſputant, & id genus ſimilia exterius agunt. Non ſatisfaciunt item qui per notabile tempus confabulantur, corrident, & oculos quaquoverſum in exeuntes, & introeuntes convertunt, vel qui ut omnes decoris & urbanitatis modos ſervent, in id pene unum intendunt, ut ſalutent & reſalutent. Non ſatisfaciunt quoque qui per notabilem Miſſæ partem libros profanos legunt, vel epitaphia aut picturas fixe aſpiciunt & conſiderant. Non ſatisfaciunt etiam qui per notabilem Miſſæ partem dormiunt. Qui autem incepit audire Sacrum intentione debita, ſed poſtmodum vexatur a ſomno, ſi adeo reſiſtat, ut audiat Sacrum ea attentione, quod ſaltem videat ſe non omittere audire partem notabilem, licet propter gravitatem, & moleſtiam ſomni non attendat ad ſignificationem, neque ad aliam meditationem, non peccat ſaltem mortaliter juxta P. P. Salmanticenſes *loco citato punct.* 5. *n.* 48. Non ſatisfaciunt denique qui tempore Miſſæ peccata ſua confitentur, niſi excuſet brevitas confeſſionis; nec Confeſſarii, dum confeſſiones audiunt, poſſunt ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam, quando ipſi non celebrant; quia hæc, ut nemo non videt, omnino impediunt attentionem neceſſariam.

Quæres quoti temporis interna, vel externa diſtractio lethale crimen inducat?

Reſp. Illud ſufficere tempus, quod æquivalet omiſſioni partis notabilis Miſſæ; quippe audire Miſſam abſque debita attentione. idem eſt, ac prorſus illam omittere. Sic cenſet Suarez *cit. pluries diſp.* 88. *ſect.* 3. his verbis *Si quis* .... *eo modo* (videlicet exercendo voluntarie actiones aliquas repugnantes debitæ attentioni Miſſæ) *magnam Miſſæ partem audiat, peccabit mortaliter, & non implebit præceptum, ſi nimirum tanta ſit pars, cujus omiſſio ſufficeret ad præcepti tranſgreſſionem.* Hinc colligimus adverſus Cardinalem de Lugo *diſ.* 22. *ſect.* 2. *n.* 4. eum præcepto minime ſatisfacturum, qui voluntarie per tempus dumtaxat conſecrationis foret diſtractus; cum ex ſuperius dictis exploratum ſit, illum non implere præceptum, qui ſolo tempore conſecrationis a Sacrificio abeſt.

§. IV. *De cauſis excuſantibus ab auditione Miſſæ.*

I. DUæ ſunt generatim cauſæ excuſantes ab auditione Sacri, nempe Impotentia, & Charitas. Impotentia, quando audiri non poteſt ſine magno incommodo, aut gravi ſcandalo, aut periculo: Qui igitur aliquo ex his impedimentis afficitur, ſi habeat privilegium Oratorii domeſtici, tenebitur in eo Miſſam audire, quia tenemur uti privilegiis, quoties alio modo non poſſumus ſatisfacere alicui præcepto circa talem materiam: nec eſt prudenter judicandum, ut qui privilegium concedit, diſpenſet ab obligatione utendi eodem, quoties ſuo uſu ſit obſervandum præceptum. Quot ſint generatim cauſę excuſantes:

II. Impotentia eſt triplex: prima eſt ſpiritualis, conſiſtens in impedimento Canonico interveniendi ad Miſſam audiendam; puta excommunicatio major. Tenentur tamen excommunicati quamprimum poſſunt obtinere abſolutionem, quam ſi obtinere non curent, erunt in cauſa o- Quotuplex impotentia, & qualiter excuſet Spiritualis?

miſſionis Miſſæ, & omiſſio imputabitur ad peccatum lethale. Secunda naturalis eſt, præter infirmitatem, longa navigatio, detentio domi ob Superioris mandatum, inhabitatio in locis, ubi non eſt Sacerdos. Qui autem ad regiones infidelium, & hæreticorum pergunt, ubi non ſunt celebrantes Miſſas, ſi ſolius lucri & diteſcendi cauſa ibi morentur, & non neceſſitate alendæ familiæ, aut ob publicam utilitatem, quia miſſi a Principe, ut merces procurent, & advehant; vel ob aliud motivum publicæ utilitatis, ſunt in continuo ſtatu peccati lethalis, juxta communem, nempe volitę in cauſa omiſſionis Miſſæ, ob lucrum non neceſſarium.

Qualiter excuſet moralis?

Moralis impotentia excuſat illos, qui nimium diſtant a loco celebrationis, ita ut abſque valde gravi incommodo eo accedere nequeant; quæ diſtantia, & quod incommodum conſideranda ſunt reſpective ad perſonas, ſexum, ſtatum; nec poteſt certa regula aſſignari. Hujuſmodi tamen procurare debent, ſi fieri poſſit, habitationem Eccleſiæ proximam. Item excuſat illos, qui foras prodire non poſſunt, aut quia peſtis graſſatur, niſi tamen extarent Eccleſiæ pro non ſuſpectis, & aliæ pro ſuſpectis; aut quia inimici inſidiantur vitæ; aut quia imbecillis valetudo exponit vero, & moraliter certo periculo notabilis incommodi, præcipue talibus diebus, aut quia prodeundo exponitur diffamationis periculo, puta, ſi mulier habita ut honeſta, ſit prægnans; aut ſi nobilis non habeat neceſſaria ad decenter prodeundum, niſi cum dedecore: aut quia domus nequit relinqui ſola ob prædones diſcurrentes. Hinc ſequitur, non poſſe aſſumi actionem, a qua aliquis impediendus ut ab auditione Miſſæ ex genio, aut recreationis gratia, & proxime ad idem feſtum, de quo ſatis diximus in tract. 1. c. 2. de legibus §. 7. nu. 13. & ſeq. ubi rationes attulimus, & objecta reſolvimus. Item ſi actio, etiam honeſtæ recreationis gratia, aſſumatur aliquot diebus remote a die feſto, tunc cum tale præceptum actu non obliget, nec ſit proxime obligaturum, vere homo utitur jure ſuo; & ne in hoc contingat deceptio, examinandæ ſunt circumſtantię rerum, perſonarum, locorum, & temporum. Suſcipere autem actionem illam ex neceſſitate etiam morali, excuſat a culpa: Vide dicta loco citato. Ad neceſſitatem demum moralem reducitur obligatio proprii oneris ex officio præſtandi puta, cuſtodes agrorum tempore incurſionum militarium; milites ſtationarii; matres, & ancillæ, quæ infantibus tenentur adſiſtere, quin poſſint aliam ſubſtituere; paſtores gregum in montibus degentes &c. & aliæ hujuſmodi perſonæ, quæ ex officio neceſſario occupantur, & aliam Miſſam habere nequeunt, excuſantur.

Charitas qualiter excuſet?

III. Altera cauſa excuſans eſt Charitas, dum ſubveniendum eſt proximo graviter indigenti, qui alium adjuvantem habere non poſſit: ſi decumbens ſolus relinqui non debeat: ſi incendium extinguendum occurrat, vel aliud grave malum impediendum, & etiam grave peccatum proximi; & de hoc ſatis diximus in tract. 4. cap. 9. §. 6., ubi habentur quæ hic deſiderari poſſunt. His cauſis excuſantibus accedere poteſt conſuetudo aliquarum regionum, in quibus nobiles, in diebus luctus alicujus ſtricte conjuncti, domi ſe continere conſueverunt, quamvis non habeant privilegium Oratorii domeſtici. In aliis, Puellæ nubiles tempore ſponſaliorum domo exire non conſueverunt. In aliis, mulieres puerperæ tot ſeptimanis ab Eccleſiæ ingreſſu arcentur, quouſque a Sacerdote benedicantur: & hæc fiunt ſcientibus Epiſcopis, & Parochis, iiſdemque tacentibus: idcirco omittentes Miſſam non videntur culpandi. Cavendum tamen, ne hæ conſuetudines introducantur, ubi non ſunt, & ne amplientur, ubi obtinent.

Monitum impeditis audire Sacrum.

IV. Monendum eſt, impeditos ex cauſa aliqua audire ſacrum teneri ſub mortali ſupplere per aliqua alia pietatis opera precum, præcipue actuum fidei, charitatis, ſpei, contritionis, aut ſimilium. Non quidem ex vi præcepti Eccleſiaſtici quod obligat ad Miſſam, ſed ex vi præcepti naturalis colendi Deum diebus feſtivis; unde qui non poteſt cultu præſcripto, poteſt autem ſupplere per cultum alterum, ſupplere obligatur: ita docent P. Marchantius t. 2. Tribunal. tract. 4. tit. 2. q. 3. auctor non ſeverus, & P. Sporer tr. 3. in tertium præcept. c. 4. ſect. 2. nu. 36., auctor ex benignioribus.

An teneatur fidelis ultra Miſſam ad alia pia opera ſub mortali?

V. Præter Miſſæ religioſam auditionem quidam Theologi obligant fideles ſub mortali ad alia pietatis opera, quibus Deo ſaltem pro majori diei feſtivæ parte vacent, puta Sacramenta ſuſcipiendo, ad concionem conveniendo, Veſperis aſſiſtendo, lectioni ſpirituali operam dando, precibus vacando, opera miſericordię exercendo &c., Hæc, aſſentior & ego, fidelibus

com-

commendanda, ſuadenda, inculcanda: at ſententiæ aſſerenti eoſdem eſſe ad hæc obſtringendos ſub mortali; fateor me non ſubſcribere. Tum quia in Eccleſiæ præſcripto non aliud juberi invenio; tum quia communiter Doctores ita non ſentiunt. Cajetanus in principio commentarii 2.2.q.122., ſecundæ ſecundæ ita ſcribit: In nova lege cultus exterior eſt dicere vel audire Miſſam; quies vero a ſervilibus operibus eſt ad removanda impedimenta externa quietis mentis in Deo: unde ex duobus capitibus excluditur phantaſia dicentium, quod homo tenetur in die feſto contritionem habere de peccatis, quæ habet; primo ex hoc quod contritio eſt actus interior, præceptum autem Decalogi eſt de cultu exteriori; ſecundo quia contritio eſt actus pœnitentiæ virtutis; præceptum autem de ſanctificatione feſtorum eſt de actu religionis. Et confirmatur; quia ſi actus interior religionis, puta devotio, & oratio non continetur in hoc præcepto; ut in litera (S. Thomæ) dicitur; multo minus continentur ſub eodem præcepto interiores actus aliarum virtutum, de quorum numero eſt contritio. A veritate ergo longe errant dicentes, ſub præcepto teneri hominem in die feſto ad dolendum de peccatis, quæ habet, ad orandum, aut ad quietem mentis in Deo; & minus perſpexerunt literæ hujus doctrinam dicentes; quod ſecundum omnes tenetur quis ſub præcepto ad quietem mentis in Deo in die feſto; finis enim præcepti non cadit ſub præcepto; quoniam aliud eſt de quo datur præceptum, & aliud eſt ad quod intendit lex per præceptum hominem ducere, ut in qu. 100. art. 9. ad 2. Auctor dicit. Hæc Eminentiſſimus, & doctiſſimus iſte. Et ſimiliter alter Doctiſſimus Suarez lib. 2. de feſtis diebus toto cap. 26. idem probat ex profeſſo & reſolvit objecta: & poſt iſtos, communiter ita docent etiam alii. Monendum tamen, quod, ubi eſt conſuetudo, ut fideles pergant ad Veſperas, aut ad aliud pium opus, tenentur illud exequi; quia ſicut conſuetudo excuſat, ita valet inducere obligationem aliquorum actuum præſtandorum.

Juxta plures Theologos quemadmodum præceptum de Diei-Feſti ſanctificatione prout negans eſt nihil aliud exigit a Chriſtianis niſi ceſſationem ab operibus ſervilibus; ita quatenus eſt affirmans nil aliud poſtulat quam Miſſæ auditionem, nec ad aliquem alium actum divini cultus intra diem illum exercendum obligat. Hinc inferunt præceptum hocce adimplere qui ab operibus ſervilibus abſtinent, & Miſſam audiunt, quamvis nec concionibus, nec veſperis, nec aliis divinis laudibus interſint, nec aliud quidpiam bonum opus perpetrent. Immo aſſerunt eos, qui ab operibus ſervilibus feriati, & ſola Miſſa contenti reliquum Diei Feſti tempus in otio, nugis, oblectamentis, colloquiis inutilibus, ludis, ſaltationibus, cæteriſque ſtulti mundi ſpectaculis tranſigunt, peccare quidem contra alias virtutes, minime vero agere contra præceptum Feſta ſanctificandi. Pro hac opinione inter cæteros fuſo calamo dimicat Suarezius *Tom. 1. de Relig. Lib. 2. cap. 16.*

Verum alii graviſſimi Doctores eam ut nimis laxam, minuſque Eccleſiæ ſenſui conſentaneam rejiciunt, atque refellunt; oppoſitamque ſuſtinent, ac propugnant. Concedunt utique præceptum Eccleſiaſticum nihil aliud præter Miſſæ auditionem imponere, ac proinde a vero prorſus abludere cenſent Paludanum, qui *in 4. diſt. 15. q. 5. art. 2.*, docet fideles vi præcepti eccleſiaſtici teneri ad veſperas, & ſermonem audiendum, quoties in Eccleſia Feſtis diebus hæc peraguntur: at ſubdunt præceptum divinum hiſce verbis expreſſum: *Memento ut diem Sabbati ſanctifices*; alia pia opera præſcribere; & heinc ſentiunt præcepto huic minime facere ſatis qui ab operibus ſervilibus feriatus, & audita Miſſa privata, reliquum diem abſumit in ſtudiis profanis, negotiis ſæcularibus, vanis confabulationibus, ludis etiam honeſtis, curſibus &c., ſed ad illud adamuſſim implendum neceſſum eſt, ut majorem vel ſaltem notabilem diei partem divino cultui quiſque impendat: puta quod verbum Dei audiat, divinis officiis interſit, piorum librorum lectioni, ægrotorum viſitationi, aliiſque piis exercitationibus vacet. Suadent hoc in primis ex innumeris propemodum Patrum, & Conciliorum oraculis, quæ hanc obligationem fidelibus Populis ſæpius inculcare omni cura ſtuduerunt. Horum verba plures exſcribunt, atque aſpectui ſubjiciunt præſertim Henricus a S. Ignatio *Tom. 2. part. 3. cap. 5.* Natalis Alexander *Theolog. Dogmat. & Moral. Lib. 4. de Decalog. art. 6. reg. 10.* & P. Daniel Concina *Tom. 5. Lib. 1. de Eccleſ. Præcept. Diſſert. 3. cap. 6. & 7.* Deinde pluribus etiam rationibus hoc idem evincunt. Quis in medium adfert Cl. Petrus Ballerinus Preſbyter Veronenſis in ſuis eruditis Enarratio-

Digitized by Google

nibus ad S. Antoninum *Part.* 2. *Tit.* 9. *cap.* 7. §. 4. tranſcribere lubet, atque ob oculos ponere: „ Circa feſtorum dierum
„ obſervationem, *inquit*, quæ non una
„ Eccleſiaſtica lege decreta eſt, ſed etiam
„ naturali, ac divina (unde in decalogo
„ per Deum lato in veteri lege, & in
„ lege nova per Chriſtum confirmato con-
„ tinetur) duo præcepta diſtinguenda ſunt,
„ alterum divinum, quod primum & ve-
„ tuſtius eſt, nec ulla humana auctoritate
„ elidi poteſt, eccleſiaſticum alterum quod
„ divino nihil præjudicii creat, immo in
„ illud conſpirat. Porro divinum præce-
„ ptum, etiamſi quatenus naturale eſt,
„ atque morale, Deo diviniſque rebus ali-
„ quando vacandum, nullo certo tempo-
„ re, nulliſque rebus peculiariter adſigna-
„ tis, univerſim præcipiat; ex omnium
„ tamen nationum conſenſu, quæ certos
„ dies ſacros habuerunt, quaſdam dies
„ huic cultui deputandas, ac ſanctis ope-
„ ribus ſanctificandas præſcribit. Eccleſia-
„ ſticum vero præceptum non ſolum dies
„ dominicos, alioſque quoſdam præfinit,
„ quibus divino illi naturalique præcepto
„ ſatisfiat; ſed Miſſam etiam præcipit hi-
„ ſce diebus audiendam, quæ in ſancti-
„ cationem a Deo præceptam confert. Si
„ vero hoc præceptum Eccleſiaſticum di-
„ vino ac naturali nihil præjudicat, aut
„ detrahit; conſideremus, quæſo, quid di-
„ vinum illud præceptum per ſe impor-
„ tet, quidque imponeret, ſi deſignatis
„ tantum diebus feſtis ab Eccleſia, nullum
„ hujus præceptum circa Miſſam acceſſiſ-
„ ſet. Hac in hypotheſi quis diceret dies
„ deſignatas, quæ vigintiquatuor horarum
„ ſpatium occupant, moraliter ſanctifica-
„ ri, ut divinum præceptum jubet; ſi di-
„ midia cujuſque hora ſanctificetur? Non-
„ ne ſi quis dimidia tantum hora diei fe-
„ ſti laboret, ſanctitati ejus diei gravem
„ injuriam haud inferri plures contendunt,
„ propterea quod dimidia hora parva diei
„ pars habenda eſt? Habebiturne medica
„ pars in violatione, in ſanctificatione au-
„ tem ſatis magna: ita ut quod non ſuf-
„ ficit ad violandam ſacram diem, ad ſan-
„ ctificandam ſufficiat? Num qui diebus
„ ferialibus Miſſam quotidie audiunt, &
„ nihil ceteroquin ſervile agunt, dies ſin-
„ gulos ſanctificant, tamquam feſtos? E-
„ nimvero ſi Miſſa præcepta non eſſet
„ (quod parumper præſume) nemo, opi-
„ nor, timoratæ conſcientiæ exiſtimaret,
„ tam exiguo ſpatio, quod in aliquibus
„ piis operibus tranſigeret, ſanctificatum
„ ex æquo feſtum diem, nec ſibi ſatis ac-
„ quieſceret, niſi potiorem diei partem in
„ ſanctis operibus traduceret. Fac jam ac-
„ cedat præceptum Eccleſiæ de audienda
„ Miſſa: Hoc autem nihil immutans, de-
„ cerpens nihil de obligatione divinæ præ-
„ ceptionis, quam intactam, integramque
„ relinquit; homines proculdubio a ſan-
„ ctificandæ diei obligatione, quam expli-
„ cavimus, nequaquam liberat, ac proin-
„ de non ita eſt accipiendum, ut totam
„ ſanctificationis præceptæ rationem, mo-
„ dumque conſtituat; ſed partem tantum,
„ ita ſcilicet, ut inter pia opera, quibus
„ ex divino præcepto feſtis diebus vacan-
„ dum eſt, miſſa prætermitti non debeat;
„ cætera autem opera electioni cujuſque
„ permittantur; non ut nulla alia fiant, ſi
„ nolit, quod cum divino præcepto non
„ congruit; ſed ut ex multis quæ præſta-
„ ri queunt, eligat quiſque quid velit,
„ quidve agere magis congruat, ut fe-
„ ſta dies ſanctificata vere dici poſſit.
„ Quamquam ſi vetus Miſſæ diſciplina
„ conſideretur, cum id præceptum Eccle-
„ ſiaſticum inductum fuit; ſola Miſſæ au-
„ ditione diem feſtum ſanctificari æquius,
„ quam nunc, potuiſſe, non multum in-
„ terim repugnaverim. Cum enim una
„ tantum ſolemnis Miſſa in quibuſque Ec-
„ cleſiis peragebatur; tum vero ea plurium
„ & pſalmorum, & hymnorum cantu,
„ verbi divini ſeu Evangelii explanatione,
„ aliiſque precationibus, oblationibus &c.
„ quæ nonniſi pluribus horis perficieban-
„ tur, totumque fere matutinum tempus
„ occupabant. At mutata jam diſciplina,
„ cum miſſæ jam exiguo ſpatio finiantur;
„ quis probabiliter credat, Eccleſiam, eti-
„ amſi tum forte id unum ſatis eſſe divi-
„ no præcepto exiſtimaſſet, id nunc quo-
„ que intendere & cogitare? Quid porro
„ ſi Eccleſia vel olim unam Miſſam ad
„ æquam diei feſti ſanctificationem ſatis
„ non habuit? Id palam ſuadent plures
„ canones & Patres, a quibus una cum
„ miſſa æquali veluti præcepto alia pia
„ opera præſcribuntur, ac præſertim ve-
„ ſperæ, ſi non ut has ſtricte præciperent,
„ ſaltem ut non matutinum modo, ſed &
„ pomeridianum tempus ſanctificandum
„ eſſe ex divino præcepto, ac Eccleſiæ
„ mente populum commonerent .... Ad-
„ dam & aliud mihi maxime evidens.
„ Diebus feſtis & divino & Eccleſiaſtico
„ præcepto opera ſervilia, vel quaſi ſervi-

„ lia

„ lia interdicuntur. Miſſam porro unam „ ſi populus audire cogitur; quid, quæſo, „ ex Eccleſiæ mente faciet reliquo tem„ pore, quo operari prohibetur? Ludet, „ crapulæ, vino, & (ne quid pejus di„ cam) otio ad minus vacabit. Credibi„ le ne eſt Eccleſiam ad hęc fovenda unam „ Miſſam præcepiſſe, & ſervilia opera ve„ tuiſſe, cum præſtaret multo operari ma„ nibus & arare? Hæc tamen ſunt, quæ „ vulgo fiunt ab illis, qui uni Miſſę inter„ ſunt, & pejora multo fiunt, quies pejor „ longe eſt dierum feſtorum quam cetero„ rum conditio. Id autem ſi ab Eccleſiæ „ conſilio alieniſſimum eſt, cum ſervilia „ opera interdixit; profectò haud ex ejuſ„ dem mente eſse poteſt, ut ſola Miſſa bre„ viſſima, quam audiendam mandavit, di„ vino pręcepto ſatisfieri, diemque feſtum „ ſanctificari intenderit: ſed pręter Miſſam „ piis aliis operibus ex Eccleſiæ mente va„ candum eſt, ut laudati Canones, & Pa„ tres Eccleſiæ mentis interpretes expreſſe „ inſinuant; ac iiſdem ſane operibus ut „ vacaremus, opera reliqua ſervilia fuere „ interdicta" Aliud etiam ad idem oſtendendum in medium profert argumentum ex ſpiritualibus quibuſdam hominum neceſſitatibus deprompturn; quod brevitati conſulentes prætermittimus, ac tandem, „ concludendum, inquit, ex hactenus di„ ctis cum Antonino, *non vacare Deo pro* „ *majore parte diei eſſe peccatum*; ac proin„ de ſolam Miſsæ auditionem ſatis non eſ„ ſe; quippe quæ *minimam*, *non majorem* „ *diei* partem ſanctificat. Quod tamen non „ ita ſtricte accipiendum crediderim, ut ſi „ qua juſta de cauſa, vel neceſſitate ſola „ Miſsa audiatur, dies feſtus violetur omiſ„ ſione gravi: aliud enim eſt, quod juſta „ de cauſa aliquando contingit; aliud ve„ ro quod ex mera negligentia atque aci„ dia, prætertim ſi in conſuetudinem in„ ducatur. Neque item *pro majore diei par*„ *te* duodecim & amplius horas in ſacris „ operibus occupandas puto; neque enim „ eos gravis culpæ damnare audeo, qui „ præter Miſsam aliquot pręcipuas preces „ matutinas, ac veſpertinas addunt, cate„ cheſi, vel ſacræ concioni interſunt, tem„ plum aliquod devote adeunt, vel aliquid „ ſimile efficiunt; unde ab iis feſtos dies „ a ceteris non feſtis ſatis diſcerni, ac ſan„ ctificari moraliter pateat. Qui item pro„ pter filios, aliave cura domi detinentur; „ ſanctificare diem ſacrum ipſa patientia „ poſsunt, ſi præſertim ad Deum elevent „ identidem animum, & ſeſe ac quid„ quid agunt, offerant Deo. Recreatio„ nem aliquam licet quærere, quæ ta„ men honeſta, & Chriſtiano homine di„ gna ſit: quam inde cognoſces, ſi illa Deo „ offerri queat. Poſtremo ſcrupuloſe res „ agenda non eſt, ſed libero animo, qui „ Dei filios decet, modo ne in eam liber„ tatem declinet, quæ carnis eſt, ac ſpiri„ tus libertati repugnat." His igitur argumentis pręcitatus Theologus oſtendit eſſe omnino a veritate alienum quod docent primæ ſententiæ Patroni nempe præceptum de diei feſti ſanctificatione non aliud præſcribere niſi abſtinentiam a ſervili labore, & Miſsæ auditionem; adeoque in idem præceptum peccare, qui Miſsa audita, reſiduum diei feſti aut in otio terunt, aut in terrenis negotiis occupant, aut in ludis, ſaltationibus, mundaniſque rebus tranſigunt, piis neglectis exercitationibus.

Quæres. Num revera peccatum mortale committat adverſus præceptum ſanctificandi diem feſtum qui die feſto non vacat divinis niſi Miſsam audiendo, & Miſſa audita, vel otio diſſuit, vel totus eſt in negotiis ſæcularibus, vel ludicra ac vana ſectatur?

Reſp. Difficultatem hanc his verbis excitat S. Antoninus loco ſuperius citato videlicet. 2. *Part. Tit.* 9. *cap.* 7.: *Sed quæri poteſt utrum quis abſtinendo ſe a criminalibus, & operibus manualibus per hoc ſolum quod non vacat divinis niſi audiendo Miſſam, vel non audiendo, quia non poteſt, ſed per totum feſtum ſolatiatur, & ratiocinatur de otioſis, peccet mortaliter?* Et reſpondet: *Videtur quod ſic, quia maxime cadit ſub precepto, quod eſt de intentione legiſlatoris; ſed ad hoc intentio latoris hujus præcepti de ſanctificatione Sabbathi eſt, ut vacetur Deo. Talis autem non vacat, quia etſi audit Miſſam, illud valde modicum eſt reſpectu totius diei, & modicum pro nihilo reputatur:* ergo &c. *Quod ſi verum eſſet*, ſubdit ipſe, *durus eſſet hic ſermo, & multi præter ſuum credere, imo & commune credere damnarentur. Poſſet ergo*, inquit, *ad argumentum reſponderi*, & reapſe reſpondet *per quamdam diſtinctionem quam ponit D. Thomas* 1. 2. q. 99. *art.* 9., ac tandem in fine paragraphi, ita concludit: *Et ſic abſtinere ab operibus ſervilibus eſt in præcepto, non vacare Deo pro majore parte diei tamen peccatum eſt.*

Eundem caſum ſibi proponit & Em. Caje-

Cajetanus, *in ſua Summula V. Feſt.*, eodemque modo reſolvit. En ejus verba: *Licet cum abſtinentia a ſervilibus ſolius Miſſæ cultus ſufficiat in feſto ad evitandum peccatum mortale, tenentur tamen fideles diem expendere in divinis laudibus, ſaltem eundo ad prædicationem, & ad veſperas. Unde qui poſt Miſſam, feſtos dies vane conſumunt ludendo, jocando, otioſeque vagando, aut venando, ſpectaculis intendendo, licet ex ipſis operibus, utpote non ſervilibus mortale non incurrant, ex omiſſione tamen divini cultus, ad quem feſta inſtituta ſunt, graviter peccant; quia non reddunt quæ ſunt Dei Deo, & quia quantum eſt in ſe, ridiculo exponunt chriſtiana feſta juxta illud* viderunt eam hoſtes & deriſerunt ſabbata ejus. *Et hoc præcipue tangit viros graves, & majores, & Dominos; cæteri namque eos imitantur.* Hæc ille; quæ in quo ſenſu ſint accipienda, quæ ex ipſo allegat Auctor nitide manifeſtant.

„ Ex his omnibus luculentiſſimis do-
„ cumentis" (ſic rem conficit P. Daniel Concina *loco ſupra relato*) „ colligere fas
„ eſt peccare graviter, ut inquit Cajeta-
„ nus, adverſus præceptum de Feſtorum
„ ſantificatione eos, qui Miſſa audita,
„ & feriati otio diffluunt, & ludicra, ac
„ vana ſectantur. Cum dicimus ejuſmo-
„ di Chriſtianos graviter delinquere, mi-
„ nime intelligimus eos peccare lethali-
„ ter. Hoc Antoninus, nec Cajetanus
„ aſſerunt, quin oppoſitum docent. Ex
„ allatis Conciliis, & Patribus illud ſa-
„ ne tanquam certum colligitur præfa-
„ tos Chriſtianos, aliquo modo peccare ad-
„ verſus præceptum ſanctificandi dies
„ feſtos. At cum iſtius peccati gravitas
„ non definiatur, merito & nos conten-
„ ti ſumus culpam indicare, & ab illius
„ qualitate determinanda abſtinere. Hac
„ enim via media incedentes, utrumque
„ extremum devitamus, ſeveritatis, &
„ laxitatis &c." Quare toto niſu, totoque conatu adhortandi ſunt atque adigendi Fideles, ut diebus feſtis, poſthabitis humanis negotiis, terreniſque rebus contemptis, concionibus, veſperis, precibus, aliiſque pietatis operibus vacent. Legatur Catechiſmus Concilii Tridentini 3. *Part. de* 3. *Præcept. n.* 25.

TRACTATUS VII.

DE

SPECTANTIBUS

AD QUARTUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

CAPUT PRIMUM.

De obligationibus Liberorum erga Genitores, & illorum erga liberos.

§. I. *De obligationibus Filiorum erga Parentes.*

I. TRes communiter aſſeruntur obligationes Filiorum erga Parentes: prima Amoris; ſecunda Reverentię; tertia Obedientiæ. Ad primam tenentur Genitoribus tamquam cauſis effectricibus; ad ſecundam tamquam præminentibus, ad tertiam tanquam regentibus. Et primo quoad amorem; tenentur filii parentes diligere amore vero & ſincero, plus ceteris omnibus; ut late diximus in cap. de Dilectione Proximi §. 2. de ordine diligendorum. Et hunc amorem tenentur eiſdem ſignificare, ſubveniendo neceſſitatibus eorum, tum ſpiritualibus, tum corporalibus, orando pro ipſis, quamvis bene valentibus; non impediendo illos abſque juſta cauſa a condendo teſtamento; exequendo eorum teſtamentarias diſpoſitiones, quamprimum fieri poteſt; ſubminiſtrando eiſdem, ſi indigeant, victum, & veſtitum, quamvis eorum vitio in indigentiam lapſi fuerint; liberando illos a carcere; in propriam domum recipiendo; eorum infamiam impediendo; miniſtrando demum ipſis neceſſaria in quavis urgente neceſſitate nedum extrema, ſed etiam gravi juxta proprias vires. Et hęc prętare omittentes, peccant graviter pro ratione materiæ, & facultatis. *Suſtentatio, & alia hujuſmodi debentur eis ratione alicujus accidentis. puta in quantum ſunt indigentes, vel ſervi* (captivi) *vel aliquid hujuſmodi: ... In quo præcepto ſicut in quodam principali intelligitur mandari & ſuſtentatio, & quidquid parentibus debetur:* ait S. Thomas 2. 2. q. 122. a. 5. ad 3.

Ex capite Amoris Parentibus debiti recenſentur omiſſiones graves.

II. Taliter autem ſuſtentatio debetur geni-

Non poteſt fi-

lius Religionem ingredi, Parentibus illius ſubſidio indiſentibus. genitoribus a filiis, & filiabus reſpective, ut etiam ab ingreſſu Religionis abſtinere teneantur: Ita D. Thomas quodlibet. 6. a. 2. *Ille qui nondum Religionem intravit, ſi videat patrem ſuum* (& idem eſt de matre) *in magna neceſſitate, cui per alium ſubveniri non poſſit, non debet religionem intrare, ſed tenetur miniſtrare parentibus: ſi vero per alium poſſit ejus parentibus miniſtrare, poteſt, ſi vult, religionem intrare.* Idem repetit 2. 2. q. 189. art. 6. *Parentibus in neceſſitate exiſtentibus, ita quod eis aliter commode, quam per obſequium filiorum ſubveniri non poſſit; non licet filiis, prætermiſſo parentum obſequio, religionem intrare.*

Commiſſiones graves contra Amorem debitum. III. Poſt recenſitas omiſſiones filiorum defectu amoris parentibus debiti, enumerandæ occurrunt commiſſiones contra idem præceptum. Peccabunt itaque filii contra hunc amorem, ſi illos odio habeant, ſi notabili malevolentia, aut indignatione afficiantur in illos, ſi de eorum cogitata morte delectentur, ſi grave malum illis optent, vel de eodem malo eiſdem evemente gaudeant; & multo magis ſi hos deteſtabiles affectus ipſis ſignificent aut verbis, aut factis; puta, ſi alloquiis aſperis, & duris; oculis torvis; geſtibus protervis, irriſionibus, ſubſannationibus, deſpectionibus, contumeliis, maledictionibus, injuriis; &, quod eſt horribile auditu, percuſſionibus, aut motibus percuſſionem comminantibus: hæc omnia utpote mortalia graviter reprehenduntur in pluribus Sacræ Scripturæ locis tum in lib. Exodi, tum in lib. Proverbiorum, tum in lib. Eccleſiaſtici. Et hic notandæ occurrunt duæ theſes ab Innoc. XI. damnatæ 14. & 15., quas dedimus in cap. de peccatis §. 7. n. 12.

Ad quid teneantur titulo obedientiæ? IV. De obedientiæ debito erga genitores differit S. Thomas quodlib. 2. art. 9. *Ad illa ſe extendit debitum obedientiæ, ad quæ ſe extendit jus prælationis: habet autem pater carnalis jus prælationis in filium, primo quidem quantum ad domeſticam converſationem; ſic enim eſt paterfamilias in domo, ſicut Rex in regno: unde ſicut ſubditi tenentur obedire regi in his quæ pertinent ad gubernationem regni: ita etiam filii & alii domeſtici tenentur obedire patrifamilias in his, quæ pertinent ad diſpenſationem domus. Secundo quantum ad morum diſciplinam; unde Apoſtolus Hebræor. 12. Patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus ...; debet enim pater filio non ſolum educationem, ſed etiam diſciplinam. In his igitur tenetur filius obedire Patri carnali, & non in aliis.*

Peccata contra obedientiam. V. Peccabunt igitur lethaliter filii non obedientes circa gubernationem familiæ: puta non redeundo domum horis ſtatutis, ſi abſque cauſa, & frequenter id agant; vagando tempore noctis, diſtrahendo res domeſticas in ſufficiente quantitate, introducendo domum perſonas vetitas, non gerendo negotia ſibi commiſſa ad familiæ utilitatem, non vacando ſtudiis illis, vel artibus, quibus idonei reddantur ad ſibi, & familiæ ſuo tempore conſulendum: ex quo fit, ut adultiores effecti, & non habentes quo vivant, cuilibet nequitiæ ſe proſtituant, atque merum familiæ gravamen, & dedecus evadant. Peccant item mortaliter, & gravius, deobediendo in his, quæ morum diſciplinam concernunt: ſi contra voluntatem parentum nolint vitare pravorum ſocietatem; deſiſtere ab ingreſſu domorum, & locorum, ubi innocentia periclitari conſuevit; relinquere ludos vetitos, frequentiam tabernarum; pergere ad diſcendam Doctrinam Chriſtianam, ad ſuſcipienda æqua diſcretione Sacramenta, hiſque ſimilia præſtare, ſine quibus vitam chriſtiano more ducere eſt moraliter impoſſibile. Si filiæ ſint, graviter peccant contra obedientiam, ſi velint domo exire ſolæ, literas mittere, & recipere; munuſcula admittere, fucos adhibere, inverecunde ſe ornare, certas perſonas vetitas alloqui, occulte amatorem deperire, velle conſtanter ſponſum, aut ſponſam ſi filius, ſtatui ſuo non decentem. Denique peccant graviter filii, filiæque non obediendo, quoties juſſio eſt ſerio facta, de materia notabili, ad bonos mores pertinente, ſive quoad praxim bona: ac proinde tenentur in confeſſione explicare nedum peccati ſpeciem, ſed etiam peccatum inobedientiæ, ſi circa id eis præceptum fuerat.

Ad quid teneantur circa electionem ſtatus? VI. Circa electionem ſtatus ſive Religioſi, ſive Clericalis, ſive Cælibis, ſive Conjugalis; cum hujuſmodi electio a Deo relicta fuerit liberæ cujuſque optioni, tenentur quidem filii, & filiæ illam ſignificare parentibus; qui ſi reſiſtant, & alium ſtatum jubeant, filii obedire non tenentur: ita communis cum S. Doctore 2. 2. q. 104. a. 5. *Non tenentur filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſervanda, aut aliquo alio hujuſmodi*; nempe ad electionem ſtatus pertinente. Quia tamen maxime in Principibus

bus poteſt evenire caſus, de quo dubitetur, an filius, vel filia volens caſtitatem ſervare, teneatur ad nuptias; tunc conſulendi ſunt viri docti, & reſolvendum quid liceat.

Quid circa Matrimonium cum tali perſona? VII. Circa matrimonium contrahendum cum tali perſona, certum eſt, mortaliter peccare filios, & filias, ſi inconſultis parentibus matrimonium contrahant cum quavis etiam digniori perſona; ita poſtulante ſubjectione genitoribus debita in re adeo gravi, & momentoſa. Si autem conſilium ab illis petant, & perſonam dignam eligant, & parem, genitoreſque reſiſtant; poſt adhibita media congrua, & opportuna ad inclinandos genitores; ſi adhuc contradicant, non apparet multis, cur gravandi ſint filii & filiæ onere mortalis peccati, ſi matrimonium contrahere velint: eo quod non remaneat rationabile motivum genitoribus contradicendi, & perſiſtendi in contradictione; quandoquidem eligant perſonam dignam, parem, nec ullum dedecus familiæ reſultet; & alioquin jus habeant ſatisfaciendi ſibimetipſis, eligendo in conjugem pro toto vitæ decurſu perſonam, quæ ſibi grata ſit: unde quies, concordia, fidelitas conjugalis potiſſimum pendent, & conſervantur, quando contractus celebrantur ex amore, & non ex aliis motivis, avaritiæ potius, vel ambitioni, quam conjugali ſocietati accommodatis: ſimilique modo illicite, vel licite agunt, etiam contrahendo ſponſalia, parentibus inconſultis, ob datam rationem: ſed de hoc iterum Tract. 14. §. 4.

Ex reverentia quid debeant in verbis? VIII. Tertium filiorum debitum erga parentes eſt Reverentia; & in eo conſiſtit, quod juxta regulas honeſtatis, & juxta morem nationis ſuæ, reverenter ad illos ſe habeant, tum verbis, tum ſignis, tum factis. Deficiunt autem in verbis, ſi duris, inurbanis, detrahentibus, irridentibus, contumelioſis, imprecantibus malum eos lædant, (quamvis non ex malevolentia) ſive coram, ſive in abſentia; gravius tamen ſemper ſi coram: proinde ſemper peccant graviter, aut leviter pro ratione materiæ: & ſi hæc proferant animo malevolo, peccant etiam contra amorem, ut dictum fuit.

Quid debeant in ſignis? IX. Deficiunt quoad ſigna Reverentiæ, genitorum conſilia contemnendo, illos geſticulationibus, & nutibus ſubſannando, vel aliis modis parviſaciendo, ſive coram, ſive in abſentia: quæ agendo peccant graviter, vel leviter pro ratione materiæ: ſi ſtant animo malevolo, peccant etiam contra amorem. Item ſi evectus filius, aut evecta filia ad dignitatem, genitores poſthabeat, recognoſcere erubeſcat, recipere, & admittere recuſet; quod mortale eſt, juxta omnes; niſi forte illos recognoſcere in aliqua rara circumſtantia, filio, vel filiæ certo moraliter creare deberet grave damnum, vel in vita, vel in honore, vel in bonis; tunc enim, retentis in corde filiali amore, & reverentia, prudens diſſimulatio foret excuſabilis: eiſdem poſtea genitoribus manifeſtanda, ne inde offenſa, & afflictione afficerentur.

Ad quid teneantur factis? X. Deficiunt tandem in facto, dum illos factis offendunt, nedum percutiendo, ut patet, verumetiam tantummodo manum iracunde elevando, aut virgam arripiendo, ſemper graviſſimum peccatum eſt: item accuſando illos in judicio ſive civiliter, ſive criminaliter; quod itidem ſemper eſt lethale: exceptis dumtaxat caſibus hæreſis, proditionis Patriæ, conjurationis in Principem, ſi hæc alio modo evitari nequeant. Deficiunt tandem facto, omittendo illa ſigna, quæ communia ſunt filiis ſui gradus: ſi ſalutem dare, aſſurgere, caput detegere, locum cedere, bene precari temporibus conſuetis, & conſimilia facere omittant: quæ tamen, ſecluſo pravo affectu, non cenſentur lethalia.

* Tenetur Filius denuntiare Patrem hæreticum, etiamſi non dogmatizet, & e converſo. Nam bonum commune Religionis prævalet bono privato Patris, Filii &c. eo vel maxime, quia Filio Patrem hæreticum denuntianti pœna confiſcationis propriæ legitimæ, & pœna infamiæ remittitur. Legantur Alberghinus, Alphonſus a Caſtro, Pegna, Felix Poteſtas, aliique.

Etiam ſecluſo pravo affectu videtur Filius lethaliter delinquere omittendo erga Parentes illa ſigna, quæ communia ſunt filiis ſui gradus, puta eos modeſte alloqui, aſſurgere iiſdem, caput aperire &c. ſi conſulto & ſemper, vel fere ſemper illa omittat. Fieri enim nequit, ut Filius erga Parentes ita ſe gerat, quin ipſos graviter contriſtet, magnoque mœrore afficiat. Diximus data opera, ſi conſulto, & ſemper, vel fere ſemper illa omittat. Nam ſi vel inconſiderate, vel aliquando duntaxat ſine contemptu, & ſcandalo Filius talia ſigna Parentibus non exhibeat, mortalis criminis reus non erit.

XI. De-

Quando peccent agendo, quod prævident genitoribus allaturum contriſtationem?

XI. Denique peccant filii contra virtutem pietatis, (contra quam virtutem peccent omnibus indicatis modis) quoties aliquid omittunt, vel agunt, quamvis in ſe non malum, quod tametſi filiis vetitum non fuerit, prævident tamen genitores valde contriſtandos, vel offendendos, vel peccaturos blaſphemiis, furoribus &c. quia ſine juſto, & gravi motivo dant ipſis occaſionem prævíſam tantorum malorum, & proinde tenentur ſub mortali ab hujuſmodi actione, vel omiſſione abſtinere: immo ſatis eſt, ſi dubitent, an actio, vel omiſſio ſit illis notabilem diſplicentiam allatura, ut abſtinere teneantur; quia in hoc dubio eſt integrum jus genitorum, quo gaudent ſuper filios, ne ab ipſis ſine cauſa contriſtentur. Si tamen, quod filii agere, vel omittere intendunt, ſit ob rationabile motivum vel notabilis damni evitandi, vel magnę utilitatis capeſcendę gratia, & contriſtatio eorum oriatur ex ipſorum ruſticitate, apprehenſione, moroſitate, hypocondria, aut alia inordinata animi commotione; non peccabunt filii illud agendo vel omittendo; quia æquum non eſt, ut filii aut damno notabili ſubjaceant, aut utilitate notabili priventur, indulgendi cauſa inordinatę genitorum imbecillitati.

Circa dominium filiorum in bonis caſtrenſibus, & circa contractus cum genitoribus ineundos agemus, dum ſeptimum Decalogi præceptum conſiderabimus, ubi de Dominio ſermo erit, nempe tract. 9. §. 2.

§. II. *De Obligationibus Genitorum erga Liberos.*

Tria debent Genitores filiis: Et primo dilectionem.

I. TRia viciſſim tenentur Genitores præſtare Filiis, nempe Dilectionem, Alimenta, & Educationem tam civilem, quam ſpiritualem. Et quoad Dilectionem; tenentur bene velle filiis affectu, & opere; removendo ab eiſdem, quoad fieri poteſt, mala animę, & corporis. Peccabunt igitur genitores, ſi filios odio proſequantur, ſi illis malum optent, imprecentur, maledicant, ſi nimis dure illos tractent, verberent, affligant ſine juſta cauſa; ſi illis indigentibus non ſuccurrant &c. De quibus ſpecialiter inferius. Strictiori namque titulo tenentur genitores filiis, quam genitoribus filii; quandoquidem ex ipſo naturæ ductu, ut etiam in brutis apparet, majori impetu inclinat natura genitores in filios, quam iſtos in illos. Et propterea in Decalogo non extat ſpeciale præceptum pro genitoribus erga filios.

Obligatio quoad educationem corporalem.

II. Obligatio genitorum erga filios incipit illos afficere a conceptione ipſorum. Peccabunt igitur & quidem graviter, (ut ſuo loco probabilius eſſe oſtendetur de uſu Matrimonii) ſi tempore menſtruorum vacent operi conjugali, cum maximo periculo gravis damni prolis, aut concipiendę, aut conceptę: ſi mariti uxores pregnantes affligant, contriſtent, aut dure tractent, percutiant, vel alia gravi vexatione afficiant, cum magno periculo gravis damni prolis jam conceptæ. Peccant graviter matres, ſi pręgnantes, cum ſunt, exerceant corporales agitationes, & conatus, ex quibus prævidere poſſint, & debeant, grave nocumentum proli conceptę probabiliter reſultare poſſe. Emiſſa autem prole in lucem, graviter peccant, omittendo neceſſariam, & ſollicitam curam, ſi opus ſit nutrice, inveniendi illam ſanam, morigeram, & ſedulam: ſæpe enim defectus tam phyſici, quam morales una cum lacte transfunduntur in infantes lactentes, phyſici certo moraliter; morales plerumque. Peccant item matres lethaliter, ſi teneant ſecum in lecto infantes cum periculo oppreſſionis eorumdem; quod jam ſemper intervenit: Unde non debent expectare quod eveniat oppreſſio, ut ſe in confeſſione accuſent; ſed quoties id agunt, confiteri debent; quia ex natura facti ſemper adeſt grave periculum.

Illicitum eſſe officium conjugale tempore fluxus menſtrui, ſeu dum mulier naturali menſis profluvio laborat, communis eſt Theologorum ſententia. Num autem hoc ſit lethale crimen ex parte petentis magnum eſt inter illos diſſidium, uti videbimus Tract. XIV. cap. VIII. de Sacramento Matrimonii §. XIII., in quo Auctor difficultatem hanc fuſo calamo verſat, ac diſcutit.

Ad quid ulterius teneantur titulo educationis corporalis?

III. Tenentur genitores ſub gravi obligatione educationis corporalis, providere filiis neceſſaria ad victum, veſtitum, habitationem, medicinalia, &c. quouſque ad ętatem ſufficientem pervenerint, eo modo quo moraliter poſſint: dixi uſque ad ętatem ſufficientem, in qua poſſint per lucra convenientia ſibi providere; quia hoc debetur filiis per ſe; per accidens autem uſque ad finem vitæ, ſi aliquo juſto impedimento detenti, ſibi providere nequeant. Et circa hoc notandum eſt, quod ſi filius ab aliquo alio alatur gratis, non tenetur pater in foro conſcientiæ compenſationem facere filio pro alimentis ab alio ipſi datis, niſi for-

ſorte aliqua debita contraxiſſet; quamvis in ſoro externo poſſit filius per judicem compellere patrem ad dicta ſibi compenſanda: quod idcirco jure civili ſtatutum fuit, ne patres eſſent faciles ad relinquendos filios ſuſtentationi aliorum. Alimenta tenetur pater miniſtrare filio etiam exulanti, etiam excommunicato, etiam diſſipanti alimenta ſibi tradita, etiamſi potuerit ſibi providere, & non fecerit. Ratio eſt, quia filius, propter hęc omnia indigna perpetrata, non deſinit eſſe filius, patri proinde naturę jure commendatus. Idemque a fortiori dicendum eſt de filia. Et in caſu, quo Pater, ob inopiam, ad hęc pręſtanda ſit impotens, ſubſtituitur quoad eaſdem obligationes mater; & in horum defectu ſubſtituuntur Avi, & Proavi paterni; & in horum defectu, Avi. & Proavi materni: & in horum defectu Conſanguinei propinquiores; ita poſtulante lege naturali; & charitate inter conſanguineos, ne proles illa deſtituatur neceſſaria adſiſtentia. Obſervandum tamen, quod tribus primis annis ad matrem ſpectat alere prolem ex lib. 9. Cod. de patria poteſtate: ſi tamen non poſſit, jam patet quod etiam pro eo tempore ſpectabit ab Patrem.

Aliæ genitorum obligationes temporales.

IV. Hinc apparet, quomodo Genitores magis, minuſque graviter peccent, ſi proprios filios parvulos non cuſtodiant, prout eorum ætas requirit: ſi illos hoſpitali exponant, quando eos, quamvis cum gravamine, alere poſſint: ſi res, & bona familiæ non curent; ſi eadam bona dilapident in compotationibus, commeſſationibus, ludis, aliiſque indignis modis; ſi omittant neceſſariam ſedulitatem, ut ſe reddant habiles ad collocandas filias, & filios juxta eorum capacitatem & conditionem inſtituendos; nec non ad relinquendam eiſdem congruam hæreditatem; cum teneantur etiam futuris eorum neceſſitatibus providere. Pertinet item ad curam filiorum corporalem providere illis artem, opificium, miniſterium, ſtudium, reſpective ad eorum ſtatum & capacitatem proportionatum: pro quibus addiſcendis, debet genitor, & in ejus defectu, omnes ſupradicti, facere neceſſarias expenſas. Ac proinde etiam quoad hoc urgentiſſimum caput, a quo tota futurę filiorum vitę corporalis ratio pendet, ſi notabiliter fuerint negligentes, mortaliter delinquunt, juxta omnes, quemadmodum etiam quoad cętera capita hactenus recenſita.

Ad quid teneantur circa legitimam?

V. Tenetur præterea pater relinquere portionem legitimam ex hæreditate, quæ jure Cæſareo eſt tertia pars bonorum, ſeu *triens*; æque dividenda inter filios, & filias, ſi ſint quatuor, vel pauciores; ſi autem fuerint quinque, vel plures, eſt dimidia pars, ſeu *ſemiſſis*; poſito tamen quod de reliquo hæreditatis aliter diſpoſuerit, cum alioquin tota hæreditas inter liberos ſit dividenda. Dicta legitima, privari non poſſunt: (ut dicetur in tractatu de contractibus, capite de Teſtamentis) niſi ex delictis in jure recenſitis, quæ ſunt quatuordecim. 1. Si manus graviter in patrem injiciat. 2. Si ſe cum maleficis intermiſceat. 3. Si illum accuſet extra caſus ſupra indicatos. 4. Si contumelia gravi afficiat. 5. Si inſidietur vitæ patris. 6. Si patris uxorem, ſcilicet novercam violet. 7. Si deſerat patrem in judicium cum ipſius gravi detrimento. 8. Si filius requiſitus a patre carceri mancipato, illum non adjuvet; quoad hoc excipitur filia. 9. Si prohibeat patrem teſtari. 10. Si hiſtrionicam artem exerceat, dum pater illam non profitetur. 11. Si patre offerente dotem ad nuptias, filia minor annis vigintiquinque luxurioſe vivat. 12. Si filius curam negligat parentis furioſi. 13. Si parentem captivum filius non redimat, cum poſſit. 14. Si filius fiat hæreticus, patre exiſtente catholico; in omnibus his caſibus poteſt pater filiis, & filiabus negare alimenta, dotem, & hæreditatem legitimam; & etiam mater reſpective: Quamvis ſententia magis pia doceat, adhuc in his caſibus deberi filiis neceſſariam ſuſtentationem. Vide perdoctum Sanchez de Matrimonio lib. 4. Diſput. 29. Quando autem pater bona diſſipavit cum jactura legitimæ filiis debitæ, niſi hoc animo diſſipaverit, ut illos legitima privaret, non poterit filius integram legitimam petere, quæ ſibi contingere deberet. Si filii cedant patri petenti propriam legitimam, & dotem, & hic tempore ſuæ mortis acquiſivit bona ſufficientia, poterunt filii, & filię petere quod ceſſerunt; quia prudenter cenſentur ceſſiſſe hac conditione, niſi bona extiterint. Quando filiæ, accepta dote, matrimonium ineunt, & ceſſionem faciunt cujuſcumque juris ad bona paterna &c., ſi hanc ceſſionem ex fraude, dolo, vi, precibus importunis faciant, poterunt ab eadem relaxationem petere: ſi item eam faciant omnino libere, & nullo dictorum interveniente, adhuc a jure irrita declaratur hæc renunciatio: conſulendę tamen erunt ſuper hoc leges peculiares regionum.

VI.

Ad quid tenean-tur ex vi educa-tionis ſpiritua-lis?

VI. **Tertium caput**, & quidem urgentiſſimum, obligationis genitorum erga filios verſatur circa educationem ſpiritualem; cui ut condigne ſatisfaciant, tenentur ad tria, nempe ad doctrinam Fidei, & morum; ad bonum exemplum; & ad opportunam correctionem. Quoad primum tenentur genitores vel primo per ſemetipſos, vel ſaltem per idoneos, & probos inſtitutores, ſedulo procurare, ut proles adhuc tenella imbuatur notitia Myſteriorum

Ad doctrinam Fidei & morum.

ſanctæ Fidei; &, proportione ſervata ad eorum ætatem, ut inſtruantur de neceſſariis, & requiſitis ad Sacramenta digne recipienda; de præceptis Dei, & Eccleſiæ: debent periculum facere, an illa addiſcant, & memoriæ commendent: item invigilare, ut a vitiis, eorum ætati correſpondentibus, arceantur; ut a ſodalibus improbis, & ſcandalum præbentibus elongentur; ut Sacramentorum diſcreta frequentia muniantur; ut a promiſcuis converſationibus ſejungantur: tenentur eos docere Chriſtiana documenta circa peccata vitanda, eorum occaſiones fugiendas, & virtutes Chriſtianas exercendas: eiſdem inſtillare timorem, & amorem erga Deum; Devotionem erga Deiparam, & Sanctos: horrorem peccati lethalis: tenentur ad ſpecialem erga filias cuſtodiam, & quam maxime invigilare, ne inverecunde ſe ornent, ne vanam pulchritudinem affectent, ne feneſtris ſe exponant, ne amicitias cum viris contrahant, cujuſcumque ſtatus ſint; ne abſque juſto, & urgenti motivo in publicum prodeant; ſed inſiſtere, ut honeſtatem, puritatem, modeſtiam, aliaſque virtutes mulieribus, & virginibus ſpecialiter correſpondentes colant. Et ſi circa hæc omnia Genitores notabiliter deficiant, ſe ſtatui culpæ lethalis addictos procul dubio credant, utpote deficientes in obligatione gravi ſtrictiſſime illos afficiente.

Obligationes quoad Exemplum.

VII. Quid autem prodeſſe queunt filiis inſtructiones, monita, documenta, niſi hæc corroborentur genitorum exemplo? immo ſi oppoſitum fieri a genitoribus filii conſpiciant? profecto nil, aut non niſi quadam miraculi ſpecie, documenta proderunt, ſi facta genitorum aliter agendum ſuadeant. Heu, quot ſpeciebus ſcandali gravantur genitores, qui ſe videri, aut audiri a filiis, filiabuſque non curant tranſgreſſores præceptorum Dei, & Eccleſiæ! Hinc inferas, quot modis peccent patres, qui coram liberis ſuis, veneranda Nomina Dei, Chriſti, Evangeliorum, Crucis &c., aut blaſphemiis injuria afficiunt, aut frequenter in juramentis uſurpant: qui obſcœnis verbis, maledictionibus, oblocutionibus in proximum, aliiſque pravis modis paſſim utuntur: qui aut continuis ſolatiis, ludis, ebrietatibus dediti, aut fœminarum familiaritati addicti; aut famulatui, ut dicunt, alicujus conjugatæ mancipati, propriæ uxoris cuſtodiam alteri amaſio relinquentes, alienam inflammato corde ipſi depereunt. Poterit ne unquam adeo perdita vivendi ratio a ſcandalo mortali filiis dato vacare? Quid dicam de illis, qui avaritiæ, aut ambitionis jugulo detenti, de aliis rebus non loquuntur, quam de congregandis, & augendis divitiis; de modis non raro illicitis eaſdem conquirendi, de gradibus altioribus, de artificiis charitati, aut juſtitiæ adverſantibus ad eoſdem aſſequendos adhibendis? ita ut aut nunquam, aut rariſſime verbum faciant de ſpectantibus ad divinæ legis obſervantiam, ad animæ ſalutem, vitamque æternam naneiſcendam? Hos, inquam, genitores a lethali ſcandalo habituali immunes eſſe putabis? His addas ſcandala propria matrum reſpectu filiarum, quæ tota die circumeunt, de ſolatio in ſolatium commigrantes; quæ aliis viris ſe colendas tradunt, quæ ſolæ cum extraneo amatore, quocumque libet, pergunt; quæ, poſthabito pudore chriſtiano, inverecundis modis veſtes componunt; quæ non aliud cogitant, loquuntur, meditantur, quam ut cultoribus ſuis formoſiores appareant, numerumque amatorum magis augeant. Has itaque putabis immunes a ſtatu culpæ mortalis? O ſeculi noſtri mores corruptiſſimi! quos filii, & filiæ didicerunt a genitoribus ſuis, ut ipſi eoſdem propagent in filios, & nepotes; & hoc modo morum diſſolutio facilius ſuboleſcat. Væ quidem genitoribus; at væ iterum genitorum Confeſſariis, qui ſi in doctrina morum, & in Sacramentorum adminiſtratione eſſent labii unius, & ſermonum eorumdem, magna profecto ex parte eliminaretur corruptio, & fidelium mores componerentur, qui, quod reprehenſum ab uno experiuntur, non invenirent diſſimulatum ab altero; & dilatam ab uno prudenter abſolutionem, non reperirent ultronee, & irrationabiliter impertitam ab alio. Sed de his iterum, & diffuſe in tractatu de Sacramento Pænitentiæ, ubi de obligationibus Confeſſarii ex profeſſo diſſeretur.

Obligationes eorum

VIII. Tertia obligatio parentum ſpectans ad ſpiritualem educationem eſt opor-

quoad correptionem.

portuna correptio, qua eorum vitia emendare ſatagant, & eſt eorumdem ætati, indoli, & defectui commenſuranda. Quapropter non debet has circumſtantias excedere, ne filii aut in puſillanimitatem, aut nimium terrorem, aut deſperationem adducantur. Neque minus quam oporteat, debet eſſe remiſſa, ne in fomentum potius evadat, quam in curationem morbi. Hæc correptio, ſi aliquando opus fuerit, & circumſtantiæ filiorum permittant, ad moderata verbera ſe extendere debet; ad repulſam a communi menſa; ad recluſionem in cubiculo per aliquot dies; &c., habita ſemper ratione gravitatis defectus, & eruditionis aliorum confratrum, & ſororum. Ad eam tenentur genitores, quando alio modo plena emendatio obtineri nequeat, & quando gravitas criminis poſtulat ſub mortali; nedum quando optima exempla filiis dant; verum etiam quando eiſdem ſcandalo ſunt; & tunc illos puniendo proteſtari debent, ſe nolle habere filios ſuorum vitiorum imitatores; ſed ipſis incumbere ſaltem quoad hanc partem munera genitoris explere. Quia ſicut Princeps quantumvis ſcandalum præbeat non diſpenſatur a puniendis malefactoribus, ita neque pater, & mater a puniendis filiis, & filiabus immorigeris. At quo profectu? ignoro. Genitoribus cunctis prole donatis memoriæ fixus eſſe debet miſerandus Heli eventus; qui, tametſi vitæ ſpectabilis, Divinam tamen ultionem in ſe concitavit: *eo quod* (dicit Scriptura 1. Reg. c. 3.) *noverit indigne agere filios ſuos, & non corripuerit eos*. Et tamen obſervandum eſt, quod filii ejus erant Sacerdotes, juxta morem illius legis conjugem, nec non filios, & filias habentes; item quod corripuit eos monendo de ſcandalis, quæ dabant ſacrificia offerentibus; ſed quia non corripuit ea ſeveritate, qua debebat, & poterat, divinæ ultioni ſubjacuit: unde S. Hieronym. lib. 1. contra Pelagianos: *Heli corripuit filios, & punitus eſt, quia non corripere ſolum, ſed abjicere debuit ab officio Sacerdotii*. Et S. Jo. Chryſoſtom. Homil. 9. in 1. ad Timoth. *Heli propter filios periit; illos quippe cum acrius coercere debuiſſet; verbis tantum lenibus monuit*. Audiant, & horreant, qui neque verbis, neque factis corripiunt; qui eorum vitia diſſimulant, ne illos contriſtent; qui etiam aliquando illorum indigna geſta, tamquam effectus vividioris ſpiritus excuſant.

Ad quid teneantur erga filios naturales & ſpurios?

IX. Supereſt dicendum aliquid circa filios naturales, qui naſcuntur ex illegitimo concubitu perſonarum ſolutarum, quæ matrimonio jungi poſſunt; necnon circa filios ſpurios, qui naſcuntur ex illegitimo concubitu perſonarum, quæ matrimonio jungi nequeunt; vel quia alteruter, aut uterque eſt conjugatus, vel conjunctus, vel affinis, vel voto ſolemni obſtrictus, vel a lege prohibitus. Neque hic loquimur de educatione ſpirituali, quam illis debent ſicut veris filiis, quamvis illegitimis. Filiis itaque naturalibus tenetur pater ſubminiſtrare alimenta, & ſi non habet prolem legitimam, poteſt eiſdem omnia bona vel donare, vel teſtamento relinquere. Similiter & ſpuriis tenetur de alimentis ſtatui ſuo proportionatis: Non poteſt autem ex lege civili eiſdem facere donationes mortis cauſa, neque illos hæredes inſtituere, ne filiis legitimis minuatur hæreditas: & quamvis jus civile illos privet etiam alimentis, ad terrendum delinquentes, quoad hoc fuit emendatum a jure Canonico. Tenetur pater filiæ quamvis ſpuriæ providere etiam de dote juxta conditionem ſui ſtatus, ut honeſte nubere poſſit, ſi voluerit: non tamen poteſt excedere in dote concedenda, ne legitimis filiis minuat hæreditatem, immo ſi excederet, tenerentur ſpuria, ejuſque maritus exceſſum reddere legitimis hæredibus; niſi forte illi remitterent exceſſum illum. Si pater ſpurii eſſet beneficiarius, & non haberet aliunde, quo aleret filium, vel dotaret filiam, neque iſtud aliunde habere poſſet; ex fructibus beneficii poſſet alere, & dotare; eſt enim opus charitatis, & æquitatis naturalis; proinde Bulla S. Pii V. prohibens hujuſmodi alimenta, intelligitur, ſi aliunde ſuſtentari poſſint, & dotari. Mater tenetur filium tam naturalem, quam ſpurium alere uſque ad triennium lac præbendo: pater autem tenetur ad reliqua, & etiam ad nutricem inveniendam, ſi mater lac præbere non poſſit.

Qualiter peccent exponentes Hoſpitali?

X. Genitores, qui ſine juſta, & neceſſaria cauſa exponunt filios hoſpitali, peccant mortaliter, juxta omnes; quia agunt contra pietatem naturalem, abdicando a ſe filios, quibus adeo ſtrictis obligationibus paulo ante recenſitis devinciuntur. Quænam autem ſit juſta, & neceſſaria cauſa, judicanda relinquitur prudenti, & docto Confeſſario, a quo conſilium petere debent genitores, priuſquam id agant. Una videtur eſſe, ſi revera, & coram Deo careant modo illos ſuſtinendi, ita ut vita filio-

Digitized by Google

filiorum tenellorum expoſita remaneat periculo, ne conficiantur, & intereant inopia in domo paterna. Altera eſſe poteſt, ſi neceſſitas adſit occulrandi crimen, ne ſcandalum, aut infamia inde oriatur: Tenentur tamen in eo caſu prius pater, deinde mater compenſare hoſpitali expenſas, quæ fieri conſueverunt: & ob hoc ſolet conſtitui taxatio determinatæ pecuniæ, ipſi Hoſpitali erogandæ pro omni, & toto debito.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS ALIARUM PERSONARUM

Quibus incumbit reſpective aliorum curam gerere.

§. I. *De obligationibus Tutorum reſpectu Pupillorum; & Curatorum reſpectu Minorum.*

Obligationes Tutoris, &Curatoris generatim.

I. TAmetſi de his plura dicturi ſimus in ſeptimo præcepto, hic ſummatim dicimus, Tutorem dici illum, qui curam habet Pupillorum tam quoad perſonas, quam quoad bona eorumdem; præcipue tamen quoad perſonas. Tutela durat uſque ad annum decimum quartum completum reſpectu maſculorum, & duodecimum completum reſpectu ſemellarum; qui dicuntur anni pubertatis. Curator dicitur ille, qui curam gerit Minoris, tam quoad perſonam, quam quoad bona, principaliter tamen quoad bona. Cura autem durat a modo dictis annis uſque ad vigeſimum quintum completum Minoris. Tutor tenetur ad ea omnia, ad quæ tenetur pater: unde nil addendum dictis de Patre; quem Pupillus tenetur diligere, revereri, eidemque obedire ſicut filius. Curator tenetur bona Minoris fideliter adminiſtrare, neque perſonam negligere: unde ſi in vigilantia circa perſonam notabiliter deficeret, lethaliter peccaret. Ita minor debet Curatori morem gerere, & erga illum tanquam erga perſonam ſuper ſe jus habentem ſe continere.

Obligationes ſpeciales eorumdem.

II. Tenentur Tutor, & Curator, ſtatim ac inſtituti ſunt in officio, Inventarium omnium bonorum Pupilli, & Minoris facere; omnia illorum jura ſuſtinere, & defendere, item curare, ut ex bonis percipiantur juſte fructus annui: bona mobilia, quæ ſervando ſervari nequeunt, vendere ad emenda prædia, & bona fructum afferentia: ex lege 24. Cod. de Adminiſt. Tutorum. Peccabunt igitur pro ratione materiæ plus, minuſve graviter, ſi hæc facere neglexerint, ſi bona pupilli, vel minoris in proprios uſus convertant, cum obligatione reſtituendi omnia ſublata, nec non omnia lucra ceſſantia, damnaque emergentia ex omiſſionibus ſuis reſultantia; ad quę tenentur ex culpa lata, & levi juridica. De quibus culpis diſſeremus in Tract. de Reſtitutione; eo quod hæc miniſteria cedant in utilitatem pupilli, & minoris, nec non Tutoris, & Curatoris, quibus debetur pretium ſui laboris in prædicta adminiſtratione. Peccabunt item, dando pupillo, & minori pecunias ad uſus malos, & indecentes; etiam pro his compenſaturi.

§. II. *De Obligationibus Patrinorum reſpectu filiorum Spiritualium.*

I. PAtrini, ſeu ſuſceptores infantium in Baptiſmo, & puerorum in Confirmatione, tenentur ex vi ſui muneris procurare, ut a ſuſceptis diſcantur neceſſaria circa Fidem, & bonos mores, ſi deſint conjuncti, qui id præſtent; in quo caſu etiam ſuper eorum vitam invigilare tenentur, ſedulo procurando, ut juxta Chriſtiana inſtituta illam ducant. Pariter ſuſcepti tenentur illis amorem, reverentiam, & obedientiam reddere quoad inſtructionem, & morum diſciplinam. Patrinorum obligationes.

§. III. *De Obligationibus Conjunctorum viciſſim.*

I. COnſanguineis majoribus ſive in linea recta, ſtrictius obligante, ſive in laterali, tenentur filii genitoribus carentes exhibere amorem, reverentiam, & obedientiam, tanquam genitoribus, quorum loco ſuccedunt. Proinde peccabunt plus, minuſve pro ratione materiæ contravenïendo dictis obligationibus, ſicuti reſpective dictum eſt de eorum obligationibus erga genitores, quin aliud addamus. Si autem genitores vivant, eiſdem obligationibus adhuc tenentur, & maxime quoad reverentiam, & amorem, non tamen adeo ſtricte quoad obedientiam: quamvis erga aſcen-

Obligatio filiorum erga conſanguineos majores.

aſcendentes in linea recta major debeatur, quam erga collaterales.

Ad quid tenentur Majores conjuncti erga Minores.

II. Hi conſanguinei viciſſim in defectu genitorum tenentur inferioribus omnia præſtare quantum poſſunt, quæ genitores debent filiis ſupra diffuſe explicata cap. 1. in toto §. 2. quibus ſi deſint, peccant pro ratione materiæ, & omiſſionis. Si autem genitores vivant, ad amorem quidem tenentur ratione conjunctionis, ſed alia non; niſi in caſu, quo a genitoribus vel impotentibus, vel non curantibus non præſtentur; & maxime aſcendentes in linea recta, quia hos præcipue afficit obligatio: tametſi alii collaterales non abſolvantur omnino, viventibus Avis: quia ſi aut impotentes ſint, aut non curentes tota obligatio devolvitur ad ipſos collaterales, juxta gradum &c. Propterea prudens Confeſſarius prius mature perpendat circumſtantias omnes rerum, perſonarum, graduum, ut recte judicet, quando graviter deficiunt, & poſſit urgentius inculcare obligationes ad quas tenentur.

§. IV. *De Obligationibus Herorum, & Famulorum viciſſim.*

Obligationes Famulorum, & Ancillarum.

I. Famuli, & Ancillæ debitores ſui Heris, & Dominabus ſunt benevolentiæ, reverentiæ, obedientiæ, & fidelitatis; tria prima, ratione virtutis Obſervantiæ, quartum ratione Juſtitiæ. Cum itaque Heri fungantur reſpectu famulorum quodammodo vice parentum, ſintque familiæ rectores; tenentur famuli & ancillæ ad tria prima: Quatenus vero contractum oneroſum ineunt eiſdem inſerviendi pro juſto ſtipendio, tenentur ad præſtanda officia, & labores ſui famulatus, nec non ad fideliter cuſtodiendas & conſervandas res familiares: & quamvis de iis inſtituturus ſim ſermonem in tractatu inde Contractibus particulari; etiam hic nonnulla dicenda occurrunt.

Aliæ eorum obligationes.

II. Famulos, ancillaſque mortaliter peccare, quando in re gravi heris non obediunt, nemini eſt dubitandum: puta ſi jubeantur nonnulla familiæ ſecreta ſilentio cuſtodire, Sacramenta temporibus debitis recipere, &c.; & ſi hoc committant, peccant nedum contra præceptum Eccleſiæ, ſed & contra obedientiam quoad hoc heris debitam. Peccant contra juſtitiam, ſi toto tempore præſcripto non laborent, cum poſſint, vel cum notabili negligentia ſua munera obeant. Quapropter pro damnis inde domino exurgentibus, aut pro lucris ceſſantibus compenſare illum tenentur. Item graviter peccant diſponendo de rebus domini in ſufficienti quantitate, ſine illius licentia; nec non permittendo, grave damnum eidem ab aliis inferri ſive extraneis, ſive conſervis; quamvis circa res ſpeciali ſuæ cuſtodiæ non commiſſas: & niſi impediant, cum moraliter poſſint, puta vel reſpective clamando, vel revelando, tenentur ad compenſationem, ſi hæc non fiat ab immediate damnum afferente. Ratio eſt, quia quamvis ſpecialiter conducantur pro tali miniſterio in particulari, non tamen idcirco abſolvuntur a cura generali etiam aliarum rerum ſui heri; hæc enim cura generalis ſemper intelligitur tacite in contractu illos conducendi, ita ut ſi ſe declarent, nolle teneri ad curam, niſi rerum ſuo officio commiſſarum, & non aliarum, nullus herus illos conducere vellet: Ex quo patet, non gratis affirmari, hanc tacitam conditionem in contractu ſuæ conductionis, ſed reapſe ſubintelligi. Si enim extraneus quiſque, cum moraliter poſſit, ſub gravi tenetur impedire damnum notabile proximi ex charitate; cur non tenebitur ſub gravi, etiam ex juſtitia, famulus conductus ad inſerviendum familiæ, cujus evadit quodammodo membrum, cujuſque bonis alitur, & ſuſtentatur? Item graviter peccant, quamvis tacere non juſſi, ſi abſque juſta cauſa revelent errata, directiones, reſolutiones, diſſenſiones &c. familiæ, quæ aut ab aliis non ſcirentur, aut vix, niſi famulus ea narraret: qui debet animadvertere, hujuſmodi revelationem, ſi ab heris ſciretur, gravem eiſdem contriſtationem allaturam. Peccant præterea graviter, ſi abſque juſto motivo diſcedant a famulatu ante tempus condictum, & ſi damnum inde emergat Domino, puta ducendi alterum majori pretio, aut quodvis aliud, tenentur illud compenſare.

Herorum obligationes erga famulos.

III. Domini tenentur viciſſim erga famulos, ancillaſque ad benevolentiam, beneficentiam, mercedem, & cuſtodiam. Tenentur itaque in primis ſervare pacta cum illis inita; tam quoad victum, quam quoad mercedem, & alia quæcunque: Si ſine juſto motivo dimittant ante tempus condictum, debent in conſcientia integram mercedem toti tempori conductionis correſpondentem erogare, nec non pro alimentis, quæ tempore quod ſupereſt ſubminiſtrarent, compenſare: niſi forte ſtatim abſque ulla mora alterum herum invenerint, qui

æqua-

Digitized by Google

æquali, vel majori ſtipendio illos conduxerit: Nam ſi minori, ſupplere debebit prior Dominus, qui dimiſit, pro rata: Ratio eſt evidens, quia quoad hæc damnum iniuſtum attulit dimiſſo.

Aliæ obligationes Herorum temporales.

IV. Debent famulis bene velle, illos non aſpere tractando, non contumeliis afficiendo, quę nunquam licent: nam ſi opus ſit illos corripere, & increpare, fiat, ſed abſque injuriis, imprecationibus, contumeliis, quæ ad nil proſunt, niſi ad eos irritandos; & ita fructus correptionis evaneſcet; cum alioquin offendatur Divina Majeſtas. Item curare tenentur, ne in infirmitate careant adſiſtentia corporali, tamen inter limites pactionum initarum: Charitas tamen urget, ut ſi morbus ſit brevis, non priventur ſtipendio brevi illi tempori correſpondente: ſi autem ſit diuturnus, & animadvertant gravi illos neceſſitate premi, alia temporalia auxilia pręſtare debent, prout diximus in Tract. 4. c. 8. §. 7. & hic addendum Apoſtoli monitum: *Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. Proinde animi Chriſtiani protecto eſſe non videtur, illos retinere per plures annos, quouſque ætate, & viribus floreant, deinde ſeneſcentes dimittere abſque ulla penſione, quando hæc conferri poteſt; ita ut miſelli mendicare compellantur.

Obligationes Herorum ſpirituales.

V. Tenentur heri, & heræ in conſcientia corrigere famulos, & ancillas delinquentes contra legem Dei, & Eccleſiæ; & invigilare, an ſaltem ſtatutis temporibus ad ſuſcipienda Sacramenta accedant; item ut ſint inſtructi in doctrina chriſtiana, ſi eam ignorent, & ut vitam Chriſtiano dignam ducant: Si correcti non ſe emendent, & ſcandalo evadere poſſint aliis conſervis, & multo magis filiis, aut filiabus, ſive in lingua, ſive in moribus, tenentur ſub mortali illos domo dimittere; quandoquidem Paterfamilias ea obligatione, qua obſtringitur ad invigilandum ſuper mores domeſticorum, eadem omnino compellitur, ad removenda ſcandala, occaſioneſque ruinę.

Caſus non rarus de diſceſſu intempeſtivo.

VI. Si famulus, abſque juſta cauſa, ab hero diſcedat ante condictum tempus, quamvis, ut dicunt multi, poſſit in foro externo nihil illi tribuere pro toto illo anno, in foro tamen conſcientiæ licitum dumtaxat illi eſt retinere portionem, ratæ temporis correſpondentem. Non tamen licet ullo modo impedire illum, ne ab aliis heris conducatur. Id enim agere, eſt privata & gravis vindicta, quæ nemini privato unquam licet: & ſi herus impediens nulla utitur fraude, aut via injuſta ad id impediendum, eſt lethale dumtaxat contra charitatem: ſi autem aliqua falſitate, fraude, vi, aliove modo injuſto removeat volentem illum conducere; peccat etiam lethaliter contra juſtitiam cum onere reſtitutionis omnium damnorum; quia violat jus illius in eo conſiſtens, quod contra ſui conditionem non adhibeantur media injuſta falſitatum, &c.

§. V. *De Obligationibus Magiſtrorum, & Diſcipulorum.*

Magiſtrorum obligationes.

I. Magiſtri, Præceptores, Pædagogi, & alii hujuſmodi miniſteriis fungentes, cum quodammodo ad tempus vices genitorum ſubeant reſpectu diſcipulorum ſuorum, eiſdem obligationibus fiunt obnoxii reſpective, quibus genitores. Idcirco tenentur primo illis bono exemplo præire: ſecundo effrænes, indiſciplinatos, immorigeros corrigere, & punire: item parentes eorum admonere, ut ad illos emendandos ab ipſis adjuventur. Quod ſi non ſe emendent, & aliis pernicioſi evadant, tenentur illos a ſchola dimettere: immo ſi noverint eſſe tales, antequam illos recipiant, nequeunt illos in ſuam ſcholam admittere, niſi prius genitorum opera emendentur, ne aliis contagioſi fiant. Si vero alios diſcipulos non habeant, neque expectent, ita ut immorigeri nemini nocere queant, tunc illorum inſtitutionem ſuſcipere poſſunt, ad emendandos eoſdem ſedula cura, & caſtigatione opportuna. Tenentur præterea eſſe idonei ad docenda illa, quæ ſe docturos exhibent; & niſi ſint tales, debent non acceptare docendi munus, & acceptatum dimittere. Circa quę omnia plus, minuſque peccant pro ratione materiæ tum contra charitatem, tum contra juſtitiam.

Peccant ſi laureant conſecrant immeritis.

II. Certo lethaliter peccant Magiſtri Univerſitatum, ſi gradum Doctoratus conferant indignis ſuo voto, ut docet S. Antoninus, 3. p. tit. 5. cap. 2. §. 10., & 2. p. tit. 3. c. 5. §. 6.: & Navarrus in Man. c. 24. n. 25., & alii; quia in re gravi decipiunt publicum; & eo gravius peccant, laureando immeritum in Theologia, in Jure, in Medicina.

Diſcipulorum obligationes.

III. Diſcipuli tenentur præceptoribus ad reverentiam, & obedientiam præſtandam quoad ſtudium, & bonos mores: contra quas obligationes peccant leviter, vel gra-

Digitized by Google

viter pro ratione materiæ. Certum autem apud omnes eſt, quod ſi ſtudiis a genitoribus ſibi ſerio impoſitis, & pro quibus ſtipendia erogantur magiſtris, non dent operam, unde oleum, & operam perdant tam genitores, quam magiſtri; peccant lethaliter contra obedientiam eiſdem in re gravi debitam, tum etiam ob gravamen, quod afferunt familiæ, tum item quia ſe reddunt inutiles eidem, forte eorum ſubſidio indigenti. Quod ſi divites ſunt, & nobiles, dum, ut par eſt, ſtudio non vacant, vel incapaces remanent, atque inepti ad exercenda officia, quæ ſtatui ſuo competunt: vel ſi ea ſuſcipiant, ſcientia deſtituti, quæ ad eadem rite obeunda neceſſaria eſt, in plures graviſſimi momenti errores impingent, ac perperam de hominum vita, libertate, & bonis judicabunt. Quare eorum ſaltem notitiam tenentur acquirere, quæ recte ſungendis muneribus, quibus ſuo tempore deſtinabuntur, aditum aperiant, atque idoneos reddant ad ferenda judicia juxta leges, & ne errent cum damno aliorum, illorumque errores ſint graviter culpabiles, utpote ex ignorantia, quæ vinci poterat, ac debebat, profecti.

TRACTATUS VIII.

DE SPECTANTIBUS AD QUINTUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

CAPUT PRIMUM.

De Homicidio voluntario directo.

§.I. *De Notione, & diviſione Homicidii.*

Notio Homicidii.

I. *Homicidium ſemper eſt peccatum, quia inſeparabiliter habet inordinationem adnexam: homicidium enim plus importat, quam occiſio hominis... importat namque homicidium occiſionem hominis indebitam: & ideo homicidium nunquam eſt licitum, quamvis occidere hominem aliquando liceat*: ait S.Th. quodlibet. 8. a. 14 ad 1. Homicidium dividitur in Simplex, & Qualificatum: Simplex illud eſt, quod committitur in hominem communem, & ſine ulla circumſtantia, vel ex parte occiſi, vel ex parte modi occidendi illud qualificante: Qualificatum vero illud eſt, quod, præter hominis occiſionem, indicatis circumſtantiis qualificatur; unde ad aliam ſpeciem ſimul trahatur: e. g. contra Virtutem pietatis, ut occiſio Conſanguineorum uſque ad quartum gradum incluſive; & eo gravius notabiliter, quo arctior eſt conjunctio: quibus adnumeratur occiſio proprii Principis, qui eſt Pater Communitatis, & Status. Item contra virtutem Religionis, ſi occidatur perſona Deo conſecrata aut per ſtatum Clericalem, aut per profeſſionem Religioſam; & eo gravius notabiliter, quo eſt major dignitas occiſi: ita ut trahi poſſit ad aliam ſpeciem contra virtutem obſervantiæ majoribus debitam. Dividitur ulterius in Latrocinium, & Aſſaſſinium: Primum, quo aufertur homini vita, ut bonis ſpolietur; ſecundum quando conducitur quiſpiam ad occidendum proximum, vel quando quis pretio conductus alterum occidit: & conductus ipſo facto incurrit excommunicationem, etiam homicidio non ſecuto: Conducenti autem infligitur excommunicatio incurrenda: ita ex cap. 1. de Homicidio in 6. Immo aſſaſſinus, omneſque ad aſſaſſinium cooperantes privantur immunitate Eccleſiaſtica ex Bulla Greg. XIV. His additur homicidium proditorium, quando quis alterum occidit ex inſidiis, unde ſibi cavere non poſſit; cui occidendi modo, ſi accedat præter inſidias etiam apparentia fictæ amicitiæ, occiſor privatur immunitate Eccleſiaſtica: ita ex laudata Bulla. Præfati modi ſunt in Confeſſione explicandi, eo quod contineant ſpecialem injuſtitiam, adimendo modum ſe defendendi. Ad homicidium proditorium reducitur veneficium naturale; ideſt occiſio per venenum propinatum, aut alio modo applicatum; nec non veneficium magicum, quod fit ope expreſſa, vel tacita Dæmonis, de quo diximus in tract. 4. cap. 13. §. 4. Immo ad hoc proditorium reducitur Abortus fœtus animati: de quo infra in §. 3. n. 5.

Homicidii diviſio in Simplex. & Qualificatum.

In Latrocinium, & Aſſaſſinium.

§. II. *De Occiſione Maleficiorum, Peccatorum, Tyrannorum.*

Quibus compe-

I. *Occidere malefactorem licitum eſt, in quantum ordinatur ad ſalutem totius Com-*

Digitized by Google

Licet malefactores occidere?

Communitatis: & ideo ad illum ſolum pertinet, cui committitur cura Communitatis conſervandæ, ... Cura autem communis boni commiſſa eſt Principibus habentibus publicam auctoritatem; & ideo eis ſolum licet malefactores occidere, non autem privatis perſonis; ait S. Th. 2. 2. q. 64. a. 3.

Quando liceat occidere proſcriptos ſub pœna capitis?

II. Malefactores proſcripti, ſeu banniti ſub pœna capitis, licite occidi poſſunt a miniſtris illos inquirentibus ex commiſſione Magiſtratus, ſi vivos capere non poſſint, & dummodo exiſtant intra dominium ſui Principis. Probabilius autem videtur, non poſſe licite occidi ab aliis, qui non ſunt miniſtri ad hoc deputati. Ratio primæ partis eſt manifeſta, ex obedientia debita Principi ita jubenti: cavere tamen debent iſti mandatarii, ne motivum præcipuum ſuę executionis ſit mulcta occidenti promiſſa, ſed ſit bonum commune, & Reipublicæ traquillitas, cum debeant ſe conformare intentioni jubentis. Secundę partis, quæ eſt Silveſtri verbo *Homicidium* num. 7., nec non Azorii, Filiucii, Bonacinæ, & aliorum communis ratio eſt, quia extra propriam ditionem, nemini competit jus in vitam, aut res cujuſcumque. Hoc enim injurioſum eſt alteri Principi; qui ſecuros eſſe vult commorantes in ſuis ditionibus ab aliorum inſidiis: poteſt tamen accidere, quod Principes finitimi ſibi viciſſim hæc jura cedant, & quando hoc conſtat, non eſt illicita occiſio extra ditionem. Tertia autem pars, quod etiam intra ditionem non liceat cuique proſcriptum occidere, niſi ſit miniſter ad hoc deputatus, eſt plurium relatorum a Bonacina approbante talem opinionem in tract. de Reſtitutione in genere diſp. 2. q. ultim. ſect. 1. punct. 2. num. 3., quia quamvis ſua ſponte occidens forte non peccet contra juſtitiam, quia eſt miniſter permiſſus a Principe; operatur tamen graviter contra charitatem, tum ob periculum animæ illius proſcripti, tum propter damnum graviſſimum mortis, quod illi infert; neque illum excuſat permiſſio Principis: nam eo ipſo, quod non jubeatur ipſe, ſed dumtaxat permittatur, ſatis conſtat, ſibi non licere ex propria electione, ſicuti conſtat in aliis factis mere permiſſis, immo ſatis evincitur, ipſum ad occidendum induci ex avaritiæ ſtimulo lucrandi mulctam; ex quo motivo principali nemini unquam licet juxta omnes.

Non licet marito occidere uxorem in adulterio deprehenſam

III. Non licet marito propria auctoritate occidere uxorem in adulterio deprehenſam: ita definivit Alexand. VII. damnando theſim 19. quæ dicebat: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam*. Tum quia evenire poteſt, quod aut fuerit, vi oppreſſa, aut quod narcotico aliquo pulvere fuerit obſtupefacta: tum quia nullibi invenitur hęc facultas marito conceſſa; tum denique quia repugnat publico bono hęc uſurpatio; cum nequidem a poteſtate publica quiſquam occidatur, niſi ſervato ordine juris. Neque obſtat, quod lex civilis non puniat maritum occiſorem; quia cum excuſet impetum paſſionis, nullo modo delictum approbat. Idemque a fortiori dicas de occiſione adulteri.

An liceat tyrannum occidere?

IV. Ex communi ſententia nulli privato licet occidere proprium Principem, qui tyrannus evaſerit quoad regimen; nempe ſpoliantem ſubditos eorum bonis injuſte, & cuncta in ſui privatum commodum dirigentem, diſcordias ſeminantem, rixas promoventem &c., quia quamvis tyrannicis modis ita ſe gerat, ſemper eſt Princeps, Caput, & Pater, neque per hoc amittit jus dominii. Et videtur definita in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. in qua damnatus fuit error Joannis Hus, docentis: *Quilibet Tyrannus licite poteſt a quocumque ſubdito interfici*. Eamdem docuit S. Thomas, vel alius noſtri Ordinis Scriptor in Opuſculo 20. de Regimine Principum lib. 1. cap. 6. *eſſet hoc multitudini periculoſum, & ejus Rectoribus, ſi privata præſumptione aliqui attentarent Præſidentium necem etiam tyrannorum: Proinde*, ſequitur Auctor, *patienter eſſe a ſubditis ſuſtinendum tyrannum & ſubditis dolendum de peccatis, propter quę permittitur tyrannus illos vexare: Tollenda eſt igitur culpa, ut ceſſet tyrannorum plaga*, concludit ille. Propterea in caſu, vel recurrendum eſt ad Superiorem tyranni, ſi extet; ſin autem, ad judicium publicum totius Communitatis: & propter hoc conſulantur Juriſtæ, de hoc fuſe diſſerentes. Si autem tyrannus ſit extraneus invadens tyrannice dominium proprii Principis, tunc cuilibet ſubdito Principis invaſi licet illum occidere; quia evadit miles pugnans in bello juſto ad defenſionem ſui Principis. Immo etiamſi tyrannus ſit in poſſeſſione dominii tyrannice occupati, & Reſpublica ſit coacte illi ſubjecta, nec poſſit illum repellere, neque illum pacifice admiſerit; ſed in tantum non repellit, in quantum non poteſt; & quamvis arma depoſuerit; id fecit vi

coacta, & invita; adhuc in hoc caſu poſſe a quolibet privato Principis invaſi ſubdito occidi, docet Cajetanus 2. 2. q. 64. ſuper art. 3. Sotus lib. 5. de Juſt. qu. 1. art. 3. Bannez 2. 2. q. 67. art. 2. cum aliis S. Thomę Diſcipulis, nempe Prado, Tapia, Sylveſtro, Joanne a S. Thoma, & aliis extraneis: quia adhuc bellum tyrannicum virtualiter continuatur, & perſeverat oppreſſio: & ita etiam populus, & quilibet oppreſſus adhuc reſiſtit eo modo quo poteſt. Unde ſi alicui aperiatur aditus occidendi tyrannum, & redimendi dominium ab oppreſſione tyrannica, non apparet illicita hujuſmodi occiſio, dum alia ſpes, aut via non pateat ſe redimendi.

* Vigeſimum Opuſculum D. Thomæ *de Regimine Principum* in libros quatuor tributum exhibetur. Eſſe genuinum fœtum Sancti Doctoris uſque ad caput quartum libri ſecundi, ſeu uſque ad illa verba: *Opportunum eſt igitur in converſatione humana modicum delectationis pro condimento habere, ut animus hominis recreetur*, dubitare non ſinunt quę aſſert P. Fr. Joannes Franciſcus Bernardus M. de Rubeis O. P. *diſſert.* 22. *de Geſtis, & Scriptis ac Doctrina D. Thomæ Aquinatis*. Partem reliquam libri ſecundi compleſſe Ptolomæum Lucenſem, qui fuit Epiſcopus Torcellanus, oſtendit idem, idque egiſſe ipſum ex Thomę Aquinatis ſchedis veriſſimillimum pronunciat. Num autem Ptolomæus præter libri ſecundi partem addiderit tertium librum, & quartum adhuc ambigitur, ut conſtat ex iis, quæ laudatus Pater ob oculos ponit. Legitur præcitata diſſertatio, in qua omnia, quæ ad hoc Opuſculum pertinent, accuratiſſime expenduntur, atque pertractantur. Cum itaque verba ab Auctore *num. præced.* allata, deſumpta ſint ex *cap. 6. lib. 1.*, dubio procul ſunt Sancti Doctoris.

Non ita pridem Euſebius Eraniſtes Opuſculum in lucem emiſit italico idiomate exaratum, cui titulus: *Lettere Apologetiche, ovvero Difeſa della Dottrina dell' Angelico Dottor della Chieſa S. Tommaſo di Aquino contro le calunnie de' ſuoi Accuſatori ſulla materia del Tirannicidio ec.* In eo autem non ſolum luce meridiana clarius demonſtrat, doctrinam D. Thomæ recta oppoſitam eſſe ſententiæ, quæ ſtatuit fas eſſe cuique privato in proprium legitimum Principem, qui tyrannus evaſerit quoad regimen, inſurgere, ipſumque interrimere: adeoque immerito plane, ac nonniſi per ſummam injuriam ejuſdem ſententiæ patronos Sanctum Doctorem in ſuum trahere patrocinium; verum etiam nitide oſtendit, alienam omnino ab ejuſdem Angelici mente opinionem, quam Theologi plures amplexati ſunt, cuique Auctor adhæſit, nempe licitum eſſe cuilibet ſubdito occidere Tyrannum extraneum invadentem tyrannice dominium proprii Principis, vel Reipublicæ, licet ſit in poſſeſſione dominii tyrannice occupati, & proprius Princeps, ſeu Reſpublica coacte ipſi ſubjiciatur, quia non poteſt ipſum repellere &c. Et hanc ſane a nullo privato, niſi ſit publica munitus auctoritate, ut ſunt milites in bello, & Miniſtri a legitimo Principe, vel Republica conſtituti ad defendendum Regnum, & ditionem, & ad ipſius Principis tutandam perſonam, morte affici poſſe, apertiſſime cenſet Angelicus, dum 2. 2. *q.* 65. *art.* 1. *ad* 2. abſolute pronuntiat, quod *privare aliquem vita in nullo caſu pertinet ad aliquem, niſi ad publicam poteſtatem, cui committitur procuratio boni communis*. Legatur præcitatus Eraniſtes *Epiſt. 1. §. 3. n. 6.*

§. III. *De Occiſione Innocentis.*

Innocentem directe occidere nunquam licet; indirecte aliquando.

1. N*Ullo modo licere occidere innocentem*, ait S. D. 2. 2. q. 64. art. 6. id autem intelligitur, ut communiter docent illius Expoſitores, occiſione directa, & per ſe intenta, quia nullum motivum inveniri eſt, quo poſſit excuſari. Hinc inferas, graviter peccare, qui hoſtium uxores, & filios occidunt, ut eorum mariti, & genitores ſe ſubmittant. Indirecte autem, per accidens, & præter intentionem permitti aliquando poteſt innocentum occiſio, ob bonum commune. Ratio eſt, quia illi, qui in neceſſitate conſtitutus utitur jure ſuo, non debet imputari effectus præter intentionem ſecutus: Hujuſmodi autem eſt in multis caſibus occiſio indirecta innocentis, & non per ſe intenta; puta, quando obſeſſores civitatis pilas incendiarias in illam immittunt, quamvis etiam innocentes ſint præter intentionem periclitaturi; aut quando tyrannus non vult remittere imminens civitatis excidium, niſi ei tradatur Petrus innocens ab ipſo necandus; poteſt Communitas compellere Petrum, ut ſe tradat Tyranno, & tenetur ipſe id exequi propter bonum commune cum ingenti ſuo merito inſignis charitatis erga Con-

Digitized by Google

Concives, & Patriam: Nequaquam tamen poſſunt concives illum occidere ad petitionem Tyranni, neque ipſe jugulare ſeipſum. Tradere autem illum tyranno, non eſt directe occidere, cum evenire poſſit, ut, eo viſo, deſiſtat ab occidendo, vel quod Tyrannus moriatur, priuſquam innocentem habeat in ſua poteſtate: Ex quo patet, quod tradere Tyranno, non ſit occidere. Neque objicias, quod non licet tradere Tyranno mulierem violandam, aut virginem deflorandam; quia eſſet illas exponere graviſſimo peccandi periculo: Id autem non evenit in caſu noſtro, in quo immo ingens meritum apud Deum reſultat Petro: neque cives cooperantur injuſtæ illius occiſioni, illum tradendo; ſed intendunt dumtaxat impedire excidium civitatis, immo, & ipſi, & Petrus ſupplices fiunt Tyranno, ut & civitati remittat, & Petro vitam non tollat.

An innocens juridice probatus reus mortis ſit occidendus?

II. Innocens ſcientia privata a Judice cognitus talis, qui tamen juxta allegata, & probata apparet reus mortis; niſi alia via illum liberandi ſuppetere poſſit, eſt a judice morti tradendus. Conſulto dixi, niſi alia via eum liberandi ſuppetere poſſit: quia tenetur judex omnem viam licitam quærere, ut illum & a morte, & a quacumque vexatione liberet. Proinde ſi ſit judex ſupremus, poteſt diſpenſare in lege quoad judicandum juxta allegata, & probata: & ne ſcandalum creetur, debet coram ipſo innocente, & Optimatibus jurare ſe ſcire illum eſſe innocentem. Si non ſit judex ſupremus, tenetur mittere ad Superiorem, eidemque jurare, ſe in tantum nolle judicium aſſumere, quia certus eſt de illius innocentia: & ideo ſive ſupremus ſit, ſive ſubalternus, tenetur tertio, modis cautis, & honeſtis avertere accuſatores ab accuſando, teſtes ſubtiliſſime examinare, eorumdemque aſſerta, quantum licite fieri poteſt, infirmare: item prolationem ſententiæ diferre; januam carceris, cavendo ab omni ſcandalo, aperire, ut fugere poſſit; aliqua licita ſtratagemata procurare, ne condemnetur. Idcirco difficultas reſtringitur ad caſum, in quo judex non ſit ſupremus, & nulla via evadendi patere poſſit, & pars adverſa inſtet: & in hoc ſenſu eſt poſita aſſertio, quam cum S. Doctore ſuſtinent omnes ejus diſcipuli, cum multis extraneis tum Canoniſtis, tum Theologis contra alios multos.

Ad quæ agenda teneatur Judex?

Si nulla pateat via eum liberandi, debet occidi.

III. Probatur ex S. Doctore 2. 2. q. 65. a. 6. ad. 3. *Judex ſi ſcit aliquem innocentem eſſe, qui falſis teſtibus convincitur, debet diligentius examinare teſtes, ut inveniat occaſionem liberandi innocentem, ſicut Daniel fecit. Si tamen hoc non poteſt, debet eum Superiori relinquere judicandum; ſi tamen hoc non poteſt, non peccat, ſecundum allegata ſententiam ferens: quia ipſe non occidit innocentem, ſed illi qui aſſerunt eſſe nocentem.* Idem repetit q. 67. art. 2. ubi rationem dat: *Judicare pertinet ad judicem ſecundum quod fungitur publica poteſtate; & ideo informari debet in judicando, non ſecundum id, quod ipſe norit tanquam perſona privata, ſed ſecundum quod ſibi innoteſcit tanquam perſonæ publicæ: Hoc autem innoteſcit ſibi, & in communi, & in particulari; in communi quidem per leges publicas vel divinas vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet: in particulari autem negotio aliquo per inſtrumenta, & teſtes, & alia hujuſmodi legitima documenta, quæ debet ſequi in judicando, magis quam id, quod ipſe novit tanquam privata perſona. Ex quo tamen ad hoc adjuvari poteſt, ut diſtinctius diſcutiat probationes inductas, ut poſſit earum defectum inveſtigare. Quod ſi non poſſit eas de jure repellere, debet, ſicut dictum eſt, eas in judicando ſequi.* Si enim non teneretur ſequi ſcientiam publicam juxta allegata, & probata, jam actum eſſet de publica tranquillitate Reipublicæ: Nil enim valeret integer ordo juris, in publicis judiciis juſſus, & requiſitus, ſi judex, ductus notitia ſua privata, poſſet pro libito judicare, juris ordine poſthabito: ea propter periret fides publicorum judiciorum; quandoquidem ſemper daretur locus ſuſpicandi, judicem non ſecundum allegata, & probata judicaſſe, ſed juxta ſuam privatam cognitionem, quo nil efficacius ad evertendam communem tranquillitatem, & ad expolianda omni authoritate Magiſtratuum judicia.

Solvuntur objecta.

IV. Opponunt contrarie opinantes; nunquam licet accedere ad mulierem, quam quis certus eſt non eſſe ſuam, tametſi juxta allegata, & probata, ſua judicetur. Sed reſpondetur facillime, id eſſe verum, quia ut quis licite accedat ad mulierem, debet id agere ex conſcientia informata per ſcientiam ſuam, quod talis mulier non ſit aliena: Conſcientia autem judicis, ut talis, non eſt informanda per ſcientiam ſuam, ſed per ſcientiam publicam juxta allegata, & probata, ut egregie docet S. Thomas in cit. q. 67. a. 2. ad 4. *Homo in his, quæ*

ad propriam perſonam pertinent (qualis eſt acceſſus ad uxorem) *debet informare conſcientiam ſuam ex propria ſcientia; ſed in his quæ pertinent ad publicam poteſtatem, debet informare conſcientiam ſuam ſecundum ea, quæ in publico judicio ſciri poſſunt.* Aliud opponunt forte minus imbecillum: Ideo jubetur, quod judex judicet juxta allegata, & probata, ne aberret in judiciis proferendis; igitur quando aliunde ſcit ſe aberrare, non tenetur ſtare allegatis, & probatis: Præceptum enim de non occidendo innocente eſt naturale; præceptum vero de judicando juxta allegata, & probata eſt poſitivum. Reſpondetur quod non jubetur judicare juxta allegata, & probata dumtaxat ne erret; ſed præcipue ne unquam ſuſpicetur judicare ſecundum proprium libitum, cum everſione publicæ tranquillitatis; ſi enim non judicaret juxta allegata, & probata, longe majus detrimentum redundaret publico bono, quam ſit indirecta occiſio innocentis. Nam publica quies in omni judicio turbaretur, ob aditum ſuſpicandi, an judex judicarit pro libito, an juxta ordinem juris: occiſio autem innocentis rariſſime evenit. Ad probationem inſertam; negatur, quod judicare juxta allegata, & probata ſit de mero jure poſitivo, ſed eſt etiam de jure naturali; ita exigente ſtatu perſonæ publicæ ad impedienda ſcandala, & motiva quotidiana perturbationis pacis communis: Unde præceptum legis poſitivæ eſt confirmativum legis naturalis.

Abortus fœtus animati. V. Inter innocentum occiſiones locum primum habet Abortus ſetus animati malitioſe procuratus; & eſt ſemper graviſſimum mortale homicidii proditorii. Unde qui hoc crimen committit nedum ſit irregularis, ſicut alii homicidæ; ſed etiam ex Conſtitutione Sixti V., quæ incipit *Effrænatam*, & Gregorii XIV., quoad hoc nil immutata, incurrit excommunicationem ſpecialiter Epiſcopo reſervatam; effectu ſecuto. E ſi procurans ſit Clericus, *omni clericali privilegio, officiis, dignitatibus, & beneficiis.... ipſo facto privatur, & fit in futurum inhabilis ad ea ſuſcipienda*: ita ex laudata Sixti conſtitutione, & ex illa Gregorii XIV. incipiente *Sedes Apoſtolica*, in qua quoad hoc nihil innovavit; cum innovaverit dumtaxat, ne in excommunicatione comprehendatur abortus ſetus inanimis, quemadmodum illum comprehenderat Sixtus. Idemque homicidium committit (nota bene) qui procurat abortum in caſu, quo ſit periculum, ne fœtus moriatur cum matre; eo quod nunquam liceat innocentem occidere ad ſalvandam vitam alterius. Immo hujus homicidii ſunt rei, qui etiam in dubio de fœtus animatione, qui ſemper præſumendus eſt maſculus, abortum procurant; ob periculum homicidii, cui ſe exponunt. Et nota, quod animationis tempus juxta aliquos eſt trigeſima, vel quadrageſima dies a conceptione pro maſculo; pro fœmella autem quinquageſima, vel octuageſima. Hinc proſcripta fuit ab Innocent. XI. theſis 35., in qua docebatur: *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur: ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.*

S. P. Gregorius XIV. non ſolum Sixti Conſtitutionem moderavit quantum ad pœnas procurantium abortum fœtus adhuc inanimati, vel præbentium mulieribus, ſeu ſumentium venena ſterilitatis, quas reduxit ad terminos juris communis, auferendo illas rigidas pœnas a Sixto in ſua Conſtitutione inflictas, puta excommunicationem, irregularitatem, privationem omnis privilegii clericalis, inhabilitatem ad omnia officia, & beneficia, privationem ipſorum officiorum, & beneficiorum jam obtentorum, & degradationem cum traditione curiæ ſæculari talis degradati; verum etiam temperavit quantum ad abſolutionem ab excommunicatione, quam ipſo facto incurrit omnis quocumque modo, vel mediate, vel immediate, directe procurans abortum fœtus animati, omniſque ad id ſcienter juſſu, conſilio, auxilio, favore, quomodolibet cooperans, effectu ſecuto. Nam hæc per Sixtum extra mortis articulum in quocumque eventu Summo Pontifici reſervabatur, & modo ex Gregorii Conſtitutione ab ea abſolvit Epiſcopus, omniſque ab eo ad confeſſiones audiendas approbatus, atque *ad hos caſus ſpecialiter deputatus* pro foro conſcientiæ. Nam pro abſolutione in foro externo obtinenda, ſi res publicata eo devenerit, etiamnum recurrendum eſſet ad Summum Pontificem, cui in eo foro reſervata manet.

Ille autem dumtaxat cenſetur Confeſſarius *ad hos caſus ſpecialiter deputatus*, qui in ſpecie habet ab Epiſcopo facultatem abſolvendi ab excommunicatione contracta propter abortum procuratum, ut clarum

rum eſt, compertumque ex verbis ipſius Gregorii XIV. Quare non eſt audiendus Bonacina relatus a Diana *p.7.tract.5.reſ. 15.* qui exiſtimat, ejuſmodi deputatum cenſendum eſſe etiam illum, qui facultatem habet ab Epiſcopo abſolvendi ab omnibus caſibus & cenſuris Ipſi ab homine, vel a jure reſervatis.

A quo tempore vero pro vitali habendus ſit fętus, non una eſt Philoſophorum, & Iſtorum ſententia, ut animadvertit Auctor *Additionum ad Bibliothecam P. Lucii Ferraris V. Abortus n.* 16. Videri poſſunt Gregorius Lopez *in L.* 8. *part.* 7. *gloſ.*2. Anton. Theſaurus *deciſ.* 2. *num.*2. Gothofred. *ad* L.3.§.*fin.ff.de ſuis & legit. hæreſ. ad* L. *Cicero*, *ff. de pœnit.* Paulus Zachias *in Quæſt. Med. legal tit.*2.*q.*9.*&* 10. Lelius Zachias *de caſib. reſervat. ſuper caſ.*9. Auguſtinus Barboſa *de Offic.& poteſt. Epiſcop. part.* 3. allegat. 51. caſ. 9. n. 137. & Alphonſus a Caranza qui rem totam arbitrio judicis remittit, *de part. cap.* 1. §. 2. *n.*35. Multi, *ſubdit*, ex auctoritate Gloſſæ in eam abierunt ſententiam, poſt diem XL. in maſc. LXXX. in fęminis intrare animam in fętum conceptum, eumque ab hoc tempore *animatum* cenſeri. Farinac. *in oper. criminal. q.* 122. *p.* 3. *n.* 143. Martinus Azpilcuet *ad tit.* 10. *de homic. conſ.* 46. *n.* 2. Auctor autem varias hac de re opiniones ſatis indicat, dum aſſerit *num. præced.* quod animationis tempus juxta aliquos eſt trigeſima, vel quadrageſima dies a conceptione pro maſculo, pro fęmella autem quinquageſima, vel octuageſima.

Alii caſus circa Abortum reſoluti. VI. Illicitum pariter eſt, ut multi probabilius docent, dare matri, vel eidem, ſumere remedium, ex ſe ordinatum ad expellendum fętum, ſive animatus ſit, ſive non, quamvis certo ſit ſecutura mors utriuſque, niſi illud remedium adhibeatur: & ſi adhibeatur, probabile ſit matrem non morituram; quia id eſt procurare directe abortum, cum adhibeatur remedium ex ſe ad illum tendens, quod nunquam licet, quamvis fętus ſit inanimis. Agitur enim directe contra finem generationis ab Auctore naturæ intentum in conceptione fętus, ut nempe animetur, & animatus in lucem edatur. Proinde reprobavit Innoc. XI. theſim 34. in qua dicebatur: *Licet procurare abortum ante animationem fętus, ne puella deprehenſa occidatur, aut infametur.* Quis enim non videt, quam immanis aditus aperiretur ſtupris, & adulteriis? Hinc infertur ex data ratione, ſemper eſſe graviter illicitum dare, & ſumere potionem ad impediendam directe conceptionem fętus.

Alii caſus circa abortum. VII. Licitum eſt, ex communi, dare matri, eidemque ſumere remedium per ſe directe curativum morbi matris, neque per ſe tendens ad abortum, quamvis prævideatur indirecte, & præter intentionem forte abortus ſecuturus, dummodo certum ſit, fętum non eſſe animatum, & matrem, niſi remedium ſumat, eſſe morituram: quia tunc non procuratur abortus, neque directe intenditur; ſed procuratur vita matris, quæ utitur jure ſuo tuendi ſuam vitam; & dumtaxat per accidens, & præter intentionem ſequitur forte abortus neminem occidens, cum fętus certe nondum ſit animatus; & alioquin cum morte matris periclitaretur etiam fętus ille innanimis. Si autem fœtus ſit certe, aut dubie animatus, eſt lethale uti remedio directe ordinato ad curandam matrem cum periculo mortis fętus, dummodo probabile ſit, quod, eo remedio non adhibito, proles edatur in lucem vivens, ut baptizari poſſit: & eſt communis: Quia mater tenetur poſtponere vitam propriam corporalem vitæ animæ prolis extrema neceſſitate laborantis. Non tamen ideo putes licitum eſſe diſcindere matrem adhuc viventem, ut proles extracta baptizetur; quia id eſſet directe occidere matrem innocentem, quod numquam licet, neque ob bonum finem; aliud enim eſt non adhibere remedium forte ſanativum, & aliud diſcindere viſcera, ut patet: illud namque eſt omittere actionem, relinquendo rem Providentiæ divinę; hoc autem eſt exequi actionem directe occiſivam. Si tamen eſſet æquale periculum abortus, tam ſi ſumatur, quam ſi non ſumatur remedium; tunc licite poſset a matre ſumi; quandoquidem tunç conſulitur ſanitati matris abſque ullo majori detrimento fętus. Quoad hanc materiam caute legendi ſunt Doctores, qui ſcripſere ante annum 1679. quo reprobatę fuerunt relatæ theſes.

* Joannes Verardus Zeviani Opuſculum edidit impreſſum Veronæ 1756., in quo de *Embryulcia*, ſive fœtus vivi extractione per uncos differit; oſtenditque extractionem hoc modo peractam non eſſe illicitam. Hiſce verbis caſum ipſe proponit. „ Difficillimus omnium, *ait*, a recentiſ„ ſimis, iiſque peritiſſimis artis obſtetri-

,, ciæ profeſſoribus , triſtiſſimus , atque
,, implicatiſſimus caſus , qui , cum pari-
,, endi tempus acceſſerit , mulieribus ac-
,, cidere poteſt , ille jure cenſetur, cum
,, fętus ob caput valde magnum , vel ob
,, vias nimis anguſtas in ore uteri , vel
,, vagina immotus hæret. Hic Chirurgo
,, ad extrema ſępe , & majora artis prę-
,, ſidia veniendum eſt. Ibi enim impa-
,, ctus , & quaſi incuneatus fętus manet,
,, & fere intra triduum moritur , ma-
,, tremque ipſam in gravi vitæ periculo
,, conſtituit, niſi protinus educatur. E-
,, duci autem facile , ut alias fieri ſolet,
,, per manus Chirurgi non poteſt , quia
,, manus demitti nequit , neque lubricum
,, caput apprehendi , aut ſine mortifera
,, cerebri compreſſione retrudi poteſt , ut
,, pedibus apprehenſis extrahatur fœtus.
,, Cum talis caſus incidit , Chirurgus un-
,, cum undique levem , brevioriſque acu-
,, minis , non feſtinanter nimis , capiti
,, fœtus infigit : deinde attrahit non o-
,, mni omnino vi cogendo , ſed ita ut ex
,, facili integer fœtus ſubſequatur . Sic
,, fit ut mater , ſervetur ut plurimum ,
,, fętus vero aliquando. " Porro fętus vivos *ſic* per uncos extrahere , non eſſe interfectionis genus aſſerit ipſe, & ad id evincendum plura affert præſertim , *inquit* , quod occiſio quin deſperatam vitam, ut in caſu noſtro accidit , in ambiguam redimat , eam omnino extinguit; additque non eſse ita lethiferam hanc curandi rationem , ut vulgo creditur, quod experientia optima rerum magiſtra comprobat; ac tandem recte concludi poſse exiſtimat , *iſtam* curandi rationem , qua vivi fętus uncis extrahuntur , tamquam illicitam non eſse rejiciendam , immo eſſe probandam, cum morbi ratio non ſolum matri , ſed fętui quoque eam faciat commodam , & neceſsariam. Legatur *loco citat.*

CAPUT II.

DE HOMICIDIO INDIRECTO.

§. I. *De Homicidio patrato in defenſionem propriæ vitæ.*

Quando liceat deſiſtere a defenſione propriæ vitæ?

I. POſſe hominem injuſte invaſum licite deſiſtere a defenſione propriæ vitæ , & ab occidendo invaſore , omnes concedunt , & commendant tanquam inſignem charitatis actum , ne aggreſſor æternæ damnationi adjiciatur ; duobus tamen caſibus exceptis ; primo , quando invaſus ſibi conſcius eſt de peccato mortali ; quia quamvis poſſit ſibi per actum contritionis conſulere , & mortem ſubire propter amorem proximi ; tamen ex ordine charitatis tenetur prius conſulere ſuæ ſaluti , ſecuriori modo quo poteſt , per confeſſionem , cum vix in eo repentino eventu vacet homini in malo ſtatu cogitare de contritione , ut oportet : *Nam* ait S. Antoninus 2. p. tit. 1. c. 3. *alias fatue faceret , exponendo ſe morti corporis , & animę , cum ſibi per mortem præcludatur via pęnitentiæ* : Secundo quando invaſus eſt perſona admodum utilis bono communi : quia tunc debitum communis utilitatis ipſum obſtringit ad ſuam vitam tuendam.

An liceat injuſtum aggreſſorem ſe defendendo occidere?

II. Communis cum S. Thoma 2. 2. q. 64. a. 7. docet , licitum eſſe ob defenſionem propriæ vitæ , ſi alio modo defendi non poſſit, occidere injuſtum aggreſſorem , occidere vel mutilare attentantem ; non quidem intendendo unquam occiſionem , ſed ſolam defenſionem vitæ propriæ , quamvis ut hæc defenſio ſufficienter ſequatur , neceſſe ſit occidere invaſorem . En verba S. Doctoris afferentis textum Exodi 22. & in ita arguentis in arg. ſed cont.: *Si effringens fur domum , ſive ſuffodiens inventus fuerit , & accepto vulnere mortuus fuerit , percuſſor non erit reus ſanguinis. Sed multo magis licitum eſt defendere propriam vitam , quam propriam domum; ergo etiamſi aliquis occidat aliquem pro defenſione ſuæ vitæ . non erit reus homicidii.* In corp. vero ejuſdem art.: *Ex actu*, inquit, *alicujus ſeipſum defendentis duplex ef-*

ſectus

fectus ſequi poteſt : unus quidem conſervatio propriæ vitæ, alius autem occiſio invadentis: Actus vero hujuſmodi ex hoc, quod intenditur conſervatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti, cum hoc ſit cuilibet naturale, quod ſe conſervet in eſſe quantum poteſt. Poteſt tamen aliquis actus ex bona intentione proveniens illicitus reddi, ſi non ſit proportionatus fini : & ideo ſi aliquis, ad defendendam propriam vitam, utatur majori violentia, quam oporteat, erit illicitum; ſi vero moderate violentiam repellat, erit licita defenſio. Nam ſecundum jura, vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec eſt neceſſarium ad ſalutem, ut hunc actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occiſionem alterius : quia plus tenetur homo vitæ ſuæ providere, quam vitæ alienæ. Hæc ſunt adeo perſpicua, ut non poſſimus non mirari, quod Henricus a S. Ignatio tom. 2. lib. 10. p. 5. c. 5. qui ſe addictiſſimum doctrinæ S. Thomæ profitetur, auſus fuerit, S. D. in adverſam opinionem violenter trahere, quam cum ipſe ſuo rigido conſueto more defendit, irrito prorſus conatu eumdem S. D. protectorem quærit : Lege illum loc. cit. & videbis quas futilitates afferat, & contraponere audeat textibus ſplendidiſſimis a nobis allatis.

* Sententiam D Thomæ adoptavit Catechiſmus Romanus juſſu S. Pii V. ad mentem Tridentinæ Synodi editus, quo ad fidelium inſtructionem unuſquiſque uti debet juxta præſcriptum S. P. Clementis XIII. feliciter regnantis, ut compertum eſt ex ejus Epiſtola Encyclica ad omnes Epiſcopos data die 14. *Junii* 1761. quam & ſupra allegavimus. Sic enim habet *Part.* 3. *de 5. precept num.* 8. *Si quis*, ait, *ſalutis ſuæ defendendæ cauſa, omni adhibita cautione, alterum interemerit, hac lege (non occides) non teneri, ſatis apparet*. Immerito proinde recens quidam Scriptor, cujus liber jure ſane ob plura veritati minus conſona in eo contenta ab Eccleſia prohibitus eſt, S. D. opinionem improbavit, atque rejecit.

Explicatur occiſio cum moderamine.

III. Supereſt videndum, quænam requirantur, ut defenſio, cum occiſione nunquam intenta, ſit cum moderamine inculpatæ tutelæ : Ac primo quidem requiritur, ut monuit Angelicus, quod nunquam intendat occidere, etiam occidendo; ſed dumtaxat ſuam vitam defendere, aut vulnus grave a ſe arcere. Secundo, ut monuit Angelicus, ut non utatur majori violentia, quam neceſſarium ſit ad ſe defendendum : proinde ſi animadvertat, ſe poſſe liberari, inflicto vulnere non lethali, occidere non poteſt; aut ſi poſſit fugere, ad id tenebitur. Tertio, ſi invaſor aggrediatur manu inermi, niſi timeat, ob invaſoris robur, manu quoque & pugnis graviter, & cum vitæ periculo ſe percuſſum iri, non poterit in defenſione ſe defendere armis, niſi ad abſternendum. Quarto, ne primo invadat, niſi invadatur. Quinto, quod ceſſante pugna, ſtatim deſiſtat, nec repercutiat illum, qui jam percuſſione inflicta, ſtatim deſiſtit, nec perſequatur fugientem, aut deſiſtentem. Sexto, quod prudenter putet aliter ſe defendere non poſſe, niſi aut feriendo, aut mutilando, aut tandem occidendo. Septimo, quod numquam agat ex odio, aut animo ſe vindicandi.

Hæc defenſio competit etiam danti occaſionem, ut invadatur.

IV. Notandum quod hoc jus defendendi propriam vitam dictis modis, etiamſi neceſſe ſit, occidendo, non amittit, qui dedit cauſam ut invaderetur : puta quia uxorem aggreſſoris violavit; eidem detraxit &c. Ratio eſt, quia invaſor ſemper illicite, & injuſte agit, invadendo auctoritate privata; vindicta enim privata ſemper eſt illicita : proinde invaſus non perdit jus ſe defendendi, ut optime obſervavit Bannez in 2. 2. q. 64. a. 7. dub. 1. concluſ. 3., quem ſecuti ſunt Prado, Azor., Molina, & alii contra Navarr. cap. 17. n. 7. & c. 27. n. 238.

An liceat prævenire injuſtum aggreſſorem?

V. Licitum eſſe etiam prævenire injuſtum aggreſſorem generatim affirmant Bannez loc. cit. dub. 4. Concl. 2. Joan. a S. Th. 2. 2. diſp. 17. a. 7. Vaſquez, Molina, Lugo, & alii contra alios. Neque alienum a veritate puto, dummodo individuentur caſus : puta, ſi Petrus obvium habeat inimicum, qui manum admoveat ſclopo, & illum dirigat contra ipſum Petrum, in ictu oculi occidendum : quis non excuſabit Petrum, ſi præveniens inimicum explodat contra eumdem ſclopum ſuum? ita, ſi uxor certa ſit, maritum, hominem ſanguinolentum, eſſe ſui adulterii conſcium; & videat, quod dum ipſa cubile ingreditur, ille eximit vagina pugionem, advolans contra ſe; at ipſa celeriter, marito contra ſe properante, ſclopetum arripit; & in illum contra ſe venientem explodit; quis illam non cenſebit innocenter propriam vitam tueri, dummodo nunquam intentione directa occidendi? Hæc approbant Sotus lib. 5. de Juſtitia q. 1. a. 8, Bannez loc. cit. Tapia tom. 2. Ca-

tenæ moral. lib. 5. q. 7. a. 9. & alii : in his namque caſibus (ſolvendo etiam motivum adverſe opinantium) jam moraliter vis actualis infertur, & eſt moraliter inchoata violentia, ut alia vi illam repellere liceat.

Non licet prævenire occidendo falſos accuſatores.

VI. Non eſt licitum prævenire occiſione falſos teſtes, accuſatores, iniquum judicem, a quibus certo immineat injuſta ſententia capitalis. Nam id reprobavit Alexander VII. in theſi 18.: *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem a quo certo imminet iniqua ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare*. Quia in hoc caſu non verificatur actualis injuſta invaſio vitæ, neque vis actualis, ut illam alia vi repellere liceat. Quis enim non videt, quot abſurdis ſcateat theſis iſta? quot cædibus viam patefaciat contra miniſtros, judices &c. qui de facili haberentur ſuſpecti de injuſto procedendi modo, cum æqualiter facili perſuaſione, non alium extare aditum declinandi?

§. II. *De Homicidio indirecto ob defenſionem Honoris, Famæ, Pudicitiæ.*

Non licet occidere Calumniatorem, &c.

I. THeſis n. 17. ab Alexandro VII. reprobata docebat : *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, ut ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publice, & coram graviſſimis viris prędicta impingere, niſi occidatur* : Ergo non licet. Alia reprobata ab Innoc. XI. n. 30. *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequeat: idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis, fugiat* : Ergo non licet. Ratio autem eſt manifeſta ; quia chimæricum eſt, quod non ſuppetat alia via impediendi damna indicata in his theſibus: Ubi enim & mediatores, & potentes, & Judices adhiberi poſſunt, qui impediant; quomodo ſuppetere non poteſt alia evadendi via? Deinde bono ſuperioris ordinis, nequit fieri compenſatio pro bono inferioris ordinis; ſupremum autem naturalium bonorum eſt vita; hæc igitur nulli erit adimenda ad tuendam famam, aut honorem. Tandem vel honoris, aut famæ ablatio eſt imminens, vel ſecuta; ſi imminens, aliis mediis impediatur : ſi ſecuta, quid proderit occiſio poſt factum? non ne erit patens vindicta a Chriſti lege vetita? An fallam reddet infamiam? minime gentium : aperiendo veritatem per idoneos teſtes, vel per evidentiam facti, eluditur calumnia, & non occidendo calumniatorem. Item qui percutitur alapa aut fuſte, vel ſe defendit in actu aggreſſionis; & tunc defenſio actualis eſt licita, non tamen inferendo mortem, ſed agendo quod ſufficiat ad juſtam defenſionem; vel fuit cæſus improviſo, quin ſe defendere potuerit; hunc autem repercutere, & multo magis occidere, non eſt ſe defendere in actuali aggreſſione, ſed ſe vindicare de cæſione jam recepta; nec repellitur vis actualis, ſed vindicta ſumitur de vi jam allata. Non me latet, Doctores etiam noſtrates, ut Bannez, Serra, Prado, Joannem da la Cruz, cum aliis extraneis oppoſitum docere, quoties agitur de dedecore magni momenti; ſed animadvertendum eſt, eos ſcripſiſſe ante probationem relatarum theſium, & nonnullos aliorum eaſdem docuiſſe..

Neque licet calumniatorem falſa calumnia gravare.

II. Non ſolum eſt illicitum, honorem & famam defendere occidendo injuſtum calumniatorem, verum neque aliis modis illicitis : puta imponendo eidem falſam, gravemque calumniam, quoniam ab Innocentio XI. reprobatæ ſunt ſequentes theſes n. 43. *Quidni non niſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?* & n. 44. *Probabile eſt non peccare qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* Videas quam miſerandum ſit probabilitatis præſidium, dum opiniones, quæ judicabantur a probabiliſtis inter probabiliſſimas, judicio infallibili Sedis Apoſtolicæ, ſunt ſolemniter falſæ. Tum quia illud agere, ſit mentiri in materia gravi; tum quia eſt vindicta gravis; tum quia lęditur in re gravi jus proximi : qui quamvis ipſe jus tuum graviter violaverit injuſte detrahendo, falſum crimen imponendo; tu tamen jus non habes idem agendi in ipſum; nam evaderes reus ejuſdem peccati; ſed potes ipſum mendacii redarguere, & congruis modis ipſum mendacem calumniatorem convincere, in quo jus illius non violas, quippe quod circa hoc peculiare punctum, illud amiſerit. Quemadmodum cenſent aliqui, quod non eſſet injuſta defenſio revelare aliquod invaſoris injuſti crimen verum, dum-

modo

Digitized by Google

modo revelatio opportuna ſit, & prudenter prævideatur efficax ad intentum, & ad amovendam infamiam innocenti illatam; in hoc enim caſu videtur vis injuſta, altera vi repelli juſte; quia invaſor amiſit jus, ut occultetur ſuum crimen verum; dum occultatio cedit in alterius innocentis certam injuriam ab ipſo illatam.

Invaſor pudicitię quando poſſit occidi;

III. Invaſor pudicitiæ alienæ, volens vi opprimere mulierem honeſtam, puellam, aut maſculum, poſito, quod nulla alia via evadendi pateat, (quod alioquin difficile videtur, nihilominus hoc poſito) juſte etiam occiditur, non intendendo occiſionem, ſed ſuimet defenſionem: ita multi alii poſt S. Antoninum 2. p. tit. 7. cap. 8.; & 3. p. tit. 4. cap. 3. §. 2. *Quia illa utitur jure ſuo naturali, quo licet vim vi repellere, & magis tenetur ſaluti ſuæ providere; quam alienę. Nam exponit ſe periculo conſentiendi actui peccati, permittendo ſe opprimi, propter difficultatem reſiſtentię voluntatis.* Nam ſi injuſtum aggreſſorem conantem amputare brachium dexterum, vel oculos eruere, quando nulla alia defenſio patet, licite occiditur: multo magis ad avertendum graviſſimum animæ periculum, & pudicitiæ jacturam repellendam, quæ juxta S. Ambroſium lib. 3. offic. *bonis fœminis morte gravior eſt*. Propterea Patres, allati ab Henrico a S. Ignatio loc. ſupra cit. cap. 9. commode explicantur de eo, qui intendit directe occidere: & non de eo, qui directe intendit dumtaxat ſe defendere. Sicuti etiam frivolum eſt motivum, quod affert tam pro hoc caſu, quam pro aggreſſore contra vitam: nempe quod illum occidendo certiſſime ęternę damnationi adjicitur. Nam adjicitur ex prava ſua voluntate, & quia ipſe vult tale ęternum damnum incurrere: neque eſt in neceſſitate aliunde emergente; ſed a ſemetipſo ſe conſtituit voluntarie in hujuſmodi neceſſitate, quę ſtatim ceſſabit, ſi ipſe ab aggrediendo deſiſtat.

Cl. Petrus Ballerinius Presbyter Veronenſis expendens ſententiam S. Antonini de pudicitiæ defenſione, quam poſt alios plures, qui eam adoptarunt, amplexatus eſt Auctor, ſic diſſerit *Prælect. 6. ad ſecundam Partem* §. 6. „ A defenſione tandem pudicitię me paucis expediam. Antoninus in eam ſententiam quidem inclinat, ut licere mulieri exiſtimet pudicitię invaſorem occidere, ſi conſenſum aliter metuat, cum malum corporis alieni proprię animę periculo ex caritatis ordine poſthabendum ſit. Hanc quidem rationem innuit & *tit. 5. cap. 6.* in fine, & apertius *tit. 7. cap. 8. §. 2.* pariter in fine. At conſentiendi periculum ſicut non efficit licitum homicidium ſui, uti Auctor defendit eodem *cap. 8. §. 2.* poſt initium, quod fuſius ſtatuit Auguſtinus *Lib. 1. de Civit. Dei cap. 20. & ſeqq.* (quamquam hac in re aliquot ex ſacris hiſtoriis virginum exempla ſuppetunt, quæ ſe potius quam invaſores occidendos putarunt, ut videre eſt apud Ambroſium *Lib. 3. de Virginibus cap. 7.* apud Tillemontium *Tom. 5. in Pelagiæ vita pag.* 400., quæ tamen non alia ratione excuſantur ab Auguſtino ibidem *cap. 26.* quam quod ſpeciali Dei inſpiratione ſibimet vim intulerunt) ita nec licitum efficere poteſt homicidium alterius; poteſt enim utrobique conſenſum cohibere, qui nulla vi corporis extorqueri poteſt a nolente, nec niſi culpa ejuſdem adhibetur. Sic ob periculum conſenſus in idololatriam numquam licuit occidere tyrannos, cum alia via, quam per homicidium, impediri conſenſus poſſit ac debeat. Aliunde vero per occiſionem invaſoris adimitur ei pœnitentia, & animæ ſalvandæ locus. Huc faciunt quæcumque Auguſtinus inculcat eodem *Lib. 1. de Civit. Dei c. 25., & 27.*: unde hanc unam quęſtionem apud veteres fuiſſe liquet, num ob conſenſus periculum ſeipſum liceret occidere, non autem utrum liceret occidere invaſorem; quod cum nemo indicarit quidem, licet medium eſſet opportuniſſimum, neminem id putaſſe licitum palam colligitur. Quod ſi periculum conſenſus in culpam ab homicidio non excuſat; corporis exterior violatio, quæ ſane minus bonum eſt, quam hominis vita, multo minus excuſabit: minus enim bonum majori præferendum non eſt. Neque pudicitiam ſpirituale bonum eſſe, vitęque invaſoris pręferendum objicas; pudicitia enim uti virtus non in corpore, ſed in anima ſita eſt, nec niſi per liberum conſenſum ammitti poteſt, ut Auguſtinus eodem *Lib. 1. de Civit. Dei cap. 18.* egregie docet. "

His addenda cenſemus quæ pluries a Ballerinio citatus S. Auguſtinus habet & *Lib. 1. de Lib. Arb. cap. 5.*; quippe ex illis etiam nitide pateſcit S. Doctorem in hanc ſententiam deſcendiſſe, videlicet quod non liceat injuſtum pudicitiæ invaſorem occidere: *De pudicitia vero*, inquit, *quis du-*

Digitized by Google

dubitaverit, quin ea ſit in ipſo animo conſtituta; quandoquidem victus eſt; unde a violento ſtupratore eripi nec ipſa poteſt? Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici; ſed quo pacto iſtos defendam, qui interficiunt, non invenio.

§. III. *De Occiſione Invaſoris bonorum temporalium.*

Quando certo non liceat?

I. INnoc. XI. reprobavit ſequentes theſes, nempe 31. *Regulariter occidere poſſum furem, pro conſervatione unius aurei.* Ubi notandum eſt ly *Regulariter*; ſi enim aureus ille neceſſarius eſſet reparandæ neceſſitati extremæ meæ, vel proximi, cui alio modo ſubveniri non poſſet, jam patet, quod occiſio vetita non eſſet, quia ageretur de vita defendenda. Et 32. *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* Et 33. *Licitum eſt tam hæredi, quam legatario, contra injuſte impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicuti & jus habenti in Cathedram, vel prebendam, contra eorum poſſeſſionem injuſte impedientem.*

Licet etiam pro defendendis bonis temporalibus, & probatur auctoritate.

II. Diſputatio itaque devolvitur ad tuenda bona, quæ actu poſſidentur, & quæ ſint aut maximi momenti, aut in notabili admodum quantitate, pro quibus defendendis, aut recuperandis nulla alia via pateat, quam occiſio rapientis; ita ut neque clamare, neque percutere, aut vulnerare dumtaxat ſufficere poſſit, ſed neceſſaria ſit indiſpenſabiliter occiſio. Graves pro utraque parte ſunt Auctores: Nos cum S. Antonino 3. p. tit. 4. c. 3. §. 2., Cajetano. 2. 2. qu. 64 in com. ſuper art. 7., Soto lib. 5. de Juſtit. q. 1. art. 8. Lopez in Inſtruct. p. 1. c. 62, Prado tom. 2. c. 20. q. 4. num. 2., quibus adſtipulatur Sayrus, Navarrus, Leſſius, Suarez, & alii, affirmativam ut probabiliorem ſequimur: eo præcipue motivo ducti, quod, eam dubio procul etiam S. Thomam docuiſſe, judicamus. Nam in ſolutione ad primum argumentum ſibi oppoſitum 2. 2. q. 64. a. 7., & ſolvens Auguſtini auctoritatem ex lib. de Gratia, & Libero arbitrio c. 5. dicentis: *Quomodo apud divinam providentiam a peccato liberi ſunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt?* quod eſt ipſummet adverſariorum motivum: Hæc, inquam, verba explicando, illa explicat S. Thomas, ſicuti explicaverat aliam S. Auguſtini auctoritatem in Epiſtola ad Publicolam hoc modo: *Auctoritas Auguſtini intelligenda eſt in eo caſu, quo quis intendit occidere hominem, ut ſeipſum a morte liberet, in quo etiam caſu intelligitur auctoritas inducta ex libro de Libero arbitrio* (quæ eſt relata) *unde ſignanter dicitur pro his rebus, in quo deſignatur intentio*; quæ nunquam licet, ut etiam ſupra animadvertimus; nam eſſet directa occiſio, & non indirecta ſeu præter intentionem: unde inferendum eſt, quod in ſententiam noſtram conveniat, dum explicat oppoſitam Auguſtini auctoritatem nobis ab adverſariis objectam: ſi enim noſtram non tenuiſſet, facile erat concedere verba Auguſtini in ſenſu adverſariorum: at non ita, ſed illam explicavit, eidem ſubſcribendo intellectæ de directa occiſione, ſicut & nos, & negando de indirecta, & ob defenſionem: cum eodem modo illam intelligat pro tuendis rebus, ac intellexerat pro tuenda vita. Cum igitur hæc ſit opinio S. Thomæ, ſit quoque noſtra. Sed eſt & S. Antonini loc. cit. *Item licita eſt defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ ut dictum eſt* (id eſt etiam occidendo, ut dixerat ſupra) *non ſolum pro perſona, ſed etiam pro rebus, ... & non ſolum pro rebus ſuis; ſed etiam pro rebus ſibi depoſitis, & commodatis & etiam pro rebus amicorum, propinquorum ſuorum, eos ſcilicet adjuvando*, & verſus finem ejuſdem §. ait: *Notandum etiam, quod vim vi repellendo pro rebus, ſi quis occidat, vel mutilet; irregularitatem incurrit: ſed ſi Clericum percutiat, ſervando tamen moderamen inculpatæ tutelæ; excommunicationem non incurrit; quia excommunicatio non incurritur ſine dolo, vel diabolica ſuaſione: Sed in irregularitatem incidit quis etiam ſine dolo, vel diabolica ſuaſione, ut patet in judice reum condemnante.* En clariſſime ab hoc Sancto, & Doctiſſimo Archiepiſcopo approbata aſſertio noſtra: immo confirmatum, quod ſit mens etiam S. Thomæ, quem ipſe conſtanter ſectatur. Afferuntur etiam varii Canones, quos videndos relinquimus apud Auctores, ne diutius immoremur.

III. Probatur ratione, qua utuntur Cajetanus, & Sylvius, & qua evertitur præcipuum adverſariorum fundamentum: Quia opes ſunt inſtrumenta neceſſaria tam vitæ conſervandæ, quam virtuti exercendæ. Item & præcipue, quia non tenemur bona, quæ poſſidemus, vel perdere, vel certo periculo perdendi exponere, ad conſervandam vitam iniqui hominis, qui illam certo periculo Probatur ratione.

culo

culo ex propria malitia exponere vult; & qui, ſi velit, poteſt illam ſibi ſervare, abſque ullo bonorum noſtrorum periculo: igitur & eadem bona poſſumus contra ipſum defendere defenſione, ſi neceſſe ſit, occiſiva. Antecedens eſt certum; conſequentia autem eſt manifeſta. Tandem quis neget, bellum defenſivum eſſe juſtum, quamvis agatur contra volentem rapere etiam unam ſolam civitatem? in eo autem quot millia hominum occiduntur? Cur igitur non poterit quis privatus defendere occiſiva defenſione bona ſua in notabili quantitate, vel, reſpectu ſui, maximi momenti, cum reſpectu ipſius ſint longe majoris conſequentiæ, quam unica civitas reſpectu potentiſſimi Regis?

Duo val. de notanda. IV. Duo circa hoc ſuperſunt notanda: primum, quod hæc ſumma notabilis ſit neceſſaria ad conſervationem ſui ſtatus juſte acquiſiti; ſi enim eſſet ſuperflua ſtatui perſonæ, & familiæ conſervando, quantumvis maxima eſſet, non video qua ratione poſſet occidi raptor ſummæ ſuperfluæ, quæ contra mandatum Chriſti retineri non poteſt; ut vidimus in tract. 4. cap. 8. §. 7. Secundum, quod huic defenſioni datur locus, nedum quando invaſor actu per vim invadit, ſed etiam quando fugit, ſecum aſportando rapta; etenim toto eo tempore cenſetur eſſe in flagranti crimine, & vim continuare: quando autem in domum ſuam ſe contulit, non licet eidem vim inferre armis &c., quia tunc non eſt invaſor, ſed detentor; contra detentorem vero non licet eadem vi agere, ſicuti contra actualem invaſorem, ſed tunc agendum eſt per judicem. Proinde egregie S. Thomas 2. 2. qu. 66. a. 5. ad 3. *Qui furtim accipit rem ſuam apud alium injuſte detentam, peccat quidem, non quia gravet eum, qui detinet .... ſed peccat contra communem juſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat ſuæ rei judicium, juris ordine prætermiſſo. Et ideo tenetur Deo ſatisfacere, & dare operam, ut ſcandalum proximorum, ſi inde exortum fuerit, ſedetur.* Si igitur non poteſt ſurripi res ſublata furto, propria auctoritate, de domo furis; multo minus licebit illum invadere armis, & aperta vi &c. Quæ hactenus dicta ſunt licite fieri poſſe in defenſionem vitæ, famæ, pudicitiæ, & bonorum propriorum, verificantur etiam reſpectu proximi. Nemo tamen ad id tenetur cum ſuo gravi periculo, vel incommodo, niſi eſſet perſona pretio conducta ad defenſionem præſtandam, quia tunc teneretur ex juſtitia agere quantum licite poteſt, etiam cum ſuo gravi periculo.

* Auctor pro ſententia ſtatuente licitum eſſe actualem aggreſſorem occidere in defenſionem bonorum fortunæ magni momenti, quæ non poſſunt aliter defenſari, ac recuperari, quam & ipſe amplectitur, atque propugnat, citat S. Antoninum 3. *p. Sum. tit.* 4. *cap.* 3. §. 2. Verum ibi, ut opportune animadvertit Petrus Ballerinus *Prælect. VI.* in Secundam ejuſdem Summæ partem §. 4. *n.* 2. videtur S. Præſul locutus non ex propria, ſed ex Jacobi Aretini ſententia. Nam alibi nempe *par.* 2. *tit.* 7. *cap.* 8. §. 2. aliter ſentit. Juvat ad rem hanc illuſtrandam laudati Ballerinius verba tranſcribere: „ Id quidem, *ait*, homicidium „ (ſcilicet ad defendenda bona magni momenti, quæ nulla alia via, quam per „ homicidium defenſari queant) plures „ vindicant, cum quibus Antoninus *par.* „ 3. *tit.* 4. *cap.* §. 2. reſpondens, ut videtur, „ ex Jacobi Aretini ſententia. At *part.* 2. *tit.* „ 7. *cap.* 8. §. 2. definiens ex ſua, ſeu „ potius ex legibus, ac Auguſtino, cujus „ textus de lege Exodi, & civilibus legi„ bus ibidem allegatur, non aliam rerum „ defenſionem per homicidium admittit, „ quam quæ cum defenſione vitæ conjun„ cta eſt, ut conſideranti patebit. Equidem „ civiles ipſæ leges, quas indicavimus §. „ 3. n. 1. dum nocturnum furem in ſolius „ vitæ periculo impune occidi ſinunt,... „ diurnum autem furem, niſi diſtricto „ gladio necem intentet, occidi poſſe ne„ gant..., procul dubio ob meram re„ rum defenſionem, quæ vitæ defenſionem „ non involvat, haud licere furem occi„ dere palam ſupponunt. Quis igitur „ Chriſtianus contra ipſarum civilium le„ gum præceptionem, quæ in defenſione „ rerum gladium non accommodant, licere „ putet, quod ipſi Ethnicorum ſapientes „ Legiſlatores æquum non putarunt? In „ ſacris quoque canonibus *cap.* 3. *de homicidio* Auguſtini locus ab Antonino item „ allegatus deſcribitur, ubi quum ea ra„ tio afferatur, cur diurni furis nex ho„ micidii damnetur in Exodo, nimirum, „ quia *poterat diſcernere, quod ad furandum, non ad occidendum veniſſet*; occi„ ſionem utique ejus, qui ad furandum „ tantummodo venit, illicitam, & in Exodo „ condemnatam, homicidii crimine mani„ feſtum eſt: quod ibidem colligitur etiam „ ex jure civili... Solius igitur furti gratia „ haud licere occidere, leges inſinuant. &c.

Num

Num. autem 3. oſtendit neque publicum bonum urgeri poſſe, & furtis rapiniſque patentem aditum, ſi hæc defenſio non liceat; ac tandem alia argumenta videnda relinquit apud Fagnanum C. *Interfeciſti*, *de Homicidio*, qui pluribus Auctoribus allegatis pro hac ſententia validiſſime dimicat. Legeſis etiam P. Danielem Concina *Theolog. Chriſt. tom. 4. lib. 7. cap. 5.* §. 4. ubi materiem hanc fuſo calamo verſat; & expoſitis utriuſque opinionis argumentis, tandem *n.* 12. mentem ſuam aperit, aſſeritque ſententiam, quæ negat aliquo in caſu licitam eſſe furis occiſionem ob ſervanda, aut recuperanda temporalia bona Evangelio, Patrum Doctrinæ, Spiritui Chriſtianorum conformiorem ſibi videri, ac proinde probabiliorem.

Auctor tamen ſuam limitat aſſertionem ad defenſionem ſummæ notabilis, quæ ſit neceſſaria ad conſervationem ſui ſtatus juſte acquiſiti. Etenim certe videtur, ait P. Antoine tract. *de juſt. & jur. cap.* 2. *poſt reſp.* 2. *ad q.* 9. non licere privata auctoritate occidere injuſtum aggreſſorem ad tuendum bona magni momenti, ſed quæ non ſunt neceſſaria domino ad vivendum convenienter ſuo ſtatui; nam hoc ſaltem probant argumenta adducta; & quia tunc ceſſat ratio, quæ a multis affertur ad probandum licere occidere ad ſervanda bona temporalia; & nimis magna eſſet diſproportio inter malum quod infertur, & illud, pro quo vitando infertur: ideoque inæqualitas & injuſtitia.

Expendens autem Cl. Sylvius *ſup. a.* 3. verba D. Thom. ab Auct. *n. præced.* relata, aſſerit quod S. D. ſententia reſtringenda videtur, ut procedat, quando dominus rem ſuam ita occulte recuperans habet animum celandi ſe eam recuperaſſe; & quando ſequitur, aut ſequi natum eſt aliquod vel damnum, vel ſcandalum, vel aliqua Communitatis perturbatio, cui dominus rem ſuam occulte recuperans non providet. Alioquin paſſim uſu receptum eſt, ut ubicumque rem ſuam quis invenit, eam accipiat, modo certus ſit, eſſe ſuam, nullumque alicui ſequatur incommodum, nulla perturbatio. Neque objiciendum eſt, *ait*, quod invadat officium Judicis. Judex enim ad tuendam pacem publicam eſt conſtitutus, quæ in propoſito non perturbatur.

Ex quibus ſequitur, *ſubdit ipſe*, multo magis licitum eſſe rem ſuam clanculum auferre, quando ad eam recuperandam nulla patet via juris; manifeſtum enim eſt, nulli tunc fieri injuriam. Non poſſeſſori; quia ſupponitur, quod injuſte rem detineat. Nec Judici, quia vel non facit officium, vel facere non poteſt. Dixi *clanculum*. Quia etſi non pateat via juris ad rem ſuam recuperandam; non propterea licet, eam vi recuperare. Nam propter privatum commodum non eſt perturbanda Reſpublica; neque etiam licet vim vi repellere, niſi in fragranti delicto. Loquimur autem de vi magni momenti, qualis eſt mors, vulneratio, verberatio, Reipublicæ turbatio. Loquendo enim de vi minoris momenti, & ex qua nullum ſequeretur ſcandalum, nec ulla Communitatis, ſed tantum aliqua furis, familiæque ipſius turbatio, licere exiſtimamus, e domo furis rem tuam vi auferre, quando per viam juris recuperare non potes.

§. IV. *De Suicidio, & Mutilatione, directis.*

I. Quod nemo poſſit licite ſeipſum occidere directe, & per ſe, eſt certum de fide ex pluribus ſcripturis. Solum igitur videndum, quot peccata committat qui ſe occidit: At quod S. Thomas 2. 2. qu. 64. a. 5. ita reſpondet. *Quod aliquis ſeipſum occidat eſt contra naturalem inclinationem, & contra charitatem; qua quilibet tenetur ſeipſum diligere; & ideo ſui ipſius occiſio ſemper eſt peccatum mortale, utpote contra legem naturalem, & contra charitatem exiſtens. Secundo quia quælibet pars, id quod eſt, eſt totius: quilibet autem homo eſt pars Communitatis & ita quod eſt, eſt Communitatis: unde in hoc quod ſeipſum interficit, injuriam Communitati facit. Tertio, quia vita eſt quoddam donum divinitus homini attributum, & ejus poteſtati ſubjectum, qui occidit, & vivere facit; & ideo qui ſeipſum vita privat, in Deum peccat; ſicut qui alienum ſervum interficit, peccat in Dominum, cujus eſt ſervus; & ſicut peccat ille, qui uſurpat ſibi judicium de re ſibi non commiſſa.* Ex his habes ſuicidium eſſe peccatum mortale contra charitatem ſibi debitam, & contra juſtitiam Deo, & Reipublicæ debitam.

Occidere ſeipſum quale peccatum?

II. Nemini licet, neque juſſu humani judicis, ſe interficere; quamvis debeat obtemperare, eliciendo actiones ad mortem proxime diſponentes. Primam partem docet S. Thomas 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2.

Ad quid teneatur damnatus ad mortem?

Nul-

Nullus ita condemnatur, quod ipſe ſibi inferat mortem, ſed quod ipſe mortem patiatur: & ideo non tenetur facere id, unde mors ſequatur: ſicut etiam ſi aliquis ſit condemnatus ut fame moriatur, non peccat, ſi cibum ſibi occulte miniſtratum ſumat: quia non ſumere eſt ſe occidere. Ratio intima eſt, quia punire reum eſt actus juſtitię vindicativę; juſtitia autem ſemper eſt ad alterum, & non ad ſeipſum: unde nequit reus obligari ad ſe interficiendum: puta ad ſe pugione tranſverberandum, ſe ſuſpendendum, ſe ex alto præcipitandum, ad ſumendum ex ſe venenum &c., & peccaret graviſſime judex, ſi ad id obſtringere vellet. Tenetur autem, dixi, illas actiones facere, quæ ad mortem diſponunt: puta ſcalam aſcendere ad patibulum; collum aptare ad laqueum, vel ad gladii ictum; aperire os ad venenum aliena manu in eos infundendum &c. quia tenetur obedire judici, qui juſte illum condemnavit, in his, quæ ex ſe non ſunt illicita; ſicut nulla eſt illarum actionum, ut patet: Quæ alioquin neceſſariæ ſunt, ut in eum juſta impleatur punitio. Neque quidquam valet opponere aliquos caſus tum ex Sacra, tum ex Eccleſiaſtica hiſtoria petitos: Quandoquidem illi, qui a ſeipſis occiſi referuntur, id egerunt ex ſpeciali Spiritus Sancti impulſu, qui non eſt de facili præſumendus.

Se mutilare, aut mutilationem permittere, eſt lethale, niſi fiat ad tuendam vitam.

III. Peccatum mortale eſt, mutilare ſe ipſum aliquo membro, vel per ſe, vel per alios, niſi id poſtulet neceſſitas ſervandi vitam: & eſt communis; eamque docet S. Thomas 2. 2. qu. 65. a. 1., ubi poſtquam dixit, quod propter ſalutem corporalem licitum ſit unum, vel plura membra mutilare, concludit: *aliter autem aliquem membro mutilare, eſt omnino illicitum.* Et rejiciens in reſponſione ad 3. exemplum illorum, qui ſe caſtraverunt ad caſtitatem facilius ſervandam, dicit, & repetit: *membrum non eſt præſcindendum propter corporalem ſalutem totius, niſiquando aliter toti ſubveniri non poteſt: ſaluti autem ſpirituali ſemper poteſt aliter ſubveniri, quam per membri abſciſſionem; quia peccatum ſubjacet voluntati.* Et ratio eſt eadem, ac ſuperius allata: Quia ſicut vitæ noſtræ non ſumus domini, neque membrorum noſtri corporis, & propterea non niſi ad tuendam vitam, quæ eſt principale, & totum, poſſunt licite mutilari. Hinc patet, ex communi, contra nonnullos, etiam ad ſuavem vocem obtinendam pro cantu, quamvis dumtaxat Eccleſiaſtico, id eſſe illicitum; tum ex expreſſa S. Thomæ auctoritate relata, tum ob rationem allatam; quia membrorum non ſumus domini; & ideo illa dumtaxat mutilare licet, ob conſervationem totius, nempe vitæ: non igitur ad vocis ſuavitatem. Immo ratio ſpecialiſſima eſt, quæ illicitam reddit evirationem, quæ ſpeciali modo injuriam affert etiam communitati humanæ ſpeciei: & de hoc ſatis. Ideo peccant graviter tam conſanguinei procurantes pueros eunuchari, quam illos eunuchantes, quam ipſi, qui ſe eunuchant, ſeu evirari permittunt, ſi ſint doli capaces.

§. V. *De Suicidio Indirecto.*

Quando quis poſſit aut non ſuam mortem permittere?

I. Certum eſt, varios eſſe, & laudabiles modos propriam vitam exponendi mortis periculo: puta cauſa prædicandi Evangelii infidelibus, inſerviendi peſtilentiæ ictis; præbendi, in neceſſitate extrema æquali ſubſidium illud proximo, quo poſſet vita propria ſervari, ex charitatis motivo; & alia his ſimilia præſtandi, quæ leguntur a multis peracta, & ab Eccleſia approbata. At certum ſimiliter eſt, laborantem mortali morbo, teneri adhibere remedia communia, & ordinaria, facileque comparabilia: nec poſſe, abſque lethali, illa recuſare: Quia, ut dictum eſt, nemo eſt ſuæ vitæ dominus, ita ut, abſque ſuperioris virtutis motivo, nequeat ſui mortem permittere. Si autem requirantur remedia extraordinaria, quæ valde grave, aut diuturnum incommodum, aut magnos ſumptus, aut gravem indecentiam ſecum afferant; multi dicunt, quod cum tanto onere non teneatur quis vitam preſervare. Quæ extraordinaria remedia cenſent eſſe diuturnam mutationem regionis; remedium tanti ſumptus, quod ſi ematur, multum familia gravetur; matrimonium contrahendum; medicationem in partibus ſecretioribus reſpectu honeſtæ virginis; aliudve ſimile. Ad evadendam mortem acerbiorem; puta incendium certo inevitabile, dicunt multi, licitum eſſe ſe exponere evidenti periculo mortis mitioris, puta ſubmerſionis, ſe in mare projiciendo, præcipue alicui ligno ſe appendendo; vel ſe ex alto præcipitando modo cautiori; quo fieri poſſit &c. Ratio deducitur ex ipſo naturæ inſtinctu cum brutis communi, quæ ita diriguntur ab Auctore naturæ.

An liceat incen-

II. Ambiguum valde eſt, an milites, & nautæ in bello navali poſſint licite im-

dere Navim, &c.

incendere navim, applicando ignem pulveri tormentario, ut navis una cum ipſis momentaneo incendio abſumatur, ne in hoſtium poteſtatem deveniat: aut ſimiliter fortalitium aliquod defendentes, illud eodem modo evertendo una ſecum, ut in hoſtium poteſtatem, nonniſi ſubverſum, cadat. Auctores circa id in diverſas opiniones diſtrahuntur, quibus attente perlectis, illud in primis aſſerendum eſt; id regulariter licitum non eſſe, neque conſulendum; quandoquidem non videtur, factum hoc poſſe ſufficienter purificari ſuimet directa occiſione. Secundo id procul dubio fieri non poſſe, niſi maximum commodum Patriæ, & Claſſi juſte pugnanti, ut ſupponitur, ſit reſultaturum: puta plena victoria, aut talis debilitatio copiarum hoſtilium, ut ſint inde compellendi ad pacem implorandam; aut quidpiam ſimile maximi momenti. Quamvis neque pro adeo magnis utilitatibus a multis approbetur. Tertio, quod ſi juſſus a Duce id faciat, & bona fide exequatur, non ideo peccabit; tum quia obedire tenetur, tum quia, ſi recuſet, jam mortem ſibi propter inobedientiam adſciſcat. Tandem ſi dux jubens judicet coram Deo id valde utile bono communi, & bona fide agat, excuſabitur, ob variam gravium doctorum opinionem. Hæc ſunt, quæ elicere potui, ſapientiorum judicio perpendenda.

Fœmina non poteſt ullo modo permittere illicita, ne occidatur.

III. Fœmina, cui aliquis ſtricto pugione mortem comminatur, niſi ſe violari permittat; tenetur potius mortem ſuam permittere, quam ſui violationem; proinde tenetur facto externo, totiſque viribus reſiſtere, quoſque aut repellat aggreſſorem, aut occidatur. Ita probabilior, & in praxi vera ſententia. Ratio eſt, quia ipſamet permiſſio, quamvis ex metu mortis imminentis, eſt voluntaria ſimpliciter; (metus enim quantumvis gravis non tollit voluntarium ſimpliciter, ut oſtendimus in tr. 3. c. 2. §. 3. quamvis valde minuat voluntarium) atqui velle ſimpliciter permiſſionem congreſſus illiciti abſq; exteriori reſiſtentia & repulſione pro viribus, eſt per ſe illicitum: quod probo. Quia velle ſimpliciter dictam permiſſionem quieſcendo, eſt ſimpliciter velle aliquid cooperativum congreſſui; quandoquidem illa permiſſio conſiſtit, quod ſtet immobilis, & quieſcens, ut aggreſſor congrediatur: ſi enim exterius pro viribus non reſiſtat, ipſo facto quieſcit, & commodum præbet ad illicita: atqui velle ſimpliciter aliquid proxime cooperativum commodo peccandi lethaliter, eſt lethale; igitur permiſſio illa eſt de ſe illicita & lethalis, & quidam interpretativus conſenſus congreſſui; ad differentiam illius, quæ quieſceret coacta: puta quia ligata in brachiis, cruribuſque; in hac enim nullus interpretativus conſenſus exterior ſuſpicari poteſt, neque ulla interpretativa cooperatio notari. Et confirmatur; quia mulier ita quieſcens, non poteſt ab alio defendi per occiſionem invaſoris; & hoc non alia ratione, niſi quia ita ſe gerendo, vim vi non repellit; immo neque ipſa poteſt licite invaſorem interficere, aut vulnerare, quod dumtaxat conceditur repellenti aggreſſorem vi exteriori. Denique quia ita ſe gerendo, ſe exponit moraliter certo periculo aſſenſus, cum non agat in ſui defenſionem quantum poteſt: neque videtur veraciter Dei opem invocare, ob idem motivum.

* Recolenda ſunt, quæ cum Petro Ballerinio ſupra tradidimus nempe §. 11. poſt num. 111.

§. VI. *de Homicidio Caſuali.*

Regula S. Thomæ præmittenda.

I. AD dignoſcendum quando ex homicidio caſuali incurratur culpa, obſervanda eſt regula tradita a S. Doctore 2. 2. qu. 64. a. 8. *Ea quæ caſualiter ſunt, ſimpliciter loquendo, non ſunt intenta. Contingit autem quod id, quod non eſt actu, & per ſe volitum, vel intentum, ſit per accidens volitum, vel intentum, ſecundum quod cauſa per accidens dicitur removens prohibens: Unde ille qui non removet ea, ex quibus ſequitur homicidium, ſi debeat removere, erit quodammodo homicidium voluntarium. Hoc autem emergit dupliciter, uno modo, quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit: alio modo, quando non adhibet debitam ſollicitudinem: & ideo ſecundum jura ſi aliquis det operam rei licitæ debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium ſequatur, non incurrit homicidii reatum: Si vero det operam rei illicitæ, vel etiam dat operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum; ſi ex ejus opera mors hominis ſequatur.*

Animadverſio ſuper hanc regulam Cajetani, & Sylvii.

II. Huic Angelicæ regulæ addenda eſt animadverſio Cajetani, & Sylvii ibidem; nempe quod ut opus illicitum judicetur cauſa indirecta homicidii, ſeu cauſa per accidens, debeat aliquem ſaltem reſpectum habere ad homicidium; ita ut ſi ex opere

ili-

Digitized by Google

illicito aut nunquam aut rariſſime ſequatur homicidium, non erit hoc imputandum volenti illud opus illicitum, quippe quod ſit opus omnino extraneum homicidio: puta, ſi quis volens per ſcalam aſcendere ad meretricandum, & dum eſt in ſcalæ vertice, ipſa repente corruat, & ſecum trahendo aſcenſorem opprimat puerum, eo momento accidentaliter tranſeuntem, quis accuſabit aſcenſorem illum homicidii ſecuti reum? Non enim prævidere debuit, quod ea hora, quia nocte jam media, & quod ſcala jam antea bene explorata, corruere potuerit; & eo momento puer ſub illa eſſet tranſiturus.

Illatum primum.

III. Hinc inferas primo, eſſe reos ſuicidii, qui ita enormiter dant operam potationibus, libidinibus, aliiſque hujuſmodi exceſſibus, ut, morbos lethales contrahentes, appoplexia, epilepſia &c. tandem intereant; quia poterant, & debebant prævidere in cauſis adeo manifeſtis, & tot exemplis comprobatis, hujuſmodi mortem ſibi probabiliter eventuram.

Illatum ſecundum.

Secundo, eum, qui quovis modo percutit feminam prægnantem, reum eſſe homicidii, ſi fœtum animatum abortiatur; quia quævis percuſſio, ſaltem ob timorem, reſpectum aliquem habere poteſt ad abortum: immo etiam dumtaxat perterrefacere prægnantem, inducit reatum homicidii, ſi abortiatur.

Illatum tertium.

Tertio eſſe reum homicidii, *qui mandat aliquem verberari, licet expreſſe inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, ſi mandatarius fines mandati excedens, mutilet, vel occidat; cum mandando, in culpa fuerit; & hoc evenire poſſe debuerit cogitare*, ait Bonifacius VIII. in fine cap. de Homicidio in 6. Si igitur reus eſt irregularitatis, profecto & homicidii.

Illatum quartum.

Quarto, quod nedum eliciens actionem offenſivam, ſed etiam omittens actionem debitam ad præcavenda homicidia, reus ſit homicidii. Unde Princeps, aut Magiſtratus homicidiorum evenientium reus eſt, ſi pro debito non puniat homicidas juxta leges, aut omittat diligentiam in eorum captura; & tenetur ad damna ſecuta, quia peccat etiam contra juſtitiam.

Illatum quintum.

Quinto, alienæ mortis reum eſſe Medicum, vel Chyrurgum, qui cognoſcens imperitiam ſuam, & prudenter dubitans de ſua ſufficientia, eidem muneri vacare audet; & præcipue ubi ſunt alii periti, & ſufficientes. Ratio patet: & peccat graviter nedum contra charitatem, verum etiam contra juſtitiam, & tenetur ad damna ſecuta.

Illatum ſextum.

Sexto, Medicum teneri ſub mortali adhibere remedia certiora, & probabiliora, quia ex vi miniſterii ſui tenetur conſulere ſaluti infirmi meliori modo quo poteſt. Si enim judex bonorum temporalium tenetur judicare juxta probabiliorem opinionem, ut definivit Innocentius XI. reprobando theſim 2., ad id a fortiori tenebitur judex in cauſa infirmitatis, in qua agitur de ſummo naturalium bonorum. Et ſi id agere omittat, peccat etiam contra juſtitiam; cum onere reſtitutionis. Immo neque in caſu, quo ſit deſperatus infirmus, licite uti poteſt medicamento incerto, de quo ignoratur, an ſit ſalutare, an nocivum; quia nulli eſt licitum experimentum & ſcientiam quærere, morte alicujus; & eſt communis. Videtur mihi tamen probabilior illorum opinio, quod infirmo jam deſperato, & certe morituro, poſſit medicus applicare remedium dubium; quia ex quo ſit dubium, & poteſt ei levamen, ſanitatemque afferre, & poteſt ei mortem accelerare: comparatis autem his extremis ad invicem, nempe de accelerandamorte, alioquin certo eventura, & de dubio recuperandæ ſanitatis; prudentia dictare videtur, eligendum eſſe potius hoc extremum, quam aliud, relinquendi infirmum viribus jam deſperatis naturæ. Hanc tuetur Sanchez lib. 1. Sum. cap. 9. n. 39 alios citans; & Bonacina diſp. 2. q. 4. punct. 9. n. 23. ſimiliter alios adducens. Hic plures diſſerunt de Bello, & de Duello, de quibus nos ſequentes S. Thomæ methodum, egimus in tractatu quarto, cap. 9. §. 4. & 5. Aliqui agunt de occiſione ſpirituali per ſcandalum; de quo itidem, ſequentes Angelici methodum, diſſeruimus loc. cit. §. 6. Aliqui agunt de occiſione Civili per detractionem; ſed nos de hoc diſſeremus, dum de reſtitutione in particulari ſermo inſtituetur in tract. 9. cap. 7. per totum.

Poſt quintum Decalogi præceptum, ſequitur ſextum, cui adnecti ſolet etiam nonum: at cum omnia ad ſextum pertinentia a nobis tradita fuerint in Tractatu ſecundo, Capite ſecundo, §. 3., quemadmodum ſpectantia ad nonum ibidem, Capite primo, §. 7.; propterea de his nil repetendum eſt: atque ad ea tradenda, quæ ſeptimum, & decimum attinent ſtatim accedimus; illa enim, quæ ſeptimo prohibentur quoad actum, decimo vetantur, quoad affectum: Sic igitur.

TRA-

TRACTATUS IX.

DE

SPECTANTIBUS

AD SEPTIMUM ET DECIMUM DECALOGI PRÆCEPTA.

Quemadmodum in quinto Decalogi Præcepto vetantur injuſtæ actiones contra bona proximi, quæ naturalia, ſive corporalia dicuntur; ita duobus hiſce præceptis prohibentur injuſtæ actiones, & affectiones contra proximi bona temporalia, quæ communiter bona fortunæ vocitantur.

Cum autem bona proximi tueri virtuti juſtitiæ ex officio incumbat, quæ & injurioſe ablata reſtituere, & damna illata reparare, & ne inferantur impedire, & in contractibus a fraudibus abſtinere, fidemque ſervare præſcribit, ut cuique jus ſuum integrum, atque intactum conſervetur; proinde ambo hæc præcepta in hoc tractatu, qui titulo de Juſtitia, & Jure communiter inſcribitur, perfecte abſolvuntur; in quo & de juſto rerum dominio, de modis illud acquirendi, & de mediis illud redintegrandi diffuſe diſſeritur.

CAPUT PRIMUM.

De Juſtitia.

§. Unicus. De Natura, & Diviſione juſtitiæ.

Quid ſit Juſtitia?

I. JUſtitiæ nomine in præſenti ſignificatur illa virtus, quæ eſt Cardinalium tertia, quæque rectificat hominem relative ad proximum ſuum. Definitur ab Ang. D. 2. 2. q. 58. a. 1. *Habitus, ſecundum quem aliquis conſtanti, & perpetua voluntate jus ſuum cuique tribuit*. Dicitur habitus, ideſt virtus, quia opus ipſius eſt conveniens rectæ rationi; quid enim laudabilius erga alterum, quam ut cuique, quod ſuum eſt, tribuatur; & redintegretur, ſi violatum? Dicitur firmare voluntatem, ut perpetuo & conſtanter jus ſuum cuique tribuat; quod eſt proprium cujuslibet virtutis, nempe firmare potentiam, cui inſidet, erga proprium objectum, & non tranſeunter tantum; officium enim ſpeciale juſtitiæ, atque juſtitiam ab omnibus aliis virtutibus ſecernens, eſt jus ſuum cuique tribuere, & non qualecunque, ſed jus ſtrictum, & proprie tale.

Explicatur officium juſtitiæ.

II. Ut autem id clare percipias, nota, juſtitiæ adnecti quaſdam alias virtutes, quæ a Theologis partes potentiales ejuſdem vocitantur, quæque non ſunt veræ ſpecies ejuſdem, ſed illam quodammodo imitantur; quia deficiunt ab objecto ejuſdem. Cum enim juſtitiæ objectum ſit debitum proprie tale, & officium ſuum ſit facere æqualitatem inter debitum, & datum; hujuſmodi virtutes vel deficiunt a ratione debiti proprie accepti, vel a facultate reddendi illud ad æqualitatem. Eſto exemplum etiam alibi datum in virtutibus Religionis, & Gratitudinis; quarum prima reſpicit cultum Dei, quæ propterea deficit a juſtitia proprie accepta, ob exceſſum debiti, cui impar eſt reddendi unquam æquale: ſecunda vero, quamvis poſſit reddere æquale, & etiam excedere in reddendo, deficit a juſtitia proprie tali, quia quod debet, non debet ex debito proprie, & ſtricte tali, ſed ex debito late accepto, quod dicitur debitum congruitatis; quandoquidem congruum ſit, ut benefactori correſpondeatur: ly igitur jus alienum poſitum in definitione juſtitiæ, ad quod ſatisfaciendum juſtitia voluntatem firmiter inclinat, intelligitur de jure, & debito proprie tali, & de redditione quoad æqualitatem.

Medium tenendum a Juſtitia, diſtinctum a medio, quod obſervatur ab aliis virtutibus.

III. Hinc præcipuum, in quo diſtinguitur juſtitia a cæteris virtutibus moralibus, quæ continentur ſub aliis tribus Cardinalibus, conſiſtit, quod omnes illæ habeant medium Rationis; ideſt per rationem & prudentiam præfixum; juſtitia vero habeat medium Rei, ideſt petitum a natura rei ad rem. Audi Angelicum l. c. a. 10. *Aliæ virtutes morales principaliter conſiſtunt circa paſſiones, quarum rectificatio non attenditur niſi ſecundum comparationem ad ipſum hominem, cujus ſunt paſſiones: ſecundum ſcilicet, quod iraſcitur, & concupiſcit, prout debet ſecundum diverſas circumſtantias: & ideo medium talium virtutum non accipitur ſecundum proportionem unius rei ad alteram, ſed ſolum ſecundum comparationem ad ipſam virtutem: & propter hoc in ipſis eſt medium ſolum ſecundum rationem quoad nos. Sed materia juſtitia eſt exterior*

ope-

operatio, ſecundum quod ipſa, vel res cujus eſt uſus, debitam proportionem habet ad aliam perſonam: & ideo medium juſtitiæ conſiſtit in quadam proportionis æqualitate rei exterioris ad perſonam exteriorem: æquale autem eſt realiter medium inter majus, & minus; unde juſtitia habet medium rei. Explico exemplis. Motivum cur temperantia præſcribat Petro ad congruam ſui refectionem v. gr. tres libras alimenti; Paulo autem quinque, non ſumitur ab ipſis cibis, ſed ab humana prudenti ratione, comparante cibos ad ipſos homines, qui reficiendi ſunt: cum enim ſint diverſæ complexionis, valetudinis, ætatis; inæquali indigent alimento. At motivum cur juſtitia det Petro quatuor, non aliud eſt, niſi quia debet quatuor: quin aliud conſideret, ſit ne ſanus, vel infirmus, pauper an dives, juvenis an ſenex; ita ut nulla habita obſervatione ad qualitatem perſonę, per ſe loquendo, dumtaxat ad debitum rei, ſeu reale, ad æqualitatem integrandam, ut vulgo dicitur, ſit officium juſtitiæ. En igitur quomodo medium a juſtitia ſervandum ſit medium rei, ſeu in ipſa æqualitate rerum exteriorum conſtitutum, medium vero cęterarum virtutum, ſit ad rectificandum, ut vulgo dicitur, hominem in ordine ad ſe ipſum, atque a ratione, juxta conſiderationem circumſtantiarum, præfixum; necnon variabile juxta circumſtantiarum perſonæ varietatem; ad differentiam medii obſervati a juſtitia, rectificante hominem in ordine ad alterum, ut eidem tantum tribuat, quantum debet.

Diviſio Juſtitię: & explicatur. IV. Dividitur Juſtitia primo in Legalem ſeu generalem, & in Particularem. Juſtitia Legalis illa eſt ex S. Thoma loc. cit. a. 7., *quæ ordinat hominem immediate ad bonum commune*. Particularis, *quæ ordinat hominem ad alterum ſingulariter conſideratum*, ait a. 5. Particularis ſecundo dividitur in Diſtributivam, & Commutativam, quibus adjungitur Vindicativa, quæ revera integrat diſtributivam. Diſtributiva firmat voluntatem Communitatis, ſeu Principis illam repræſentantis *ad diſtribuenda communia, ſecundum proportionalitatem*, ait S. Doct. qu. 61. art. 1., ideſt ad diſtribuenda ſive bona, ſive onera Communitatis ſecundum merita, & vires ſubditorum. Et hinc patet, quomodo vindicativa ſpectet ad diſtributivam, in inferendis debitis pœnis, juxta gravitatem delictorum. Commutativa eſt illa, *quę ordinat hominem circa ea, quæ ſunt ad alteram ſingularem perſonam*; ait q. 58. a. 7., firmando videlicet voluntatem privati hominis ad tribuendum alteri privato quantum ei debet; & quidem æqualitate arithmetica, nempe tantum pro tanto: in quo differt a diſtributiva, quæ dat, & reddit debitum ęqualitate geometrica, ſeu proportionali. Do exemplum: occurrunt Principi, vel Communitati diſtribuenda duo munera; unum ſolius dignitatis, alterum lucrativum, ſeu utilitatis; ad primum concurrit Petrus habens merita etiam majora, quam ſit dignitas conferenda, ſed quia alia dignitas non vacat diſtribuenda, idcirco hac Petro collata, fit æqualitas geometrica. Paulus concurrit ad munus lucrativum, qui revera quamvis meritis polleat; non tamen coæquantibus munus diſtribuendum: nihilominus tum quia non alius majoris meriti petit, tum quia neque munus minoris lucri extat diſtribuendum, ipſi Paulo confertur, fit æqualitas geometrica, & proportionalis, quæ non fieret, ſi dignitas major extaret, & daretur alteri inferioris meriti, merito Petri; ſicuti neque ſi extaret officium lucrativum minoris lucri diſtribuendum, & daretur alteri majoris meriti, merito Pauli.

Quando oriatur obligatio reſtituendi ex violatione diſtributivæ? V. Hinc oritur, quod ex violatione ſolius, & meræ diſtributivæ non incurratur onus reſtituendi; ſed ſi incurratur, exurget ex violatione commutativæ, quæ ſit diſtributivæ admixta. Ratio eſt, quia violatio ſolius diſtributivæ nullius juri in particulari affert injuriam, quæ affertur dumtaxat a violatione commutativæ. Tunc autem diſtributivę admiſcetur commutativa, quando bona Communitatis diſtribuenda ſubditis, diſtribuuntur in eorum commodum & utilitatem: puta, ſi ex publico ærario eſſent diſtribuenda ducenta millia militibus; tunc diſtribuens ex genio, & non juxta merita, violaret ſimul commutativam, quia eo ipſo quod diſtribuenda ſint in præmium, & in utilitatem benemerentium, hi acquirunt jus ad rem juxta gradum ſuorum meritorum. Si autem diſtribuantur officia, & dignitates non in commodum ſubditorum, ſed in ſervitium Communitatis, tunc præferendo minus dignum, peccatur quidem graviter contra diſtributivam, ſed abſque reſtitutionis onere alicui particulari prætermiſſo, quia nullius particularis habet jus ad ea quæ ſunt diſtribuenda. Dixi abſque reſtitutionis onere alicui particulari; nam diſtributor teneretur compenſare damna, ſi quæ orirentur

tur Communitati ex promotione minus digni; & quidem ex admixta violatione commutativæ; cum Communitas contulerit jus eligendi, & diſtribuendi illi diſtribuenti cum hoc pacto ſaltem tacito, ut illos eligat, quos magis idoneos cognoſcet ad inſerviendum Reipublicæ. Idemque dicendum, ſi in imponendis oneribus, diſtribuens gravaret aliquem pluſquam oporteat, teneretur ad damna, ob violatam ſimul commutativam; quia auferretur ab illo plus, quam Communitas intendat; unde diſtribuens in eo caſu evaderet injuſtus invaſor. Pariter in vindicativa, ſi puniret pluſquam delictum mereatur; & teneretur ad damna ſecuta ex illo exceſſu; quia violaret ſimul commutativam, abutendo in damnum tertii poteſtate ſibi collata eo pacto, ut juſtum faciat, & neminem contra conſcientiam plus æquo gravet.

Juſtitia vindicativa nequaquam pertinet ad diſtributivam, ſed vel ad commutativam, vel ad vindicationem, quæ eſt juſtitiæ quædam pars potentialis. Juſtitia vindicativa, quæ a publica aliqua poteſtate fit ſive ad bonum commune, ſive in beneficium privatæ perſonæ, ad eam videlicet a gravamine aliquo ſublevandam, vel ad ipſius reparandam injuriam, eſt actus juſtitiæ commutativæ; quippe ejus conditiones habet omnes, nimirum perſonarum diverſitatem, verum, ac rigoroſum debitum, & æqualitatem; hæc enim reddit, tantumdem pœnæ, quantum eſt delictum, vel injuria; ſicque jus læſum compenſat. Animadvertendum tamen eſt, quod vindicatio facta a judice, eſto ſit actus juſtitiæ commutativæ, eſt tamen imperatus a juſtitia legali, quoniam judex, dum ulciſcitur injurias, ſive Communitati, ſive privatæ perſonæ illatas, hoc facit propter bonum commune, ſeu potiſſimum, ut bonum commune curet, ac promoveat. Juſtitia vero vindicativa, quæ eſt in perſonis privatis vindictam a judice petentibus, ſi contra legem ea non ſit, ut quandoque poteſt non eſſe, cum videlicet non alia legitima ſuppetit via ad injuriam propulſandam, non eſt proprie dicta juſtitia, nec commutativa, nec diſtributiva, cum rigoroſo debito careat, ſed juſtitiæ quædam pars potentialis, ut ajunt, quæ appellatur *vindicatio*, quæ eſt ſpecialis virtus, qua gubernatur voluntas, ne in exigendo punitionem a Judice, peccet per exceſſum. Utrumque nitide docet D. Thomas 2. 2. q. 108. *a.* 2, *ad* 1. *Sicut*, inquit, *recompenſatio debiti legalis pertinet ad juſtitiam commutativam; recompenſatio autem debiti moralis, quod naſcitur ex particulari beneficio exhibito, pertinet ad virtutem gratiæ; ita etiam peccatorum, ſecundum quod pertinet ad publicam juſtitiam, eſt actus juſtitiæ commutativæ: ſecundum autem quod pertinet ad immunitatem alicujus perſonæ ſingularis, a qua injuria propulſatur, pertinet ad virtutem vindicationis*. Hoc idem habet & q. 80. *art. unico ad* 1. *Vindicta*, ait, *quæ fit auctoritate publicæ poteſtatis, ſecundum ſententiam judicis, pertinet ad juſtitiam commutativam; ſed vindicta, quam quis facit proprio motu, non tamen contra legem, vel quam quis a Judice requirit, pertinet ad virtutem juſtitiæ adjunctam*. Huculque S. D. Lege Em. Gotti *q.* 3. *dub.* 2. §. 4., ubi fuſe rem hanc pertractat, difficultateſque, quæ contra utramque partem occurrunt, diſpellit.

VI. Quod graviter violetur juſtitia diſtributiva, commutativæ admixta, cum onere reſtituendi &c. niſi conferantur Beneficia Eccleſiaſtica dignioribus, jam fuſe oſtendimus tract. 4. cap. 12. §. 4. An autem violetur mortaliter, etiamſi non promoveantur digniores notabiliter, quamvis ad officia ſecularia, quibus judicare, regere, conſiliare, bona adminiſtrare incumbit, non eſt concors opinio: probabilior videtur affirmativa; tum quia ſunt officia magni momenti, in quibus agitur de vita, libertate, & bonis proximi; tum quia, ſi diſtributio fiat per concurſum, fit gravis injuria digniori, eum poſtponendo notabiliter inferiori: ſi autem non fiat per concurſum, intervenit ſemper inordinatio notabilis, ex qua graviſſima ſequuntur Reipublicę inconvenientia contra bonum commune; eo quod digniores ſæpe compelluntur ſibi procurare climata meritis ſuis magis propitia: reliqui ſubditi, cernentes quomodo pro miniſteriis conſequendis non tam habilitas, & virtus, quam favores proſunt, poſthabitis honeſtate morum, ſtudioque virtutum hominem componere valentium idoneum publicis miniſteriis rite obeundis; omnem ſollicitudinem eo dirigunt, ut potentiorum gratiam aucupentur, ut favores promoventium quacumque via ſibi acquirant: & ecce omnia plena adulationibus, calliditatibus, muneribus, inſidiis, detractionibus, muliebribuſque officiis, ut pejora ſileam, quę communitatem corrumpere admodum valent, vitiiſque replent: quorum omnium origo

Graviter violatur diſtributiva, ſimulque commutativa eligendo ad officia ſecularia notabiliter minus dignos.

eſt

eſt hæc perſonarum acceptio in præfatorum miniſteriorum diſtributione. Cum igitur illa & in ſe valde inordinata ſit, & tot inordinationum genitrix, non erit a lethali immunis, adjuncto item onere compenſationis damnorum. Nam quis non videt promotores, electores &c. alicujus notabiliter minus digni, eſſe cauſas efficaces præfatorum damnorum Communitatis? Si igitur verum ſit, ut omnes fatentur, quod quilibet adminiſtrator Communitatis, ſuſcipiendo munus adminiſtri, implicite cum eadem contrahit pactum & debitum, procurandi quantum moraliter potuerit ejus felicitatem: ob hoc enim ſubditi ſuis Principibus & tributa, & vectigalia &c. ſolvunt; & Communitas dictis adminiſtris ſuas dignitates, ſuoſque proventus confert; quis non perſpicit, præfatos adminiſtros, electores, promotores, &c. peccare contra juſtitiam commutativam reſpectu Reipublicæ, tot & tam gravia damna ſuis electionibus contra eamdem promovendo, dum ejuſdem felicitatem ex pacto tacite inito procurare tenebantur? Confirmo hanc veritatem exemplo. Quis œconomum liberet ab onere compenſandi damna ſuo Domino reſultantia, eo quod operarios in cultura ſuorum prædiorum adſciverit notabiliter minus habiles, cum notabiliter valentiores habere potuerit? Propterea enim a Domino ſuo congruum ſtipendium recipit, ut diligenter ſuorum redituum curam gerat: Si igitur hic ob amicitiam, officia, munera, conſanguinitatem negligendo operarios notabiliter habiliores, damnum intulit prædiis heri ſui, debitum reſarciendi ex juſtitia commutativa contrahit; non video, quomodo præfati electores qui œconomi habentur in diſtribuendis publicis miniſteriis Reipublicæ neceſſariis, excuſari poſſint a debito eamdem redintegrandi in damnis quæ patitur, ex prælatione officialium longe minus habilium, poſthabitis habilioribus. Et quia inter præcipuos nobis adverſantes citatur Emin. Cajetanus in Summula verbo Electio Prælati, ubi revera, non tamen ſine formidine, dicit: Ad eligendum autem meliorem ad hoc officium Prætoris &c., quamvis forte teneatur, qui poteſt; non tamen video vinculum peccati mortalis, ſi placet ſibi ſufficere idoneum; quia non video hic acceptionem perſonarum, nec video habere hic locum juſtitiam diſtributivam, cum officium hoc non detur civi ut parti Communitatis: Hæc ille. At, ſalva reverentia tanto viro debita, ipſi probandum erat, non intervenire acceptionem perſonarum, ubi electio non regulatur ſecundum merita; cum S. Thom. manifeſte dicat 1. 2. qu. 98. art. 4. ad 2. *Si eſt diſpenſator bonorum communitatis, & non diſtribueret æqualiter ſecundum merita perſonarum, eſſet perſonarum acceptor*: atqui electores ad officia communitatis, & Reipublicæ ſunt diſtributores hujuſmodi officiorum; igitur ſi non diſtribuant ſecundum merita, accipient perſonam, & non merita perſonæ. Inſuper ipſe non videt juſtitiam diſtributivam habere locum, cum non detur officium civi ut parti Communitatis: Igitur ſaltem ubi hæc officia Præfecturæ &c. dantur civibus ut partibus communitatis, interveniet juſtitia diſtributiva; atqui plerumque hæc officia conferuntur civibus ut partibus Reipublicæ, cum nunquam dentur extraneis; igitur &c. Tandem ipſe Cajetanus formidans quæ protulit, ita concludit: Electiones, quæ in Communitatibus ſæcularibus fiunt, ſive ſit Prætura, ſive quodcunque aliud notabile, regulari debent ſecundum regulas juſtitiæ diſtributivæ; & ſi non vult errare, qui neſcit hujuſmodi regulas, det votum ſuum illi, qui magis idoneus eſt ad hoc inter eos, qui digni ſunt, & poſſunt præponi: quod ideo dico, quia ſi is, qui vere eſt dignior, non poteſt præponi, quia aliis non placet, eligendus eſt dignior inter illos dignos, qui poſſunt haberi: Qui autem contra juſtitiam diſtributivam votum dat, peccat mortaliter. Hæc ſapiens ille, ita concludens.

CAPUT II.

DE

JURE.

§. I. *De Notione, & Diviſione Juris.*

Quid ſit Jus?

I. JUs objective exceptum eſt illud, *quod eſt ſuum cujuſque*; poteſtative autem acceptum, prout uſurpatur a nobis in præſenti, eſt poteſtas legitima rem aliquam obtinendi, retinendi, ea utendi, de ea diſponendi propria auctoritate, tanquam ſua, juxta modos a lege permiſſos. Jus de quo in præſenti, dividitur in Jus in Re, & in Jus ad Rem: primum eſt rei, quæ jam poſſidetur; & hoc jus utpote reale, confert facultatem repetendi rem illam ubicumque, & apud quemcumque fuerit, ſalvis debitis modis procedendi; & ideo dicitur parere jus reale: ſecundum eſt jus ad aliquid, quod nondum poſſidetur, quamvis ſibi ſtricte debeatur; & hoc confert actionem perſonalem, ideſt contra perſonam, quæ debitum dandi habet. Ut autem quis dicatur habere jus in re, tres a lege poſtulantur conditiones: nempe quod res exiſtat; quod adſit juſtus titulus illam poſſidendi, puta emptionis; & quod fuerit jam tradita, & actu poſſeſſa. Ab hac tertia conditione excipe res incorporales, (quæ legaliter dicuntur tactum effugere, & mente percipi, & ſunt quid reale) nempe jura, beneficia, officia, hiſque ſimilia, quæ ut quis dicatur habere, non requiritur quod actu tradantur, ſed plerumque ſufficit, ut ſibi collata fuerint, & ab eo acceptata ſigno exteriori acceptationem ſignificante: ita ex capite *ſi tibi abſenti*, tit. de Beneficiis in 6. ita ſimiliter dicendum de hæreditate, ſive ab inteſtato, ſive per teſtamentum, & de legato; hæc enim dicuntur acquiri per acceptationem ſignificatam ſigno externo. Legatum tamen non acquiritur, niſi hæres acceptaverit hæreditatem, de quo ſuo loco.

Prima juris diviſio, ejuſdemque explicatio, nempe in Re, & ad Rem.

Species juris realis explicantur.

II. Juris realis ſive in re novem ſunt ſpecies, nempe Dominium, Uſus, Uſusfructus, Servitus, Emphyteuſis, Feudum, Pignus, Hypotheca, & Poſſeſſio. Dominium eſt jus gubernandi rem aliquam, vel de ea diſponendi tanquam ſua, & propria auctoritate. Uſus eſt jus dumtaxat utendi aliena re, ſalva illius ſubſtantia. Uſusfructus eſt jus utendi, & fruendi aliena re, ſalva illius ſubſtantia: unde uſuarius non poteſt rem ſibi ad uſum conceſſam alteri locare; bene vero uſufructuarius. Servitus eſt jus alicui acquiſitum in re aliena; puta in muro alieno, ne altius erigatur. Emphyteuſis eſt jus ortum ex contractu, quo res immobilis, quoad dominium utile, conceditur alicui, ſub reali penſione ſtatutis temporibus Domino proprietatis ea de cauſa ſolvenda. Feudum eſt jus acquiſitum ex conceſſione rei immobilis, vel æquipollentis, cum tranſlatione in Feudatarium dominii utilis, remanente dominio proprietatis apud concedentem, ſub onere fidelitatis, & obſequii perſonalis præſtandi. Pignus eſt jus retinendi rem ſibi datam, quouſque ſatiſfiat debito, pro quo data fuit. Hypotheca eſt jus acquiſitum in re alterius particulari, vel in omnibus illius bonis, quæ obligata remanent creditori, quouſque extinguatur debitum, pro ſecuritate ſui crediti. Poſſeſſio, ſi ſit juris, eſt jus inſiſtendi alicui rei tanquam ſuæ, non prohibitæ poſſideri; ſi ſit facti, eſt ipſa apprehenſio, & detentio rei. De quorum aliquibus redibit ſermo diffuſior §§. 10. & 11. de aliis autem in tract. de Contractibus. Nunc diſſerendum eſt de præcipua ſpecie juris, nempe de Dominio.

Recenſentur Dominii ſpecies Juriſdictionis, & Proprietatis.

III. Dominium dividitur in illud, quod eſt Juriſdictionis, & in illud quod eſt Proprietatis. Dominium Juriſdictionis eſt legitima poteſtas regendi ſubditos propria auctoritate in illorum commodum, præcipiendo, judicando, prohibendo, puniendo, remunerando, & permittendo: & ſubdividitur in Civile, & Eccleſiaſticum. Primum eſt poteſtas regendi ſubditos quoad temporalia: Secundum eſt poteſtas illos regendi quoad ſpiritualia. De quibus modo nil ad nos, qui de ſolo Dominio proprietatis diſſerere ſuſcipimus; & eſt jus ſeu facultas diſponendi de ſubſtantia rei tanquam ſua, niſi lex vel pactum obſtent; Ubi ſtatim obſerva, verbis illis, de ſubſtantia rei, ſignificari; quomodo Uſuarius, & Uſufructuarius non habent Dominium proprietatis rerum quibus utuntur, aut ex quibus fructum percipiunt. Obſerva inſuper, verba, niſi lex vel pactum obſtent, apponi, ut oſtendatur, pupillum non poſſe rem ſuam alienare ob legem prohibentem; nec debitorem poſſe alie-

alienare pignus, quod creditori tradidit, quamvis rei oppignoratæ Dominus perſeveret, ob pactum ſimul, & legem id vetantia.

Proprietatis in altum, & humile.

IV. Dominium Proprietatis ſubdividitur in altum & humile: primum eſt illud, quod habet Princeps ſupremus diſponendi de rebus, & actionibus ſubditorum ad bonum commune: ſecundum eſt illud, quod gaudet quicumque privatus in re ſua. Dominium humile ſubdividitur in Plenum, ſeu Perſectum, & ſemiplenum, ſeu Imperſectum. Primum eſt jus diſponendi de rei ſubſtantia una cum fructibus ejuſdem tanquam ſuis: ſecundum eſt jus diſponendi vel de ſola rei ſubſtantia, vel de ſolis ejuſdem fructibus. Dominium Semiplenum ſubdividitur in Directum, & Utile: primum eſt dominium ſolius ſubſtantiæ rei; ſecundum autem ſolorum fructuum ejuſdem.

Humile in plenum & ſemiplenum. Semiplenum in directum, & Utile.

§. II. *De Subjecto Dominii & primo de Dominio Filiorum.*

Explicantur diverſa genera legalia bonorum filiis competentium.

I. QUadruplex bonorum genus filiis non emancipatis advenire poteſt: nempe Caſtrenſium, quæ a filiis in militia, vel militiæ occaſione acquiruntur: hujuſmodi ſunt ſtipendia, prædæ hoſtiles, dona Ducum, & commilitonum, hæreditates, & legata ratione militiæ, mobilia omnia a parentibus data filiis ad bellum profecturis ad finem militandi: item quæ acquirit filius in aula Principis, inſerviendo eidem Principi, ſive ea ſibi obveniant Principis dono, ſive induſtria ſua; nec non quæ acquirit tempore pacis, militiæ tamen adſcriptus, ipſique ob motivum militiæ dantur: immo quidquid provenit filio ex præfatis bonis; puta ſi emiſſet fundum frugiferum, ſi iniiſſet contractum lucroſum, ſi negotietur. Nota non eſſe bona caſtrenſia, quæ in bello injuſto, aut privato acquiruntur. Alia dicuntur quaſi caſtrenſia, quæ gaudent privilegiis Caſtrenſium; hujuſmodi ſunt, quæ filio adveniunt poſt ſuſceptum ſtatum Clericalem, ſive ea recipiat ex Beneficio Eccleſiaſtico, ſive aliunde, titulo tamen clericali, dummodo inſerviat alicui Eccleſiæ, ita ut quæ reſpectu aliorum filiorum advenientia (de quibus ſtatim) cenſentur, reſpectu filii Clerici reputentur quaſi Caſtrenſia. Item quaſi caſtrenſibus accenſentur acquiſita ratione alicujus officii publici, quod mechanicum non ſit, puta Judicis, Aſſeſſoris, Notarii, Cancellarii &c. aut ratione alicujus artis liberalis, & a fortiori ratione alicujus ſcientiæ: demum quæ filiis donantur a Regibus, vel aliis Principibus ſupremis.

Caſtrenſia.

Quaſi caſtrenſia.

Adventitia.

II. Alia dicuntur bona Adventitia, quæ filio adveniunt, non collata a Patre, neque intuitu Patris, ſed intuitu ipſius filii: hujuſmodi ſunt, quæ filius ex proprio labore, non ex rebus patris acquirit: puta quæ lucratur ex arte fabrili, aut ſutoria &c. item quæ ipſi obveniunt ex ſucceſſione in bona materna, aut donatione ſibi facta, non intuitu patris: item quæ fortuito adveniunt, puta inveniendo theſaurum nulli legi obnoxium: tandem quæ comparat propria induſtria; puta negotiando pecunia mutuo accepta &c. Alia ſunt Profectitia, quæ filius acquirit ex bonis patris; puta illa adminiſtrando, illis negotiando: aut quæ ipſi adveniunt intuitu patris: puta ſibi donata ob amicitiam, quam donans contraxit, vel contrahere vult cum patre &c. Hæc omnia ex variis juribus.

Profectitia.

Quorum bonorum dominio filii non emancipati gaudeant?

III. Communis docet, Filiosfamilias non emancipatos habere plenum dominium bonorum Caſtrenſium, & quaſi caſtrenſium: bonorum vero adventitiorum habere dominium dumtaxat directum ſeu proprietatis, non indirectum, ſeu uſusfructus, aut utile, quod provenit Patri: ideo non poteſt filius de illis diſponere independenter a patre. Bonorum tandem profectitiorum, neque proprietatis dominium habere, neque utile, quod totum ſpectat ad Patrem. Ratio potiſſima eſt diſpoſitio legum ab omnibus admiſſarum. Sunt ſuper modo dictis notandæ exceptiones, ut proinde privetur pater dominio indirecto bonorum adventitiorum filii; prima, ſi adveniant filio cum expreſſa conditione, ut filius gaudeat dominio tam directo, quam indirecto: ſecunda, ſi pater, & filius ſuccedant alteri filio, & fratri in bonis adventitiis; quia tunc portio bonorum adventitiorum filii demortui, quæ filio ſuperſtiti obvenit, eſt filii ſuperſtitis etiam quoad dominium utile: ex Authent. *item hæreditas.* Tertia, ſi filius acquirat aliquid titulo donationis, aut ſucceſſionis, & pater irrationabiliter contradicat. Quarta, ſi pater contrahat nuptias inceſtuoſas. Quinta, ſi pater fiat Judæus, aut hæreticus, aut ſchiſmaticus: circa id autem attendendæ ſunt conſuetudines regionum. Sexta, ſi filio non adveniat niſi ſolus uſusfructus: Septima,

Novem exceptiones notandæ.

ma, ſi pater, aut filius fiat captivus ab hoſtibus, patria poteſtas ſuſpenditur hoc modo, ut ſi pater in captivitate obeat, cenſeatur extincta a primo captivitatis die: ſi vero a captivitate evadat, cenſenda ſit nunquam interrupta. Octava, ſi pater profeſſionem emiſerit in Religione aliqua approbata. Nona, ſi filius ad Epiſcopatum, vel Cardinalatum promoveatur, quamvis nondum eos gradus adminiſtret, dummodo facta fuerat electio. Ita ex variis juribus allatis a Doctoribus.

An ſpectet ad patrem poſt mortem filii, ſi ſuccedat etiam mater?

IV. Cardinalis de Lugo diſp. 5. ſect. 2. n. 24. citans Molinam, & Sanchez, docet, quod, ſemel acquiſito dominio indirecto a patre in bonis adventitiis filii, ipſi patri remanet integrum & totale, etiam poſt mortem filii, quamvis in eiſdem bonis ſuccederet etiam mater. Fateor, quod ſi leges ita diſponant, ſint obſervandæ; ſin autem, videtur nimis durum, quod privetur mater dicto uſufructu; illud enim bonum evadit paraphernale, cujus plenum dominium ad uxorem pertinet; & alioquin ceſſat patri onus alendi filium; propter quod onus conceditur ipſi dominium utile proveniens a bonis filii adventitiis.

An filius teneatur patri de perceptione fructuum; & pater filio de conſumptione bonorum adventitiorum?

V. Patre aliquando diſſimulante perceptionem, quam filius uſurpat, fructuum bonorum adventitiorum, cum non ſit ceſſio juris expreſſa, non privatur propterea ipſe facultate interdicendi filio talem perceptionem: Non poteſt tamen petere a filio reſtitutionem fructuum conſumptorum; quia diſſimulando, tacite conſenſiſſe cenſetur. At ſi pater conſumat ſubſtantiam bonorum adventitiorum filii, & hic metu gravi impediatur a reclamando tenetur pater redintegrare filium; vel ſi pater obeat, tenentur hæredes: quia filius tacuit moraliter coactus. Si vero filius non tacuit ex metu gravi, ſed extent circumſtantiæ prudenter indicantes, ſilentium filii non fuiſſe moraliter coactum, ceſſat onus reſtitutionis: ita mihi probabilior; quia ſilendo tacite annuit.

Hæreditas proveniens filio æqualiter ac patri, ſpectat ad patrem quoad dominium utile.

VI. Si Pater & filius ex æquo fiant hæredes alicujus extranei, totus uſusfructus, ſeu totum dominium utile hæreditatis ſpectat ad patrem; quia vere & proprie reſpectu filii eſt bonum adventitium. Neque opponenda eſt ſecunda exceptio poſita num. 3. nam ille caſus hæreditatis provenientis ex fratre demortuo, eſt privilegiatus a laudata Authentica; & cum privilegium illud ſit contra jus commune, eſt ſtricte interpretandum, nec trahendum ad alios caſus.

Aliqua bona non ſunt profectitiis acenſenda.

VII. Inter bona profectitia non ſunt recenſenda, quæ pater dat filio vel in patrimonium pro Ordinibus, vel filiæ in dotem, vel filio ad nuptias; quandoquidem etiam dominium utile harum rerum ad ipſos pertinet; ſunt tamen iſtæ res computandæ in partitione hæreditatis paternæ cum aliis fratribus: Dixi iſtas res, non fructus ab eiſdem perceptos eſſe computandos in partitione. Bona autem, quæ valide donantur filio a genitore, nullo modo ſunt in portionem deducenda.

An ſemper lucrum filii ſpectet ad Patrem extra bona caſtrenſia?

VIII. Si filius degat extra domum paternam, ita ut a patre non alatur, & propria induſtria, atque negotiatione lucretur; lucrum reputandum eſt bonum adventitium, & non profectitium; quia non provenit ex rebus patris: intantum enim filius negotiando acquirit patri, inquantum ab illo alitur; ſi ergo non alatur, & non ex bonis patris lucretur, qua ratione lucrum erit patri tribuendum? Si autem degat in domo patris, & ab eo alatur, & non ex rebus patris, ſed aliunde negotiatione lucretur, neque deſit muneribus ſibi a patre commiſſis, lucrum reportatum itidem adventitium erit, non profectitium; eo quod profectitium debet ex bonis patris proficiſci, & non ex mera induſtria filii: quamvis enim alatur a patre, eidem correſpondet ſedula attentione ad munera ſibi ab ipſo commiſſa in opificio, mercatura &c. Quando autem lucratur ex bonis paternis, quantamvis diligentiam adhibeat, ſemper lucrum erit profectitium, nec poterit a patre portionem illius lucri exigere, neque poſt mortem patris exigere illud ſeorſim ab hæreditate; quia cum alatur a patre, omnis adhibita diligentia in bonis paternis adminiſtrandis congruum eſt ut cedat in patris utilitatem: & quamvis plus laboret aliis fratribus, ſemper implet debitum ſuum erga patrem.

An fructus ſolius induſtriæ ex bonis paternis provenïens ſpectet ad filium?

IX. Quando filius ex bonis paternis, quæ pater, ut dici ſolet, mortua tenet & inoperoſa, negotiatur, & lucrum ex ſola ſua induſtria reportat; puta ex pecunia, frumento &c. quæ pater tenet otioſa, lucrum illud erit quidem filii, utpote ſolius induſtriæ ejuſdem; peccabit tamen contra reverentiam, & forte contra obedientiam patri debitam, id agendo clam a notitia patris; non tamen contra juſtitiam, dummodo habeat bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia, quibus ſecurum efficere poſſit capi-

Digitized by Google

pitale patris, ſi forte negotiando periclitetur; aut aliud damnum emergat; & dummodo in cæteris ſibi commiſſis patri deſerviat. Si vero ita negotietur, ut non habeat, quo ſecurum reddat patrem in caſu periculi, aut damni; peccabit etiam contra juſtitiam, ob periculum notabilis damni, cui exponit patrem: nihilominus ſi, propitiante eventu, lucretur, lucrum erit ſuum, utpote ſolius induſtriæ propriæ; quippe quod nullum patri lucrum bona illa erant allatura; ſalvo meliori judicio, ita in caſu maxime practico reſolvendum puto. Conſulto, dixi, ſi filius negotietur ſuper pecunia, frumento, aliaque re uſu conſumptibili; ſi enim negotiaretur ſuper re immobili, puta locando domum, quam pater Venetiis manens tenet Romæ, & locare non vult, & locaretur a filio; tunc lucrum illud non eſſet adventitium, ſed profectitium, & ad patrem pertinens; quia vere non eſt fructus ſolius induſtriæ, ſed rei paternæ, nempe domus, quæ ex ſe habet valorem ſuæ locationis.

§. III. *De Dominio Uxorum*.

Quorum bonorum uxores dominium habeant?

I. UXores verum dominium habent bonorum, quæ a juriſtis dicuntur paraphernalia, ideſt ſupra dotem, quæque uxoribus adveniunt ex dono vel mariti, vel aliorum, hæreditate, legato: item eorum, quæ ipſæ lucrantur proprio opificio, aut alia induſtria; dummodo tamen omnia ſervitia familiæ præſtent, quæ ab ipſis præſtanda ſunt; & illud tempus, quod regendæ, & fovendæ familiæ, impendendum eſt, non ſuberabant, ut diutius lucris ſuis vacent. Tunc enim ſi ex eorum defectu aliquod familiæ damnum exurgeret, ab ipſis uxoribus compenſandum eſſet. Dotis autem ſolum dominium directum ſeu proprietatis retinet uxor; utile enim, & indirectum ad virum pertinet, ad onera matrimonii ſuſtinenda. Nota, quod circa dona a marito facta uxori, obſervandæ ſunt leges locorum; quæ citabuntur, dum diſſeretur de contractu donations.

Nonnulla obſervanda in uxore circa bona mariti.

II. Antequam dicamus, quid poſſint uxores circa bona mariti, notandum eſt ex communi, eamdem quantitatem non ſufficere ad furtum grave filiorum, & uxoris, quæ ſufficeret, ſi furaretur extraneus; cum eodem modo pater non cenſeatur invitus reſpectu filii neque maritus reſpectu uxoris, ſicuti prudenter credi debet invitus reſpectu extraneorum. Præterea conſideranda ſunt qualitas rei acceptæ, finis accipiendi, nempe ad proprios uſus, an ad dandum aliis, an conſanguineis, an extraneis; conditio mariti; an divitis, an pauperis, an mediocris fortunæ; ſtatus ejuſdem, an nobilis, an artificis, an mercatoris &c. animus ejuſdem, an liberalis, an tenax; conditio familiæ, an multis filiabus collocandis gravata, an pluribus filiis adhuc alendis ſine fructu: & forte aliquid aliud erit conſiderandum, antequam judicium proferatur de acceptione mortali. Inſuper obſervandum eſt, uxorem eſſe a marito ſuſtentandam juxta ſui ſtatus conditionem; neque eſſe mancipium, aut famulam, ſed ſociam viri, atque adminiſtram familiæ, quamvis viro ſit ſubordinata. Proinde ea facultas uxori competere debet in bonis viri, & familiæ, quæ nunquam famulis; & major illa, quæ filiis; utpote ſociæ.

Quid igitur poterit uxor circa bona mariti?

III. His prudenter animadverſis, nihilominus certa regula ſtatui non poteſt circa quantitatem independenter ab expreſſa viri licentia ſumendam abſque peccato, ſeu abſque peccato gravi; cum libranda ſit comparative ad omnes indicatas circumſtantias. Poterit igitur primo de bonis mariti aliquas moderatas eleemoſinas facere, moderatas donationes remuneratorias; (nam circa mere liberales multo cautior eſſe debet) & aliquas diſcretas expenſas vel pro ſe, vel pro familia, attentis ſemper indicatis circumſtantiis, & prout cæteræ uxores piæ & timoratæ ſuæ conditionis facere conſueverunt. Quandoquidem hæc facultas aliqua moderate ſumendi de bonis mariti, præcipue ad eleemoſinas, & alia pia opera, eſt una ex qualitatibus, quæ debentur uxori ut tali, & ut diſtinguatur a filiis, famulis, & aliis. Cum igitur vir teneatur illam tractare ut uxorem, non debet eſſe invitus circa prædicta. A fortiori poterit uxor ſumere de bonis mariti, ad impediendum aliquod grave damnum familiæ imminens; item quædam clam recondere, & reſervare, ad familiæ ſuſtentationem, præcipue in caſu quo maritus bona familiæ ludis, commeſſationibus, aliiſque inordinatis modis diſapidaret, cum magno familiæ periculo, ne eidem neceſſaria ſuppetant; etenim tam uxor quam familia habent jus, ut alantur a marito, & a patre familias: unde ſi hic deficiat, poterit ſibi ſumere pro neceſſariis ad victum, & veſtitum. Si demum contingat, adminiſtrationem familiæ ad ipſam deve-

nire, vel ob viri amentiam, vel longinquam abſentiam &c. tunc poterit expendere prout prudentia dictaverit quacunque occaſione emergente.

Nequit uxor contra expreſſam voluntatem mariti bonis ejuſdem uti, niſi in aliquo caſu.

IV. Si accidat, virum eſſe adeo tenacem, ut uxori expreſſe interdicat omnem bonorum adminiſtrationem in uſus ſupradictos; circa hoc audiendi ſunt noſtri Sancti Raymundus, & Antoninus. Primus lib. 2. tit. de furtis §. 9. *Uxor ... de rebus viri, ut de pane, vino, & aliis, quæ bono & approbato more ſolent ad diſpenſationem uxoris pertinere, poteſt, & debet facere eleemoſinam, moderate tamen, ſecundum facultatem viri, & majorem, & minorem multitudinem, vel neceſſitatem pauperum, & debet ſemper ſibi confirmare conſcientiam, quod non diſpliceat marito in corde, licet forte aliquando prohibuerit ore. Solent enim mariti facere prohibitionem uxoribus abſolute, ut ſic temperent eas non a toto, ſed ab exceſſu, quem ſuſpicantur. Poteſt etiam firmare ſibi conſcientiam ex qualitate, & miſeria pauperis, cogitans, quod ſi maritus illum videret, omnibus modis placeret ei, quod ſibi faceret eleemoſinam. Si autem omnino & præciſe dictat ipſi uxori conſcientia, quod viro diſplicet, & ſcandalizatur inde: deponat conſcientiam illam, ſi poteſt; ſin autem, non debet dare, & doleat quia non poteſt dare. Hoc autem ultimum dico, niſi videret pauperem indigere ad mortem, tunc enim deberet dare intrepide, alias peccaret.* Secundus in Summula Confeſſionali 2. p. de 7. præcepto c. 6. docet *neque filiis, neque uxori* id licitum eſſe. Quando igitur maritus ſerio, & expreſſe id vetat, abſtinere debet uxor a ſupradictis erogandis: exceptis his, quæ neceſſaria ſunt ad ſui, & filiorum ſuſtentationem.

Quid poſſit uxor circa conſanguineos graviter indigentes?

V. Si uxor habeat vel filios ex priori marito, vel genitores graviter indigentes, nota bene, non dico extreme, neque utcunque, ſed graviter indigentes, niſi habeat bona propria (ſi enim habeat, hæc debet impendere, non bona mariti) poteſt eas eleemoſinas, quas de prudenter præſumpta voluntate mariti ſolet aliis pauperibus facere, dictis conſanguineis erogare, & aliis pauperibus illos anteferre; cavendo tamen, ne amor ipſam excedere faciat; quod ſi plus velit elargiri, licentiam petat. Item poterit filio viventis mariti miſſo a patre ad bellum, vel ad Univerſitatem ad diſcendas ſcientias, mittere de bonis mariti, quæ neceſſaria ſunt ad ejuſdem honeſtam ſuſtentationem in eo loco, ſi a patre vel vitioſo, vel non curante, vel avaro, non mittantur; quia hæc ſunt filio debita: Et etiam hic cavere debet, ne amor filii eam excedere faciat, & ne alat vitia potius filii, quam filium. Poteſt item, etiam invito marito, aliquas eleemoſinas moderatas facere ad impetrandam a Deo illius converſionem, ſi ſit vitæ adeo perditæ, ut vix ſpes affulgeat aliqua illius æternæ ſalutis: ita Navarrus cap. 17. num. 154. cum aliis multis: intellige, niſi uxor propria habeat eroganda: Si enim poteſt, etiam ipſo invito impendere ejus bona ad ipſum gravi infirmitate corporis laborantem ſanitati reſtituendum, multo rationabilius id poterit ad procurandam animæ ipſius æternam ſalutem per converſionem ſinceram. Tum quia id redundat etiam in decus familiæ, cui plurimum, & maxime filiis, & filiabus nocet nomen ignominioſum genitoris. Demum non poteſt uxor omnia ea bona, quæ de prudenter præſumpta voluntate mariti in eleemoſinas, & donationes remuneratorias erogare poteſt ſibi reſervare, deſiſtendo a dictis eleemoſinis, & donationibus; quia circa hoc nequit prudenter præſumere mariti conſenſum: tum quia eleemoſinæ illæ, & donationes, utpote actus virtutis miſericordiæ, & gratitudinis impetrare poſſunt multa auxilia divina ad profectum familiæ, non autem ſi ſibi applicet uxor in propria commoda: tum denique, quia ab illis deſiſtendo, obſcuratur familiæ ſplendor, qui maxime effulget in erogatione eleemoſinarum, & donationum in remunerationem exhibitarum.

Quid pro filio abſente non ſufficienter proviſo?

Quid pro converſione mariti perditæ vitæ?

An poſſit uxor ſibi applicare quæ de mariti præſumpto aſſenſu in eleemoſinas erogat?

§. IV. *De Dominio Mancipiorum.*

Quæ ſint mancipiorum jura?

I. EX communi ſententia, Mancipium retinet verum jus bonorum vitæ, & membrorum: dico jus, & non dominium, quia, ut etiam alibi dixi, nemo eſt dominus vitæ ſuæ, nec membrorum, ſed Deus ſolus, & Judex humanus ut Dei Miniſter in caſu, quod reus ſit vita, aut membris privandus. Hoc itaque jure in vita, & membra ſua a nemine privari poteſt, neque a domino ſuo, eo quia circa dicta bona non conſideratur ut mancipium, ſed ut homo. Similiter eſt dicendum de fama ſua, ſecundum quam non eſt mancipium, ſed dumtaxat quoad liberam ſui diſpoſitionem: & proinde ſi circa dicta bona injuriam pateretur a domino, teneretur dominus ad reſtitutionem.

Circa Matri-

II. Mancipio remanet dominium ſui cor-

monium contrahendum.

corporis in ordine ad contrahendum matrimonium, nec poteſt quoad hoc a domino ſuo juſte impediri: ex cap. 1. de conjugiis ſervorum; & eſt communis Theologorum poſt S. Thomam in 4. diſp. 36. q. 1. art. 2. Ratio eſt, quia hæc poteſtas connumerari debet inter bona naturalia, & corporalia; ordinatur enim ad propagationem ſpeciei; & ad ſpirituale ſubſidium in remedium concupiſcentiæ, in quibus mancipium Domino ſuo non ſubditur. Unde poteſt matrimonium contrahere contra domini ſui voluntatem, dummodo mulieri manifeſtet conditionem ſuam ſervilem: de quo diſſeretur; dum, agendo de Sacramento Matrimonii, explicabitur impedimentum dirimens Conditio ſis: ubi etiam diſcutientur ſpectantia ad redditionem debiti a mancipio.

* Mancipium dominium habet non ſolum famæ, & bonorum ſpiritualium, ſed etiam juxta multos, temporalium. 1. Quæ Dominus ei conceſſit. 2. Quæ ei dantur ad compenſationem injuriæ illatæ in bonis, quorum eſt Dominus, ut in fama. 3. Quæ ei tribuuntur ea conditione, ut non acquirantur Domino. 4. Quæ de bonis ſuis ludo, aut aliqua negotiatione ſine Domini detrimento lucrantur. Ratio eſt, inquit P. Antoine *tract. de Juſtit. & jur. part. 1. cap. 2. §. 1. in reſp. ad Q.* 10. quia jura non reddunt ſervum incapacem dominii, nec conſentaneum eſt imbecillitati humanæ, ut tale onus imponeretur invito; eſſet enim magna occaſio peccandi. Imo jura ſupponunt in eo dominii capacitatem; nam l. *Vix. §. de Judic.* ſervis datur actio contra Dominos, ſi dicant, ſe ſuis nummis redemptos. Quare jura, quæ dicunt, ſervos, quidquid acquirunt quavis cauſa vel occaſione, dominis acquirere, intelligenda ſunt regulariter, & de lucro ſui laboris; aut ſaltem conſuetudine jam mitigata ſunt. Hinc ſervus ſeu mancipium a Religioſo ſolemniter profeſſo differt, qui eſt prorſus incapax dominii. Legatur etiam Sylvius in 2. 2. *q. 66. art.* 1. *Q.* 3. *Concluſ.* 7.

§. V. *De Objecto ſeu materia Dominii.*

Certa indicantur.

I. JAm liquet ex dictis, vitam, & membra corporalia non eſſe materiam dominii ullius perſonæ privatæ, ſed ſolius Dei, & illius vices gerentis in caſu judicii capitalis. Pariter hominem rationis compotem dominum eſſe ſuarum actionum deliberate elicitarum, ipſa experientia conſtat.

Fama propria cadit ſub dominio.

II. Famam eſſe materiam dominii illam habentis, quoties ſe infamare non vergat in alterius detrimentum, docuit S. Thomas 2. 2. qu. 73. art. 4. ad 4. *In arbitrio uniuſcujuſque eſt pati detrimentum ſuæ famæ, niſi id vergat in alterius nocumentum.* Qui igitur vellet ſe infamare, non peccaret contra juſtitiam; quandoquidem juſtitia, ut diximus, ſit ad alterum, & non ad ſe ipſum: Si autem id ageret abſque ullo virtutis motivo, eſſet prodigalitas contraria charitati erga ſeipſum, & cum ſit in re gravi, eſſet lethalis, & eo gravior, quo gravius eſſet crimen, de quo ſe infamaret, ut docet Sotus lib. 4. de Juſt. q. 2. a. 3. eo quod ſine cauſa grave ſibi malum inferret. Si autem ſe infamare vergeret in alterius damnum, peccaret etiam contra juſtitiam, ut patet; & eo gravius, quo gravius eſſet damnum aliorum: puta ſi eſſet membrum alicujus Communitatis præcipue Regularis; ſi Paterfamilias, ſi Superior, ſi Sacerdos, ſi habens conſanguineos ſtricte conjunctos; quia omnium harum perſonarum infamia vergit in grave aut ſcandalum, aut certe detrimentum, ſive gradus quem ſuſtinent, ſive aliorum, quibuſcum convivunt. Unde qui ſe infamat, niſi ſit ſolus, & ab omni gradu, & conſanguineo vivente ſolutus, peccat graviter etiam contra juſtitiam.

Peccat ſemper contra charitatem ſibi debitam, ſi abſque motivo virtutis ſe infamet. Et plerumque etiam contra juſtitiam.

III. Homo poteſt eſſe materia dominii alterius hominis, & licite fieri illius mancipium, dummodo id agendo nulli noceat, neque animæ ſuæ ullum periculum incurrat; tum quia id nulla lege invenitur vetitum; tum quia, cum homo ſit dominus uſus ſuæ vitæ, ſuorumque membrorum, poteſt licite hoc dominium alteri cedere, ſe illi vendendo, & præcipue ſi id agat ob motivum aliquod honeſtum. Si tamen aliqua lege municipali id prohibeatur, ſubjectis hujuſmodi legi illicitum erit vendere, & emere.

Homo poteſt eſſe materia dominii alterius hominis.

IV. Hinc qui in mancipium ſe vendidit, aut natus eſt ex matre ſerva mancipio, non poteſt fugere ſine gravi injuſtitia; quia primus per venditionem evaſit res a domino emente poſſeſſa, & mancipium natum ex matre mancipio, ex legum diſpoſitione, eſt res domini ſuæ matris: unde fugiendo, iſtæ perſonæ, ut ita dicam, ſe ipſas furarentur domino illas juſte poſſidenti. Excipe caſus quo a Domino ſollicitarentur ad aliquod mortale peccatum per-

Mancipium ſe vendens.

perpetrandum, & ſe cernerent in proximo periculo labendi, aut ſi a domino ita male alerentur, ut pene ſe fame confici experirentur; aut ſi dominus moliretur illis vitam auferre; quia in his caſibus prævalet jus vitæ, aut animæ, aut corporis ſervandorum, juri quod dominus habet in illos. At quid dicendum de ſervis in juſto bello captis? Nam ſi fuerint capti in bello injuſto, nemo ambigit, fugere poſſe.

Mancipia capta in bello licite fugere poſſunt.

V. Mancipia capta in bello juſto licite fugere poſſe, non tamen licite reſiſtere dominis illa recuperare volentibus, docet Sotus, Bannez, Sylvius, Leſſius citati a Tournely de Jure, cap. 3. art. 3. Ratio eſt quia omnium nationum praxi introductum fuit, ut mancipia bellica, ſi fugiant, non repetantur a dominis. Unde etiam Juſtinianus lib. 2. Inſtit. tit. 1. de Rerum diviſione §. 17. ſtatuit: *Si ſervi evaſerint noſtram poteſtatem, & ad ſuos reverſi fuerint, priſtinum ſtatum accipiant*. Non autem licet eis reſiſtere dominis, iterum illos fugientes capientibus; quia perſeverant moraliter ſub eorum poteſtate, quouſque confinia inimicorum evaſerint. Injuſte igitur agunt, ſi ſe defendant defenſione activa, niſi forte in caſu, quo illos occidere vellent; quia tunc ſe defendere poſſunt jure naturali de tuenda vita.

Quænam cadant ſub humano Dominio?

VI. Materia igitur dominii humani tota illa eſt, quæ Geneſ. 1. ſignificatur: *Replete terram, & ſubjicite eam; & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui*. Omnium igitur, quæ ſunt ſuper terram, exceptis, quæ excepimus, homo eſt capax dominii, quando illud earumdem rerum ſibi jure acquirit. Quibus autem, & quot modis poſſit juſtum rerum dominium ſibi acquirere, ſequentes paragraphi declarabunt.

§. VI. *De variis modis acquirendi juſtum dominium, & primo per Occupationem.*

Tria rerum genera, quorum dominium acquiri poteſt.

I. CUm multiplicis generis ſint res, quæ acquiri poſſunt, & varii ſint modi, quibus ad earum dominium perveniri poteſt; propterea obſervandum eſt, quod quædam res extant, quæ nunquam ſub ullius dominio fuiſſe judicantur; v. gr. Feræ, quæ in ſylvis habitant; aliæ, quæ ſub alicujus dominio aliquando extiterunt; v. g. Theſaurus ignotus: aliæ, quæ actu ſub dominio alicujus ſunt, & quæ, hoc non obſtante, in alterius dominium transferuntur: v. g. ager a te poſſeſſus. Idcirco tres generatim ſunt modi acquirendi verum dominium, nempe primus Occupatio; & hoc modo acquiritur dominium rerum primi generis: ſecundus Inventio; & hoc modo acquiritur dominium rerum ſecundi generis, ſervatis ſervandis: tertius Præſcriptio: & hoc modo acquiritur dominium rerum tertii generis. Ad hos modos generales alii decem reducuntur, qui ſunt Alluvio, Acceſſio, Confuſio, Commixtio, Specificatio, Inædificatio, Pictio, Implantatio, Datio, & Nativitas, de quibus ſuis in locis.

Alii decem ad hos reducuntur.

Notandum utile.

II. Nota quod ad acquirendum dominium rerum non habentium dominum, ſufficit illas apprehendere animo faciendi illas ſuas: rerum, quæ habent dominum, jure naturali ut acquiratur dominium ſufficit mutuus conſenſus dantis, & accipientis ſignificatus; jure autem poſitivo requiritur Titulus, & Traditio; Titulus eſt ratio, ſeu fundamentum, propter quod Dominium alicui competit, puta donatio: Traditio alia eſt realis, qua res datur in manus; alia civilis, quæ dicitur ficta, quæ fit per inſtrumentum; aut per traditionem clavium, aut per quid ſimile, lege, aut conſuetudine determinatum. Quædam tandem non requirunt traditionem ad eorum dominium aſſequendum, v. g. Jura.

Quænam animalia licite occupari non poſſint?

III. Animalia, quæ ſunt naturaliter domeſtica, & manſueta, puta boves, equi, & quadrupedia his ſimilia; & gallinæ, anſeres, aliaque volatilia his ſimilia, quamvis longe aberraverint a dominorum prædiis, non poſſunt per Occupationem acquiri: ex l. 2. Inſtit. de rerum diviſ. tit. 1. §. 16. Ratio eſt, quia cum ſint animalia natura ſua domeſtica, aberrando a Dominis, non acquirunt libertatem; & ideo ſemper ſpectant ad dominos ſuos. Si igitur eriperes ovem a dentibus lupi, vel invenires ſemidevoratam, vel etiam pellem ejus, tenereris domino ſuo dare. Pariter animalia ſylveſtria, quæ dominorum cura manſuefacta fuere, & conſuetudinem redeundi domum apprehenderunt, non poſſunt licite occupari; quia jam induerunt naturam domeſticorum: & eſt communis.

Obſervanda a tenentibus columbaria.

IV. Tenenti columbaria, non licet illecebris allicere columbas alienorum columbariorum, ut illas ad ſuum trahat; quia hæc eſt fraus in damnum aliorum. Apponere

Digitized by Google

nere autem propriis columbis pabulum electum animo ſincero illas melius alendi, ut ſapidiores evadant, eſt uti jure ſuo; nec video fraudem intervenire in damnum tertii; dummodo tamen pabulum illud non ſit extraordinarium, unde prævideas alienas columbas a ſuis columbariis divertendas, & ad tuum attrahendas: quia non potes uti mediis extraordinariis redundantibus moraliter in certum damnum tertii.

Non licet illas occidere depaſcentes in agris alienis?

V. Inveniens columbas alienas in propriis agris depaſcentes, non poteſt licite illas occidere, quia, ut fuſe probat doctus Pater Molina diſp. 48. nullum damnum afferunt agris, quod ita probat: eo quod mala ſemina comedant, quæ ſi remanerent, non modice nocerent tritico; tum quia nec grana ex ſpicis extrahunt, neque in terra jam ſepulta diſcooperiunt: tum quia experientia compertum eſt, non minus tritici colligi ex agris paſcuo columbarum expoſitis, quam colligatur ex aliis non expoſitis; & proinde domini agrorum non conſueverunt conqueri contra tenentes columbaria: Quæ ſi vera ſint, ut aſſerit doctus ille Scriptor, profecto illicita eſt earum occiſio, ſi depaſcant in alienis agris: ſi autem in aliqua regione eſſent prohibita columbaria, obediendum eſſet legi.

* Cl. Sylvius 22. q. 66. art. 2. concl. 5. cenſet poſt alios Doctores, quod qui habent columbas, neque illis præbent alimenta neceſſaria, mortaliter peccant, niſi habeant agros, in quibus illæ paſcant, aut niſi agrorum cultores conſentiant. Cum enim hujuſmodi ſuas columbas alant de alieno, idque dominis invitis, non poſſunt non eis nocere; cum haud dubie plurimis bonis granis veſcantur, nec hoc compenſari poſſit per utilitatem quam afferunt ſtercorando, & inutilia grana decerpendo. Cavere igitur debent qui columbarii jure fruuntur, ut columbas ſuas alant, eo præſertim tempore, quo viciniis agris damnum inferrent.

Animalia, quæ certo priſtinæ redierunt libertati fiunt primi occupantis.

VI. Aves quæcumque manſuefactæ, ſi redeundi conſuetudinem ita amiſerint, ut ad naturalem ruſticitatem, & ſylveſtrem vivendi rationem prudenter rediſſe cenſeantur; (quod juxta avium naturam, & alias circumſtantias judicandum eſt) tunc a quolibet occupari poſſunt: quia cujuſcumque dominium evaſiſſe cenſentur: Animalia autem fera, quæ a dominis in aliquo clauſo loco aluntur, ſi fugerint, & nihilominus eadem dominus per venatores inſequatur, & de illis ſciſcitetur, a nemine poſſunt occupari: ſi vero omnis ſpes eadem recuperandi amiſſa fuerit, tunc, cum redierint ad priſtinam libertatem, fiunt primi illa occupantis. Idem dicas de piſcibus, e vallo, in quo recludebantur, egreſſis, ſi prudens non appareat ſpes recuperationis. De Alvearibus demum, nempe de examine Apum avolante a tuo alveari, dicendum tamdiu cenſeri juris tui eſſe, donec in conſpectu tuo eſt, nec difficilis ejus recuperatio eſt; aliter occupantis fit; ita decernit Lex Inſtit. de rerum diviſione.

Quin de alvearibus?

VII. Illicitum graviter eſt venari, aut piſcari in locis, aut temporibus, aut inſtrumentis, a publica auctoritate prohibitis; & ſi prohibitio facta fuerit intuitu publicæ utilitatis: puta ne exterminentur aves, piſces; contrarium agens tenetur ad reſtitutionem, ob damnum communitati illatum: ſi prohibitio fiat a privato domino, ne in ſuis locis quis venetur, piſcetur &c. videtur diſtinguendum: ſi enim locus ſit recluſus, & in eo ſint quadrupedia, aut piſces, eſt illicitum, & injuſtum, ut patet; quia aufertur alienum: ſi etiam in eo alantur volatilia, ut fieri ſolet de Faſianis, aliiſque ſimilibus, pariter injuſtum eſt illa capere, tam infra circuitum illum reclusum, quam extra, eo quod ſint volatilia, quæ expenſis domini ibi retinentur, & quamvis avolent alio, eo redire conſueverunt, ſicut dictum eſt de columbis. Si autem occidantur in eo loco alia volatilia alterius generis illac tranſeuntia, quæ nullius ſunt, ſed integræ ſuæ libertatis, erit quidem illicitum ibi ea occidere, ob offenſionem gravem, quam ſibi domini fieri exiſtimant, ſed nulla injuſtitia committitur; cum nulli damnum afferatur. Si vero locus ſit apertus, & a domino loci adhibeantur artificia, & diſpendia ad illuc attrahendas aut feras, aut volatilia, conſtruendo nidos, & cubilia, ſeminando cibos eiſdem gratos &c., illicitum ſimiliter erit, & injuſtum ibidem venari, ob damna illata. Si vero nullas expenſas faciat dominus, ſed præciſe nolit, ut quis eo loci venetur, aucupetur &c. illicitum quidem erit graviter ob gravem offenſam domino loci illatam, at non videtur reſtituendum, quod ibidem occupatur, eo quod ad nullius dominium pertinens, quia fortuito illac pertranſiens.

In quibus locis licitum, aut illicitum ſit animalia occupare?

VIII. Si Titius vulneret feram, quæ Fera ab

ad-

Digitized by Google

Pro vulnerata, & ab alio occiſa cujus erit?

adhuc fugiens, ſed lente, quia a vulnere impedita, ipſe illam inſequitur, vel per ſe, vel per ſuos canes; & interea fera illa alio ſclopi ictu occidatur, & occupetur a Sejo non longe venante; fera illa procul dubio ſpectat ad Titium; quia per vulnus inflictum acquiſivit jus ad rem, quam non dereliquit, dum eam inſequebatur. Si autem ob levitatem vulneris inflicti non curavit illam inſequi, erit Seji occidentis. Idem dicas ſi fera vulnerata, nec derelicta a Titio, capiatur a laqueo, quem Sejus mane tenderat, erit Titii. Neque irrideas hos caſus: quandoquidem ſola pellis Lyncis valorem habet plurium aureorum. Demum ſi Titius inſequatur feram, quæ fugiens capiatur a laqueo Seji; ſi fera evadere non poterat a manibus Titii, ſua erit; quia jam ab ipſo capienda erat, ſi autem evadere poterat, niſi in laqueum incidiſſet, tunc eſt dividenda, dum uterque pro rata habeat ſuum jus: ita Pater Molina diſp. 24. verſus finem.

Caſus quidam ſolvuntur.

IX. Quando venatio in aliqua ſylva, aut piſcatio in aliquo flumine, ex privilegio, ſive empto, ſive gratis dato, conceditur a Principe dumtaxat alicui perſonæ, privative præ omnibus aliis; ſi quis in ſylva venetur, aut in fluvio piſcetur, peccat nedum contra obedientiam Principi debitam, verum etiam contra juſtitiam, offendendo jus illius privilegiati; & tenetur eidem reſtituere, non prædas factas, ſed id quod judicandum eſt arbitrio prudentis: ita quaſi communis. Ratio cur non prædas factas reſtituere debeat, quia predæ illæ non erant alicujus, ſed ſuæ plenæ libertatis, quæ non evadunt alicujus per meram voluntatem Principis, aut noſtram; eo quod quamdiu gaudent ſua libertate, ſub nullius ſunt dominio, neque quiſquam poteſt dominium illarum concedere: ad differentiam venationis in nemore clauſo, & piſcationis in lacu ſimiliter vallato; quia tunc teneretur reddere prædas: & proinde tenebitur reddere pro jure violato, quantum videbitur prudentum judicio. Si autem Princeps juſſiſſet etiam prædas reſtituendas, obtemperandum eſſet.

§. VII. *De Occupatione lignorum, & paſcuorum communium.*

Quomodo peccet qui cædit de ſylva communi?

I. Certum eſt, licitum eſſe membro Communitatis, cædere ligna de Sylva illius Communitatis dummodo cædat juxta præſcriptam qualitatem, & quantitatem: immo illicite ageret Communitas, ſi id vetaret ſuis membris, ſi aliunde non provideret eiſdem. Cum enim lignorum uſus ſit quotidianus, ſi aliunde non providerentur, non peccarent, ſibi de communi ſylva providentes. Qui autem cæderet contra qualitatem, & quantitatem præſcriptam, peccaret contra juſtitiam, & teneretur, poſt ſententiam judicis, ad ſolvendam mulctam, quæ inobedientibus imponi conſuevit: & ſi notabiliter excederet, teneretur pro damno communitati illato. Si cædens non indigeat lignis, ſed alimento, & vendat cæſa non in magna quantitate, probabilius non videtur injuſte agere, juxta plures, quia ſi cædens moderate (jam loquimur de oppidanis) ad proprium uſum, etſi non egeat, non tenetur reſtituere; cur peccabit, & tenebitur, qui cædit non ad uſum, ſed ad victum comparandum? intellige ſi non habeat, unde ſibi conſulere poſſit.

Videtur quod etiamſi habeat, unde ſibi conſulere poſſit, valeat nihilominus cædere moderate ligna, eaque vendere; cum jus habeat ad illa, ſicut cetera ejuſdem Communitatis membra. Hinc Ludovicus Molina *de Juſtit. tract. 2. diſp.* 58. *n.* 1. ſic ſtatuit: „ Quando quis Civis eſt aut incola populi, aut communitatis, cujus eſt talis ſylva, ac juxta „ ejus communitatis præſcriptum ligna „ cædit, licite id facit, eoque ipſo quod „ ligna aliqua cædit, ſibique illa uſurpat, „ eorum ſibi dominium comparat. „ Si igitur qui ligna cædit de ſylva communitatis juxta præſcriptum ejuſdem, eorum ſibi dominium comparet, poterit de illis pro libito diſponere, ac etiam vendere, licet aliunde de victu queat ſibi providere.

II. Quando oppidani finitimi cædunt ligna in ſylvis communibus oppidi vicini, niſi quid notabile auferant, non tenentur ad reſtitutionem, ait Lungo d. 6. ſect. 9. n. 91. affirmans eſſe communem; quia Communitates finitimæ ſciunt mutua parva damna inferri ab oppidanis; a quibus, ſi deprehendantur, non ſolent exigere reſtitutionem lignorum ablatorum, ſed dumtaxat mulctam: Unde notat Molina tom. 1. d. 58. n. 5. ob hujuſmodi furtum homines infamiam non incurrere, niſi ſit notabile, quia tunc etiam obſtringit ad reſtitutionem. Si autem quis ligna cædat in ſylva alicujus privati, & in notabili quanti- *Cædens ligna in alienis confiniis.*

Digitized by Google

titate, procul dubio peccat contra juſtitiam cum onere reſtitutionis; immo quandoque eidem oneri ſubjicitur, quamvis ligna in ſe non ſint notabilis quantitatis; ſi tamen ſint ligna, ſeu pali ſuſtentantes vineas, vel alias arbores fructiferas, ex quorum lignorum ſubtractione, arbores illæ periclitentur, aut impediantur a ferendo fructu.

* Juxta Sylvium 2. 2. q. 66. *art. q.* 3. *concl.* 2. *de lignorum alienorum cæſione*, vicini cædentes ligna ex ſylvis alterius Communitatis mortaliter peccant cum onere reſtitutionis; niſi vel ipſorum communitas etiam habeat ſylvam, ex qua viciſſim alii incolæ ſoleant ligna cædere, ut ſic obligatio reſtituendi, quæ alioquin orіretur, intelligatur eſſe ſublata per iſtiuſmodi uſum, ſeu reciprocam cæſionem talium ſylvarum; vel ſatis probabile ſit, quod vicini ſint contenti ſola pœna, quam exigunt ab eis, quos capiunt in furto.

Quæres quid ſentiendum de pauperibus qui ligna cædunt in ſylvis, quæ ad alios ſpectant?

Reſp. 1. Petrus Collet *tom.* 2. *tract. de Juſt. cap. ſect.* 2. *punct.* 1. eos qui arbores cædunt, (quod ſæpius efficiunt ruſtici, ut eas poſt aliquot dies extrahant quaſi ſponte ſua aridas invenerint) ad reſtituendum teneri; quia rem alienam rapiunt invito domino.

Reſp. 2. non licere pauperibus ruſticis lignum ullum ex ſylvis, quæ uſuariæ, ſeu communes non ſunt, auferre, niſi contraria, eaque legitima vigeat conſuetudo, quæ, ut talis cenſeatur, fundari debet in expreſſo, aut tacito proprietariorum conſenſu, qui ſupponitur, 1. cum domini hanc lignorum exportationem vident, & non arguunt, 2. cum ea, quæ auferuntur tam exigui ſunt momenti, ut domini obſiſtere non poſſint ſine immani quadam duritie; unde homini in ea neceſſitate conſtituto, ut alioqui hyemem ſine igne, & calidis alimentis tranſigere debeat, licitum eſt minuta, quæ humi jacent ligna, vepreta, & geneſtas colligere in uſum foci proprii. Ratio eſt, quia vel Domini tunc inviti non ſunt, vel irrationabiliter ſunt inviti. Adeatur etiam Sylvius *loco citato poſt concluſ.* 4.

Quę dicta ſunt de occupatione lignorum, proportione ſervata, applicanda ſunt paſcuis. Et circa utrumque attendendę ſunt leges municipales locorum, & juxta eaſdem reſolvendæ quæ in praxi occurrunt difficultates.

§. VIII. *De modo per Occupationem acquirendi Dominium Theſauri ignoti*.

I. Juxta legem 31. §. de acquir. rerum domin. *Theſaurus eſt vetus quædam depoſitio pecuniæ*, (vel quorumvis aliorum mobilium pretioſorum) *cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat*. Hoc poſito S. Thomas 2. 2. q. 66. art. 5. ad 2. docet: *Circa res inventas eſt diſtinguendum, quædam enim ſunt, quę nunquam fuerunt in bonis alicujus, ſicut lapilli, & gemmæ, quæ inveniuntur in littore maris, & talia occupanti conceduntur: & eadem ratio eſt de theſauris antiquo tempore ſub terra occultatis, quorum non eſt aliquis poſſeſſor: niſi quod ſecundum leges civiles tenetur inventor dare medietatem domino agri, ſi in alieno agro invenerit: propter quod in Parabola Evangelii dicitur Matthæi* 13. *de inventore theſauri abſconditi in agro, quod emit agrum, quaſi ut haberet jus poſſidendi totum theſaurum*. Quia autem Angelicus meminit legum civilium, attende quid iſtæ jubeant, obligantes in conſcientia: Qui invenit theſaurum in proprio fundo, totus inventori acquiritur: ex Inſtit. de rerum dom. ſi inveniatur interventu artis magicæ, totus acquiritur Fiſco: lex unica Cod. de theſaur. ſaltem poſt declarationem judicis: ſi reperiatur fortuito in fundo alieno, dimidium remanet inventori, & dimidium domino ſpeciali fundi; Inſtit. de rerum diviſ. ſi in fundo alieno fuerit de induſtria quæſitus, abſque conſenſu domini fundi, totus cædit domino fundi; ex dicta lege unica, ſaltem poſt ſententiam judicis: Aliqui enim dicunt, ante hanc ſententiam, non teneri domino, niſi pro dimidio. Si inveniatur in aliqua via publica, probabilius eſt, dimidium eſſe inventoris, dimidium fiſci publici: ex lege prædicta de rerum diviſ. §. Theſaurus. Sed attendendæ ſunt leges municipales regionum, eiſdemque obtemperandum.

Quomodo acquiratur theſaurus per occupationem?

Quomodo dividendus?

II. Quando quis quæſivit in alieno fundo, obtenta prius licentia a domino fundi, ſi inveniat theſaurum, ſaltem dimidiam partem poteſt ſibi applicare; eo quod obtinendo licentiam, & quærendo de induſtria, non evadit deterioris conditionis, ac ſi fortuito illum inveniſſet; dixi ſaltem, quia non deſunt auctores, qui eidem totum concedant, poſito quod cum domino fundi aliter non convenerit; & id-

Quid de quærente in fundo alieno de induſtria.

Digitized by Google

idcirco lex pro hoc caſu nil decrevit; quia præſuppoſuit dominum non futurum adeo ſtupidum, ut non conveniat cum quærente de induſtria.

Inventus in fundo alieno debetur domino directo, & non uſufructuario.

III. Theſaurus inventus in loco, qui eſt ſub dominio directo unius, & ſub dominio utili alterius, pertinet ad dominum directum: ita ex lege Divort. §. *Si fundus* ff. Soluto matrimonio: ubi dicitur: *Theſaurum inventum in fundo Dotali, in quo vir habeat uſumfructum, non deberi viro, ſed uxori, cujus eſt fundus, quia theſaurus non eſt fructus fundi.* Cum enim viro non debeatur niſi fructus dotis, & theſaurus non ſit fructus fundi dotalis, ſed ſpectet ad ipſam fundi ſubſtantiam, eſt uxoris. Ita in quocunque fundo alicujus inveniatur, non pertinebit niſi ad dominum directum fundi, & non ad uſufructuarium fundi, reſervata deinde parte inventori, juxta ſuperius dicta. Et ſimiliter eſt dicendum de theſauro invento in fundo feudali, qui cum Navarro, & Sylvero, contra Lugonem & alios: Quia ſemper verum eſt, dominium proprietatis fundi feudalis pertinere ad dominum feudi. Et quamvis aliqui excipiant caſum, in quo feudum fuerit collatum non perſonæ, ſed familiæ; quia, dicunt, tunc videri fundum eſſe perpetuum, & dominum directum quodammodo abdicaſſe a ſe dominium feudi; nihilominus neque hic caſus excipiendus eſt; quia extincta familia, ſemper feudum revertitur ad ſuum dominum proprietatis; quod evidenter oſtendit, dominium proprietatis etiam in hoc caſu pertinere ad dominum conferentem feudum: & exinde ſervandam eſſe regulam traditam n. 1., nempe ſi fortuito inveniatur, dimidium eſſe inventoris, & dimidium domini proprietarii &c.

Etiam in fundo Feudali.

Quid de emente data opera fundum in quo ſcit inveniri theſaurum &c.?

IV. Si quis ſciens inveniri in alieno fundo theſaurum, venam metallicam, vel quidpiam ſimile, omnibus aliis communiter ignotum: & ipſe data opera emat fundum illum, ut potiatur theſauro &c. licite emit, & theſaurum ſibi acquirit: ita videtur ſentire S. Th. loco ſupracit. n. 1. & ita docent doctiſſimi noſtri Bannez 2. 2. q. 66. ſuper a. 1. S. Thomæ; Sotus lib. 6. q. 4. a. 2. cum quibus Navarrus, Valquez, Leſſius: quia pretia rerum non petuntur ex notitia perfectionis earumdem, quæ alicui ſoli nota ſit, ſed ex communi hominum æſtimatione, neque notitia ſingularis illius privatæ perſonæ anget valorem rei illius vendibilis; cum pluribus exemplis id compertum ſit, tam in emente faſcem herbarum, in quo extat herba ſingulariſſimæ virtutis ſoli ementi nota; nec non in vendente ſollicite merces talis ſpeciei, quarum magnam copiam brevi ſuperventuram, unde pretium multum minuatur, ſcit privata ſua notitia: igitur etiam emens illum fundum &c.

Bona derelicta fiunt primi occupantis.

V. Bona, quæ aut nullius unquam fuerunt, aut quamvis fuerint, tamen prudenter, & certo moraliter cenſentur derelicta & omni dominio privata, juxta communem fiunt primi occupantis: ita S. Th. loc. cit. ad 2. 1. *& ſimiliter ſi pro derelictis habeantur, hoc credat inventor, licet ſibi eas retineat, non committit furtum:* ita etiam plures textus juris. At difficultas in eo conſiſtit, in dijudicando prudenter quando cenſenda ſint derelicta. Primo itaque inter derelicta non ſunt computanda bona naufragorum, quamvis fuerint ab illis in mare projecta ad levandam navem, cum adhuc dominum habeant; unde inquirendus eſt ab illo, qui eadem recuperaverit, & expectandum, donec eidem reſtituantur: Poterit tamen recuperator exigere a domino mercedem ſui laboris impenſi eadem recuperando. Quod ſi illa recuperata ſibi retineat, incidit in excommunicationem Papæ reſervatam in Bulla Cœnæ Domini. Secundo ne erretur, facile nimis judicando bonum aliquod cenſendum eſſe derelictum, attendenda eſt qualitas boni, circumſtantia locorum, & temporum, & præſertim poſſibilitas vel impoſſibilitas moralis, ut a domino recuperetur: addunt aliqui, aut ſi eam rem videret, non poſſet ab eodem ut ſua recognoſci. His bene perpenſis, & antequam occupans illud bonum ſibi applicet, cum docto theologo conſultis, poterit, aut non, illud ſibi retinere.

Quando cenſenda ſint derelicta?

* S. P. Benedictus XIV. *die* 19. *Martii* 1752. Epiſtolam conſcripſit ad R. P. Nicolaum Lercari Sac. Congreg. de Propaganda fide Secretarium, occaſione Poſtulatorum a R. P. Archiepiſcopo Antibarenſi eidem Congregationi propoſitorum, in qua de Bonis Eccleſiarum, quæ ſemel ab Infidelibus occupata, deinde in Chriſtianorum poteſtatem devenerunt, diſſerit. Habetur tom. III. Bullarii n. LVII. In ea autem §. 10. refert, inter quindecim dubia a P. Franciſco Longobardo Ord. Minim. Tuneti Miſſionario ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide tranſmiſſa, ſequens ordine quintum fuiſſe propoſitum, atque examini ſubjectum; *Utrum Chriſtiani*

ni liberi, *qui hic* (ideſt Tuneti) *negotiandi gratia commorantur & alii captivi*, *ementes a Pyratis infidelibus bona a fidelibus rapta*, *& in hac Urbe vænumexpoſita*, *vel dono ea recipientes*, *ut hic ad proprios uſus utantur*, *vel ad terras Chriſtianorum lucri gratia tranſmittant*, *peccent mortaliter*, *& teneantur ad reſtitutionem?*

§. 11. Reſponſionem affert Theologorum de Propaganda fide hiſce verbis conceptam: *Patres deputati exiſtimarunt bona Chriſtianorum a Pyratis rapta; poſſe Fideles abſque noxa mortali*, *& onere reſtitutionis*, *emptione*, *venditione*, *aut alio quocumque legitimo titulo ſibi accipere*, *ac in proprios uſus convertere*, *non obſtante quod ſint in bello injuſto rapta.*

§. *Vero* 13. aliam eorumdem Theologorum ad alium caſum cum priori connexum ſexto loco a P. Longobardo propoſitum exhibet reſponſionem ſic expreſſam: *A Patribus deputatis concordi voto deciſum eſt*, *fidelium neminem Tuneti commorantium teneri ad reſtitutionem bonorum raptorum per Pyratas Chriſtianis; neque incurrere noxam peccati mortalis; etiamſi Pyratæ bona illa ſubripiant ſpe lucri ex futura venditione eiſdem Fidelibus facienda*, *alias non furaturi: licet peccare poſſint ex complacentia ſuper furto rerum per Pyratas Chriſtianis ſublatarum.*

A Theologis de Propaganda fide, ad Conſultores S. Officii translatum fuiſſe dubiorum examen; & hos quidem ſententiam illorum approbaſſe, & confirmaſſe, renunciat Idem S. *P.* Benedictus §. 14. Nonnulli tamen, *ſubdit*, addiderunt, ad hoc ut emptores Chriſtiani ab omni peccati nota immunes eſſent, neceſſarium fore, ut animum paratum haberent ad reſtitutionem emptarum rerum, ſi unquam verum earum Dominus compareret, eaſque redimere vellet, ſoluto pretio, quod emptor Turcis in emptione numeravit. Neque hoc, *ait*, ad pacandas conſcientias inopportunum, aut a ratione alienum eſt. Deinde ad rem hanc, auctoritatem affert Molinæ *de Juſt. & jur. tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 118. *nu.* 15. aliorumque Theologorum; ac demum in calce §. obſervat id etiam locum habere juxta aliquos, in ſacris rebus mobilibus, puta Calicibus, aliiſque ſacris ſupellectilibus. De his enim fortius procedere cenſenda eſt præſumptio, quod ſcilicet Chriſtifidelibus, ad quos hujuſmodi res ablatæ pertinent, moleſtum non ſit, aut ſaltem eſſe non debeat, illas in dominio potius aliorum Chriſtianorum, quam Turcarum, & Saracenorum exiſtere.

Animadvertendum autem cenſemus, ut animadvertit idem S. P. §. 9. quod quamvis ex dubiis a P. Longobardo ad S. C. tranſmiſſis aliqua relata fuerint in Congregationibus habitis contra Pontifice Urbano VIII. ad quæ Pontificium adhuc extat reſponſum; attamen reliqua compertum minime eſt, an coram Pontifice propoſita fuerint. Inter hæc autem quintum illud, & ſextum numerantur, quæ nimirum præſentem reſpiciunt controverſiam; ita ut error facti ſit, id quod Auctores aſſerunt, reſponſa ſcilicet ad quintum & ſextum Dubium Oraculo Pontificio confirmata fuiſſe; quum nihil aliud revera ſint, quam reſponſa Theologorum de Propaganda Fide, & Conſultorum S. Officii, quæ tamen ſuo robore non carent, cum a doctis Viris, & Sacræ Theologiæ, juriſque Canonici peritiſſimis emanaverint.

Quid de gemma in littore maris ab uno primo viſa, & ab altero primo occupata, licet ſecundo viſa? Quid de eadem ab uno tantum viſa, & ab altero non viſa, ſed mere materialiter primo occupata?

VI. Petrus alloquens Paulum in littore maris, videt poſt tergum Pauli margaritam pretioſam, & deſtinat in corde ſuo, poſt dimiſſum Paulum, illam ſibi acquirere; & Paulus caſu expuens, & terga vertens Petro, videt eamdem margaritam, ad quam apprehendendam properat: ſiſtitur a Petro dicente, ſe primum illam vidiſſe, ſibique applicare deſtinaſſe: Paulus nil curans de Petri monito, vadit, illamque ſibi apprehendit: Hæc margarita juxta leges pertinet ad Paulum: nam Gloſa in §. *Lapillorum* Inſtit. de rerum diviſ. dicit, hujuſmodi res fieri primi inventoris, ſi tamen apprehendantur: cum igitur Paulus & ex ſe viderit, & primus apprehenderit margaritam, ad ipſum ſpectabit: non enim viſus apprehendit, ſed manus, præcipue legaliter loquendo. Si vero Petrus cum viderit margaritam, exultabundus dicat, o pulchra margarita, & vadat ad eam ſibi accipiendam: & Paulus hoc audiens ſe vertat, & illam videns præcurrat citius Petro, eamque primus apprehendat, putat Cardinalis de Lugo, quod itidem ad Paulum pertineat ob dictam rationem, quia primus apprehendit: ſed, ſalva reverentia tanto Auctori, non ſuadeor, ut Paulo adjudicem illam; nam ipſe nullo modo eſt inventor; ſicut in primo caſu, ſed eſt merus materialis occupator, eo modo, ac ſi Petrus illum, aut quemlibet alium miſiſſet ad illam accipiendam. Unde lex adducta loquitur de primo apprehendente, qui ſit inventor, quod non ve-

verificatur in hoc caſu, in quo Petrus eſt ſolus inventor, & Paulus meritis materialis occupator.

Ad quem ſpectent venæ metallicæ &c.?

VII. Venæ metallicæ, & minerales, quæ in nullius fundo reperiuntur, ſpectato jure naturali, fiunt primi occupantis. Si inveniantur in fundo alicujus, ad ipſum pertinent; eo quia ſunt fructus naturalis fundi a ſolo Deo conditore in eodem ſatæ. Dixi ſpectato jure naturali, & Gentium; quia in omnibus pene regionibus extant leges ſpeciales, adjudicantes hujuſmodi venas Principibus, ſaltem quoad magnam portionem, & reſiquum aut inventori, aut domino fundi, prout leges præſcribunt, quæ ſunt obſervandæ, ut obligationes intuitu publici boni. Debet autem dominus fundi compenſari pro excavatione fundi, & omnibus damnis, quæ ſibi emergunt, a Principe, & iterum moneo, quoad omnia definita ſtandum eſſe legibus regionum.

§. IX. *De modo acquirendi Dominium per Inventionem.*

Diligentiæ adhibendæ ab Inventore.

I. EX communi theologorum qui fortuito invenit aliquam rem, tenetur omnem diligentiam adhibere, dignitati, & merito ipſius correſpondentem, commendando Parochis, Concionatoribus, affigendo ſchedas in locis frequentioribus civitatis &c. ut domino ejuſdem innoteſcere queat illius inventio. Item tenetur illam diu conſervare, juxta qualitatem ejuſdem; ut, apparente dominio, eidem reſtituatur in ſpecie, ſi fieri poſſit. Tandem alias curas impendere, ſi quæ aliæ ſint moraliter poſſibiles, in finem eumdem.

Inventa, ſi eorum dominus non inveniatur, & inventor non ſit pauper debent in pios uſus erogari.

II. Poſt adhibitas præfatas diligentias & pro rei conditione diu expectatam domini manifeſtationem, communiter docent Juriſtæ, & Theologi, quod ſi inventor non ſit indigens, (de quo dicetur) teneatur rem inſumere in ſacrificia, eleemoſinas, aliaque pia opera pro perſona domini ejuſdem rei. Ita docemur a Catechiſmo Concilii Tridentini p. 3. c. 8. num. 9. *Sunt fures, qui .... res aliquo modo inventas, aut ademptas retinent; ait enim S. Auguſtinus ſi inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti. Quod ſi rerum dominus nulla ratione inveniri poteſt, illa ſunt bona in uſus pauperum conferenda.* Ita docet S. Thomas loc. ſupra cit. art. 5. ad 2. ubi de rebus ita inventis ſcribit. *Quod ſi quis accipiat non animo retinendi, ſed animo reſtituendi Domino, qui eas pro derelictis non habet; non committit furtum.* Qui ergo eas ſibi applicat, furtum committit: Quandoquidem ſtultum eſt putare, quod dominus illas pro derelictis habeat, cum de illis ſollicitus ſit, & ſciſcitetur. Ratio autem eſt, quia quamvis dominus earum non inveniatur, non ideo amittit jus ad illas; ſed remanet quaſi ſuſpenſum, donec inveniatur, cum non raro eveniat, quod poſt multos annos dominus innoteſcat. Quod ſi non innotuerit, non ne prudenter præſumendum eſt, ipſum rationabiliter intendere, ut res illæ meliori modo, quo fieri poteſt, in ipſius utilitatem impendantur? non ne quiſlibet noſtrum ita optaret? meliori autem modo fieri nequit, quam illas in eleemoſinas, & ſacrificia erogando pro eodem, ſive vivente, ſive vita functo. Non me latet doctiſſimum Sotum noſtrum lib. 5. de Juſt. q. 3. a. 3. ad 2. oppoſitum ſuſtinuiſſe, cui pauci admodum adhæſere, quin id optaret; cum ingenue confeſſus fuerit: *ſe illum non eſſe, quid audeat contra communem opinionem aſſeveranter quidpiam affirmare.* Neque igitur diſplicebit ei, ſi illius motiva negligamus, quæ a me lecta, & perpenſa, ſunt profecto tanto viro imparia.

Inventor compenſandus; eſt pro expenſis, aut magno labore impenſo.

III. Hinc ſequitur, quod inventor, ſi in re invenienda aliquid expenderit, vel multum laboris inſumpſerit, poterit a domino exigere compenſationem juxta prudentum judicium. Si vero neque expenſas, neque aliud pretio æſtimabile impenderit, nil exigere poteſt tanquam debitum ut patet, quia tenetur inventa reſtituere. Poterit ad ſummum aliquid petere modeſte tanquam gratuito donandum, abſtinendo tamen ab omnibus modis, qui plene voluntarium imminuere valeant; etiam a precibus valde importunis, quippe quod erogandum, debeat eſſe ex liberalitate, aut ad ſummum ex gratitudine, quæ plene voluntarium requirunt in elargiente.

Inventor pauper quomodo ſibi retinere poſſit inventa?

IV. Si inventor ſit revera pauper, de conſilio docti, & prudentis Confeſſarii, poſt adhibitas ſupradictas curas, poteſt ſibi de re inventa tantum retinere, quantum ſufficiat ſuæ præſenti indigentiæ reparandæ: Dixi de conſilio docti confeſſarii, ne erret in re hujuſmodi, ſibi retinendo aut pluſquam debeat, aut minus quam poſſit: nam multa conſideratione opus eſt in hac re quoad circumſtantias rei inventæ, qualitatis perſonæ & familiæ inventoris, temporis dilationis &c. Si autem poſt rem conſumptam dominus appareat, & illam exigat; ſi inventor in nullo

Quid agendum, ſi domi-

fa-

factus ſit ditior, rebuſque ſuis nil pepercerit, ſed totum in pia opera cum conſilio confeſſarii erogaverit, ad nil ultra tenetur, & dominus patienter ſuſtinere debet, rem ſibi reſtitutam fuiſſe in piis operibus pro ſe factis. Si autem rei inventæ aliquid ſuperſit, dandum eſt illi, atque tantumdem rei conſumptæ, ſi ex illa inventor in eo factus ſit ditior, ut dicetur de poſſeſſore bonæ fidei. Propterea circa inventa id eſt obſervandum; quod ſi res inventa ſit mobilis pretioſa, poſt adhibitam diligentiam &c., tradatur alicui Eccleſiæ cum hoc pacto, ut ſi Dominus apparuerit, eidem reſtitui poſſit. Si vero ſit res uſu conſumptibilis, v. g. pecunia, vel quidpiam aliud hujuſmodi, inſumatur juxta modos hactenus traditos.

[margin: ...nus compareat poſt rem conſumptam?]

Promiſſio muneris inventoris an ex debito ſit ſolvenda?

V. Si dominus evulgaſſet, ſe tantam ſummam erogaturum inventori rei ſuæ; &, inventa re, nollet promiſſum ſolvere? Prius videndum eſt, an promiſſio fuerit mere liberalis, an obligans ex juſtitia: in utroque caſu teneretur nihilominus inventor rem tradere domino, quia ſemper eſt ſua, & non inventoris. In primo autem caſu poſſet inventor modis non violentiam inducentibus petere ſolutionem promiſſi, quod cum debeatur ſolo titulo fidelitatis, debet eſſe liberaliter datum, abſque interventu ullius comminationis, violentiæ &c., & niſi dominus ſolveret, infideliter ageret. Si autem promiſſio obligaret dominum ex juſtitia, ut plerumque ex verbis in folio evulgato expreſsis colligi poteſt; tunc poſſet inventor illum in judicio convenire, ut debitam promiſſionem impleat. Res tamen inventa ſemper tradenda.

§. X. *De modo acquirendi dominium per Alluvionem.*

Quid ſit Alluvio, & quot modis fiat? Prima regula.

I. ALluvio eſt incrementum latens factum a fluvio paullatim, & inſenſibiliter in fundo alicujus. Hæ regulæ a lege traduntur in Inſtitutis de rerum diviſione §. *præterea per alluvionem*. Prima, ſi per alluvionem aliquid adjiciatur fundo alicujus inſenſibiliter, ita ut diſcerni nequeat quantum quolibet momento accreſcat, augmentum ſit ejus, cujus eſt fundus: propterea verificabitur quod fiat inſenſibiliter, quamvis ſingulis diebus diſcernatur augmentum: (quod etiam in plantis dietim diſcernitur, cum tamen inſenſibiliter fiat) e contra autem ſi ſubita fluminis, vel aquarum alluvione notabilis portio mei agri diſcindatur a fundo meo, & tuo addatur; adhuc mea remanebit, mihique debebitur, quia ſenſibiliter facta.

Secunda Regula.

II. Secunda regula eſt: ſi inſula appareat in fluvio, & ſit in medio alvei, dividenda eſt ejuſdem poſſeſſio inter eos, qui e regione ejuſdem agros, aut prædia habent: & hoc in jure vocatur incrementum patens. Si vero magis accedat ad unam ripam, quam ad alteram, ad illum pertinebit, cujus prædiis eſt propinquior: & ſi contingat illam deinde ita augeri, quod affinitatem habeat cum prædiis alterius, nil refert, quia incrementum advenit inſulæ jam dominium habenti.

Tertia Regula

III. Si fluvius ita dividatur ut invadens prædia tua, partem prædii, quod erat in ripa, diſcindat, & ex eo inſulam faciat, ipſa ad te pertinebit: ob jus, quod tibi competit in illum fundum. Si fluvius divertat ab alveo ſuo antiquo, & alium alveum ſibi uſurpet, alveus antiquus pertinebit ad illos, qui habent prædia ex utraque parte, ita ut inter illos dividatur. Quod ſi opera humana fluvius a ſuo alveo diverteretur, tenerentur, qui talem operam impenderunt, ad omnia damna illata a fluvio alveum novum ſibi quærente illis, in quorum prædiis novum alveum fixit, quibus etiam alveus antiquus cedendus eſſet, ſi requireretur ad compenſationem coæquandam.

Quando accreſcat uſufructuario?

IV. Reſpectu Uſufructuarii, quando incrementum eſt latens, quale eſt per veram alluvionem, dominium utile accreſcit uſufructuario; minime autem, ſi incrementum ſit patens: ita ex lege *Item ſi fundum* §. *huic vicinus*, & §. *Inſula* ff. de Uſufructu. Ratio eſſe poteſt, quia incrementum latens & inſenſibile in judicio morali non mutat fundum: ſicut illum mutat incrementum patens.

Quando accreſcat Feudatario?

V. Reſpectu Feudatarii, cum, ut obſervavit Doctiſſimus de Lugo diſp. 6. ſect. 13. num. 157., variæ & ſaltem apparenter oppoſitæ ſint leges; ſi caſus alluvionis, & incrementi ſive latentis, ſive patentis eveniat, examinandi ſunt Juriſtæ, quos inter Molina, qui accuratiſſime in ſuo inſigni opere de juſtitia & jure legaliter in tractatu de Feudis has difficultates reſolvit: videtur enim quod incrementum patens cedere debeat dominio proprietario; latens autem feudatario: nihilominus in caſu, illum videas cum aliis Juriſtis, adeoque monitum, ſtandum eſſe legibus regnorum, & regionum.

Quando

VI. Reſpectu emphyteutæ, eidem accreſcunt

ſcunt omnia incrementa, latens quidem, quia potiori jure gaudet, quam uſufructuarius: ſi igitur iſti acquiritur incrementum latens, multo magis emphyteutæ: Patens autem etiam illi acquiritur, quia, dummodo ſolvat ſuas penſiones, gerit vices domini proprietatis, eidemque ſubſtituitur.

accreſcat Emphyteutæ.

§. XI. *De modis acquirendi dominium per Specificationem, Acceſſionem; & Commixtionem.*

Quid ſit Specificatio, & quomodo per eam acquiratur dominium?

I. SPecificatio contingit, cum res aliena ita in aliam ſpeciem diverſam tranſmutatur, ut ad priſtinum ſtatum amplius reduci nequeat; puta ſi quis ex alieno lino telam conficiat, in quo caſu tela remanet illam habenti: Tenetur tamen reddere æquivalens ei, a quo linum abſtulit, & omnia damna eidem ſecuta, ſi injuſte abſtulit: ſi bona fide, id, in quo factus eſt ditior.

Quid Acceſſio, & quomodo &c.?

II. Acceſſio contingit, quando rei alterius ab aliquo aliquid additur, quod ab eo non petitur, ſed additur ex proprio genio, & voluntate: puta ſi parietibus domus alienæ quæ tibi locata fuit, addas picturas etiam pretioſas, picturæ cedunt domino domus, quin tibi quidquam compenſare teneatur. Nec prodeſt, quod ab eo licentiam obtinueris; quia conceſſio illa non eſt ſua petitio. Quæ de acceſſione dicimus, intelligе etiam de iis, quæ amplius ſeparari non poſſunt. Unde ſi accederet quid removibile, eidem non acquiritur.

Quid commixtio & quid confuſio & quomodo &c.?

III. Commixtio evenit, quando mixta ita in unum commiſcentur, ut in nulla eorum parte quantumvis minima diſcerni poſſit unum miſcibile ab alio: puta dum miſcentur vinum, & aqua: Confuſio autem, quando confundibilia ita confunduntur, ut facta confuſione adhuc revera retinent proprium eſſe, & abſolute loquendo adhuc diſcernibilia ſint: puta ſi confundantur ſimul duæ menſuræ frumenti duarum perſonarum; in quo caſu nequit verificari quod ſingula grana ſint utriuſque, ſicut de ſingulis guttis vini commixti aquæ poteſt verificari, quod ſint utriuſque, ſi una perſona poſuerit vinum, & altera aquam ad æqualitatem. Hoc notato pro vera notione Commixtionis, & Confuſionis contra nonnullos, qui utraſque in unum confundunt: Qui alienum frumentum ita ſuo confundit, ut amplius nequeat humanitus diſcerni, acquirit dominium totius, cum onere tamen reſtituendi tantumdem, & etiam damna, ſi mala fide egerit. Idem dicas de commiſcente unum liquorem cum altero.

Reſolvuntur aliqui caſus.

VI. Hinc, qui vendidit ignoranter veſtem furi pretio quatuor aureorum, a fure ablatorum Petro, & venditor ita confundit illos aureos cum ſuis animo illos poſſidendi, ut amplius diſcerni nequeant, hic venditor non poteſt amplius impeti a Petro, ut ſibi aureos reſtituat, eo quod per confuſionem innocenter illos acquiſivit, nec in aliquo factus eſt ditior, cum veſtem juſto pretio vendiderit. Similiter ſi Titius fur, tibi omnino de tali crimine ignoranti, donet tibi duos modios tritici, quos cum alio tuo multo frumento confudiſti; deinde duos modios tritici largiris in eleemoſynam, eleemoſynam cæteroquin non elargiturus, poſtea ſcis frumentum illud fuiſſe furto ſublatum; ad nil teneris, cum in nullo factus ſis ditior: ſi autem duos modios illos alio titulo, puta ex voto cras in eleemoſinam erogaturus, teneberis duos dare domino petenti; quia in iis factus es ditior.

Monitum prudens.

V. Monere opportunum duco, quod ſi forte tibi ab amicis dentur pecuniæ ad eaſdem cuſtodiendas, nunquam confundas cum tuis, ſed ſeparatim a tuis reponas, & quidem cuſtodiendas æquali diligentia; quia ſi confundas cum tuis, videris acquirere earum dominium, cum debito tamen tantumdem reddendi, quando petentur: Et proinde ſi caſus eveniat, quod fur aliquis tibi ſurripiat illas ſeorſim poſitas, & non tuas, in foro conſcientiæ ad nil teneberis, quia reſperit domino ſuo, quarum ille deponens erat dominus, quippe quæ inconfuſæ a tuis remanſerunt: ſi enim cum mille tuis viginti alienos aureos confunderes, & quis furaretur tibi centum ex illis, non abſolvereris forte a reſtituendis omnibus viginti deponenti. Caute igitur ſemper facies, ſi alienam pecuniam, vel quidpiam ſimile a rebus tuis inconfuſum ſerves.

§. XII. *De modo acquirendi dominium per Inædificationem, Pictionem, Implantationem aut Sationem, & Nativitatem.*

Inædificatio quid? & quomodo dominium afferat?

I. INædificatio evenit, quando ædificium conſtituitur in alieno fundo, & ædificium cedit dominio fundi: & ſi conſtruens bona fide ædificaverit putans, omni dubitatione excluſa, fundum eſſe ſuum, dominus fundi tenebitur redintegrare ædificatorem pro expenſis factis, niſi malit eidem vendere fundum. Si autem mala fide egiſſet, expenſas, volens, perdidiſſet. Si vero dominus fundi fraudulenter ſileret, donec ædificium compleatur, ut deinde ma-

niſe-

niſeſtans ſuum dominium fundi, ædificio privaret conſtructorem; graviter peccaret in foro conſcientiæ primo contra charitatem, ob gravem diſplicentiam, quam ſilentio ſuo ſe allaturum prævidebat conſtructori; & etiam contra juſtitiam, quia violavit jus alterius in eo conſiſtens, ne ſibi fraudulenter occultentur jura alterius, dum ſunt reſultatura in proprium ſuum damnum.

Quid Pictio? & quomodo acquirat? II. Pictio, de qua in præſenti, tunc evenit, quando pictor pingit in tabula, vel tela aliena. Per picturam factam acquirit dominium tabulæ, vel telæ &c., cum onere ſolvendi domino pretium ejuſdem, & etiam damna, ſi quæ eidem inde evenerunt, & ipſe mala fide pinxerit: ſi bona fide, dumtaxat pretium telæ.

Implantatio quid, & quomodo? III. Implantatio evenit, quando plantantur arbores in alieno fundo, quæ ſi radices emiſerint, ſpectant ad dominum fundi: tenetur tamen expenſas compenſare, ſi plantator bona fide egerit: ſin autem, nihil.

Quid Nativitas? & quomodo? IV. Nativitas, de qua in præſenti, ſignificat partum bruti fœminei ſexus, qui partus ſpectat ad dominum fœminæ parientis, niſi aliter conventum fuerit: ita jura.

§. XIII. *De modo acquirendi dominium per Præſcriptionem*: *ubi de Poſſeſſione, quæ eſt prima conditio ad præſcribendum requiſita, nec non de Uſufructu, & Servitute.*

Quid Præſcriptio, & Uſucapio? I. PRæſcriptio, ſecundum jura, eſt acquiſitio dominii per poſſeſſionem bonæ fidei continuatam tempore a lege definito. Solet præſcriptio in jure accipi etiam pro Uſucapione, cum hac diſtinctione, quod Uſucapio videtur verſari circa mobilia; Præſcriptio autem circa immobilia: communiter tamen pro eodem ſumuntur. Dicitur præſcriptio acquiſitio dominii, quæ vox late accipitur prout ſignificat jura, uſus, uſusfructus, officia, ſervitutes &c.. Dicitur per continuatam poſſeſſionem, quę poſſeſſio ſit cum bona fide, & juſto titulo præſumpto, & credito; & fuerit ſemper continuata toto tempore a legibus ſtatuto, breviori, vel longiori, juxta conditionem rerum præſcribendarum, & per præſcriptionem poſſidendarum, ut dicetur in ſequentibus.

Quotuplex ſit Poſſeſſio? II. Poſſeſſio eſt duplex: alia Juris, alia Facti: Juris, ſignificat quandoque ipſam rem quæ poſſidetur; unde dicere ſolemus, habeo multas poſſeſſiones, prædiorum, jurium &c., Facti, eſt ipſe actus poſſidendi: puta quo poſſidetur, ſeu apprehendimus horologium: Sumitur item pro jure poſſidendi aliquid, quod jus ſequitur ex ipſa juſta apprehenſione, & detentione rei; ac proinde poſſeſſio facti definitur a juriſtis, apprehenſio, vel detentio rei adminiculo corporis, animi, & juris: Nomine rei intelliguntur etiam res incorporales, puta jura, Beneficia &c.: Dicitur adminiculo corporis; nempe vel manus, vel oculi, vel alio ſimili modo: Dicitur animi, nempe ut apprehendatur animo faciendi illam ſuam: dicitur, & juris, ut ſignificetur, non extare leges prohibentes illam poſſeſſionem. Poſſeſſio Juris definitur ab ipſis Juriſtis: Jus inſiſtendi alicui rei tanquam ſuæ, nec prohibitæ poſſideri. Dicitur jus, ut diſtinguatur a poſſeſſione facti (de qua plerumque eſt ſermo) quæ eſt ipſa actualis occupatio, & apprehenſio rei, aut ejuſdem detentio: dicitur inſiſtendi, ideſt illam detinendi, defendendi &c. nomine proprio, & non alterius: Unde etiam Tutor pro Pupillo, Curator pro Minori, Procurator pro ſuo Principali præſcribunt, cum agant eorum nomine. Poſſeſſio facti triplex? Poſſeſſio facti triplex eſt, Naturalis, Civilis, & Civiliſſima: Naturalis, qua res poſſeſſa & animo, & corpore tenetur, eidemque actu, ut ſic dicam, adhæretur; v.g. poſſidens nummos in crumena, quam ſecum habet. Civilis, qua rem corpore, & animo apprehenſam ſecum detinet ſolo animo, eo, quod ab ea corporaliter diſtet: puta dominus prædii Patavini Venetiis commorans. Civiliſſima, qua ſolo legis beneficio aliquid acquiritur abſque ullo adminiculo corporis, & animi: puta cum infans unius anni hæreditatem aſſequitur. Requiritur autem poſſeſſio continuata toto tempore requiſito, ita quod non interrumpatur juridice; ſufficit tamen ut continuetur per hæredes.

Uſus, & Uſusfructus; variique caſus ex legibus reſolvuntur. III. Cum modo dixerimus de Poſſeſſione, quam §. 1. num. 2. ſpeciebus juris realis accenſuimus, nunc explicandę ſunt aliæ tres juris, ſeu dominii ſpecies, nempe Uſus, Uſusfructus, & Servitus, quæ etiam una cum aliis præſcribi poſſunt. Uſus, ut loc. cit. diximus, eſt jus mere utendi aliqua re aliena, ſalva illius ſubſtantia. Uſusfructus eſt jus nedum utendi, ſed & fruendi aliqua re aliena, ſalva illius ſubſtantia; unde ex fructibus perceptis poteſt diteſcere, aliis donare, vendere &c.; quæ facere nequit habens merum uſum: Dum autem diximus ſalva rei ſubſtantia, ex lege Inſtituto-

tutorum de rerum diviſione §. 38. nota: Si gregis uſumfructum quis habeat, in locum capitum demortuorum, alia capita e fœtu, quem percipit, ſubſtituere debet; Si tamen ſingulorum capitum diviſim, & non totius gregis collective uſumfructum habuerit, non tenetur ad alia capita ſubſtituenda loco eorum, quæ perierunt: ita diſponente lege 1. lib. 70. ff. de uſufructu. Si quis uſumfructum habeat ſylvæ, vel vineæ, tenetur ſubſtituere arboribus, ſeu vitibus mortuis, alias virentes, & quæ mortuæ ſunt ad ipſum ſpectant: ita ex lege præfata lib. 8. ff. de uſufructu. Si tamen arbores, aut vites vi alicujus turbinis eradicarentur, vel exſcinderentur, ita ut ad fructum ferendum non eſſent amplius idoneæ, non teneretur alias ſubſtituere; excisæ tamen, & everſæ cederent non uſufructuario, ſed domino proprietario: ita lib. 59. ibid. & lib. 19. ibid. Quod ſi dictæ arbores eſſent neceſſariæ ad horti, aut vineæ reparationem, & reſtaurationem; poſſet illis uti uſufructuarius ad eum finem: ita ibidem lib. 12. Tandem ſi ſit uſufructuarius ædium, tenetur de ſuo modicas reparationes, & reſtaurationes facere, ne pereat ædium ſubſtantia; non tamen reparationes majores; neque multo minus reficere illas, ſi præ vetuſtate corruant. Ad ipſum tamen ſpectant onera ædibus adnexa, nempe decimæ, & impoſitiones &c. Si plura deſideres, vide Juriſtas.

Uſusfructus Legalis, & conventionalis. IV. Uſusfructus duplex eſt, Legalis, qui beneficio legis acquiritur; puta uſusfructus, quem habet Pater bonorum adventitiorum filii, de quibus diximus in §. 2. hujus capitis n. 2. Alius conventionalis, & acquiritur ex hominum voluntate, puta teſtamento, emptione, ſtipulatione &c.; & circa hunc ſervandæ ſunt conſuetudines locorum.

Ceſſatio uſusfructus. V. Quinque modis finitur uſusfructus: primo per mortem uſufructuarii: ſecundo, ſi res in qua fundatur, pereat; quod ſi res denuo erigatur, puta ædes, quæ jam corruit, non reviviſcit uſusfructus: tertio, ſi uſufructuarius tanto tempore non utatur jure ſuo, quantum ſufficit ut proprietarius præſcribat contra ipſum: Quarto, ſi ab uſufructuario cedatur proprietario: Quinto, ſi a lege, vel conſuetudine conſtituatur terminus uſufructui. Si autem uſusfructus relinqueretur alicui Eccleſiæ, vel Civitati, duraret dumtaxat ad centum annos: Hæc nobis ſufficere poſſunt; & plura deſiderans legat Juriſtas.

VI. Servitus, de qua in præſenti, ſi ſumatur active, eſt Jus, quod quis habet in re alterius, ut ſibi, aut rebus ſuis ſerviat; ſi paſſive, eſt ipſamet ſubjectio rei in commodum alterius. Dividitur in Realem, & Perſonalem. Realis eſt illa, quæ res ſervit alteri rei; puta cum ager Petri ſubjicit ſibi agrum Pauli vicini, quatenus dat jus Petro, ut tranſeat per agrum Pauli. Perſonalis eſt illa, qua res obligatur perſonæ, vel e contra, qua perſona obligatur alicui rei; puta quando ager meus obligatur Petro, aut Petrus obligatur colere agrum meum. Servitus realis alia eſt Urbana, quæ debetur prædio urbano, quod ſignificat ædificium, habitandi gratia erectum, ſive in urbe, ſive in villa; & ſimul etiam hortus amœnitatis gratia plantatus, atque ædificio adnexus. Alia eſt Ruſticana, quæ debetur prædio ruſtico, quale eſt ager, vinea, pratum, ſtabulum armentorum, vel pecorum, a domo ſeparatum. *Quid, & quotuplex ſit Servitus Realis & perſonalis?* *Urbana & Ruſtica.*

VII. Servitutes Urbanæ communiores ſunt, ut poſſint immitti tigna in murum tuum, ut ſtillicidium recipiatur in tuas ædes, vel areas, ut non attollas murum, ædificium &c. altius, ne lumen auferatur mihi; ut non aperias feneſtram in muro, quæ mihi noceat. Ruſticanæ autem, quæ nominatæ dicuntur, ſunt Iter, ideſt jus quo quis pedibus, vel æquitans, poſſit pergere per fundum alienum, non vero ducere vehiculum. Actus, ideſt jus armenta ducendi per alterius prædium: Via, ideſt jus & pedibus pertranſeundi, & armenta ducendi per alienum prædium: Aquæductus, & eſt jus ducendi aquam per fundum alienum. Illæ vero, quæ innominatæ dicuntur, ſunt jus aquam hauriendi, adaquandi, & paſcendi greges; coquendæ calcis; fodiendæ arenæ. De quibus & aliis conſule Legiſtas. De aliis autem ſpeciebus juris, & dominii realis, nempe de Emphyteuſi, Feudo, Pignore, Hypotheca, memoratis in §. 1. n. 2., dicetur in Tractatu de Contractibus, in Capite de Contractibus in particulari. *Recenſentur Servitutes Urbanæ & Ruſticæ, nœ communiores.*

§. XIV. *De Valore Præſcriptionis, & de caſibus a Præſcriptione immunibus.*

Status quæſtionis aperitur. I. Cum Præſcriptio a legibus inſtituta fuerit ad lites perpetes dirimendas, ad pacem familiarum ſtabiliendam, atque ad communem tranquillitatem fovendam, pro foro fori valorem habere nemini dubium

bium eſt, in regionibus illa utentibus: An autem valorem habeat etiam in foro conſcientiæ, graves Doctores varie opinati ſunt. Nam alii cum S. Raymundo dixerunt, abſolute nullam vim in tali foro habere: Alii cum Adriano Sexto Summo, ac Doctiſſimo Pontifice aſſeruerunt, etiam in foro conſcientiæ vim habere, dummodo convinci poſſit dominus rei de negligentia in rebus propriis cuſtodiendis, & recuperandis: Alii, quos ſuppreſſo nomine, citatos vidi, dixerunt quod valeat in dicto foro, quando res acquiſita fuit titulo oneroſo, puta emptionis, permutationis &c. non vero, quando titulo gratuito, puta donationis, legati &c. (quam opinionem mihi admodum arridere ingenue fateor: cur enim re mea debet alter frui, quin ullum onus ſubjerit?) Alii demum communiſſime valere aſſerunt, etiam in foro conſcientię, abſque reſtrictione, dummodo conditiones requiſitæ verificentur, de quibus in §. ſequenti. Unde ipſe S. Raymundus ſincere fatetur p. 2. tit. de Præſcript. & Uſucap. §. 33., quod hæc poſtrema ſententia *videatur ſervari per univerſum orbem quocumque ſe diffundit Eccleſia*.

Probatur valor Præſcriptionis in Conſcientia Auctoritatibus. II. Ne igitur opinioni communiſſimę, & quocunque ſe diffundit Eccleſia per univerſum orbem admiſſæ, refragemur, eam admittimus, quam approbare videntur Sacri Canones: Nam in Capite *ad aures* in 6. de præſcript. Alexander 3. reſpondet Epiſcopo Mauritaniæ: *Tuę fraternitati innoteſcat, quod de jure divino, & humano melior eſt conditio poſſidentis; quia quadragenalis præſcriptio omnem prorſus actionem excludit*. Concil. Lateranenſe quartum Capite 41., relatum in cap. ultimo de præſcript. *Synodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio tam canonica, quam civilis .... Unde oportet, ut qui præſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienę*. Quo Canone improbavit jus civile, quod pro foro fori ad præſcribendum non requirit hanc conditionem; quæ tamen, ut videbimus, eſt potiſſima pro foro conſcientiæ. En clare admiſſa præſcriptio etiam a lege Canonica. Tandem S. Thomas Quodlibet. 12. a. 24. *Si quis præſcribat; bona fide poſſidendo; non tenetur ad reſtitutionem, etiamſi ſciat alienum fuiſſe, poſt præſcriptionem*. En quomodo preſupponit valorem preſcriptionis in conſcientiæ foro: neque verba, quæ ſubdit favent opinioni Adriani: *Quia lex poteſt aliquem pro peccato & negligentia punire in re ſua, & illam alteri dare*. Quibus verbis unum motivum valoris præſcriptionis afferendo, alia non excludit ſtatim a nobis afferenda. Nam reducit injuſtitiam præſcriptionis ad defectum bonæ fidei: *Sed qui mala fide præſcribit, tenetur emendare, & ſatisfacere; reddendo damnum, quod intulit*.

Probatur ratione urgentiſſima. III. Ratio autem probans juſtitiam præſcriptionis, & ſimul evertens motivum Adriani in eo conſiſtit, quod licet unum ex motivis, ob quod inſtituta fuit lex præſcriptionis, fuerit ad puniendum negligentiam humanam in rebus ſuis cuſtodiendis, & recuperandis; illud tamen eſt infimum, & non ſemper extans: Motivum ſolidum & conſtans fuit pax & tranquillitas communis familiarum, & conſcientiarum; familiarum quidem, ut ſecuræ ſint, ſe poſſidere quæ poſſident, quin anxietate vexentur, an inſurrecturus ſit aliquis, qui aut chyrographo falſo, aut credito extumulato, jam a multis annis ſoluto, aut alia ſimili fraude ſagaciter diſpoſita, illas omnibus, vel pleriſque ſuis bonis exſpolier. Conſcientiarum autem, ne perpetuis timoribus, dubitationibus, ſcrupuliſque torqueantur; an omnia præſtiterint, quæ ad juſte poſſidendum requiruntur; quibus malis additur infinita pene litium, & diſſenſionum multitudo, inimicitiarum inde profluentium pene innumerabile agmen: quibus malis graviſſimis, & quidem communibus ſi conτraponatur damnum rariſſime eveniens alicujus omnino innocentis, qui a præſcriptione rebus ſuis exſpolietur; profecto incomparabile pondus habent illa damna publica & frequentiſſima præ hoc privato, & rariſſimo librata: unde quilibet privatus aſſenſum rationabiliter negare non poſſit legi præſcriptionis, ne convincatur preferre malum proprium privatum, forte nunquam eventurum, malo communi totius orbis, quod, ſubmota præſcriptione, ſæpiſſime eveniret, & proptrea ob altum, quo Principes gaudent, dominium, ſicuti ſuper vitas ſuorum ſubditorum exponendas, quoties commune bonum poſtulaverit; ita etiam a fortiori ſuper bona temporalia eorumdem, condiderunt preſcriptionis legem, ita evidenter exigente communi tranquillitate. Ex quibus diſſolutę remanent oppoſitiones, quę poſſunt afferri.

Res a preſcriptione exemptæ. IV. Nonnulli tamen caſus a lege preſcriptionis excipiuntur, ne per eam quędam res a ſuis dominis auferantur. Et pri-

mo, Viæ publicæ, Forum, Pontes, & his ſimilia. Secundo, ea quæ debentur Principi, ut Principi, nempe Tributa, Functiones publicæ, Vectigalia, Jus judicandi, Jus ad ipſum appellandi &c. Tertio, res ad Deum ſpectantes, ejuſque cultui jam deſtinatæ; Templa, Cœmeteria, & aliæ res immobiles: nam circa mobilia, cum alienari queant, etiam præſcribi poſſunt. Quarto, jura Decimarum, Primitiarum, & aliarum hujuſmodi rerum generis ſpiritualis: Dixi conſulto jura Decimarum; nam contra decimas, ideſt contra quantitatem decimarum poteſt præſcribi, ſicut circa modum illas ſolvendi, & quidem poſt tempus annorum quadraginta: Una tamen Eccleſia contra alteram præſcribere poteſt etiam contra jus decimarum, poſt poſſeſſionem dicti temporis. Quinto, Obedientia Epiſcopis debita, jus viſitandi. Sexto, fines Provinciarum, Epiſcopatuum, & Parœciarum, dummodo earum confinia fuerint definita, & conſtet de terminis, & limitibus. Septimo, libertas hominis, contra quam nunquam præſcribitur, ut evadat ſervus. Servus autem, ſive manicipium fugiens, non præſcribit contra Dominum, qua furatur ſe ipſum eidem; res autem furtive acceptę numquam pręſcribuntur ob malam fidem, ut ſtatim dicetur in §. ſequenti. Octavo, res ab illo acceptæ, qui dandi caret facultate, aut eam habet legaliter impeditam: illi ſunt amentes, prodigi jam interdicti, filii familias, uxores reſpectu bonorum viri, minores ſub curatoribus uſque ad annum 25. Hæc collegimus ex variis locis utriuſque juris, reſpective: alia, ſi quæ ſint excipienda, in Juriſtis ſunt expiſcanda.

Præſcriptio non valet contra defunctos quoad legata pia.

V. Non me latet, nonnullos extare Doctores, ſuſtinentes pręſcriptionem valere etiam contra defunctos circa pia legata, in ſui beneficium relicta: Fateor, me non poſſe percipere, quo motivo, quove colore id doceant. Et quamvis hujuſce rei in jure nulla fiat mentio, forte id evenit, vel quia nullus legiſlator ſibi imaginari potuit futuros eſſe, qui defunctos vellent præſcriptioni ſubjicere, vel quia eoſdem jam comprehendere voluit in impotentibus. Si enim, ut videbimus in §. 15. n. 2. præſcriptio dicitur in jure dormire, & non currere reſpectu eorum, qui agere nequeunt; cum defuncti ſint in perpetua impotentia agendi pro ſeipſis in hoc mundo, cur etiam pro ipſis non eſt valitura exceptio a lege præſcriptionis, ita ut pro eiſdem dormiat, & non currat præſcriptio? Neque opponas defunctos habere ſuos hæredes, & commiſſarios, qui defunctorum perſonam gerunt; quia hæc reſponſio quemadmodum magis gravat hæredum, & commiſſariorum vel deſidiam, vel malitiam; ita etiam magis corroborat motivum eximendi defunctos a præſcriptione. Si enim qui eorum negotium agere debent, illos produnt; qua alia poterunt via, ſibi debita repetere?

§. XV. *De Titulo ad Præſcribendum requiſito.*

Quid ſit Titulus, & qualis requiratur ad præſcribendum?

I. CUm quinque ſint conditiones ad pręſcribendum requiſitę, nempe Poſſeſſio, Titulus, Bona fides, Tempus legitimum, & Res præſcriptibilis, & cum de re præſcriptibili egerimus in §. antecacto n. 4., & de poſſeſſione diſſeruerimus in §. XI., modo diſſerendum ſequitur de Titulo. Prius tamen nota, Titulum eſſe cauſam ſeu motivum, cur talis rei acquiratur dominium; puta titulum emptionis, legati, &c. Hic titulus non debet neceſſario eſſe verus: ſi enim deberet eſſe talis, requireretur ut is, a quo res datur, eam poſſideret poſt emenſum tempus præſcriptionis, ad hoc ut verus venditor, donator, &c. haberetur, quod eſſet deſtruere civile commercium, ſi tanto tempore expectandum eſſet ad vendendum, locandum, donandum &c. Sufficiet igitur ut titulus ſit coloratus, apparens, & prudenter putatus verus; nempe quod ille, qui vendit, dat, &c., ſit verus dominus illius rei. Nota, hunc titulum neceſſarium eſſe pro præſcriptionibus, quę ordinarie eveniunt; nam pro præſcriptionibus, quæ denominari ſolent longiſſimi temporis, quale eſt tempus triginta annorum, & ultra, non eſt neceſſarius; quandoquidem temporis adeo longi decurſu evenire poteſt, quod titulus aut oblivione, aut alio modo perierit; & in tali caſu poſſeſſio adeo longa ſupplet pro titulo.

In poſſeſſione longiſſimi temporis non requiritur titulus.

Duo caſus excipiuntur. Primus.

II. Duo caſus excipiuntur, in quibus non prodeſt poſſeſſio longiſſimi temporis ſine titulo: primus eſt, quando præſumptio juris eſt contra præſcribentem: Unde ſi Epiſcopus vellet præſcribere decimas ſibi dandas, vel parœcias ſibi acquiſitas, exiſtentes extra Diœceſim ſuam, non ſufficeret ei oſtendere poſſeſſionem etiam quadraginta annorum: ſed neceſſarium eſſet, ut oſtenderet aut titulum talis poſſeſſionis, aut probaret poſſeſſionem ab immemorabili, quæ de-

definiri ſolet, illa cujus initii nulla extat memoria etiam apud ſeniores, qui teſtentur, ſe nunquam aliter vidiſſe, aut audiviſſe; & aſſerant, talem ſemper fuiſſe famam, & communem opinionem. Secundus caſus eſt, quando res aliqua tranſit ab illo, a quo mala fide poſſidebatur, ad hæredem univerſalem: in hoc caſu, quamvis hæres ignoret malam fidem ſui prædeceſſoris, quantumvis longo tempore poſſideat; nihilominus nunquam præſcribere poteſt: ita ex Inſtit. de Uſucap., & lege 5. §. de Diverſis temporibus præſcript. & lege 11. Codic. de acquir. & retin. poſſeſſion. Et ratio eſt, quia hæres cum ſit *defuncti ſucceſſor in univerſum jus ejus*, repræſentat defuncti perſonam, ut in omnia ejuſdem jura ſimul & onera ſuccedat: unde tenetur reparare omnia damna ab eo illata: igitur neque rem ab eodem mala fide poſſeſſam contra dominum illius poteſt præſcribere. Conſulto dixi hæredem univerſalem; nam legatario particulari tale onus non incumbit, ſi ipſe bona fide incipiat poſſidere, non computando tempus, quo poſſedit teſtator malæ fidei, ſed incipiendo tempus poſſeſſionis, ex quo ipſe poſſidere bona fide cœpit: hic ergo præſcribit, ſi bona fide ſequatur poſſidere toto tempore requiſito; de quo in §. 17. ita ex laudata lege 5. §. de diverſis temporibus &c. Quia legatarius particularis non ræpreſentat perſonam defuncti: &, ut ſupponitur, ſibi ſuadet, bonum ſibi relictum fuiſſe ab illo juſte poſſeſſum. Quod ſi conſtaret, omnia omnino bona teſtatoris fuiſſe ab eo injuſte acquiſita, puta uſurarum continua praxi; neque legatarius ille retinere poſſet ſibi legata, neque ullo unquam tempore præſcribere: Proinde quando vitium ſui legati animadverteret, teneretur reddere id, in quo factus eſt ditior, utpote poſſeſſor bonæ fidei. Similiter neque in duobus aliis caſibus præſcribere poteſt hic legatarius particularis: primus, ſi res ſit immobilis, & ille, contra quem præſcribit, ignoret illam poſſideri ab alio; quia tunc ad præſcribendum requiritur tempus triginta annorum: Ita ex Authentic. *Malæ fidei* Codic. de præſcript. longi temp. Secundus, quando res illa eſt furtiva, vel vi poſſeſſa; tunc enim etiam pro iſta affirmant multi, requiri triginta annos ex leg. *Sicut* Cod. de Præſcript. triginta vel quadraginta annorum.

Secundus.

§. XVI. *De bona Fide ad præſcribendum requiſita.*

I. NOta in primis, ſex eſſe effectus poſſeſſionis bonæ fidei: & primus quidem, quod cauſet præſcriptionem, elapſo tempore conſtituto. Secundus, quod reddat meliorem conditionem poſſidentis, in caſu dubii non purificati. Tertius, quod in judicio poſſidens non tenetur probare rem eſſe ſuam: quæ probatio ſpectat ad volentem eum expoliare. Quartus, quod poſſidens poteſt poſſeſſionem ſuam naturalem, & civilem armis defendere, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ. Quintus, quod poſſidens, ſi a poſſeſſione ſua expellatur, poſſit armis confeſtim repetere: quod *confeſtim* intelligendum eſt moraliter, conſideratis circumſtantiis &c. Sextus, quod expellens injuſte aliquem a poſſeſſione, amittit illius dominium, caſu quo ad ipſum ſpectaret. Hæc ſunt privilegia ab humanis legibus poſſeſſioni bonæ fidei conceſſa.

Effectus Poſſeſſionis bonæ fidei.

II. Bona fides eſt prudens credulitas, & fundata ſuaſio, rem, quam quis poſſidet, eſſe ſuam, quamvis reapſe non ſit. Hæc bona fides deeſſe poteſt vel in principio poſſeſſionis, vel in decurſu: & ideo, qui inchoat poſſeſſionem cum fide mala, nedum certe non inchoat præſcriptionem, ſed tenetur reddere quod poſſidet, quia credit non eſſe ſuum. Similiter, qui inchoat poſſeſſionem cum fide dubia, ideſt dubitando an res ſit ſua, non inchoat poſſeſſionem ad præſcribendum requiſitam, quouſque non occurrant ipſi motiva, quæ oſtendant rem eſſe ſuam, ut prudenter poſſit deponere dubitationem illam, & tunc duntaxat incipit poſſidere bona fide inchoante præſcriptionem. Ratio eſt, quia in dubio magis favendum eſt reo, quam actori; unde actore non probante, reus abſolvitur: atqui quando tu vis incipere rei alicujus poſſeſſionem, geris perſonam actoris, & alterum re ſua privare intendis: tibi igitur incumbit probare, illam rem non eſſe illius, ut tu eadem potiri valeas; ſi ergo tu non probes, ſed dubites, alter, qui gerit perſonam rei, non eſt expoliandus; ſed eidem favendum eſt, relinquendo illum in ſua poſſeſſione.

Poſſidens mala, aut dubia fide non inchoat præſcriptionem.

III. Probabilius eſt cum Soto lib. 4. de Juſtit. q. 5. a. 4., quod quando dubium ſupervenit poſſeſſioni bonæ fidei inchoatæ, illam interrumpat, donec perſeveret; & niſi poſſit prudenter deponi, obliget poſſeſſo-

Dubium ſuperveniens poſſeſſioni inchoatæ.

illam interrumpit, quousque durat, ne præſcribatur.

ſeſſorem ad reſtituendum pro rata. Ratio primæ partis eſt, quia cum tali dubio diſcreto, fundato, & probabili, nequit amplius ſubſiſtere bona conſcientia, & fides, quod res ſit mea. Nam dubium illud eſt vulnus quoddam conſcientiæ, illam prudenter inquietans: igitur hæc non ſubſiſtit ſana & quieta; & quamvis non ſit mala, profecto neque bona, & integra: non ergo ſufficit ad continuandam præſcriptionem, ſed illam interrumpit: cum, ut vidimus ſupra ex Concil. Lateranenſi: *nulla valet abſque bona fide præſcriptio*: Confirmatur ex cap. *Inquiſitioni* 44. de ſentent. excomm. ubi de dubitante circa valorem ſui matrimonii reſpondet Innoc. III. *Diſtinguimus utrum habeat conſcientiam hujuſmodi ex credulitate levi, & temeraria, an probabili & diſcreta: & quidem ad paſtoris ſui conſilium conſcientia levis, & temerariæ credulitatis exploſa, licite poteſt non ſolum reddere, ſed etiam exigere debitum conjugale. Verum cum conſcientia pulſat animum* (nota bene) *ex credulitate probabili, & diſcreta: quamvis non evidente, & manifeſta; debitum quidem reddere, ſed poſtulare non debet, ne in alterutro contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam.* En igitur quomodo reſpondet Pontifex in caſu dubii diſcreti & probabilis, non poſſe conjugem petere debitum: ita neque retinere poſſeſſum: Sed eſſe reſtituendum, & quidem pro gradu, & rata dubii; habito cum docto & probo confeſſario conſilio.

Evertitur motivum adverſe opinantium.

IV. Allato nunc canone ſolvitur alius canon, in quo fundatur contraria multorum opinio; in quo dicitur: *Si virgo neſciens nupſerit viro alieno, & hoc ſemper neſciat, nunquam ex hoc erit adultera; ſi autem ſciat, jam hoc eſſe incipit, ex quo cum alieno viro ſciens cubaverit. Sicut in jure prædiorum, tamdiu quiſque poſſeſſor bonæ fidei rectiſſime dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienum*: atqui, dicunt contrarii, (at male) qui dubitat, ignorat ſe habere alienum; igitur eſt bonæ fidei poſſeſſor. Sed negatur ſolemniter, quod dubitans dubio diſcreto, & probabili, ignoret, ſicut ſignificatur in hoc canone: ignorantia in hoc canone ſignificat neſcientiam de contrario; & verum eſt, quod penitus neſciens ſe habere alienum, bona fide poſſideat: Sed alia extat ignorantia, quæ ſignificat incertitudinem, formidinem, ſe habendi alienum, ideſt ignorat eſſe alienum, ſicut ignorat eſſe ſuum; & hæc eſt ignorantia, de qua in præſenti; de qua nunquam poteſt eſſe verum, quod non vulneret bonam fidem. Quod autem hic ſit ſenſus canonis objecti, ex eo manifeſte liquet, quod ſi canon eſſet intelligendus in ſenſu adverſariorum, ſequeretur, quod mulier dubitans virum, quem habet, eſſe alienum, deberet reputari ut ignorans eſſe alienum, unde non peccaret, ſi debitum peteret; atqui hoc eſt falſum, & expreſſe vetitum in canone pro nobis allato; ergo dubitans non eſt ignorans in canone expreſſus, ſed ignorans omnino neſciens: profecto huic ſolutioni quid reponi poteſt? Dubitans itaque, ſi dubium prudenter purificare nequeat, reſtituere tenebitur, ut etiam antea dicebam, pro rata, & gradu dubii, de conſilio docti theologi.

Error tum juris quam facti impedit præſcriptionem, ſi vincibilis ſit.

V. Etiam error tam juris, quam facti, ſi ſit vincibilis, impedit præſcriptionem, quia cum tali errore nequit ſtare bona fides, quæ eſt innocens credulitas, & ſuaſio, rem ita eſſe; error autem vincibilis eſt ſuaſio culpabilis, orta ex omiſſione diligentiæ, quæ debuit, & potuit præſtari; igitur corrumpit bonam fidem. Proinde ſi v. g. ignores vincibiliter legem vetantem pupillo donationes facere, & tu ab eo donum notabile accipias, (quæ eſt ignorantia juris) aut ignores vincibiliter hanc rem eſſe furtivam; (quæ eſt ignorantia facti) cum alioquin ſcias a fure non eſſe emendum; accipis donum, & emis errore bonam fidem corrumpente, & præſcriptionem impediente. Error autem invincibilis facti non nocere præſcriptioni eſt adeo manifeſtum, ut non indigeat explicatione; quandoquidem non præſcribantur ſua, ſed aliena, errore facti invincibiliter interveniente.

Quomodo impediat error invincibilis?

At ſecundum communiorem ſententiam & probabiliorem, quamvis error ſeu ignorantia invincibilis juris obſcuri non noceat præſcriptioni in foro conſcientiæ, nocet tamen, & impedit illam error, & ignorantia invincibilis juris clari: ita expreſſiſſime lex 4. Juris ff. *de Juris, & Facti ignorantia*, ubi clariſſime dicitur: *Juris ignorantia negatur in Uſucapione prodeſſe; facti vero ignorantiam prodeſſe conſtat*. Si igitur tota vis preſcriptionis ex legum auctoritate pendet; & lex eſt adeo clare excludens a bona fide, requiſita ad preſcribendum, ignorantiam juris; ſaltem de jure claro & manifeſto intelligenda erit. Addunt tamen Doctores, quod ſi poſſeſſio eſſet longiſſimi temporis triginta, aut quadraginta annorum, hæc ignorantia non noceret; eo quod leges loquuntur de poſſeſſione in ordine ad

præ-

Digitized by Google

præſcriptionem ordinariam, nempe trium, decem, vel viginti annorum: cum hæc dumtaxat ſit cognita jure digeſtorum, ex quo depromitur jus citatum.

Alius error impediens.

VI. At quid dicendum de eo, qui ob ignorantiam habet malam fidem; nempe credendo ſibi non licere præſcribere id quod poſſidet, cum tamen ei licitum ſit? Reſpondet lex 31. *ſi fur* ff. de Uſucap. *Si quis id, quod poſſidet, non putat ſibi licere per leges uſucapere: dicendum eſt, etiamſi erret, non procedere uſucapionem, vel quia non bona fide videtur poſſidere, vel quia in jure erranti non procedat uſucapio*. Cum igitur lex ita definiat, & nos aſſentiri debemus, nempe hunc errorem nocere præſcriptioni.

§. XVII. *De tempore ad Præſcriptionem requiſito.*

Quot ſpecies bonorum præſcriptioni obnoxiorum?

I. OBſerva primo, bonorum præſcriptibilium alia eſſe mobilia, quæ loco moveri poſſunt; ut ſunt anulus, navis, pecunia &c., alia Immobilia, quæ loco moveri non poſſunt; ut ſunt prædia, domus &c. Obſerva ſecundo, quod quamvis hæc diviſio proprie conveniat rebus corporalibus, attribuitur etiam rebus incorporalibus, puta actionibus, debitis, beneficiis &c., & hæc quoque proportionabiliter dicuntur mobilia, vel immobilia, prout ſpectant ad bona mobilia, vel immobilia: Proinde v. g. debitum determinatæ pecuniæ dicitur quid mobile, ſicut ipſa pecunia: cenſus vero annuus, uſusfructus, beneficium &c. reputantur quid immobile, quia plerumque adjunguntur bonis immobilibus. Obſerva tertio, quod quemadmodum plerumque tempus brevius requiritur ad præſcribendum contra præſentes, quam contra abſentes; ita plurimum confert ſcire, quinam legaliter tales denominari debeant. Præſens juxta leges ille dicitur, qui commoratur in eadem Provincia: Abſens autem, qui in diverſa provincia; quando olim ab eodem Præſide provincia regebatur, ut obſervant Juriſtæ. Cum autem modo plures contingat in eadem provincia Præſides inveniri; ideo nunc de Territoriis verificatur, quod tunc verificabatur de provinciis; ita ut præſens dicatur, qui in eodem Territorio; abſens vero qui in alio Territorio commoratur.

Quędam obſervanda.

Alia obſervanda.

II. Nota præterea quarto, aliam vocari poſſeſſionem Longi temporis, qualis eſt Decem annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes: aliam Longiſſimi temporis, qualis eſt triginta, vel quadraginta annorum: aliam Centenariam, nempe centum annorum: aliam immemorabilem, cujus videlicet ignoratur initium etiam apud ſeniores viventes, qui ſemper audierunt ita factum fuiſſe. Differt autem immemorabilis a centenaria, quod hæc aliquando poteſt eſſe non immemorabilis: Immemorabilis autem in Jure eſt magis privilegiata; unde contra quos valet Centenaria, valet etiam Immemorabilis. Nota demum, quod Præſcriptio aliquando dicitur dormire; (ſomno quidem legali) aliquando vero interrumpi. Tunc dormire cenſetur, quando jam inchoata deſinit progredi; ita tamen, ut expleto motivo propter quod dormiebat, denuo evigilet, & ſuum curſum reaſſumat, & anni præteriti cum ſequentibus conjunguntur: non tamen enumerantur illi, quibus dormivit. Tunc vero interrumpi dicitur, quando, poſtquam fuit inchoata, deſinit progredi, ita ut ſi rurſus progrediatur, anni anteriores computari non debeant, ſed denuo inchoari. Do exempla: Dormire dicitur tempore belli, vel peſtis, quando jus non dicitur, aut homines fugiunt ad alia loca: quando Eccleſia caret Rectore, dormit contra Eccleſiam illam: quando ille, contra quem præſcribitur, agere non poteſt, qualis eſt pupillus, durante ætate pupillari: aut ſi eſt adultus, abeſt ob negotia publica; puta legatus: vel eſt captivus: vel juxta ſuperius dicta §. 14. n. 5. eſt defunctus. Dicitur autem interrumpi duobus modis, nempe aut Naturaliter, v. g. quando poſſeſſor a rei poſſeſſione ejicitur, quamvis violenter, & intra annum non poſtulet reſtitui; aut interrumpitur Civiliter, ideſt per actum juriſdictionis v. g. per conteſtationem litis. Quod ſi Actor rem non proſequatur, non interrumpitur præſcriptio; eo quod ille, qui litem ſponte deſerit, manifeſtat ſe ejuſdem injuſtitiam cognoviſſe. His attente obſervatis, ponuntur ex Jure ſequentes regulæ.

Tempus ad præſcribenda mobilia.

III. Bona mobilia, cujuſcunque ſint, etiam Eccleſiarum, etiam Romanæ, præſcribuntur, per triennium poſſeſſionis cum titulo inter præſentes; inter abſentes vero per quadriennium: ita Inſtitut. lib. 2. tit. 6., & Authentic. *quas actiones* Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis: ſi autem deſit titulus, requiritur poſſeſſio triginta annorum; tunc enim præſumitur titulus extitiſſe.

Tempus ad præſcriben-

IV. Bona immobilia, ut præſcribantur contra Eccleſiam Romanam, requirunt poſſeſſio-

Ad immobilia. ſeſſionem centum annorum: contra vero alias Eccleſias, vel Hoſpitalia, vel Monaſteria, vel pias cauſas, requirunt quadraginta annos poſſeſſionis: ita in laudata Authentic. Ad præſcribenda bona immobilia privatorum, ſi adſit titulus, requiruntur decem anni inter præſentes, & viginti inter abſentes: Ita Inſtit. de Uſucapionib. Si vero deſit titulus, requiruntur triginta anni: ita lex 3. Cod. de præſcript. viginti vel quadrag. annorum. Quod ſi Dominus fuerit partim præſens, partim abſens, tot anni erunt adjungendi, quot fuit abſens: ita in laudata Authentic. *quod ſi* Cod. de præſcript. longi temporis: & ſic duo anni abſentiæ computantur pro uno præſentiæ: Unde ſi ille, contra quem præſcribitur, fuerit præſens ſex annis, & poſtea fiat abſens; ut bonum immobile contra ipſum preſcribatur, requiruntur adhuc octo anni. Ad præſcribendum contra Ordinem S. Benedicti, requiritur tempus ſexaginta annorum.

Quanto tempore præſcribitur ſervitus? V. Servitus perſonalis præſcribitur tempore decem annorum cum titulo inter præſentes: inter abſentes ſpatio viginti annorum; ſine titulo autem, ſpatio triginta annorum. Servitus realis, continuata decem annorum ſpatio, præſcribitur inter præſentes; & viginti annorum inter abſentes.

Tempus pro Jure patronatus. VI. Eccleſiæ ſubditæ juri Patronatus, poteſt jus patronatus a laico contra laicum præſcribi tempore decem annorum inter præſentes cum titulo; & viginti inter abſentes. & ſine titulo, requiritur tempus triginta annorum: ita ex variis Juribus.

Tempus pro beneficiis. VII. Beneficium adverſus privatum, alioquin habentem titulum legitimum, decem annorum tempore præſcribitur inter præſentes, inter abſentes autem tempore viginti cum titulo; ſine titulo autem poſſeſſio beneficii non cenſetur inchoata bona fide, eo quod beneficium ſine inſtitutione non poſſit canonice obtineri. Qui beneficium per triennium pacifice obtinet cum titulo, & bona fide, ut ſupponitur; & abſque ingreſſu ſimoniaco, præſcribit contra actionem cujuſlibet impetentis tam beneficium, quam fructus.

Tempus pro bonis Minoris. VIII. Quæcunque res, quæ ſint Minoris, ideſt in Minoritate conſtituti, non præſcribuntur, niſi poſt triginta annos, quibus, docent aliqui, præſcribi etiam res furtivas, bona penitus fide receptas.

Remedia contra præſcriptionem. IX. Contra præſcriptionem conceditur remedium a jure, quod dicitur Reſtitutionis in integrum, ideſt ut res, quæ jam erat præſcripta, interveniente recurſu ad Judicem, hujus auctoritate reſtituatur. At hoc privilegium non omnibus conceditur, ſed dumtaxat primo Minoribus, illis videlicet qui ſub Curatore degunt uſque ad annum ætatis ſuæ vigeſimum quintum completum; quibus conceditur poteſtas reclamandi per quadriennium, ideſt uſque ad annum ſuæ ætatis vigeſimum nonum completum. Secundo Locis Piis, & Eccleſiis, quamvis præſcriptio fuerit quadraginta annorum, & ſupra. Tertio concedi juſtis de cauſis dicitur etiam Majoribus: at dubitant multi, an illis concedatur etiam contra præſcriptionem triginta, vel quadraginta annorum. Cauſæ juſtæ ſunt, ſi in captivitate erant, ſi ob Reipublicæ ſervitium aberant; ſi invincibili ignorantia tenerentur, idque probent: ob has cauſas conceditur Majoribus facultas reclamandi contra præſcriptionem per quadriennium; poſt ſublata impedimenta, & notitiam acquiſitam, ſi proveniret ex ignorantia. Ita ex pluribus legibus a Doctoribus allatis.

CAPUT III.

DE INJUSTITIA SEU INJURIA.

§. Unicus. *De notione injuſtitiæ, ſeu injuriæ, ejuſdemque varia diviſione.*

I. JUſtitiæ officium eſt, ut vidimus, aliena jura intacta ſervare. Id autem impoſſibile eſt adimplere, niſi cognoſcantur modi, quibus lædantur: læſio vero alienorum jurium, injuria nuncupatur. Cum igitur diſſeruerimus de jure, quod eſt materia, ſeu objectum juſtitiæ, recta methodus poſtulat, ut compertum fiat, quibus modis, ſeu quibus injuriis jus alienum lædatur, ut a juſtitia remedium præſcribatur. Idcirco poſt capita de Juſtitia, & de Jure, ſequitur caput de læſione juris, ſeu de Injuria, & de modo illam reparandi per Reſtitutionem.

II. Injuſtitia proprie accepta communiter definiri ſolet: Juris alieni voluntaria violatio, idcirco additur & voluntaria, ut excludatur a ratione formalis injuſtitiæ & injuriæ actio illa, quæ tametſi alieni ju- **Quid ſit Injuſtitia?**

ris

ris læſiva, non deliberate fit. Unde opportune S. Thom. 2. 2. qu. 59. art. 3. docuit: *Injuriam per ſe & formaliter nemo poteſt facere, niſi volens.*

Quomodo volenti non fiat injuria? III. Cum igitur injuria ſit voluntaria læſio juris alieni, deducitur veritas illius regulæ 27. Juris in 6. *quod ſcienti & conſentienti non fiat injuria*: quandoquidem qui ſcienter & omnino voluntarie abſque ulla vi, fraude, dolo malo &c., aſſentitur, ut ſibi fiat aliquid, hoc ipſo cedit juri ſuo, nec violatur. Ut tamen id ſit verum, requiritur, ut poſſit valide cedere juri ſuo, quia niſi id poſſit, tunc fit injuria, ſi non ipſi, ut tali particulari perſonæ, attamen certe ipſi ut in tali vitæ ſtatu conſtituto. Sic Pupillus & Minor invalide cedunt juri bonorum ſuorum, cui cedere nequeunt, ſine licentia Tutorum, & Curatorum ſuorum: ſic conjugatus non poteſt cedere juri ſuo, cedendo uxorem extraneo; quia juris conjugalis ipſe non eſt dominus, nec eſt in illius poteſtate cedere præfato juri, quod maxime in fidelitate & indiviſione unius carnis conſiſtit; & proinde damnata fuit theſis 50. ab Innoc. XI. *Copula cum Conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; ideoque in confeſſione ſufficit dicere ſe eſſe fornicatum*: quandoquidem adulterium injuriam affert bono juris matrimonialis, cujus nulla privata perſona poteſt eſſe domina, ſed ſolus Deus, qui fidelitatem, & diviſionem carnis voluit in matrimonio eſſe ſervandam. Unde quamvis adulter forte non faciat injuriam illi, ut Petro v. g., facit illam ipſi ut marito; quo ſtatu ſe expoliare non poteſt, neque juri mariti cedere.

Diviſio Injuſtitiæ, ſeu Injuriæ. IV. Cum itaque oppoſitorum eadem ſit ratio, proinde injuſtitiæ diviſio a diviſione juſtitiæ erit petenda, & tot enumerandæ injuſtitiæ, quot fuerint juſtitiæ diſtinctæ. Propterea primo dividi poteſt Injuſtitia in Generalem, & Particularem; prima contra juſtitiam generalem, ſecunda contra particularem: hæc vero multiplicatur juxta varia damnorum, ſeu injuriarum genera, quæ tentat inferre. Damna itaque quibus homo ſubjacere poteſt, verſantur circa genera bonorum & jurium, quorum capax eſt homo: eſt autem capax bonorum; ſpiritualium ad animam pertinentium, nempe gratiæ, virtutum &c.; bonorum corporalium, ſeu naturalium ad corpus pertinentium, vitæ, ſanitatis, membrorum &c., bonorum civilium, famæ, honoris &c., & bonorum temporalium, prædiorum, pecuniarum &c., unde injuriam pati poteſt circa ſingula; & ſic totidem enumerandæ erunt injuſtitiæ ſeu injuriæ. De quibus omnibus ſingulatim in Capite quinto & ſequentibus diſſeretur. Prius igitur diſſerendum occurrit de reparatione injuſtitiæ in generali, & idcirco ſequens ſubjungimus caput.

CAPUT IV.

DE
RESTITUTIONE
GENERATIM.

§. I. *De Notione, & Neceſſitate Reſtitutionis.*

I. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 1. *Reſtituere nihil aliud eſſe videtur, quam iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſionem, vel dominium rei ſuæ: & ita in reſtitutione attenditur æqualitas juſtitiæ ſecundum compatationem rei ad rem; quod pertinet ad juſtitiam commutativam: & ideo reſtitutio eſt actus commutativæ juſtitiæ, quando ſcilicet res unius ab alio habetur, vel per voluntatem ejus, ſicut in mutuo, vel depoſito; vel contra voluntatem ejus, ſicut in rapina, vel furto.* Hinc apparet quomodo reſtitutio diſtinguatur a ſolutione, & ſatisfactione: a prima quidem, quia reſtitutio præſupponit rem fuiſſe in poteſtate illius, cui reſtituitur; ſolutio autem eſt collatio, ſeu datio rei, quæ ab eo, cui datur, nondum habita eſt: a ſatisfactione autem diſtinguitur ex triplici capite: Primo, quia ſatisfactio magis ample ſignificat, quam reſtitutio; eo quod omnes reſtitutio ſit ſatisfactio, non vero omnis ſatisfactio reſtitutio: puta qui ſolvit pretium anuli ſatisfacit, ſed non reſtituit niſi in improprio ſenſu; Secundo, quia ut docet S. Thomas in 4. d. 15. qu. 1. art. 5. ad 1. *Reſtitutio eſt reparatio inæqualitatis exiſtentis in rebus: reparatio autem inæqualitatis exiſtentis in actionibus, & paſſionibus, ſatisfactio nominatur.* Satisfactio itaque refertur ad perſonam cui ſatisfit, tametſi non fiat æqualitas, ut patet in ſatisfactionibus noſtris Deo oblatis: reſtitutio autem efficit æqualitatem rei ad rem. Tertio, quia ſatisfactio proprie accepta, præſupponit in- Quid ſit Reſtitutio?

ju-

juriam perſonalem, pro qua compenſationem affert; quod non præſupponitur a reſtitutione proprie accepta: puta dum quis reddit mutuum, reſtituit commodatum; in quibus intervenit reſtitutio abſque ſatisfactione.

Reſtitutio quomodo neceſſaria? II. Reſtitutio quando fieri poteſt effective, eſt de neceſſitate ſalutis. Nam ut ait S. Thomas loc. cit. art. 2. *Cum conſervare juſtitiam ſit de neceſſitate ſalutis, conſequens eſt, quod reſtituere id, quod injuſte eſt ablatum alicui, ſit de neceſſitate ſalutis.* Dixi quando effective fieri poteſt, quia ſi revera fieri nequeat; tunc ſufficiet ſincerum propoſitum illam exequendi quamprimum poteſtas aderit, & omnem adhibere curam, ut hæc poteſtas adſit: ait enim S. Auguſtinus in Epiſt. ad Macedonium: *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poſſit, & non reddatur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur: ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; ſi, ut dixi, reſtitui poteſt. Si enim non habet, unde reſtituat, huic vere non poſſumus dicere, redde, quod abſtuliſti.* Quod autem dicimus de rebus injuſte ablatis, intelligitur etiam de injuſte retentis; ut enim dicitur in Cap. *ſæpe* de reſtit. ſpoliat. *Non multum intereſt, quoad forum animæ, injuſte retinere, & invadere alienum:* & Gloſſa ibidem: *pro eodem reputant jura auferre, & detinere injuſte.* Aures hic arrigant Confeſſarii pœnitentium, qui debita non ſolvunt venditoribus, operariis, mercenariis &c., cum poſſint, & ſolutionem differunt abſque juſta & neceſſaria cauſa; ne faciles ſint in impendenda eiſdem abſolutione, præcipue ſi aliquoties id ſpoponderint, & defecerint: quia *non agitur pœnitentia, ſed ſimulatur:* cum teneantur etiam cum ſuo incommodo illa ſolvere, & quam maxime operariis, & creditoribus, qui inſtant pro ſolutione; aut qui ob metum petere non audent, quamvis indigeant: abſolutionem differant donec ſolvant, ſi moraliter ſolvere poſſint.

Retinere alienum actualiter peccatum? III. Hic notanda occurrunt verba S. Thomæ loc. cit. art. 8. ad 1. *Præceptum de reſtitutione facienda, quamvis ſecundum formam ſit affirmativum, implicat tamen in ſe negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere.* Et propterea, qui rem alterius detinet, dum poteſt moraliter illam reddere, ſive eam furto abſtulerit, ſive eam non ſolvendo retineat, ut ſunt debita pecuniaria, eſt in continuo ſtatu peccati lethalis habitualis; illudque actualiter toties renovat, quoties potens aut totum, aut partem notabilem ſolvere, id non curat: & multo magis interius dicat, modo nolo ſolvere: unde tenetur in confeſſione ſignificare tempus, quo fuit in mora culpabili ſolvendi, & reſtituendi; nec non circiter vices, in quibus, memor ſui debiti, aut expreſſe, aut tacite ſolvere noluit, ſive poſitive nolendo, ſive negligendo, & ſolvere non curando; quia primum eſt circumſtantia eo notabilius aggravans, quo prolixius fuit tempus; & ſecundum ſpectat ad numerum peccatorum gravium in confeſſione exponendorum.

§. II. *De Radicibus, ex quibus oritur obligatio reſtituendi.*

Recenſentur Radices, & explicatur prima Titulo Rei acceptæ. I. TRes communiter enumerantur radices, ſeu origines, ex quibus naſcitur reſtituendi obligatio: prima dicitur titulo Rei acceptæ; ſecunda titulo injuſtæ Acceptionis; tertia titulo Contractus. Titulo rei acceptæ ſignificat, quando quis habet rem alienam, putans integra bona fide eam eſſe ſuam: v. g. vitulum Titio dono dedit Petrus, qui illum Paulo furatus fuerat: Titius, cognita veritate, tenetur illum, ſi adhuc ſubſiſtat, reddere Paulo Domino; ſi autem illum in uſum ſuæ menſæ conſumpſiſſet, tenetur reddere Paulo quantum pepercit rebus ſuis, utendo eo vitulo: puta ſi in aliis cibis emendis conſumpſiſſet tres florenos, quos non expendit, quia vitulum in cibos conſumpſit; ad erogandos tres florenos tenebitur Paulo: quia in ſolis tribus florenis, ut ajunt, factus eſt ditior, ideſt pepercit bonis ſuis pro trium florenorum dumtaxat valore; & hoc eſt verum, tametſi vitulum decem florenorum valoris eſſet; quia poſſeſſor bonæ fidei (qualis eſt qui vitulum dono accepit) non tenetur reddere, niſi id, in quo factus eſt ditior: ditior autem factus eſt dumtaxat ſumma trium florenorum, quos dumtaxat expendiſſet in cibos minoris valoris, quam valeret vitulus, neque æquum eſt, ut aliquod damnum ſubeat, cum nullum delictum perpetraverit; damnum autem ſubiret, ſi decem florenos erogare obſtringeretur. Et propterea ſcripſit S. Thomas 2. 2. loc. cit. a. 6. *Ratione rei* (acceptæ,) *tenetur eam reſtituere, quamdiu eam apud ſe habet: quia quod habet ultra id, quod ſuum eſt,* (en in quo factus eſt ditior) *debet ſubtrahi, & dari ei, cui deeſt.*

Explica- II. Secunda radix ſeu titulus, eſt Injuſtæ

Digitized by Google

ſtæ Acceptionis, ſcilicet *contra voluntatem ejus exiſtens, qui eſt rei dominus, ut patet in furto, & rapina: & tunc tenetur ad reſtitutionem non ſolum ratione rei, ſed etiam ratione injurioſæ actionis, etiamſi res apud ipſum non permaneat: ſicut qui percutit aliquem, tenetur recompenſare injuriam paſſo, quamvis apud ipſum nihil maneat: ita etiam qui furatur, vel rapit, tenetur ad recompenſationem damni illati, etiamſi nihil inde habeat*, ait S. Th. loc. c. Unde qui injuſta actione, puta furando, & rapiendo, culpabiliter non ſolvendo debitum peccat, tenetur reſtituere nedum rem, vel ſummam, quam abſtulit, vel non ſolvit, ſed etiam omnia damna inde creditori ſecuta; quia actio illa injuſta eſt cauſa realis omnium illorum damnorum, ex privatione rei ſuæ creditori ſecutorum.

tur ſecunda Radix Injuſtæ acceptionis.

III. Id tamen intelligendum eſt cum grano ſalis reſpectu lucrorum, quæ facere poterat creditor, ſi rem, aut pecuniam ſuam habuiſſet. Si enim lucrum, quod percepturus fuiſset ſit incertum, variiſque periculis ſubjaceat, reſtituendum erit non totum, quod percepturus fuiſſet, ſi omnia proſpere accidiſſent, ſed dumtaxat pro rata ſpei, & computatis periculis ſecundum eorum multitudinem, & qualitatem. Ideo S. D. loc. cit. art. 4. hæc habet: *Aliquis damnificatur dupliciter, uno modo, quia aufertur ei id, quod actu habebat, & tale damnum eſt ſemper reſtituendum ſecundum recompenſationem æqualis: puta ſi aliquis damnificet aliquem, diruens domum ejus, tenetur ad tantum, quantum valet domus: alio modo, ſi damnificet aliquem, impediendo ne adiſpiſcatur, quod erat in via habendi; & tale damnum non oportet recompenſare ex æquo quia minus eſt habere aliquid in virtute, quam habere actu: qui autem eſt in via adipiſcendi aliquid, habet illud ſolum ſecundum virtutem, vel poteſtatem: & ideo ſi redderetur ei, ut haberet hoc in actu, reſtitueretur ei id, quod eſt ablatum, non ſimplum, ſed multiplicatum... Tenetur tamen aliquam recompenſationem facere, ſecundum conditionem perſonarum & negotiorum*. Et in 4. d. 15. q. 1. a. 5. q. 2. ad 4. *Ille qui ſuffodit ſemina, non tenetur ad tantum quantum agri fructus valituri erant, ſed quantum ager ſeminatus valere conſuevit; quia multis de cauſis poteſt impediri agrorum fructus. Et ſimiliter eſt de eo, cui debitum non reſtituitur ſuo tempore, quia non tenetur reſtituere tantum, quantum lucrari potuiſſet, ſed ſecundum æſtimationem lucri, quod accidere conſuevit, penſato labore, & infortuniis etiam, quæ in lucro accidere alias poſſent, quia lucrum non cauſatur tantum ex pecunia: ſed ex induſtria, & labore*. Hæc modo generatim ſufficiant, plura addituri in capite ſequenti §. 1.

Limitatio neceſſario addenda.

IV. Tertia reſtitutionis Radix eſt ex Contractibus: *Alio modo*, ait S. D. loc. cit. *aliquis accipit rem alterius in utilitatem ſuam abſque injuria, cum voluntatem ſcilicet ejus, cujus eſt res; ſicut patet in mutuis, & tunc ille, qui accepit, tenetur ad reſtitutionem ejus, quod accepit... etiamſi rem amiſerit: tenetur enim recompenſare, ei, qui gratiam fecit*. Cum igitur in caſu allato a S. D. de mutuo accepto, & inculpabiliter amiſſo, vigeat adhuc obligatio reſtituendi, & cum hæc obligatio non oriatur ex injuſta acceptione, ut patet, neque ex re accepta, quia ad nihil teneretur, cum illam amittens in nullo factus ſit ditior; ſequitur maniſeſte, quod debeat reſtitui titulo contractus mutui.

Explicatur tertia Radix reſtitutionis.

§. III. *De culpis, ex quibus oritur obligatio reſtituendi; & primo de culpæ Theologicæ qualitate.*

I. Duplex culpa diſtinguitur a Theologis, & Juriſtis, nempe Theologica; & Juridica. Culpa theologica eſt peccatum, ſeu actus humanus contra legem Dei æternam; ſi graviter, eſt mortale; ſi leviter, veniale: de quibus plura jam diximus in tract. 2. cap. 1. per totum. Culpa Juridica eſt omiſſio diligentiæ a legibus requiſitæ ad alterius damnum evitandum, ſive hujuſmodi omiſſio ſit theologice peccaminoſa, ſive non. Culpa Juridica triplex eſt, Lata, Levis, Leviſſima; quibus placuit multis addere Latiorem, & Latiſſimam. Latiſſima eſt maniſeſtus dolus malus; & definiri poteſt, omiſſio diligentiæ debitæ, ea intentione, ut alter damnificetur; puta dum cuſtos pretio conductus ad cuſtodiendam vineam, fingit ſe dormire, ut fures eam liberius devaſtent. Latior, eſt dolus, non maniſeſtus, ſed præſumptus; omittendo plane voluntarie diligentiam debitam, ex qua omiſſione prudenter prævidetur damnum ſecuturum; puta cum dictus cuſtos revera poſſit impedire fures, nihilominus non impedit, quamvis non ea intentione, ut furentur liberius. Lata, eſt omiſſio diligentiæ debitæ, quæ circa talem rem a prudentibus communiter adhiberi ſolet, puta ſi famulus

Quid ſit culpa Theologica, & quid Juridica, & hæc quotuplex?

Digitized by Google

lus negligat veſpere claudere oſtia domus, ex quo fit, ut fures ingredi poſſint. Levis, eſt omiſſio diligentiæ debitæ, quam diligentiores adhibere ſolent: puta cum quis pallium ſibi commodatum in cubiculo reliquit, oſtio cubiculi relicto aperto, vel non clavi clauſo, & cubiculum ſit in diverſorio. Leviſſima, eſt omiſſio diligentiæ debitæ, quam diligentiſſimi adhibere ſolent: puta ſi in caſu dicta pallii oſtium quidem clauſerit, ſed non expertus fuerit; an oſtium ſit bene clauſum.

Ubi nulla culpa Theologica, ibi nulla reſtitutionis obligatio, extra contractum.

II. Præſupponimus cum fere communi contra Adrianum, & nonnullos, quod damnum illatum alicui abſque omni prorſus culpa theologica, non obliget in conſcientia inferentem illud ad reſtitutionem: (loquendo extra contractum, & extra ſententiam judicis; de hoc enim in ſequenti paragrapho). Ratio eſt, quia ſi damnificatio illa eſt coram Deo immunis ab omni peccato, & omnino innocens, non obſtringit coram eo ad ullam reſtitutionem; eo quod nullo pacto dici debeat injuſta: igitur injuſte ageret, qui reſtitutionem peteret, quandoquidem tale damnum nullo modo imputari queat, quippe quod nullo modo voluntarium nec formaliter, nec virtualiter. Do exemplum: Petrus ſtabularius Joannis vadit hora noctis jam conſueta ad præbendum pabulum jumentis, equis &c., nec extat alia via adeundi ſtabulum, niſi tranſeundo per fænile; dum tranſit, pedibus offendit, & corruit coram facie ſua; cadendo aperitur lanternula, quam ſecum ferebat, vitriſque ejuſdem fractis, flamma lanternulæ ſtatim arripit fænum aridum: & momento exurgit incendium, quod vix permittit Petro aditum ſe ſubtrahendi, unde tam fænile, quam domus concremantur: quis unquam reum judicabit Petrum illius incendii? nemo unquam: ſi igitur nullo modo reus tanti damni, cur reſtitutioni obſtrictus in foro conſcientiæ?

* D. Thomas 2.2. q. 59. art. 2. in corp. ait *quod ſi aliquis faciat aliquod, quod eſt injuſtum non intendens injuſtum facere (puta cum hoc facit per ignorantiam, non exiſtimans ſe injuſtum facere) tunc non facit injuſtum per ſe & formaliter loquendo, ſed ſolum per accidens, & quaſi materialiter, faciens id quod eſt injuſtum.* Dum igitur aſſerit Auctor *n. præc.* quod damnificatio, quam quis alicui irrogat abſque omni prorſus culpa theologica nullo pacto dici debeat injuſta, in hoc ſenſu debet intelligi, & explicari, nempe quod nullo pacto ſit injuſta per ſe, & formaliter loquendo, non vero, quod non ſit injuſta per accidens & quaſi materialiter.

Ubi culpa ſolum venialis & damnum ſit grave quid agendum?

III. Præſupponitur item, quod quando intervenit actio mortaliter injuſta ex qua potuit aliquomodo prævideri damnum alteri inferendum, omni dubio vacet, reſtitutionem totius damni ex eadem ſecuti eſſe faciendam; id enim convincunt hactenus dicta, & naturalis ratio ſuadet. Dubium igitur in eo conſiſtit, an damnum grave inferens ex culpa dumtaxat certo veniali; teneatur in foro conſcientiæ ad totum damnum redintegrandum:

Reſolutio quæſiti.

Probabilior videtur opinio docens, quod dicto modo damnum inferens, ſpectatis naturis rerum, nec in toto ſit abſolvendus, nec ad totum redintegrandum adſtringendus, ſed ſit ei imponenda redintegratio pro parte, conſideratis mature circumſtantiis damni, perſonarum, locorum, & modi, quo damnum illatum fuit, & præcipue qualitatis culpæ: an certo ſit venialis, & certe non major; nam ſi eſſet dubie major veniali profecto ad totum eſſet obligandus: tunc enim melius eſſet conditio innocentis res ſuas juſte poſſidentis, ne illis privetur, neque ex parte, in favorem rei, de quo dubium eſt an culpam mortalem injuſtitiæ commiſerit; ita explicata aſſertione.

Probatur reſolutio?

IV. Probatur aſſertio quoad ſingulas partes, & primo quod ſit ei totum remittendum; quia juſtum non videtur, quod æqualis ratio ſit habenda domini omnino innocentis, reſque ſuas in quantitate notabili amittentis; ac hominis nocentis, tametſi ex culpa veniali; ita ut ſi alterutter damnum pati debeat, totum patiatur innocens, & leviter nocens immunis plane evadat; quænam enim major ratio militare poteſt pro nocente, quamvis levi peccato, nocente tamen, quæ longe urgentior non militet pro Domino omnino innocente? Lumen igitur naturale dictare videtur, quod ſi alteruter immunis evadere debeat, hæc ſors non profecto nocenti, ſed innocenti obtingere debeat. Illud itaque quod nocens redintegrare debebit, (& ſic probatur ſecunda pars) non erit utique totum; quandoquidem & id quoque lumen naturale dictare videtur: Nam, ſi juxta omnes, nocens ex culpa mortali totum damnum redintegrare tenetur; cur ad eamdem quantitatem tenebitur nocens ex culpa tan-

tantum veniali? Si reſtitutio ſe habet titulo cujuſdam juſtiſſimæ pœnæ a naturali jure impoſitæ inferenti damnum ex culpa theologica, ſi longe inæqualis eſt culpa, inæqualis quoque eſſe debebit & pœna. Unde ſi nullam omnino culpam theologicam committenti in damno inferendo, jure naturę nulla imponitur obligatio damnum reparandi, gradus lumine naturę præſcriptus poſtulabit, ut ſicut ubi nihil culpæ, nihil reſtituendum; ita ubi multum culpæ, totum reſtituendum; & ubi modicum culpæ, pro parte reſtituendum. Et his probata remanet tertia pars; nam ſi totum non eſt reſtituendum, ſi a toto non eſt diſpenſandum; ſequitur, quod pro rata culpæ certo ſolum venialis, & bene perpenſis omnibus circumſtantiis a prudentia librandis, ſit reſtituendum: & proinde ſi portio, ipſi reſtituenda, eſſet notabilis, teneretur ad illam ſub mortali; quia teneretur proximo in re notabili.

V. Conſulto dixi extra contractum, & extra ſententiam Judicis; quia ob hæc duo motiva poteſt incurri obligatio reſtituendi, etiam præciſa culpa theologica; quia ex contractu poſſum obligari, ſi natura contractus id poſtulet, aut ſi hoc onus ſuſcipiatur in contrahendo: ex ſententia Judicis inſpicientis commune bonum, & curantis ſollicitiores reddere ſuos ſubditos circa aliena, poſſum obligari etiam ſine culpa theologica.

§. IV. *De obligatione reſtituendi ex culpa Juridica.*

Quid reſtituendum ex culpa lata?

I. QUando culpę latę juridicæ ſuperius explicatę infligitur obligatio reſtituendi totum damnum ex ea ſecutum, vel ex contractu, vel a ſententia Judicis, vel a lege; procul dubio eſt totum reſtituendum: quia commune bonum id poſtulat, ſive admiſceatur culpę theologicę gravi, ſive levi, ſive non. Præciſis autem contractu, judice, & lege; diſtinguendum eſt juxta dicta; ſi enim culpæ latæ admiſceatur culpa & negligentia mortalis theologica, totum erit reſtituendum: ſi admiſceatur culpa venialis, erit reſtituendum pro parte, libratis circumſtantiis &c., ut diximus, plus tamen erit reſtituendum adjuncta culpa lata, quam pro ſolo veniali culpæ latæ non adjuncto, ut patet ex graduatione naturali. Si enim v.g. ob ſimplicem venialem culpam in damno illato mille ducatorum, debeam quingentos, profecto addita culpa lata juridica debebo octingentos: omnia evincuntur ex dictis; quin repetantur.

Officiales in miniſterio conſtituti ex qua culpa juridica teneantur?

II. Officiales, puta advocati patrocinando, medici medendo, Tutor aſſiſtendo &c., aliquando tenentur ad reſtitutionem ex culpa dumtaxat lata; aliquando etiam ex levi; aliquando etiam ex leviſſima. Et quoad primam partem: ſi officialis operetur in utilitatem alterius abſque ulla mercede, ſed ex ſolo charitatis, amicitiæ &c. ſtimulo; quando adhibet eam diligentiam, quæ communiter a prudentibus circa talem rem adhiberi conſuevit videtur neque reus eſſe cenſendus, neque plus poſtulari poſſe ab illo, cujus rem abſque ullo lucro gerit; niſi deficiendo ab hac communi diligentia, & incurrendo culpam latam. Exceptionem addit ſapiens Sylveſter, nempe ſi hic officialis ſponte ſe obtuliſſet, dum alius officialis valentior, ſe ſimiliter offerebat ad agendum gratuito; nam in hoc caſu teneretur etiam pro culpa juridica levi; quia illam diligentiam impendere tenebatur, quam valentior adhibuiſſet; quam non adhibendo, & incurrendo culpam levem, ſe obnoxium etiam pro hac culpa reſtitutioni conſtituit. Secunda pars tunc verificatur, quando Officiales mercede conducuntur; tunc enim contractus, aut quaſi contractus, cum cedat in utilitatem etiam officialis, tenetur ad reſtituendum etiam ob culpam levem juridicam; eo quod majoris diligentiæ debitum incumbit lucrum ex miniſterio reportanti, quam nullam utilitatem retrahenti: Si igitur hic tenetur dumtaxat ob culpam latam, ille tenebitur etiam propter levem. Quæ cum ſint vera, juxta communem, væ, væ, væ officialibus negligentibus! Tertia tandem pars, quod Officiales aliquando teneantur ob culpam leviſſimam, accidit, quando quis ſe peritiorem aliis concurrentibus profitetur, & propterea præeligitur; tunc enim non ſatisfacit, niſi illam operam præſtet, quam præſtant nedum diligentiores, ſed diligentiſſimi; quia talem ſe profitendo, implicite ſe obligavit ad exquiſitiſſimam curam & diligentiam impendendam, a qua ſi deficiat, reus erit damni ſecuti.

In aliquo caſu quicumque teneatur ad exactiſſimam.

II. Quandoque evenit caſus, ut hac exactiſſima diligentiſſimorum cura ſit impendenda ab officiali, præciſis etiam omnibus allatis circumſtantiis, quia rei gravitas ita ex ſua natura requirit; puta ſi agatur de infamia honeſtæ familiæ, de infirmi-

mitate mortali Patrisfamilias neceſſarii ad illam alendam, de gemma ſingularis valoris, de ſtabiliendo fundamento ſumptuoſi ædificii &c., in his, & ſimilibus caſibus officialis quicunque tenetur ad exactiſſimam curam rei gerendæ, ita exigente ipſamet rei natura.

Conſiliarii ex qua culpa teneantur?

IV. Conſiliarii, circa materias ad eoſdem pertinentes, ſimiliter tenentur de culpa lata, ſi gratis conſilient; & de levi, ſi ſtipendio ducti; & de leviſſima in caſu maximi momenti, ut dictum eſt. Si conſiliarius in conſilio dato ſuam formidinem oſtendat, & conſilium petenti inſinuet, ut etiam alios adeat peritos, ad veritatem melius explorandam; non videtur, ita caute procedens, obligandus; ſed damnum, ſi ſequatur, imputandum eſſe negligentiæ petentis conſilium, qui videns dubietatem, & audiens inſinuationem primi, alios adire debebat. Neque opponas illud juris in 6. regula 62. *Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Quia vel jus loquitur de conſiliariis non ex officio, ſeu profeſſoribus; vel, ſi etiam de iſtis intelligat, non excludit culpam latam, quæ in jure æquiparatur fraudi, ut communiter docent poſt Gloſſam ibidem: nec non ex lege 226. de verborum obligat: Si autem Conſiliarius non ſit profeſſor, nec ex officio, ſed ſuam opinionem, prout ſibi videtur, exponat; tunc ſi damnum accidat, non videtur ipſi adſcribendum, ſed imputandum oſcitantiæ audientis, & exequentis conſilium, qui debebat peritos conſulere. Si tamen hic conſiliarius ſuaderet petentem, ut ſuum conſilium exequatur: tunc non evaderet immunis ab obligatione reſtituendi; & multo magis ſi retraxiſſet petentem ab inquirendo alterius conſilio; quia nimis imprudenter, & præſumptuoſe ſe geſſiſſet, præcipue ſi res eſſet notabilis. Neque excuſare eum poſſet bona fides; quia hæc ſtulte præſumitur ab ipſo, cum nunquam poſſit componi cum modo adeo præſumptuoſo, & imprudente ſe gerendi.

Quænam culpa juridica pro contractibus utilibus ſoli recipienti?

V. In contractibus cedentibus in utilitatem ſolius recipientis, puta Commodato, tenetur recipiens etiam ex leviſſima culpa juridica; ex lege 18., §. Commodatum; & ex Inſtitut. lib. 3. tit. 15. Ratio patet, quia hic tenetur etiam ad exactiſſimam curam diligentiſſimorum; nec juſtum eſt, dominum privari re ſua, ob leviſſimam etiam negligentiam recipientis, in cujus ſolius utilitatem reſultat contractus. Alia dicentur ſuo loco tract. 10. cap. 14. §. 2.

Quænam pro contractibus utilibus ſoli danti?

VI. Si contractus cedat in utilitatem ſolius dantis, puta depoſitum, recipiens non tenetur niſi de culpa lata juridica: ita ex lege 5. §. commodatum; & ex Inſtitutionum lib. 3. tit. 15. Ratio liquet, quia cum tota utilitas ſit dantis, & recipiens non niſi incommodum ſubeat, juſtum eſt, ut hic non ſubjiciatur reſtitutioni, niſi pro culpa lata. Excipe niſi depoſitarius ſe obſtrinxiſſet ad exactiſſimam cuſtodiam: ex leg. 1. §. de Depoſit; item ſi in mora eſſet reddendi depoſitum, quando poterat, & debebat; quia in his duobus caſibus teneretur etiam de leviſſima culpa; ita in cap. ult. de Depoſit.. Item ſi utilitatem percepiſſet; quia tunc teneretur etiam pro levi culpa; nam cederet etiam in utilitatem ſuam: item ſi ſe jactaret depoſitarium diligentiſſimum, ex quo motus fuiſſet deponens ad ei dandum depoſitum; quia tunc virtualiter ſe obligaſſet ad exactiſſimam cuſtodiam, & teneretur etiam pro culpa leviſſima: ita ex citatis juribus.

Quænam pro contractibus utilibus utrique?

VII. Si contractus cedat in utilitatem utriuſque contrahentis, æquitas poſtulat, ut non teneatur ob eam culpam, quæ obligat, quando contractus cedit in utilitatem unius tantum: ergo nec ſolum pro lata, nec pro leviſſima; igitur pro levi; ita leg. 5. §. commodat. & leg. 25. de regul. Juris. Excipiendus eſt caſus, quo mercede conductus deberet laborare circa rem admodum fragilem, multique valoris; quemadmodum ſi ſuſciperet negotium gerendum maximi momenti, quia in his caſibus, ita poſtulante rerum agendarum, & negotiorum natura, teneretur ad reſtitutionem etiam pro leviſſima culpa juridica. Nota, omnia hæc eſſe communia, & has omnes obligationes vim habere in foro conſcientiæ, tum ob rationem naturalem, tum ob jura ita decernentia.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

DE

RESTITUTIONE

IN PARTICULARI, ET PRIMO CIRCA BONA TEMPORALIA.

§. I. *De Furto, & Rapina.*

Quid ſit furtum? Quid rapina?

I. FUrtum juxta Angelicum Doctorem 2. 2. q. 66. art. 3. *Eſt occulta acceptio rei alienæ. Rapina autem quamdam violentiam, & coactionem importat, per quam contra juſtitiam aufertur alicui, quod ſuum eſt ... & ideo quicumque per violentiam aliquid alteri aufert, ſi ſit privata perſona, non utens poteſtate publica, illicite egit, & rapinam committit* : loc. cit. a. 8. Et hinc in art. 9. infert. rapinam longe gravius peccatum eſſe furto : *quia per rapinam non ſolum infertur alicui damnum in rebus, ſed etiam vergit in quamdam perſonæ ignominiam, ſive injuriam; & hoc præponderat fraudi vel dolo, quæ pertinent ad furtum*: & ideirco eſt circumſtantia in confeſſione explicanda.

Definire præciſe materiam gravem reſpectu omnium difficillimum.

II. Sicuti certum eſt, materiam medii oboli non eſſe gravem pro furto, & rapina, ita certum eſt; centum aureos eſſe materiam gravem. Definire autem materiam, quæ pro omni perſonarum ſtatu, pro omni tempore, & pro omni ſpecie rerum, habenda ſit gravis, puto impoſſibile, quamvis plures Doctores eam definire conati ſint.. Hi ſunt Navarrus lib. 3. c. 1. n. 36. Reginaldus tom. 2. lib. 22. c. 1. qu. 4. num. 19., Bonacina de Contractib. diſp. 2. q. 8. punct. 1. n. 7. Layman tom. 1. lect. 5. tr. 2. punct. 1. cap. 1. n. 2. & alii. Puto cum omnibus hoc judicium regulandum eſſe ex conſideratione circumſtantiarum. Nam etiam furtum unius acus ſartori alium non habenti, neque alium invenire valenti, unde compellatur tota die ſine lucro manere, poteſt eſſe mortale : proinde gravitas elicienda eſt ex circumſtantiis. His non obſtantibus, ſalvo meliori judicio, putarem, quod etiam reſpectu Principis unus aureus ſit materia gravis ; minor autem quantitas reſpective juxta varios privatorum gradus, & conditiones, poteſt eſſe gravis.

* Furtum quod committitur auferendo ſartori acum, ſutori ſubulam, ſcribæ calamum, pictori penicillum &c. ſine quibus inſtrumentis nequeunt illi per unum, vel plures dies laborare, & artem ſuam exercere ad victum ſibi comparandum, per accidens dumtaxat mortale evadit, ratione ſcilicet nocumenti & damni extrinſeci ſecuti. Hinc Theologi diſtinguunt materiam, quam appellant *damnificativam a furtiva*; aſſeruntque quod materia, quæ *rei furtivæ* levis eſt, *rei damnificativæ* gravis eſſe poteſt, ut ex allatis exemplis, aliiſque ſimilibus liquido conſtat. Per accidens autem non ſolum ex hoc, verum etiam ex pluribus aliis capitibus furtum rei de ſe levis, lethalis criminis malitiam contrahit, nempe 1. ratione gravis mœroris, quem fur prævidet a domino concipiendum ex ablatione rei ſuæ, licet modicæ, quam affectu magno proſequitur; & in tali caſu eo gravius erit peccatum, quo magis fur cognoſcit affectum domini erga illam rem quamvis parvam, magiſque conſcius eſt triſtitiæ, qua ille afficiendus eſt ob ejus ablationem. 2. ratione ſcandali, ut ſi quis ob rem levem, quam ſurripit, prævideat dominum blaſphematurum, vel aliquod aliud mortiferum peccatum commiſſurum; aut innocentem grave damnum incurſurum. 3. ratione pravi finis, ut ſi quis rem parvi momenti furetur ad finem lethaliter pravum v. g. folium chartæ ad ſcribendam amaſiæ inhoneſtam epiſtolam. 4. ratione intentionis, ut ſi quis parum quid furando haberet intentionem materiam notabilem rapiendi ſi poſſet. Unde ſi pœnitens confiteatur ſe modicum quid furatum eſſe, a confeſſario interrogandus erit, an forte non defuerit animus plura ſurripiendi, ſi copia, vel occaſio fuiſſet. 5. ratione violentiæ, ut ſi res parva auferatur cum notabili violentia. In his tamen caſibus, ut ſcite animadvertunt Sylvius 2. 2. *q.* 66. *art.* 6. Em. Gotti *tract.* 14. *de Reſtitut. q.* 5. *dub.* 10. §. 1. *n.* 1. & Petrus Collet *Inſtit. Theol. tom.* 2. *tract. de Juſtit. cap.* 4. *art.* 4. *ſect.* 1. peccatum non tam grave eſt in genere furti, quam in genere injuſtæ damnificationis, aut ſcandali, aut pravi finis, aut appetitus inordinati, aut injuriæ &c. ſeu non eſt furtum grave proprie tale. Quare ſi lata eſſet excommunicatio contra graviter furantes, vel peccatum grave furti foret reſervatum, in nullo ex dictis caſibus aut excommunicatio incurreretur, aut reſerva-

tio, quia hæ pro furto gravi formaliter tali cenſendæ ſunt impoſitæ, non pro eo quod grave evadit ex aliis capitibus.

Dum itaque inquiritur, quandonam furtum mortale peccatum cenſeri debeat, ſermo eſt de furto in genere furti, ſecluſo quorumque alio; ſeu inquiritur de quantitate materiæ per ſe ad mortale peccatum in furto requiſita. Porro quantitatem per ſe requiſitam ad mortale peccatum in furto debere eſſe gravem vel abſolute vel reſpective, concors eſt Theologorum omnium ſententia, quippe ablatio rei leviſſimæ, puta oboli, nequit eſſe mortalis per ſe, cum ſit levis læſio proximi, & leve malum. Quantitas autem gravis abſolute eſt ea, ut optime explicat P. Antoine *tract. de Inſtit. & jur. cap. 5. q. 5.* quæ ſecundum ſe, & reſpectu omnium eſt notabilis, & parit utilitatem notabilem: ideoque ejus ablatio privat notabili utilitate, & ſic infert damnum notabile, & conſequenter reddit dominum cum ratione graviter invitum. Quantitas vero gravis reſpective eſt ea, quæ eſt notabilis relate ad facultatem, conditionem, & indigentiam certarum perſonarum, ſpectatis omnibus circumſtantiis: ſic quantitas aliqua levis reſpectu divitis, cenſetur gravis ac notabilis reſpectu pauperis ratione illius inopiæ.

Circa quantitatem abſolutam in varias Theologi diſtrahuntur opiniones; quarum aliquæ nimis laxæ ſunt, aliæ nimium rigoroſæ. Non vacat ſingulas referre. Quam adoptavit Auctor videlicet quod etiam reſpectu ditiſſimi Principis unus aureus ſit materia gravis videtur ab utroque extremo laxitatis, & ſeveritatis declinare. Hinc tamen non eſt inferendum, furtum medii aurei non poſſe eſſe lethale etiam reſpectu opulentiſſimi Principis. Quippe aliud eſt quod major ſumma juxta communem exiſtimationem non requiratur ad mortale peccatum; aliud quod ſumma inferior non poſſit eſſe lethale crimen. Nam etiam medius aureus ſurreptus Principi poteſt eſſe gravis materia. Senſus igitur eſt, reſpectu etiam ditiſſimi Principis, vel Regis unum aureum ita eſſe materiam gravem, ut plus non requiratur juxta prudentum æſtimationem. Datur itaque materia gravis abſolute reſpectu omnium jam indicata; & ſimiliter levis reſpectu omnium, ut ex ſuperius traditis ſatis conſtat.

Communiter tamen in praxi gravitas, vel levitas furti deſumitur reſpective ad perſonas, quibus bona ſurripiuntur. Cum autem diverſi adeo ſint Perſonarum ſtatus ac conditiones, una certa, determinata, ac univerſalis regula conſtitui nequit; ſed arbitrio prudentum determinendum relinquitur, attentis omnibus circumſtantiis, quænam quantitas gravis ſit, vel levis. Theologi ſatis communiter quatuor perſonarum genera diſtinguunt. Unum eſt eorum, qui ſplendide vivunt, ut magnates opulenti. Secundum eorum qui reditibus ſuis vitam tranſigunt, ſed non ita ſplendide, ut honeſti cives mediocriter divites. Tertium eſt artificum, qui ſuo ſe ſuſtentant artificio. Quartum demum pauperum, qui mendicato aluntur. Verum hæc diviſio quam ſit inadæquata, nemo eſt qui non ſentiat, inquit Petrus Collet *loco ſupra citato*. Ut enim de ſolis artificibus loquamur, quotum inter eos eſt diſcrimen? Quot gradibus deſcendendum erit, ut a divite mercatore ad miſerum ſutorem deveniatur? Quamobrem cum res ita ſe habeat, videtur quod nulla aptior ac opportunior in hac materia aſſignari poſſit regula, qua utcumque dirigi poſſint Confeſſarii, quam hæc: nimirum quod materia, quæ perſonæ, cui aufertur, circiter ſufficit ad congruum unius diei alimentum juxta ſuum ſtatum & conditionem ſit gravis, furtum reddens mortiferum. Etenim victus diurnus ſecundum communem exiſtimationem eſt quid notabile: ac proinde quantitas ad eum neceſſaria eſt etiam notabilis, & unuſquiſque præſumitur in hac eſſe cum ratione graviter invitus; cum non exiguam pariat utilitatem, atque ejus privatio incommodum non leve. Hinc dicitur quod tres vel quatuor Julii (julius continet valorem libellæ venetæ, ſeu viginti ſolidorum venetorum) ablati etiam ditiſſimo ſint materia gravis; duo ſurrepti mediocriter diviti; unus ablatus artifici; & medius ſurreptus pauperi; quia medius julius ſeu decem ſolidi veneti reputantur materia ſufficiens ad alendum pauperem. Hæc adjicienda cenſuimus pro clariori intelligentia, uberiorique explicatione eorum, quæ ſupra tradit Auctor. Legatur P. Daniel Concina *Theol. Chriſt. tom. 4. lib. 9. in Decal. Diſſert. de furto cap. 3. & Theol. contrac. lib. 6. cap. 2.*

III. Ex communi cum Angelico Doctore loc. cit. art. 6. ad 3. furans quid modicum, ſi habeat animum furandi etiam majus, ſi occurreret, peccat mortaliter: patet ex terminis. Ita qui furatur ſive eidem, ſive pluribus, modica ſucceſſive, *Furans modica qualiter peccet?*

ani-

Digitized by Google

animo proſequendi etiam cum pervenerit ad quid notabile, toties quoties peccat lethaliter, ob animum peccandi etiam mortaliter: ſingula enim furra ſunt ex volitione mortali. Pariter qui modica furans, etiam ſine animo proſequendi, quando advertit, vel advertere debet, ſe jam perveniſſe ad materiam notabilem, ſi proſequatur; toties, quoties ſuperfuratur, quamvis modica, committit mortale; quia auget materiam jam effectam mortalem, quam complendo ultimo furto peccavit mortaliter, & proſequendo auget materiam mortalis. Et in his omnibus caſibus tenetur ad reſtitutionem ſub mortali: Et quamvis, ſi furatus fuerit pluribus, reſpectu nullius ſit materia gravis, cenſetur gravis reſpectu communitatis, reſpectu cujus profecto videtur requiri aliqua major quantitas, quam reſpectu alicujus particularis. Hinc ab Innocentio XI. reprobata fuit theſis n. 38. in qua dicebatur; *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.*

* Ubi ex furtis minutis grave furtum conſtituatur, neceſſe eſt quod exigua furta moraliter continuentur; ſi enim aliquo modo conjuncta non ſint, nequeunt unum totum conſtituere. Quotum autem temporis intervallum requiratur inter unum, & alterum furtulum, ut interrupta cenſeantur, diſſident inter ſeſe Doctores. Interruptio moralis ab aliquibus reputatur, ſi inter unum & alterum furtum intercedat annus, ab aliis ſi fluant ſex menſes, ab aliis ſi unus, ab aliis ſi quindecim dies. Em. Gotti *loco ſupra citato* §. 2. *n.* 17. reſpondet probabilius ſibi videri, merum temporis ſpatium intercedens inter minuta furta afferre quidem diſcontinuationem phyſicam, ſed adhuc relinquere continuationem moralem, per hoc quod fur ſciens, & volens, ac advertens, ſe jam aliis vicibus furatum fuiſſe, & per ultimum furtum compleri materiam gravem, adhuc conſentit in illam. Si vero, *ſubdit*, dictus fur ante ultimum, vel ante penultimum furtum completivum materiæ notabilis ſerio propoſuiſſet a furtis deſiſtere, aut reſtituere, & tamen poſtea furetur leviter; hoc ultimum furtum eſſet moraliter diſcontinuatum a præcedentibus, & ideo non peccaret mortaliter.

P. Daniel Concina *tom.* 4. *lib.* 9. *diſſert. un. de furto cap.* 4. *n.* 3. difficultatem hanc expendit, & variis relatis Theologorum placitis, nullum illorum ſibi arridere aſſerit; cenſetque regulam præciſam vix occurrere. Subjungit tamen quod continuatio furtulorum ex circumſtantiis furum, & rerum, quæ ſurripiuntur, colligi poteſt. „ Si perſona, *inquit*, quæ minutatim furatur, aſſueta ſit furtis illis: ſi „ nullam adhibeat diligentiam ab iiſdem „ ſibi temperandi, ſed quadam veluti aſ„ ſuetudine, furtula hæc interpoſitis mo„ rulis & intervallis perpetret, continua„ ta furta reputantur. Contra, ſi abſo„ lute perſona ſurripiens a furtis abhor„ reat, ſed occaſione oblata, & appeti„ tione urgente, furtulum committat ac „ poſtea illud deteſtetur, ſi temporis de„ curſu majori, aut minori in furtulum „ relabatur, iterumque illud deteſtetur: „ tum furtula ſejuncta, & diſparata ſunt; „ nequeuntque unum totum efficere fur„ tum mortiferum. Ne multa. Quando „ perſona ſurripiens exigua bona, reapſe „ non advertit ad præcedentia furta nec „ expreſſe, nec interpretative; neque „ adeſt vel affectata, vel ſupina, vel gra„ vis ignorantia; tunc furtulum non con„ jungitur cum præcedentibus. " Hanc regulam præ oculis habeant Confeſſarii, ut caſus occurrentes reſolvere facile poſſint.

Duo hie ulterius ſunt accurate obſervanda. 1. requiri majorem quantitatem ad mortale in furtis parvis, quæ repetitis vicibus, & ſucceſſive uni fiunt, quam in furto unico; quia damnum diviſum ex communi hominum ſenſu non ita nocet, nec tam ægre fertur. 2. requiri quoque (eſto id aliqui negent) majorem quantitatem ſi exigua bona pluribus, quam ſi uni ſoli auferantur, ut & Auctor docet; quod enim ſatis eſt ad grave damnum privato inferendum, non ſufficit ad damnificandam Communitatem. Quænam autem ſit illius majoris quantitatis menſura certo definiri nequit. Unde ex variis dumtaxat circumſtantiis rerum, temporis, & perſonarum penſanda eſt.

IV. Quando reſtitutio determinatæ perſonæ fieri nequeat in dictis caſibus, vel quia ignoratur, vel quia multæ in modico fuerunt damnum paſſæ, reſtituendum erit, quando moraliter fieri poterit, pauperibus illius loci, communitatis &c., vel vendendo illis minori pretio, vel eleemoſinas elargiendo &c. Studen- Quomodo reſtitutio facienda in his caſibus.

Digitized by Google

dum tamen eſt, ut, quantum fieri poteſt, compenſentur illi, quibus damnum illatum fuit.

Qualiter peccent plures communi conſenſu modica furantes quæ ſimul accepta efficiunt notabile:

V. Quando plures communi conſenſu damnum notabile alicui inferunt; puta uvas, ſegetes &c. in notabili quantitate auferendo, quamvis, quod aufertur a ſingulis non ſit notabile, ſinguli peccant mortaliter, & tenentur ad reſtitutionem in ſolidum; ideſt niſi ſinguli velint pro rata ſua reſtituere, unuſquiſque tenetur ad totum: quia in dicto caſu, quamvis ſint plures materialiter, revera ſunt unus formaliter, & unuſquiſque repræſentat omnes. Qui autem pro omnibus reſtituit, eſt juſtus creditor, reſpectu aliorum, portionum ab ipſis ſolvendarum eidem.

Quomodo peccet, qui ſine conſpiratione furatur alicui, a pluribus aliis damnificato?

VI. Qui ſciens alios huic perſonæ plura fuiſſe furatos, vel adventuros qui plura ſint furaturi, ipſe tamen, non animo inferendi grave damnum, nec ullam partem cum illis habendo aut exemplo, aut verbo, aut alio inducendi modo, modicum quodpiam furetur; probabilius videtur, quod non peccet mortaliter; tum quia ipſe infert damnum dumtaxat leve, tum quia ſuum damnum nullam conjunctionem habet cum damnis illatis, vel inferendis. Neque opponas, ipſi innoteſcere damna illata, aut inferenda: ſola namque notitia non ſufficit ad inducendam moralem conjunctionem cum furibus illis, ſed requiritur actus aliquis voluntatis ſaltem interpretativus, qui in caſu non extat. Neque iterum opponas, inde ſequi, quod poſſet hoc modo quis omnibus bonis ſpoliari, quin aliquis teneretur ſub mortali illum redintegrare; quod abſurdum videtur. Sed reſpondeo, non eſſe abſurdum, quod qui modicum ſurripit, puta valorem trium obolorum, quin cum aliquo alio conſpiret, non teneatur ſub mortali ad illos reſtituendos; & reſpectu ipſius per accidens omnino evenit, quod bonis omnibus expolietur ille, cui furatur; ſicut eſſet per accidens reſpectu aliorum, qui ita agerent. Et profecto ſi etiam hic peccaret mortaliter, & teneretur ſub mortali reſtituere illud modicum, quod ſurripuit, in quo diſtingueretur quoad gravitatem culpæ ab illis, qui communi conſpiratione plura modica furantur aſſurgentia in quantitatem notabilem? Si igitur qui communi conſpiratione cum aliis graviter peccat, quia damnum grave illatum tam attribuitur ſingulis, quam omnibus, quia omnes ſunt unum formaliter; cum de caſu noſtro id verificari non poſſit, non erit gravandus culpæ lethalis, neque obligationis reſtituendi ſub mortali, qui præfato modo modicum quid ſurripuit.

§. II. *De occulta Compenſatione.*

Conditiones ad occultam Compenſationem.

I. POſitis nonnullis conditionibus occulta compenſatio non videtur illicita: quarum prima eſt, ut debitum ſit omnino certum, & liquidum; aliter injuſte ſpoliaretur alter re ſua quam poſſidet, pro debito incerto. Secunda, quod creditori alia via moraliter non pateat recuperandi ſuum creditum, puta quia aut reapſe alia via non patet, aut nonniſi cum manifeſto periculo gravis damni. Tertia, quod non fiat compenſatio ex bonis creditori commodatis a debitore, vel apud ipſum ab eo depoſitis; eo quod fieret contra pactum, & fidelitatem dictis contractibus debitam. Quarta, ut accipiatur res ejuſdem ſpeciei: puta pecunia pro pecunia, triticum pro tritico &c., quia ſi debitor privatur alia re, videtur gravari, cum poſſit res illa eſſe ipſi gratior, quam duplum rei debitæ; quæ conditio obſervetur, quando moraliter obſervari poteſt, & indigentia creditoris permiſerit. Et propterea procuretur ſaltem, ut fiat compenſatio rebus, quarum debitor credi poſſit minus ſollicitus. Quinta, ne compenſatio fiat cum ſcandali, aut infamiæ præcipue alienæ, periculo; puta ſi prævideatur altera determinata perſona in ſuſpicionem accipienda, nam in his caſibus charitas urgere videretur, ne cum alterius innocentis damno compenſetur proprium. Sexta; ut fiat ſine injuria tertii; puta ſi tuus debitor dediſſet rem alteri in pignus, in depoſitum, in locationem &c., tu non poſſes ab illo talem rem occulte auferre; eo quod jus habeat illa utendi, illamque retinendi, quouſque expiret tempus locationis, commodati &c.: immo in caſu, quo omnia bona tui debitoris eſſent aliis hypothecata, tu nil eorum auferre poſſes, eo quod illi ſint tibi præferendi ex privilegio legis, etiam cum tuo detrimento, ut videbitur ſuo loco §. 17. Et quamvis tu ſimiliter ſuper illis bonis hypothecam haberes, non poſſes cum aliorum hypothecariorum detrimento totum tibi auferre, ſed deberes pro rata etiam aliis relinquere: & ſimiliter ſi haberes credita ejuſdem conditionis ac alii, & debitoris bona non ſufficerent, deberes cum aliis dide-

Digitized by Google

videre &c. " ut dicetur eodem §. 17. de Ordine in reſtitutione ſervando. Septima, ut, facta compenſatione, debitor conſcius de hoc reddatur cauto modo: tum ne relinquatur ipſi conſcientia obligationis gravis ſolvendi; tum ne his idem debitum ſolvat. Adderem octavam, ne fiat ſine conſultatione cum docto confeſſario, ne in aliquod peccatum incurratur.

Eſt licita obſervatis conditionibus. II. His poſitis conditionibus, non apparet injuſta occulta compenſatio; quia neque opponitur juſtitiæ legali, neque commutativæ; non primæ, cui nullam infert injuriam, eo quod in caſu judex moraliter adiri non poteſt, ut præſupponitur: non ſecundæ, quia nullam injuriam infert debitori nolenti, & alias potenti, ut ſupponitur, reſtituere, quem creditor alia via convenire non poteſt, dummodo tantumdem dumtaxat auferat, quantum ſibi debetur. Immo juſte repellit continuam vexationem ſibi a debitore illatam, retinendo, id quo creditor indiget. Neque adverſatur S. Th. 2. 2. qu. 66. art. 5. ad 3. docens, quod in occulta compenſatione *quis peccat contra communem juſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat ſuæ rei judicium*: quod eſt veriſſimum, quando poteſt non prætermitti ordo juris: at in caſu noſtro præſupponitur, quod ordo juris ſervari non poſſit.

* Cum per quam raro recenſitæ conditiones, ſine quibus licita eſſe nequit occulta compenſatio, ſimul concurrant, per quam raro etiam licita eſſe poterit occulta compenſatio. Hinc ſequentia in praxi ſunt a confeſſario circa hanc materiam exacte ſervanda. 1. nunquam ſuadere debet occultam compenſationem. 2. quando a pœnitente interrogatur, an licita ſit occulta compenſatio, reſpondeat, juxta communiorem Theologorum ſententiam eam licitam eſſe, ſi requiſitæ conditiones non deſint; ſed cum hæ conditiones vix in praxi ſervari queant, hanc boni ſui recuperandi rationem eſſe periculorum plenam; adeoque ſe eam conſulere non poſſe. 3. ſi in pœnitentem incidat, qui jam ex ſe occulta compenſatione uſus ſit, ſeu qui proprio motu ſeſe occulte compenſaverit, inquirat diligenter, & attente perpendat, num adfuerint præſcriptæ conditiones, & ſi ipſi clare, atque indubie conſtiterit eas adfuiſſe, reſtitutionis onus illi minime imponet, ſed eundem dumtaxat admonebit periculi, cui ſeſe inconſiderate objecit.

Quid dicendum circa compenſationes famulorum? III. Circa hactenus dicta extat theſis 37. ab Innocentio XI. proſcripta: *Famuli, & famulæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere, ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod acceperunt.* Hinc quando recipiunt ſalarium, de quo conventum fuit, jam patet, quod injuſte aliquid aliud ſurripiunt: ſi enim illis videtur ſalarium interius laborum merito, exponant heris ſuis hanc inæqualitatem; & ſi ipſi ſalarium augere recuſent, alios heros ſibi procurent. Et profecto non raro evenit, quod ſalarium ſit quidem æquale operarum merito, at non ſufficiens alendæ numeroſæ familiæ famuli: verum quid inde? tenetur ne herus ad alendam familiam famuli? ſi ſalarium decem argenteorum menſilium ſit æquum labori famuli, debebit ne erogare viginti, quia viginti ſaltem requiruntur ad alendam copioſam famuli prolem? Non inficior, plures extare heros, qui quamvis de ſufficienti ſalario pro famulo convenerint, tamen nec prompte erogant, nec integre; qui in hoc graviſſime peccant; ita ut compellatur famulus ſibi aliquid occulte ſurripere ad jura ſua reparanda; quia alia moraliter non patet via ſuæ redintegrationi: tamen in hoc caſu conſulat famulus doctum, & prudentem virum, ut doceatur, quid ſibi agendum in hujuſmodi caſu; & confeſſarius reſolvat juxta ſuperius dicta. Caveat autem, ne ſit nimis ſeverus circa fruſtula eſculentorum, & poculentorum; ſed de his judicet, prout conditiones domini, & famuli, & conſuetudines familiæ, ſibi judicandum ſuaſerint.

Non licet ſane officialibus Reipublicæ, opificibus, operariis, famulis, & ancillis &c. aliquid occulte ſubripere eo prætextu, quod exiſtiment ſtipendium, de quo convenerint, eſſe minus juſto. Id liquido conſtat ex propoſitione ab Innocentio XI. proſcripta, quam *num. præced.* Auctor ob oculos ponit. Neque audiendi ſunt qui putant damnatam eſſe hanc compenſationem judicio officialis, opificis, famuli &c. ſecus judicio Confeſſarii, vel viri docti, periti, & paſſione denudati peractam, ut præſertim ait P. Viva in expoſitione prædictæ proſcriptæ theſis. Non, inquam, audiendi ſunt hi, ſed eorum doctrina ut omnino laxa, & in propoſitione damnata contenta rejicienda eſt. „ Nec enim, inquit P. Daniel Con„ cina *tom. 1. Theolog. Chriſt. contract. lib.* „ 6.

„ 6. *differ.* 1. *cap.* 3. plus juris in dominorum bona habent docti & periti caſuiſtæ, quam famul. Quid? In cauſa juſtitiæ una ſolum parte, & quidem ignobiliori audita, nempe famulis, ſententia pronuntiatur, & adverſus dominos judicium fertur? Quænam lex hoc concedit? Commentum igitur illud proſcriptum eſt, niſi fallor ipſe, in dicta theſi." Hæc ille. Confeſſarius itaque Officialibus, operariis, famulis, &c, numquam occultam compenſationem permittat cauſa augendi mercedem, quam juſto minorem ſe accipere aſſerunt.

Aliud eſſet juxta nonnullos ſi compertum foret, famulum ad quædam ſolummodo opera conductum, aliis inſuper gravari a Domino, nihilque pro iſtis vellet Dominus adjicere ſtipendii. Mavult tamen Petrus Collet *Inſtit. Theolog. tom.* 2. *tract. de Juſtit. cap.* 4. *art.* 4. *ſect.* 3. ut & in hoc caſu famulus a tali domino diſcedat, aut ei repræſentet laboris exceſſum, cui merces amplior debeatur.

Ex tradita hactenus doctrina de occulta compenſatione colligunt P. Antoine *tract. de Juſt. part.* 3. *cap.* 5. *q.* 9. & Collet *loco cit.* peccare contra juſtitiam, & teneri ad reſtitutionem ſartores, qui veſtium fragmenta, fila ſerica &c. quæ domini abjicere non conſueverunt, retinent, ut ſic compenſent ſibi mercedem, quam ſe exiſtimant juſto minorem recipere. Quapropter confeſſarii in his furtis etiamſi nondum ad mortale pertingant, diſſimulare non debent, ſed præcipere hiſce furibus, ut rem, ejuſve pretium reddant, aut laborent vel melius, ſed eodem pretio ac ante, vel ſi æqualiter, pretio minori. Idem de aliis, qui in materia aliena laborant. Quæ quidem omnia utpote quæ frequenter in praxi occurrunt, ſunt accurate animadvertenda.

Caſus reſolutus & eventus facilis.

IV. Cajus debitor tuus viginti ſcutorum, dat tibi triginta ſcuta, Titio alteri Creditori ſuo conſignanda: tu, cui nulla alia patet via redintegrationis, potesne tibi retinere viginti? Reſpondeo, quod ſi certus ſis creditum Titii non eſſe tuo præferendum, neque ob beneficium temporis, neque ob beneficium legis, & Titius omnino inſcius ſit talis rei; potes tibi retinere viginti, & alia decem reddere Cajo, manifeſtando eidem compenſationem tibi juſte factam: cave tamen, ne exinde prævideas futura gravia diſſidia inter Cajum & Titium, vel aliud grave inconveniens: quia tunc titulo charitatis abſtinere tenereris, & quidem ſub gravi; eo quod charitas te urgeat ad abſtinendum ab actione, alioquin juſta, ad arcendum malum longe gravius alteri innocenti.

Caſus aliter ſolvitur.

V. Petrus creditor Titii mille ducatorum, recipit commodato a Titio anulum valoris trecentorum ducatorum; & mutuo alios ducentos ducatos. Titius interea moritur; poterit ne Petrus ſibi retinere, quæ habet pro ſolutione medietatis ſui crediti? Paulus Comitolus, celebris alioquin probabilioriſta, lib. 13. qu. 39. affirmative reſpondet circa pecuniam, & negative circa anulum; quia pecuniæ acquiſivit dominium per commixtionem cum ſua, quæ alioquin ante mortem Titii Petro debebatur, adjuncta etiam notabili alia ſumma; & proinde nihil retinet Titii, quod ſibi non debeatur: Anulus autem in ſpecie ſua vere eſt Titii; cum etiam in ipſius morte Petrus nomine Titii illum teneret; ſuperveniente autem Titii morte, non remanet titulus Petro, quod illum ſibi applicet, & ſe anteferat aliis Titii creditoribus; tum quia poteſt eſſe, quod hæredes, ad quos pertinet anulus, aliis rebus debitum Titii extinguere velint. Sed addo ego, ad ſummum poterit anulum tenere in pignus pro parte ſui crediti, niſi forte extent alii creditores, vel privilegiati, vel æquales Petro, qui animadvertentes Titii bona inſufficientia ad extinguenda omnia ſua debita, juſte velint etiam anulum illum pro rata dividendum, vel ſibi ut privilegiatis primo applicandum: Profecto hæc ratio ita me urget, ut nedum judicem anulum eſſe a Petro reſtituendum, verum etiam pecuniam mutuo acceptam, in caſu quo adſint creditores Petro anteferendi vel ob legem, vel ob tempus privilegiati: Quia quamvis pecuniam illam fecerit Petrus ſuam, certum eſt, illam recepiſſe titulo mutui, ideſt titulo obſtringente ad tantumdem reſtituendum. Poſito igitur, quod bona Titii ſint imparia debitis, & quod creditores jacturam ſaltem portionis ſuorum bonorum ſubire compellantur, & quod gaudeant privilegio prælationis, vel ſint æquales Petro; cur Petrus meliorem illis conditionem ſortiri debebit? Proinde puto teneri ad reſtitutionem trecentorum ducatorum, & dumtaxat ſibi licitum eſſe procurare redintegrationem aut pro toto,

Digitized by Google

co, aut pro rata, abſque præjudicio aliorum creditorum vel ſibi anteferendorum, vel ſibi æqualium.

§. III. *De neceſſitate licitum reddente ſurripere aliena.*

I. VArios neceſſitatis gradus, variaque bonorum genera late tradidimus in Tract. 4. cap. 8. §. 7. per totum, ubi de eleemoſina facienda diffuſe diſſertum fuit: unde ab eiſdem hic repetendis ſuperſedemus, quæ ibidem legas.

Præmittuntur certa. II. Certum eſt apud omnes, nemini permiſſum eſſe furari in neceſſitatibus communibus; tum quia nulla eſt tanta, ut quis ſine furto ei ſubvenire nequeat; tum quia experientia compertum ſit, non eſſe adeo difficile eidem ſubvenire. Certum quoque eſſe debet apud omnes, poſt damnatam ab Innocentio XI. theſim 30., nemini licere furari in gravi neceſſitate: dicebat enim confixa theſis: *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema, ſed etiam in gravi neceſſitate*. Certum item eſt, in neceſſitate extrema permiſſum eſſe furari, ut omnes docent cum Sancto Doctore 2. 2. q. 66. art. 7 quia in hoc caſu bona ſunt communia: & conſervatio vitæ, quæ eſt de jure naturali, præponderat rerum appropriationi, quæ eſt de jure humano. Poterit igitur quis in neceſſitate extrema, tum ſua, tum ſuorum, tum proximi, aliena ſurripere, ut ſuæ neceſſitati, & proximi ſuccurrat. Furans autem ad ſuccurrendum neceſſitati extremæ proximi, debet carere, quo poſſit ipſe de ſuo ſuccurrere; ſi enim haberet de ſuo, quo ſuccurreret; injuſte aliena ſurriperet. Excipiendus eſt caſus, in quo dominus illius rei eſſet in æquali extrema neceſſitate; quia tunc non debet ipſe re ſua privari, qua extreme indigeret. Excipitur item caſus, in quo ſperares, quod petendo, obtinere poſſes.

Licitum eſt in neceſſitate extrema.

Petitio quando præmittenda? III. An autem in hoc caſu omittere petitionem ſit mortale? dico cum probabiliori, quod ſi unum duntaxat habeas, a quo petere poſſis; cum ille jam teneatur dare, omiſſio petitionis non eſſet mortalis: ſi autem alios habeas a quibus petere poſſis, & ſperes te ab aliquo accepturum, tunc omiſſio petitionis eſſet lethalis; quia quouſque habeas, a quibus petere potes cum ſpe, nondum es in neceſſitate extrema, quæ tibi ab aliquo ſurripere permittat.

IV. Si poſtquam re aliena neceſſitati tuæ ſubveniſti, aliquid ſupereſſet, juxta omnes, eſſet reſtituendum domino rei; quia ceſſante neceſſitate illa, ceſſat jus retinendi, & utendi re aliena: proinde, ſi ad ſalvandam vitam uſus fuiſti equo alieno, & a periculo vitæ evaſeris, equus eſt reſtituendus. Similiter ſi aliena pecunia, reſiduum eſt reſtituendum. Si autem neceſſitate extrema repente oppreſſus Venetiis, habeas bona Romæ, vel te habiturum prudenter ſperes; quis ambigat, acceptionem tuam debere eſſe conditionatam, ideſt animo reſtituendi tantumdem de bonis, quæ alibi tenes, aut te habiturum ſperas? tunc enim non cenſeris conſtitutus in extrema ſimpliciter & abſolute tali neceſſitate, ſed dumtaxat reſpectiva, & accidentali. Pariter ſi in neceſſitate extrema petiiſſes aliquid commodato, aut mutuo, aut emendo credito, procul dubio tenereris, neceſſitate ceſſante, quamprimum poſſes, reſtituere, aut ſolvere; ita exigente naturali jure, cui, dictis modis contrahendo, te ſubjeciſti. Unde S. Thomas Quodlibet. 5. artic. 17. de caſu noſtro loquens ait: *Tenetur ille, qui mutuo accipit pecuniam, eam reddere creditori: & tanto magis, quanto in majori neceſſitate creditur ipſi ſubvenit*.

Reſtituendum quod ſupereſt?

In quibus caſibus ſint reſtituenda accepta in extrema neceſſitate?

V. Res, quæ conſumitur ab extreme indigente tam in re, quam in ſpe, non debet ab ipſo amplius reſtitui, etiamſi poſtea accidat, ipſum bona poſſidere: ita plures cum noſtris Soto, & Bannez, qui eam hauſerunt a S. Doctore 2. 2. q. 66. art. 7. ad 1. dicente: *Per talem neceſſitatem efficitur ſuum id, quod aliquis accipit ad ſuſtentandam propriam vitam*: ſi igitur conſumit ſuum, non tenetur ad reſtitutionem, etſi deinde bona poſſederit. *Conſumpta in neceſſitate extrema non ſunt reſtituenda.*

VI. Qui autem miniſtrat extreme indigenti tam in re, quam in ſpe, ſi miniſtret uſu conſumptibilia, non poteſt in conſcientia paciſci, quod teneatur reſtituere ſibi miniſtrata; quia cum tunc maxime urgeat præceptum eleemoſinæ, & quod datur in eleemoſinam non ſit reſtituendum; injuſte ageret dicto modo paciſcendo. Si autem ſubminiſtret rem permanentem, puta equum ad fugiendam mortem, cum indigenti uſus tantum equi ſit neceſſarius, patet, quod ſi equus ſubſiſtat, teneatur illum reſtituere. *Quando ſuccurrens poſſit repetere datum?*

VII. Antequam finis imponatur huic pa- *Videtur*

Digitized by Google

S. Thomæ in aliqua alia neceſſitate licitum eſſe furari?

paragrapho, referenda puto, & perpendenda verba S. Doctoris 2. 2. q. 66. art. 7., ubi inquirit: *Utrum liceat furari propter neceſſitatem?* & in corpore articuli ita concludit: *Si tamen adeo ſit evidens, & urgens neceſſitas, ut manifeſtum ſit, inſtanti neceſſitati de rebus occurrentibus eſſe ſubveniendum; puta cum imminet perſonæ periculum, & aliter ſubveniri non poteſt, tunc licite poteſt aliquis ex rebus alienis ſuæ neceſſitati ſubvenire ſive manifeſte, ſive occulte ſublatis: nec hoc proprie habet rationem furti.* Et in ſolutione ad primum argumentum, in quo ſibi objecerat textum lib. 5. Decretalium tit. 18. cap. 3. *Si quis per neceſſitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres*: reſpondet: *Decretalis illa loquitur in caſu, in quo non eſt urgens neceſſitas*. Et primo obſervandum eſt, in titulo articuli non inquirere S. Doctorem de neceſſitate determinate extrema, quam facile eximius Doctor poterat ſignificare; & nihilominus quærit de *neceſſitate* abſolute tali. Secundo obſervandum, quod in corpore articuli aſſignare videtur duas neceſſitates, in quibus concedere videtur licitum, uti rebus alienis: primam vocat *urgentem*, aliam *extremam*, cujus meminit in reſponſione ad 2.: *uti re aliena in caſu neceſſitatis extremæ non habet rationem furti*. Nec putarem, quod utraque voce *urgentis*, & *extremæ* idem ſignificare voluerit; cum neque a ſemitheologo hæ voces pro eodem ſignificando uſurpentur; ſed diſtinguenda ſit urgens ab extrema. Præterea, quando dixit: *ſi adeo ſit evidens, & urgens neceſſitas &c.*; cur non dixit *extrema*, cum facile id dicere potuerit? *puta, ſi imminet perſonæ periculum, & aliter ſubveniri non poteſt* &c. Non ne his verbis videtur recognoſcere aliam neceſſitatem præter manifeſte extremam, in qua liceat ſibi de alienis ſubvenire? Hanc plures dicunt quaſi extremam, quæ moraliter extremæ æquivaleat: puta ad fugiendam captivitatem perpetuam ſine ſpe redemptionis; infamiam injuſtam, moraliter irreparabilem; infirmitatem ſecum afferentem moraliter certum periculum mortis; amiſſionem omnium plane bonorum, ſecum trahentem neceſſitatem mendicandi toto vitæ reſiduo; aut quidpiam ſimile, quod meo judicio, & ſalvo meliori, aut in gradu neceſſitatis extremæ, aut quaſi extremæ reputandum ſit. Nec propterea inciditur in relatam theſim damnatam nu. 30. ab Innoc. XI. in qua dicebatur *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi*; quod & nos deteſtamur; quandoquidem ita loqui, eſt aperire aditum immenſum latrociniis, cum facile ſit cuiquam neceſſitatem gravem ſibi imaginari, quæ etiamſi vera eſſe probaretur, quouſque non excedat lineam gravis, ſemper eſt illicitum, alienum ſurripere ad eam reparandam; donec ad eum gravitatis gradum aſcendat, qui ad extremam, aut æquivalentem extremæ accedat. Hæc ita dicta ſint, ut ſapientiorum judicio relinquantur, corriganturque, ſi correctione indigeant.

* Nomine *evidentis ac urgentis neceſſitatis*, noſtro quidem judicio, nonniſi neceſſitatem extremam deſignat D. Thomas *præcitato art. 7.* Liquet id 1. ex contextu, in corpore, quippe loquitur S. D. de ea neceſſitate; cui manifeſtum ſit de rebus occurrentibus eſſe ſubveniendum, & cui niſi ſubveniatur, imminet periculum perſonæ. Porro neceſſitas, cui niſi ſubſidium afferatur, imminet periculum perſonæ, dubio procul eſt neceſſitas extrema; hoc quippe inter neceſſitatem extremam & gravem diſcrimen verſatur, quod in illa vitæ periculum imminet; ſecus in iſta; hæc enim dumtaxat in diſcrimen adducit proprium ſtatum. 2. idem S. D. primo loco ſibi objicit verba hæc deſumpta *ex cap. Si quis 3. de furtis* nempe: *Si quis propter neceſſitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres*, ubi, nemo non videt, fames, & nuditas ſupponunt ſurripientis neceſſitatem & quidem valde gravem. Dum igitur Angelicus ad 1. reſpondet *quod Decretalis illa loquitur in caſu, in quo non eſt urgens neceſſitas*, nomine urgentis neceſſitatis ſolum intelligit neceſſitatem extremam, ut compertum eſt. 3. nitide S. D. mentem ſuam aperit *in reſp. ad 2.* En ejus verba. *Dicendum*, ait, *quod uti re aliena occulte accepta in caſu neceſſitatis extremæ non habet rationem furti, proprie loquendo: quia per talem neceſſitatem efficitur ſuum id quod aliquis accipit ad ſuſtentandam propriam vitam*. Et *in reſp. ad 3. dicendum*, inquit, *quod in caſu ſimilis neceſſitatis etiam poteſt aliquis occulte rem alienam accipere, ut ſubveniat proximo ſic indigenti*. Utrobique igitur D. Thomas expreſſe loquitur de neceſſitate extrema. Cur autem in corpore articuli, & in reſpon-

pon-

Digitized by Google

ponſione ad 1. ipſum de alia neceſſitatis ſpecie ſermonem habere dicendum erit? Quinimo oppoſitum ſatis ſuperque ex dictis apparet; & unicuique integrum S. D. articulum mature perpendenti liquido conſtare poterit. Eo vel magis quia S. Thomas alibi ſæpe & præſertim 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *ad* 3. aperte aſſerit ob ſolam neceſſitatem extremam poſſe quempiam aliena accipere, ſibique proſpicere: *Dicendum*, ait, *quod in caſu extremæ neceſſitatis omnia ſunt communia: unde licet ei qui talem neceſſitatem patitur accipere de alieno ad ſui ſuſtentationem, ſi non inveniat qui ſibi dare velit.* Idem repetit & *art.* 8. *ſeq. ad* 1.

Itaque amplectenda ſententia eſt, quæ ſtatuit in neceſſitate dumtaxat extrema licitum eſse furari, ſeu accipere rem alienam ad ſibi ſubveniendum; nequaquam vero in neceſsitate gravi, ſub quocumque gravitatis gradu. Notandum vero neceſſitatem extremam non conſiſtere in indiviſibili, ſed unam altera majorem eſse; nec ut neceſſitas ſit extrema opus eſse quod mors falcem immittat, vel reapſe aggrediatur, ſed ſatis eſse, tale imminere vitæ periculum, quod, niſi repellatur, afferat vitæ diſpendium. Si neceſsitas talis ſit, ut non ſolum ſtatum auferat, vitamque cruciet, & vexet calamitatibus, verum etiam mortem intentet, tunc non gravis, ſed extrema neceſſitas cenſenda eſt. In hoc extremæ neceſſitatis genere collocari ſolet graviſſimum periculum incidendi in perpetuam captivitatem Turcarum, in qua religio ipſa in diſcrimen adducitur. Hæc præ oculis habeant Confeſsarii, ut in hac materia extrema tum rigoris, tum laxitatis declinent. Conſulatur P. Daniel Concina *Theolog. Chriſt. tom.* 4. *lib.* 9. *diſſert. unic. cap.* 5. in quo difficultatem hanc fuſo calamo verſat, ac diſcutit.

§. IV. *De eo, quod reſtituendum eſt a Poſſeſſore bonæ fidei.*

Quid reſtituere teneatur Poſſeſſor bonæ fidei?

I. QUid ſit bona fides, jam tradidimus in cap. 2. §. 16.; nec non quis dicatur poſſeſſor bonæ fidei, qui cum in notitiam venerit, rem, quam bona fide poſſidet, eſſe alienam, & nondum præſcriptam, teneatur reſtituere, non titulo injuſtæ acceptionis, ſed rei acceptæ, ſeu titulo ipſius rei, quam tenet. Hic porro, juxta omnes, tenetur reſtituere domino rem ipſam, ſi adhuc extet in toto, vel in parte, atque id, in quo factus eſt ditior, nempe tantumdem, quantum ratione illius rei pepercit rebus ſuis, vel adauxit res ſuas: ſi autem in nullo factus ſit ditior, nil reſtituere tenetur. Explico denuo ſicut ibidem explicavi. Recepiſti dono a Petro pallium, quo per biennium uſus fuiſti. Paulus pallii verus dominus pallium a te juridice aufert, teneris tantumdem dare, quanti æſtimari poteſt uſus biennalis illius pallii, poſito, quod alteri pallio peperceris: quod ſi nullum pallium revera adhibuiſses, ſed, intantum adhibuiſti, quia dono acceptum; cum in nullo factus ſis ditior, neque ulli rerum tuarum peperceris, dato pallio, ad nil ultra teneberis. Invitatus fuiſti ad cœnam dapibus exquiſitis, ſed, te ignorante, furtivis, inſtructam, comediſti ad ſatietatem pro valore unius aurei, cum alioquin tu vel a cœna abſtinere ſoleas, vel decem obolos dumtaxat expendere: ſi revera eo veſpere non cęnare decreveras, ad nil teneris domino dapum, cum in nullo factus ſis ditior; ſi autem cęnare conſtitueras, decem obolos dumtaxat erogare teneris; quia quoad illos tantum rebus tuis peperciſti, & ditior es effectus. Si rem furtivam, te omnino ignorante, emiſti juſto pretio, domino illius juridice comparente, illam eidem cedere debes: tu autem actionem inſtituere potes contra venditorem, ut ſolutum pretium tibi reſtituat. Quod ſi illum non amplius invenire queas, infortunio tuo adſcribere debes, & te divinæ Providentiæ reſignare. Si rem furtivam, te ignorante, dono acceperis, & tu ſimiliter dono dederis, domino comparenti nil dare teneris, quippe qui in nullo factus ſis ditior: teneris tamen indicare domino donatarium tuum, ut ab eodem illam ſibi vendicet. Si illam forte amiſeris, cum in nullo factus ſis ditior, ad nihil teneberis. Si illam vendideris, teneberis domino de pretio, in quo factus es ditior. Si autem vendideris majori pretio, quam res illa valeat; vel augmentum pretii ortum fuit ex paucitate illius mercis, vel ob tui induſtriam, quia aut alio tranſtuleris, aut ex alio capite ſolæ induſtriæ tuæ correſpondente, tunc in primo caſu totum pretium, cum ſit fructus rei, debes domino reddere: in ſecundo autem caſu, teneris domino dare pretium naturale, tibi retento, quod non eſt rei, ſed tuæ dumtaxat induſtriæ.

Varii caſus reſoluti.

II. Hinc

Digitized by Google

Quinam fructus reſtituendi ſint a Poſſeſſore bonæ fidei?

II. Hinc circa fructus rerum, obſervandum eſt, quatuor genera fructuum a juriſtis recenſeri: quidam dicuntur naturales, qui ex ſe ab eorum cauſis ſponte exeunt, ut herba pratorum, glandes roborum, arundines paludorum &c.: alii dicuntur mixti, qui & eorum cauſis naturalibus, & etiam humanæ induſtriæ correſpondent, ut ſegetes, uvæ &c. alii dicuntur Civiles, ut locationes domorum, veſtium &c. alii tandem dicuntur Induſtriales, qui ſolæ humanæ induſtriæ correſpondent; ut lucrum ex pecunia negotiationi expoſita &c. Poſſeſſor bonæ fidei quoad fructus naturales, tenetur reddere domino, qui extant, ſi extent; & ſi non extent, totum id, in quo factus eſt ditior: quod ſi in nullo, coram Deo, ſit * factus ditior, aut ſuis rebus parcendo, aut lucrum acquirendo &c. ad nihil tenetur. Quoad fructus, Mixtos, & Civiles, ſimiliter reddere tenetur illos, qui extant, aut in quo factus eſt ditior; demptis expenſis factis, & laboribus impenſis, pro quibus ſe debet compenſare, ſi velit; eo quod ſi in nullo debet fieri ditior ex re aliena, neque ex eadem fieri debet pauperior, & jacturam pati. Quoad fructus mere Induſtriales, nil reddere tenetur; eo quod non ſint fructus rei, ſed ſolius induſtriæ ſuæ. Neque tenetur reddere fructus, quos ob ſui negligentiam non percepit, quamvis dominus illos percepiſſet, ſi rem ſuam habuiſſet; neque damnum emergens, ſi quod domino emerſerit; quia quoad hæc omnia poſſeſſor bonæ fidei innocenter ſe habuit. Memento, ex dictis de præſcriptione, quod neque fructus naturales, neque mixtos, neque civiles, ſi jam præſcripti fuerint tempore ſtatuto, & bona fide ſemper continuata, tituloque colorato, reddere tenebitur, tametſi ex illis factus fuerit ditior.

* Fructus mixti, ut optime docet Auctor, ii ſunt qui partim a cauſis eorum naturalibus, & partim ab induſtria proficiſcuntur, ſive æqualiter ab illis & ab iſta proficiſcantur, ſive paulo plus ab illis, quam ab iſta. Dicimus *ſive paulo plus ab illis quam ab iſta*; quia ubi non parum eſt induſtriæ, etſi plus ſit naturæ, habenda eſt adhuc ratio induſtriæ; ut recte obſervat Petrus Collet *tom. 2. tract. de Juſtit. cap. 3. art. 3. ſect. 1. not. 2.* Hi autem fructus mixti, ſive adhuc extent, ſive iis ditior factus ſit poſſeſſor bonæ fidei reſtituendi ſunt ſecundum id quod naturales ſunt, non vero prout ſunt induſtriales.

III. Si poſſeſſor bonæ fidei locet rem alienam, quæ locari non conſuevit, puta torquem auream, vel quidpiam ſimile, fructus perceptus dicendus non eſt induſtrialis; quippequi ſit fructus rei, ſicut locatio domus: idcirco poteſt dumtaxat ſibi retinere ſi quid expenderit, ne jacturam patiatur; cæterum in nullo ditior fieri poterit. — Caſus ſolvitur 1.

IV. Qui bona fide emit rem, quam poſtea novit eſſe furto ſublatam Petro, & prudenter ſperat ſe poſſe furem compellere, ſaltem per Judicem, ut ſibi pretium reſtituat; juxta omnes, tenetur illam tradere Petro domino ejuſdem, ad quem ſemper res clamat, & alioquin ipſe emptor nulli damno ſubjacet. Si fur, ne famam amittat, cum juramento ſpondeat, ſe illam daturum domino, ita ut emptor moraliter certus fiat, ita factum iri, videtur poſſe eam tradere furi, quia nec nocet domino, neque famæ furis occulti, ut ſupponitur, neque ſibi. Si emptor illam emit viliſſimo pretio, tenetur eam tradere domino, & ſe ſubjicere levi incommodo, nempe periculo amittendi modicum illud pretium. — Emens bona fide rem furtivam qualiter ſe gerere debeat 2.

V. At difficultas gravis eſt, ſi emptor prudenter timeat, & certus moraliter ſit, ſe amiſſurum ſolutum pretium, qui a fur vendens nulla via compelli queat ad reſtituendum pretium ſibi ſolutum; an poſſit emptor, ut ſe indemnem ſervet, reſtituere rem furi, ut ſibi ſolutum pretium fur reſtituat, eſto ſit certus moraliter, dominium rei ea privatum iri? Alexander, Sylveſter, Navarrus, & alii a Leſſio citati cap. 14. dub. 3. affirmant, quos recentiores ſequuntur. Cajetanus, Sotus, Bartholomeus Medina, Ledeſma, Armilla ex noſtris; Major, Covaruvias, Azorius, & alii citati a Molina diſp. 722. negant: utraque opinio gravia momenta affert, & fateri compellor mentem meam inter hæc duo extrema hærentem. Propterea viam quamdam mecum excogitavi, quam ſapientiorum judicio ſubmitto, dicendo, quod ſi emptor ſit inferior fortunæ, & dominus rei ſit dives, itaut amiſſio pretii ſoluti notabile damnum allatura ſit ſtatui, & familiæ illius emptoris; & amiſſio rei illius furtivæ domino ejuſdem damnum longe minus allatura ſit, utpote diviti: putarem in hoc caſu præponderare fundamenta opinionis affirmantis, nempe quod innocens, & mediocris emptor, non tenea- — An poſſit res furtiva reſtitui furi ad recuperandum pretium ſolutum?

Digitized by Google

teneatur cum tanto ſuo damno impedire damnum longe minus reſpective domini divitis; qui propterea irrationabiliter, & contra charitatem chriſtianam id exigeret. Nemo enim in tempeſtate maritima, ut exoneret navim, tenetur projicere in mare proprias merces, ut ſalvet furtivas, quas Petro recuperavit; ſed ſi alterutræ ſint projiciendæ, potius quas recuperavit, quam ſuas projicere poterit; & eo magis ſi Petrus longe minus damnum reportaturus ſit ex privatione ſuarum, quam navigans ille, qui ex privatione propriarum valde notabilius damum ſubire compelleretur. Si autem tam dominus rei, quam emptor eſſent æqualis circiter fortunæ, & damnum ſubeundum, attentis circumſtantiis, evaſurum eſſet circiter æquale; tunc putarem veram ſecundam opinionem negantem; quia nullum jus emptor habet in rem illam, quod ſibi a fure tranſmitti non potuit; reſque illa ſemper clamat ad dominum ſuum in cujuſcumque manibus inveniatur, nedum ipſa in ſe, ſed una cum melioramentis ab ipſa indivulſis; perveniendo autem ad manus ementis, meliorem ſtatum nacta fuit: quo melioramento privaretur, rediens ad manus furis: Unde illam reddens, ageret contra jus domini rei; quæ ſicuti quovis tempore ſibi debetur, debetur etiam eo tempore, quo melior evaſit. Negare non poſſum fundamenta primæ opinionis majorem apparentiam præſeferre: cum ſemper verum ſit, reſtituentem illam furi, non ponere eamdem in ſtatu deteriori, quam prius habuerit, ſed in eodem omnino, & ſicuti nemo tenetur rebus ſuis, præcipue in notabili ſumma, rem alterius in meliori ſtatu ponere, aut conſervare; ita neque cum notabili ſuo damno e manu furis eruere.

Qui redimit rem furtivam amici, quomodo redintegrandus?

VI. Ex hactenus dictis infertur, poſſe dominum rem ſuam, quamdiu ipſa extet, recuperare & tollere e manibus cujuſcumque poſſeſſoris bonæ fidei, quin aliquid pro eadem ſolvat. Si quis tamen animadvertens, rem illam eſſe Petri, & illam vili pretio emeret, animo gerendi utiliter negotium Petri, eamdemque illi tradendi; juxta doctiſſimum Covaruviam de reſtitut. part. 3. §. 2. num. ultimo, teneretur Petrus dominus rei redintegrare amicum & benevolum illum, qui utiliter geſſit negotium ſuum; cum poſſit deinde Petrus cogere furem, ut ſibi det ſummam illam vilem a benevolo erogatam: & quamvis etiam furem non inveniret, non poſſet rationabiliter denegare benevolo redintegrationem; quia recuperavit rem, quam, niſi ipſe emiſſet, Petrus erat amiſſurus, caſu quo ab altero empta fuiſſet. Si autem benevolus ille totum juſtum pretium furi erogaſſet, putans ſe Petro gratificari, quippe quod res illa eſſet eidem gratiſſima, aut neceſſaria, multi dicunt, quod Petrus in conſcientia non teneretur dare totum pretium benevolo illi, cum non teneatur juſto pretio emere rem ſuam; & alioquin benevolus ſponte ſua illam emit, quin a Petro ullum impulſum neque implicitum habuerit; puta dicendo, quod nulli diſpendio parceret, ſi illam recuperare poſſet &c., quia tunc benevolus poſſet juſte exigere totum pretium erogatum. Cardinali autem de Lugo videtur diſp. 17. ſect. 2. num. 4., quod cum benevolus ille, ſciens chariſſimam eſſe rem illam Petro, aut neceſſariam, eamdemque redimens, prudenter putaverit ſe gerere negotium Petro gratum, non ſit ſubjiciendus gravamini amittendi ſummam erogatam: Quod fateor mihi non diſplicere. Et proinde teneatur Petrus, ſi poſſit ſine ſuo notabili incommodo, compenſare tantumdem benevolo illi, non quidem titulo juſtitiæ, ſed charitatis. Cautius tamen egiſſet benevolus, ſi, opportunitate permittente quæſiviſſet de nomine furis vendentis, illumque Petro indicaſſet; ut poſſem deinde Petrus furem deferre ad judicem, aut alio juſto modo rem ſuam recuperare abſque ullo damno.

§. V. *De obligationibus Poſſeſſoris dubiæ fidei.*

Obligationes Poſſeſſoris dubiæ Fidei in acquirendo.

I. POſſeſſor dubiæ Fidei dicitur ille, qui prudenter dubitat an res, quam poſſidet, vere ſua ſit: Quod dubium oriri poteſt vel in ipſa rei acquiſitione, vel poſtquam illam acquiſivit. Qui igitur in ipſa acquiſitione prudenter dubitat eam eſſe furtivam, & hæc ſit quid notabile, peccet mortaliter ipſam acquirendo, & tenetur illam reſtituere domino comparenti abſque ullo ejuſdem onere; eo quod ſe voluntarie expoſuerit periculo poſſidendi alienum; & cum in tali dubio melior ſit conditio domini rem ſuam poſſidentis, tenetur eidem illam tradere abſque ullo ſui onere. Quod ſi dominus inveniri nequeat, poſt prudentem inquiſitionem, & congruam temporis expectationem; tunc jam vel probabilius apparet rem eſſe alienam,

Digitized by Google

nam, & tunc eſt tribuenda pauperibus, vel in Sacrificia pro domino ejuſdem una cum fructibus naturalibus & mixtis; detractis expenſis neceſſariis ad eos fructus percipiendos; vel adhuc remanet dubium æque probabile; & tunc dividenda eſt cum dictis fructibus inter poſſidentem, & pauperes, ignoto domino; vel cum illo, de quo dubitatur, an ſit dominus, ſi agnoſcatur. Et cum hæc ſint vera, & communia, væ artificibus, & aliis ementibus res, quas prudenter ſuſpicantur, vel dubitant eſſe furto ſublatas?

Quid de dubitante poſtquam bona fide acquiſivit?

II. Dubitans, rem, quam bona omnino fide acquiſivit, eſſe alienam, ſi dubium illi oriatur ante completum tempus præſcribendi, tenetur ſtatim inquirere de veritate, ſumma diligentia; poſt quam diligentem inquiſitionem, ſi probabilius appareat, rem eſſe ſuam, eam integre ſibi retinere poteſt, juxta etiam alibi dicta; quia tunc melior eſt conditio poſſidentis, & poſſeſſio bonæ fidei confert ipſi titulum ſpecialem ad eam retinendam. Si autem adhuc dubium æquale perſeveret, juxta dicta in cap. 2. §. 16. num. 3. cum Soto probabilius res eſt dividenda pro rata dubii inter poſſeſſorem, & alterum, ad quem pertinere dubitatur, ob motiva ibidem allata, quorum ſi non recorderis, ibi legas.

Quid de dubitante an debitum ſolverit?

III. Hinc dubitans, an ſolverit debitum alioquin certum, ex communi tenetur illud ſolvere: quia obligatio certa non ſolvitur per ſolutionem incertam. Putarem tamen; quod ſi etiam creditor dubitaret, an ſolutionem receperit, tunc cum eſſet dubium etiam de credito, ſolvendum eſſet pro rata dubii. Commodatarius dubitans, an res commodata ſua culpa perierit, tenetur ad redintegrationem: Nam lumen naturale dictat, ut, in dubio, damnum potius ſubire debeat, qui beneficium recepit, quam qui contulit, cum hic ſit certe innocens; & etiam benemerens; alter vero prudenter ſuſpectus de reatu. Neque opponas, quod in dubio, delictum non præſumitur: Nam contra hoc principium juris extat aliud, nempe quod in dubio potius liberandus ſit certo innocens, quam reus ſuſpectus; & propterea illud valere poteſt, quoties non agatur de damno tertii, certo innocentis, & benemerentis. Quomodo autem ſe dirigere debeat miles in caſu dubii de juſtitia belli, diximus in tract. 4. cap. 9. §. 4.

Quid de commodatario dubitante, an ſua culpa perierit?

§. VI. *De obligationibus Poſſeſſoris malæ Fidei.*

Obligationes Poſſeſſoris malæ Fidei.

I. POſſeſſor malæ fidei dicitur ille, qui rem injuſte accepit, vel injuſte detinet; cujus hæ ſunt obligationes; tenetur reſtituere rem, ſi adhuc extet, vel ejus valorem, ſi non extet; item omnes fructus naturales, mixtos, & civiles perceptos ex illa, demptis expenſis, quas etiam dominus facere debuiſſet: item etiam fructus non perceptos, ſi dominus illos percepturus erat: item etiam fructus induſtriales, poſito quod etiam dominus illos percepiſſet, quamvis damnificator non perceperit: item compenſare omne damnum emergens domino ex privatione rei ſuæ, & omne lucrum eidem ceſſans, ob eamdem privationem. Ratio hujus communis aſſertionis eſt, quia injuſte accipiens vel detinens fuit omnium præcitatorum damnorum vera & realis cauſa, ad quæ omnia tenetur, etiamſi nullam omnino utilitatem percepiſſet; puta ſi etiam ipſi res illa fuiſſet furto ſublata, vel eam ſtatim amiſiſſet. Poteſt tamen ſubtrahere præter expenſas, quas dominus neceſſario facere debuiſſet ad conſervandam rem illam, etiam expenſas factas in re illa melioranda, & utiliori reddenda, dummodo tamen in expendendo non exceſſerit; & dominus quoque expenſas illas feciſſet. Fructus tamen ex melioramentis collectos reddere tenetur, quia ſicut melioramenta ſunt domini, ita & fructus ex illis percepti, cum res domino ſuo fructificet.

Non poteſt ſe compenſare pro expenſis voluptuoſis.

II. Expenſas voluptuoſas a poſſeſſore malæ fidei in re aliena factas, quæ pretioſiorem efficiunt; ut ſunt picturæ parietibus inhærentes, ſculpturæ muris infixæ, aliæque conſimiles tectis cubiculorum, vel parietibus illinitæ, italice *lavori a ſtucco ec.*, ſi auferri nequeant abſque detrimento rei alienæ, tenetur cedere iniquus poſſeſſor domino rei, quin, juxta probabiliorem, dominus quidquam teneatur pro eiſdem erogare; nec non quin poſſit iniquus poſſeſſor quidpiam ſibi in compenſationem retinere. Neque obeſt, quod illa melioramenta voluptuoſa reddant rem æſtimabiliorem, & pluris valituram, ſi vendatur a domino; quia in primis iniquus poſſeſſor hæc volens fecit, & prævidere poterat, ſe in reſtituendo illa eſſe amiſſurum: un-

Digitized by Google

unde ipſe voluit eſſe ſui damni cauſa: Secundo, quia cum hujuſmodi melioramenta non raro multas expenſas requirant, teneretur dominus contra ſuam voluntatem ſubjici notabili ſuorum bonorum jacturæ, ſi reus eſſet compenſandus, vel pro magna portione emeret rem ſuam, ſi ſolvere pro melioramentis deberet. Tertio, quia per accidens eſt, quod rem illam melioratam vendere velit, ut utilitatem ex melioramentis reportet: immo evenire poteſt, quod neque illam vendere, neque locare poſſit, & interea ſuis bonis privetur. Proinde non eſt diſcedendum ab opinione communiori, & probabiliori, cum fundamenta adverſæ opinionis nil aliud concludere valeant, niſi conveniens eſſe, ut dominus aliquid remittat iniquo poſſeſſori pro dictis melioramentis; quod & nos fatemur: ſi vero nolit, nihil omnino poſſeſſor ille ſibi retinere poterit; quippe quod, ut dixi, ipſe ſolus ſit ſui damni totalis cauſa.

Res erepta a periculo debetur ſuo domino.

III. Ex dictis deducitur primo, poſſeſſorem malæ fidei teneri reſtituere rem, quæ ab altero erat certo ſurripienda domino; quia ſicut iſte injuſte eam ſurripuiſſet, ita etiam injuſte ab illo aut detinetur, aut antea ſublata fuit. Ita ſi eripuit rem a certo inevitabili incendio, eſt domino proculdubio reſtituenda, detractis expenſis & merito laboris, aut periculi ad illam eripiendam; quia res illa eſt ſemper domini ſui. & ſervans illam, non habet jus, niſi ad mercedem pro opera ad illam ſervandam præſtita.

Res furto ablata periens, dum poſſidetur a fure.

IV. Rei furto ablatæ, quæ periit in manu furis, certo perituræ etiam in manu domini, puta in naufragio eodem, in quo cuncta ſubmerſa fuerunt, exceptis ſolis perſonis; in incendio, quod domum integram cum omnibus rebus in ipſa contentis tam domini, quam furis conſumpſit, probabilius videtur non eſſe obligandum furem ad reſtitutionem: quia revera fur nullum damnum reale intulit, bene vero tempeſtas, aut incendium; unde periit res illa non ex actione furis, ſed ex furore maris, & ex voracitate flammarum: ita plures apud Bonacinam de Reſt. in gen. diſp. 1.. quæſt. 3. punct. 10. n. 2. Si vero fur ille rem furto ſublatam diſtraxiſſet, vendidiſſet, conſumpſiſſet ante naufragium, vel incendium, procul dubio tenebitur domino reſtituere integrum rei illius valorem, una cum omnibus damnis, ſi quæ ſecuta fuere a tempore, quo illam conſumpſit, uſque ad tempus quo periiſſet ſimul cum aliis rebus domini naufragio, incendio &c., quia fur illam conſumpſit tempore, quo integrum ſuum valorem res illa habebat, quandoquidem nec prævidebatur, neque expectabatur, (ut ſupponitur) naufragium, incendium &c.. Cum igitur tunc illam conſumpſerit, ut æquale reddat, debet reſtituere tantum, quanti valebat, una cum aliis damnis, ſi quæ reſultarunt uſque ad dictum tempus, quorum effectuum furtum fuit cauſa realis.

Poſſeſſor malæ fidei amittens rem dum eſt in mora culpabili.

V. Surripiens rem alienam, quæ certo peritura erat apud dominum, eo quod die ſequenti militares repreſaliæ illum cunctis omnino bonis expoliarunt, tenetur quam primum illam reſtituere, vel integrum ſuum valorem, ſi eam abſumpſit; vel ſi timebantur, & expectabantur repreſaliæ, quanti valere poterat in ſtatu illius periculi. Si autem non ſtatim reddat, & ſit in mora; & interea rem illam quocunque caſu amittat, tenetur æquivalens reddere domino, quia cum fuerit in mora culpabili reſtituendi, fuit cauſa realis omnium prædictorum.

Valor ex duplici capite

VI. Cum autem ſæpe contingat, non rem, ſed illius valorem eſſe reſtituendum; idcirco obſervandum eſt, quod duplex valor diſtinguitur nimirum intrinſecus, & extrinſecus. Primus eſt, qui convenit rei ratione ſui ipſius; puta pretium vituli, qui crevit in bovem: ſecundus, qui convenit rei ratione circumſtantiarum extrinſecarum: ex. gr. varius valor tritici tempore abundantiæ, vel penuriæ.

Secundum quem valorem ſit reſtituenda res?

VII. Ex communi, poſſeſſor malæ fidei tenetur reſtituere domino rem ſecundum ſtatum perfectiorem quem habuit, & ſecundum valorem ſummum quem habuit. Ratio eſt; quia etiam in eo ſtatu debebatur ſuo domino, & ipſi erat reddenda: unde ſi furatus es vitulum, qui crevit in bovem, eumdemque vendidiſti, perdidiſti &c.; cum non poſſis reſtituere bovem, teneris valorem illius bovis reſtituere, quia etiam quando evaſit bos, erat ſui domini; detractis tamen expenſis, quas dominus feciſſet, quouſque in bovem evaderet: quod ſi bove illo uſus fuiſti, valorem illius uſus reddere teneris domino, quia uſus rei ſuæ. Et hoc eſt verum, etiamſi dominus illum conſumpturus erat in ſtatu vituli: quia, ut dixi, etiam poſteaquam crevit in bovem, ſuus erat, eidemque debitus. Debetur autem domino ſummus valor illius bovis, quia et-

Digitized by Google

etiam ſummus ille valor ad ipſum pertinebat, & hoc indubitanter, ſi certum, aut dubium ſit, dominum bovis fuiſſe illum venditurum eo ſummo pretio; quia etiam in dubio melior eſt conditio domini rem ſuam poſſidentis, & jus habentis ad ſummum illum valorem. Immo, juxta probabiliorem, etiamſi dominus illum vendidiſſet ante ſummum valorem, puta quadraginta ſcutorum, ſed dum valeret triginta; poſſeſſor iniquus tenetur ad quadraginta; quia etiam eo tempore erat domini, eidemque reddendus; cum nullum ſit inſtans, quo licitum ſit retinere male poſſeſſa: aliter poſſidens iniquus, reddendo dumtaxat triginta, ſicut dominus vendidiſſet, reportaret utilitatem ex iniquitate ſua, quæ utilitas non eſt meræ induſtriæ adſcribenda, ſed eſt inſita rei alienæ. Confirmo: Detur caſus, quod fur auferat bovem, dum valet quadraginta, quo tempore dominus certo non erat bovem venditurus, ſed dumtaxat dum valiturus erat triginta: ſatisfaciet ne fur, ſi dumtaxat reſtituat triginta? minime gentium, ut omnes affirmant: ſed illum reſtituere obligabunt quadraginta, quia tunc, quando furatus eſt, tanti valebat: interrogo modo; in quo differt furtum illius bovis eo tempore perpetratum, ab injuſta ejuſdem bovis detentione eo tempore executa? nihil omnino, docente S. Thom. 2. 2. qu. 66. art. 3. ad 3. quod *Detinere id, quod alteri debetur, eamdem rationem habet cum acceptione injuſta:* Si igitur iniquus raptor bovis valentis quadraginta, non ſatisfacit reddendo viginti, quamvis dominus dumtaxat pro viginti venditurus fuiſſet, neque ſatisfaciet injuſtus detentor reddendo viginti, dum abſumit rem valoris quadraginta, quamvis viginti tantum dominus recepturus eſſet. Itaque non eſt menſuranda reſtitutio dumtaxat ex damno, cui dominus ſubjacet de facto, ſed ex damno, quod affertur circa jus certum & verum, quod habet in rebus ſuis, & cum habuerit verum & certum jus in illa re injuſte conſumpta, dum plurimi valeret, injuriam paſſus eſt, dum eadem in illo ſtatu exiſtente fuit privatus. Si enim ex damno actuali ſolum menſuranda eſſet obligatio reſtituendi, ſequeretur; quod illi, cui tu furatus eſſes mille argenteos, & cui, ob hoc infortunium, ſtatim a Principe totidem dono dati fuere, nil aliud deberes reſtituere, quippe qui nullum damnum expertus fuerit ex furto tuo: quod quam abſurdum ſit, nemo non videt: Idcirco non tantum ex damno illato, ſed ex jure violato domini in re ſua, eſt reſtitutio metienda.

* Quæres quomodo pretium æquivalens refundere poſſit qui triticum, gemmas, aut ſimilia jam octo abhinc annis furatus eſt?

Reſp. Petrus Collet *tract. de Juſt. cap. 3. art. 3. ſect. 2.* reſtituendum eſſe pretium, non ſupremum, vel infimum, ſed medium, quo res venundabantur, cum furto ſubreptæ ſunt. Hoc autem pretium *ſubjungit ille*, vel ex publicis regiſtris cognoſcetur, ſi ſermo ſit de annona; vel ex libris mercatorum, ſi agatur de gemmis, & ſimilibus. Quod ſi gemma ab eo, cui ſurrepta eſt, ad præſens uſque tempus ſervari debuiſſet, reſtituenda eſt ſecundum valorem, quem hodie habet, etiamſi forte multo majorem, quam eſſet tempore ipſius furti; res enim domino ſuo creſcit.

Dubitans de effectu actionis damnificantis ad quid teneatur?

VIII. Qui dubitat, an ex actione ſua mala, per ſe damnum inferente, reapſe damnum ſecutum fuerit, tenetur reſtituere pro rata dubii, ideſt tantum, quanti æſtimari debet periculum certum ſubeundi damnum illud; quod judicio prudentum taxari debet, mature perpenſis circumſtantiis gravitatis damni, & gradus periculi. Ratio eſt, quia jam eſt certus de poſita actione mala damnificante, & dubius de effectu ſecuto: ſi igitur ad nil teneretur, inæqualis eſſet cauſa innocentis, de cujus damnificatione reali dubitat, a cauſa rei, qui certo poſuit actionem: nam contra iſtum militat actio injuſta certo poſita, contra innocentem autem nil militat: Cur igitur in dubio melior debebit eſſe conditio ponentis actionem damnificantem, quam innocentis in nullo rei? Quandoquidem ſi ad nil teneretur qui poſuit actionem, toti periculo ſubderetur innocens amittendi ſua, & reus evaderet immunis ab omni onere. Multo magis quod præſumptio ſtat contra illum, qui certus eſt de actione damnificante poſita.

Certus de actione poſita & de damno ſecuto, ſed dubitat, an damnum ex actione

IX. Si autem certus eſſet nedum de actione damnoſa poſita, ſed etiam de damno ſecuto; dubitaret autem, an damnum ſecutum fuerit ex actione ſua, an potius ab alio eventu accidentali; tunc magis augetur motivum, & debitum redintegrandi, & ut affirmant multi, totum damnum; nam, a regula 45. Juris in 6. docemur,

proceſſerit, vel aliunde?

mur, quod *In obſcuris inſpicimus, quod eſt veroſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit*: atqui prudenter præſumi poteſt, damnum ſecutum fuiſſe ex actione poſita; cum enim certum ſit, actionem fuiſſe poſitam, & damnum fuiſſe ſecutum; extat fundamentum prudens judicandi, damnum ex illa actione profluxiſſe; niſi oppoſitum probetur: plerumque enim ex illa actione conſtat ſequi damnum. Si autem aliqua revera extaret ratio excitans dubium non leve, aliunde potuiſſe procedere illud damnum, aliquid forte poſſet remitti illi, qui poſuit actionem, at valde modicum: cum præſumptio ut decem ſit contra ipſum, & ut unum pro ipſo.

§. VII. *De agente aliquid non ex ſe damnum inferens; ex quo tamen ſecutum fuit damnum alteri.*

Quando tenetur ad reſarciendum qui dicto modo agit?

I. QUi facit actionem, ad quam jus habet, honeſtam, & ſibi utilem, & quamvis ſit periculoſa damnum afferendi, omnem tamen diligentiam adhibet, quam cauti, & prudentes homines adhibere conſueverunt; ſi damnum aliquod inde præter intentionem emergat, ad nihil tenetur; quia utitur jure ſuo, atque ea diligentia, a natura actionis requiſita: Unde Lex 193. §. de Regul. juris: *nemo damnum facit, niſi qui id facit, quod facere jus non habet*. Si autem non adhibuit debitam diligentiam, tunc cum injuſte egerit quoad modum, tenebitur de damno. Hinc lex 28. §. ad legem Aquiliam decernit, ut qui in itinere foveam parat ad capiendum lupum, teneatur de damno itineranti ſecuto. Si autem actio fuerit otioſa, inutilis, & multo magis ſi mala, ſimulque periculoſa damni inferendi, aut ex natura ſua, aut ob circumſtantias; quamvis adhibeat diligentiam, ne damnum ſequatur; tenebitur ad damnum, ſi ſequatur; quia injuſte egit erga perſonam damnum paſſam, quæ habebat jus, ne abſque ullo rationabili motivo fieret actio periculoſa, qua inferri poſſet damnum ipſi: tum etiam quia damnum illud imputatur ſufficienter voluntarium in actione illa voluntarie poſita, cujus periculum perſpectum habebat, neque habebat rationabile motivum illam ponendi. Hinc qui de nocte vadit ad furandum ſcrinium Petro, & tranſit per ejus fœnile, & fortuito, tametſi adhibita diligentia, incendit fœnile una cum palatio Petri, ad totum damnum tenetur, eo quod Petrus habebat jus, ne quiſquam cum faculis ſuum fœnile ingrederetur abſque rationabili motivo, ob incendii periculum. Unde in lege 30. præfati tituli dicitur: *qui occaſionem præſtat, damnum feciſſe videtur*. Si denuum actio tua fuerit mala, vel inutilis, nec ipſi plerumque, & ordinarie ullum damnum conjungatur, attamen tu illud intenderis, & actionem eo fine feceris, teneberis de damno, ut patet; quia damnum illud eſt tibi plene voluntarium a te intentum, & procuratum actione ſufficienter effectiva ejuſdem. Et idem dicendum etiamſi damnum actioni illi plerumque conjungi non ſoleat; tu tamen ex aliqua circumſtantia prævideris probabiliter venturum ex actione tua inutili, aut mala, & reapſe damnum ſequatur, teneberis illud ſarcire ob eandem rationem: quia tibi ſufficienter voluntarium in actione illa, qua violaſti jus alterius, in eo conſiſtens, ne faceres actionem abſque rationabili motivo, ex qua prævideres probabiliter illud damnum inferendum.

Evertitur fundamentum aliter opinantium, & aſſeruntur caſus.

II. Hinc patet, quam ruinoſum ſit fundamentum aliter opinantium, & regulas hactenus poſitas impugnantium, atque dicentium, ponentem actiones illas uti jure ſuo; quod eſt ſolemniter falſum, ut allatæ rationes evincunt: non enim eſt uſus juris ſui, ſed enormis abuſus, quippe quum non extet in allatis caſibus jus actiones illas exercendi, utpote inutiles, aut malas; & proinde irrationabiles, quibus alioquin vel plerumque, vel probabiliter adnectitur periculum inferendi damnum innocenti. Idque confirmatur ab oppoſito; nam ſi ex actione tua inutili, aut mala, vel nunquam, vel rariſſime adjungatur periculum damni alterius, cum nec debueris, nec potueris prudenter illud prævidere, ſi fortuito, & omnino per accidens ſequatur, non tibi imputatur; quomodo igitur quando vel plerumque, vel probabiliter natum eſt ſequi, & multo magis ſi prævifum poſſe ſequi, quomodo tibi æqualiter imputandum non erit? Hinc ſi fœmina ſeducat hominem ad ſecum peccandum, ipſumque expectet in cubiculo remotiore, & profundiore totius palatii, & homo ille ſcalas marmoreas deſcendens, dilabatur, & ſibi crura frangantur, ita ut per plures menſes inhabilis ad lucrandum reddatur, excuſatur mulier illa impudica a redintegrando hoc damno, quippe quod prævideri non potuit ex ſeductione ſua ſecuturum: ad

Caſus reſolvitur.

ad differentiam illius, quæ conſiſiens in altiori palatii cubiculo ſuggereret homini illi ſeducto, ut de nocte ſcalis portatilibus inter ſe conjunctis forinſecus reperet uſque ad feneſtram illius; & hæc, ejus ſuaſu ille agens, dilaberetur, & dicto infortunio ſubjaceret: fœmina profecto teneretur de damno; quippe quæ prævidere debebat malum illud probabiliter eventurum.

Caſus alter. III. Hinc, qui ſuo exemplo probabiliter animadvertit etiam alios excitandos ad damnum alteri inferendum, tenetur ad reſarciendum etiam pro illo damno, ſi reipſa inferatur, & alii reſarcire recuſent; quia dans exemplum cum prævisione hujuſmodi probabilis periculi, violavit jus proximi damnum paſſi, quod erat, ne quiſquam aliquo injuſto modo provocaret alterum ad ſibi damnum inferendum; id autem fecit, qui prævidet ſuo exemplo alios probabiliter inducendos ad ſimile damnum; nam exemplum illud fuit actio injuſta, & modus injuſtus, unde alii reapſe excitati fuerunt ad damnum inferendum. Propterea etiam hic valet documentum legis relatum: *Qui occaſionem præſtat, damnum feciſſe videtur.*

Caſus alter, IV. Qui damna a ſuis famulis, aut feris, puta urſo, cane feroci &c., ob ſui negligentiam in illis caſtigandis, cuſtodiendis &c., fieri non curavit; tenetur ad redintegrationem, juxta omnes: quia omiſit in aliorum perniciem id, ad quod ſtricto jure tenebatur. Si autem revera abſque omni ſua negligentia damnum ſecutum fuit, in foro conſcientiæ ad nihil tenetur, quia nequit verificari ullus illius influxus in damnum illud: Dixi in foro conſcientiæ, quia in jure civili in Inſtitutis ff. & de Codic. de Noxalibus actionibus, jubetur ut pro damno illato, quamvis abſque culpa domini, tradatur mancipium, vel animal, quod damnum intulit: Et Jure Can. cap. ult. de injuriis idem ſtatuitur; & inſuper additur confirmatio aſſerti noſtri: *Quod ſi animalia tua nocuiſſe proponas, nihilominus ad ſatisfactionem teneris, niſi ea dando paſſis damnum, velis liberare teipſum: quod tamen ad liberationem non proficit, ſi fera animalia, vel quæ conſueverunt nocere, fuiſſent: & quam debueras, non curaſti, diligentiam adhibere.*

§. VIII. *De obligationibus impedientium alios a conſecutione bonorum temporalium.*

Qualiter prælatus impediens teneatur ad reſtitutionem?

I. QUi quovis modo, etiam ſolis precibus, impedit, & eſt cauſa, ne aliquis conſequatur bonum temporale, ad quod habet jus ſive in re, ſive ad rem, tenetur ad totum damnum reſtituendum, juxta omnes: quia injuſte violat jus proximi: & ſi quidem habebat jus in re, tenetur ad omnia damna eidem ſecuta: ſi autem habebat jus dumtaxat ad rem, impediens tenebitur pro quanto jus illud prudenter æſtimari poteſt. Impediens alterum, ne utatur jure ſuo, puta locando domum, ſuſcipiendo opificium lucroſum &c., ſi ipſe immediate impediens utatur ſolis, & meris precibus abſque ulla vel minima vi, fraude &c., & proximus deſiſtat omnino libere, ad nihil tenetur, ut patet, quia ipſi non infert injuriam. Si autem preces fiant per tertiam perſonam valentem incutere metum, ita ut alter omnino libere non aſſentiatur, & deſiſtat; primo ipſe inducens rogantem, deinde in hujus defectu, ipſe rogans tenetur ad compenſationem; quia utitur modis injuſtis, & voluntatem liberam violantibus, & multo magis ſi minis, fraudibus &c., utantur, Unde ad rem S. Thomas 2. 2. quæſt. 62. art. 2. ad 4. *Aliquis poteſt impedire aliquem, ne habeat præbendam.. injuſte; puta ſi intendat ejus nocumentum, quem impedit propter odium, & vindictam, aut aliquid hujuſmodi. Et tunc ſi impedit, ne præbenda detur digno, conſulens, quod non detur, antequam ſit firmatum, quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompenſationem, penſatis conditionibus perſonarum, & negotii, ſecundum arbitrium Sapientis, non tamen tenetur ad æquale; quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si vero jam firmatum ſit quod alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam cauſam procuret, quod revocetur, idem eſt ac ſi jam habitam auferret; & ideo tenetur ad reſtitutionem æqualis, tamen ſecundum ſuam facultatem.* Similia habet in art. 4. *Si damnificet aliquem impediendo, ne adipiſcatur quod erat in via habendi, tale damnum non oportet recompenſare ex æquo, quia minus eſt habere aliquid in virtute .... tenetur tamen aliquam recompenſationem facere, ſecundum conditionem perſonarum, & negotiorum.* Vide Comment. Cajetani in utrumque locum.

II. In

Utens modis injuſtis. II. Impediens fraudibus, minis, detractionibus mendaciis, aliiſque modis injuſtis alterum a conſequendo bono ſibi vel juſte, vel gratuito conferendo; tenetur ad reſtitutionem pro quanto apud prudentes æſtimabitur ſpes illius boni conſequendi: quia quamvis bonum ipſi conferendum eſſet gratuitum, & nullum jus ad ipſum haberet; habebat tamen jus, ne modis injuſtis impediretur ab illo conſequendo. Aliud eſſet, ſi ad bonum aliquod alter nullum habeat jus, quia gratuito donandum, & nullis adhibitis modis injuſtis, volens donare diverteretur a propoſito ſolis precibus tuis moderatis, quamvis ex odio contra alterum profectis; quia tunc cum nullius violares jus, non illius qui ad illam rem nullum habet, neque volentis donare, quia non deciperetur; non violares juſtitiam, & ideo ad reſtitutionem non tenereris: peccares tamen graviter contra charitatem, ſi ex odio ſupplicares; & nullo peccato, ſi illum rogares, ut potius alteri magis bene merenti, aut indigenti donaret.

Impediens dignum a conſequendo officio qualiter peccet? III. Impediens perſonam dignam a conſequendo officio ſive clericali ſive laicali, quamvis ſine ullo artificio injuſto, ut conferatur conſanguineo, aut amico indigno, aut inepto, peccat graviter contra juſtitiam debitam Eccleſiæ, aut Reipublicæ, & tenetur ad compenſationem omnium damnorum ex adminiſtratione inepti illis reſultantium; quia tam Eccleſia, quam Reſpublica habent jus, ne miniſteria ſua dentur ineptis. Immo ad id teneretur impediens etiam in caſu, quo impediret, ne notabiliter dignior promoveretur, quamvis procuraret pro digno. Et circa hæc videas a nobis tradita in cap. 3. de Juſtitia §. 1. n. n. 5. 6. quin hic repetantur.

Caſus ſpecialis. IV. Petrus per famulum ſuum mittit Epiſtolam Paulo, inculcans famulo, ut ſine cunctatione epiſtolam eidem tradat; in qua te illi commendat, ut tale officium lucrativum apud Principem procuret. Tu in via obvium habens famulum illum amicum tuum, illum precibus compellis, ut apud te divertat, & cubet, mane tracturus epiſtolam. Interea Princeps diſpenſat alteri officium illud, & Paulus impotens redditur ad ſupplicandum pro Petro. In hoc caſu vel ſciebas negotium in Epiſtola Petri contentum, vel non: ſi non ſciebas, ſed mero amicitiæ affectu famulum retardare feciſti precibus tuis, patet, quod ad nihil tenearis; ſi autem ſciebas, aut ſuſpicabaris contentum in Epiſtola, & vel ex malevolentia in Petrum, vel ut alter a te Principi commendatus conſequeretur officium ante mane venturum diſpenſandum, famulum retinuiſti; certum eſt, te injurioſe, & injuſte egiſſe contra Petrum, cui erat jus, ne illius famulus modis artificioſis, ſibique perniciofis in itinere retardaretur. Similiter injuſte egit famulus, qui ex juſtitia tenebatur obedire domino, qui delationem epiſtolæ ſine cunctatione impoſuerat; unde ſi neſciebas negotium, obligatio tota devolvitur in famulum; ſi autem ſciebas, dividenda eſt pro rata inter te, & famulum obligatio reſtituendi pro valore ſpei, quam Petrus habebat. Major tamen portio oneris ad te ſpectabit; quippe qui conſcius, vel ſuſpicans de contentis in Epiſtola, ſeduxiſti famulum ignorantem negotium Epiſtolæ.

Caſus alter ſpecialis. V. Petrus vult legare Titio tria ducatorum millia, homini jam notorio concubinario, perditæque conſcientiæ, qui prudenter prævidetur legatum illud diſſipaturus cum meretricibus; Sempronius zelo commotus utitur omni licito artificio, ut Petrum removeat ab hujuſmodi legato, eidem ſuadendo, ut potius in pias cauſas relinquat impendendum; Petrus antiqua Titii amicitia devinctus removeri non poteſt: Sempronius, ut illum vincat, revelat crimen verum; ſed occultum Titii, ſceleris nefandi cum nepote Petri ſeducto perpetrati, ut Petrum tandem removeat, commendando illi ſecretum, quod ipſi revelavit, eo mero animo, ut Titii indignitatem perſpectam habeat. Huic notitiæ ceſſit Petrus, & propoſitum mutavit. Quid igitur de Sempronio? Leſſius cap. 12. Dub. 18. n. 124. & Cardinalis de Lugo diſp. 18. ſect. 5. n. 92. reſpondent: Sempronium injuſte non egiſſe revelando Petro crimen illud occultum Titii; quia in dictis circumſtantiis videbatur neceſſaria revelatio ad removendum Petrum a propoſito non bono, cum prævideretur certo moraliter legatum illud in novas Dei offenſas, & proximi ſcandala diſſipandum: & quamvis Titius jus haberet, ne crimen illud occultum publicaretur, in datis circumſtantiis jus non habebat, ut non revelaretur uni dumtaxat, & ſub naturali ſecreto, ad eum finem, ne multiplicarentur peccata, & Petro nota fieret indignitas illius improbi ſeductoris ſui nepotis.

Caſus alter ſpecialis. VI. Titius novus artium liberalium magiſter, abſque mediis injuſtis procurat mo-dis

dis civilibus divertere diſcipulos a Sempronii ſchola, ut ad ſuam conveniant; & reapſe plures eorum ad ſuam traxit, ad quid tenetur? Si Titius non ſit longe præſtantior in docendo, quam ſit Sempronius, peccat contra juſtitiam reſpectu Sempronii; quia cum non ſit doctrinæ longæ majoris, ſed aut circiter æqualis, aut forte inferioris, injuſte lædit illius famam, inducendo ſcholares, ut ſe eidem præferant; nec non illius juſtum lucrum, circa quod quoddam jus in re habebat, ne ſibi tolleretur, ob æqualem, aut inferiorem alterius magiſtri idoneitatem. Unde Cajetanus in Summula verbo Magiſtrorum peccata, dicit: Quinto, peccant Magiſtri deviando ſcholaſticos auditores ab aliis doctoribus in damnum ipſorum auditorum, & injuriam doctoris; & hoc eſſet mortale ſi ſic fieret: Hæc Eminentiſſimus ille. Si autem Titius reapſe eſſet longe præſtantior, & nulla arte injuſta uteretur, videtur non peccare: quia neque injuriam faceret Sempronio, ob ipſius idoneitatem longe inferiorem ſua: neque diſcipulis longe melius inſtituendis. Verum quia in hoc caſu multa ſunt conſideranda, & quia eſt caſus exemplaris aliorum, idcirco audiendum puto S. Antoninum, qui part. 2. tit. 2. cap. 2. §. 1. ex Joan. de Rupella, hæc profert ,, Patet; quid ,, dicendum ſit de his, qui ſcholares retrahunt, & ſubtrahunt Doctoribus, ,, cum quibus audiunt: quia aut hoc faciunt in odium doctorum, vel volentes ,, ſibi providere, vel aliis providere, vel ,, volentes ſcholaribus providere. Si primo ,, modo; aut ſubtrahit ſcholarem, qui jam ,, intrabat ſcholas, & tunc tenetur doctori ad reſtitutionem ſcholaris, & honoris, & ſalarii ſibi ſubtracti: ſi etiam doctor, cui ſubtrahit, ſit melior quam ille, cui eum procurat, tenetur tali pro ,, quanto utilitatem ſcientiæ ſibi ſubtraxit. Si autem nondum ſcholas intravit, ,, ſed intrare diſponebat, non tantum tenetur, licet obligetur ſcholarem inducere, ut redeat ad primum. Si autem ,, hoc facit volendo ſibi providere; puta, ,, eſt doctor, & vult ſibi de ſcholaribus ,, providere; ſi hoc ſine fraude facit, & ,, ſcholaris nondum ſe dederat alicui doctori, non credo eum in aliquo obligari; cum cui liber ſit licitum modo licito ,, & debito procurare utilitatem ſuam; aliter non credo ſibi licere. Si autem hoc ,, fecit, volens aliis providere, ſicut quando ſcholaris alicujus doctoris ſubtrahere ,, conatur ſcholares aliis doctoribus, ut intrent cum doctore ſuo, in hoc ſolum honorem, & utilitatem ſui doctoris intendens; ſi ſubtrahat jam intrantem cum ,, alio doctore, credo ipſum obligari; niſi ,, forte illius doctoris, cui ſubtrahit eum, ,, inſufficientia, & ſcholaris aliqua ſpecialis cura, qua ſibi tenetur, excuſet. Si ,, autem retrahat intrare volentem, cum ,, ex hoc nullum jus doctori ſit acquiſitum, ,, & hoc facit ſine fraude, non credo eum ,, doctori in aliquo obligari; obligatur autem ſcholari, ſi eum retrahat, ne audiat meliorem. Si autem hoc faciat, ,, utilitati ſcholaris volens conſulere, & ,, ſuper hoc, a ſcholari requiſitus, conſulit ,, quod audiat alium Doctorem meliorem, ,, bene facit: & dicta in his caſibus, ſunt ,, cæteris paribus intelligenda. ,, Hæc S. Archiepiſcopus ex laudato Joanne. Ex hac reſolutione, quam exemplarem vocavi, inferas, quid reſpondendum ſit in ſimilibus caſibus, de Advocatis, Procuratoribus, Medicis, Artificibus, Mercatoribus &c. immo & Concionatoribus; qui abducunt alienos clientes, infirmos, eoſque qui ab alio emere ſolent merces, vulgo *avventori* &c., ut ſibi majora lucra & utilitates temporales procurent.

Reſolutio S. Antonini.

§. IX. *De mora in reſtituendo.*

I. JAm de mora, orta ſive ex voluntate, ſive ex impotentia, injuſte accipientis aliena, patet ex dictis in §. 6., ipſum teneri ad omnia damna ex injuſta acceptione proximo ſecuta; quia ipſe injuſte accipiens eſt cauſa realis illorum damnorum, & ſuæ impotentiæ, quæ non valet ipſum excuſare, quippe quæ volita fuit in cauſa culpabili.

De mora poſſeſſoris malæ fidei jam dictum in §. 6.

II. Debitor ex contractu, vel quaſi contractu tenetur ſolvere, elapſo termino conſtituto, quamvis non moneatur a creditore. Ratio eſt manifeſta; quia tunc incipit retinere alienum contra voluntatem domini. Si vero nullus terminus fuerit conſtitutus, & ſilentium creditoris moraliter certo procedat ex tacita conceſſione dilationis, non erit judicandum lethale, ſi debitor differat: ſi vero prudens ſuſpicio ſit, creditoris ſilentium proficiſci ex quodam metu; ita ut dilatio non ſit omnino voluntaria; tunc dilatio notabilis poteſt eſſe mortalis, utpote retentio rei alienæ invito domino.

Mora debitoris ex contractu.

III. Si creditor, eo quod dubitor diſtulerit ſolutionem, compellatur accipere pecuniam ſub uſuris, non eſt dubitandum, quod ſi de hoc præmonitus fuerit a creditore, & adhuc non ſolverit, teneatur ſolve-

Quando mora eſt cauſa, ut creditor accipiat ſub uſuris quid dicendum?

Digitized by Google

vere uſuras illas, quarum illius mora eſt cauſa. Si autem non fuerit præmonitus ex negligentia creditoris, durum eſt obſtringere debitorem ad illas ſolvendas; ſi enim præmonitus fuiſſet, probabiliſſime aliquod medium inveniſſet ſolvendi debitum, ne ſua mora magis augeretur; unde videretur poſſe juſte conqueri contra creditorem, qui non præmonuit illum, ut ſe ſubtrahere poſſet ab hoc novo onere ſolvendi uſuras. Si demum creditor non monuit, prudenti timore retractus, ob indolem difficilem, indignantem, præcipitem debitoris, ne alicui injuriæ ſe exponeret ſine fructu; tenebitur procul dubio debitor ad uſuras, tum quia tenebatur ſolvere tempore conſtituto, vel ad primam creditoris petitionem; tum etiam quia ſua indoles iracunda, & offendens prohibuit, ne præmoneretur a creditore, qui non debet pati damnum uſurarum ob defectum ſuæ pecuniæ, quam hic debitor ſtatuto tempore, vel primo petitus, ſolvere tenebatur.

Quando mora ex oblivione non fuit culpabilis quid dicendum?

IV. Quando mora non fuit culpabilis, atque nata ex mera inculpabili oblivione, neque in contractu conventum fuerit, quod teneatur ad intereſſe etiam pro mora inculpabili, communior docet, quod non teneatur ad damna; quia non invenitur radix hujus obligationis; non retentio, eo quod ſit inculpabilis, non contractus ſolvendi, qui non extat; quid igitur? & propterea, qui habet commodato v. g. anulum valoris centum aureorum ad triennium; & tam dominus, elapſo eo termino, obliviſcatur petere, quam commodatarius reddere, immo dominus quærens anulum inter ſua mobilia pretioſa, nec inveniens, neque memor ſe alteri commodaſſe, totidem aureos expendit, ut anulum conſimilem habeat; deinde commodatarius quadam die inter ſua pretioſa invenit anulum, quem commodanti reſignat, veniam petens oblivionis ſuæ; quis unquam dicet teneri hunc commodatarium ad erogandum centum aureos, quos commodans non expendiſſet? non ego.

Quando mora oritur ex impotentia.

V. Si debitor ex contractu, antequam elabatur tempus ſolutioni conſtitutum, ex ſua culpa incidat in impotentiam, judicandus videtur debitor ex delicto; quia neque debebat ante terminum ſolutioni præfixum in impotentiam ſe conjicere, ne redderetur impotens ad ſolvendum; neque differre debebat poſt elapſum tempus, ſed ſtatim ſolvere. Proinde impotentia ſuperveniens, cum inveniat illum in mora culpabili, conſtituit reum ex delicto, & per conſequens omnium damnorum creditori reſultantium. Si autem in impotentiam incidat abſque ulla ſua culpa, antequam elabatur terminus ſolutioni præfixus, quo termino adveniente, adhuc perſeverat in impotentia, non videtur obligandus ad ſupplenda lucra ceſſantia, vel damna emergentia creditori; quia horum nullo modo eſt reus, utpote ex nulla culpa effectus impotens, ut ſupponitur. Eſſet tamen rationabile, ut ſi debitor a Deo reſtituatur in bonis, ita ut poſſet nedum ſortem dare, verum etiam damna creditoris reparare, id ageret: Dixi rationabile; nam etiam juſtum & debitum, non ſine fundamento affirmari poſſet; eo quod præcipue in contractu mutui id implicite ſubintelligi aſſeritur, nempe ut debitor, ut etiam inculpabiliter moroſus, teneatur ad damna ex dilatione ſolutionis creditori neceſſario ſecuta.

§. X. *De acceptis ob motivum peccaminoſum.*

Accepta ad peccatum patrandum, antequam patretur ſunt reſtituenda.

I. Accepta pro perpetrando peccato, antequam perpetretur, reſtituenda ſunt, & deſiſtendum ab opere malo; quia ex vi nullius contractus induci valet obligatio ad perpetrandum peccatum: proinde dare, & accipere cum pacto ad committendum peccatum, nulla ſunt, & pactum irritum.

Recepta in mercedem poſt patratum delictum retineri poſſunt.

II. Niſi lex accipientem inhabilem reddat ad retinendum data pro peccato jam patrato (quemadmodum extat lex vetans, ne ſimoniace accepta poſſit retineri, ut diximus in tract. 4.cap.13.§. 14.) poſſunt retineri. Ita S.Th.in 4.d.15.q.2.art.4.q.2., quem ſequuntur plurimi Theologi. *Si lex prohibeat actum, ex quo quis lucratur, ſed non lucrum, ſuppoſito actu, tunc quamvis acquirendo tali actu contra legem fecerit, tamen tenendo, contra legem non facit; & ideo hæc retineri poſſunt.* Ratio eſt quia promiſſio de ſolutione pretii valet, dummodo conſideretur facta ex ſuppoſitione poſitæ conditionis, alioquin pretio æſtimabilis. Idem repetit S.D. 2.2.q. 62. art. 5. ad 2. loquens de meretrice. *Aliquis dupliciter dat illicite, uno modo, quia ipſa datio eſt illicita, & contra legem, ſicut patet in eo, qui ſimoniace aliquid dedit, unde non debet ei reſtitutio fieri debis: & quia is, qui accepit, contra legem accepit, non debet ſibi retinere, ſed debet in pios uſus convertere. Alio modo aliquis illicite dat, licet ipſa datio non ſit illicita, ſicut cum quis dat meretrici propter*

fornicationem; unde & mulier poteſt ſibi retinere quod datum eſt: ſed ſi ſuperflue ad fraudem, vel dolum extorſiſſet, tenetur eidem reſtituere. Hæ autem fraudes, & hic dolus eſſet, ſi ſe fingeret honeſtam aut Virginem, cum talis non eſſet; aut ſi abutens inſano amore ſui amaſii, artificiis, & fictis indignationibus excogitandis ſtuderet; ut ab illo infelici notabiles ſummas extorqueret; & in his caſibus reſtituere tenetur, quod ſcorti conſuetam mercedem excedere judicatur. Et ne putes S. Doctorem id tantummodo concedere meretrici, & non aliis, jam audiſti eum in primo textu allato generaliter loquutum: ubi affert exemplum dicendo: *Sicut cum quis lenocinio, vel meretricio lucratur*; profecto ſi aliquod peccatum eſſet lucro acquiſito privandum, deberet eſſe lenocinium, & tamen S. D. concedit Lenoni retinere: Et 2. 2. q. 87. a. 2. ad 2. repetit: *Quædam dicuntur male acquiſita; quia acquiruntur ex turpi cauſa, ſicut de meretricio, hiſtrionatu, & aliis hujuſmodi, quæ non tenetur reſtituere.* Si igitur, ut tu putas ſolum meretricium excuſaret; cur addidit Lenocinium, hiſtrionatum, immo & alia hujuſmodi? igitur univerſalis eſt illius aſſertio: exceptis dumtaxat illis, quæ ſpeciali lege acquiri prohibentur.

Mulier donis illecta ab amaſio ignoto, an reſtituere debeat?

III. Mulier honeſta varia dona etiam pretioſa videt ſibi fieri ab amico ſuo & totius familiæ, quæ recipit in ſignum honeſtæ amicitiæ, quin ſuſpicetur quidquam inhoneſti in illius corde cubare; temporis progreſſu animadvertit ex quibuſdam ſignis, amicum illum dona exhibere, ut eam primo alliciat, & tandem trahat ad illicita ſecum perpetranda. Statim ac id animadvertit, tenetur procul dubio non amplius dona recipere, ne illius impudico amori coopetetur; immo ut omnem ſpem ab illius mente extirpet, obtinendi ab ipſa, quod non licet; recepta, ſi extent, & poſſit abſque illius indirecta diffamatione apud maritum, vel domeſticos, tenetur reſtituere; quia ſi dum reſtituere poteſt, non reſtituat, non agit quantum in ipſa eſt, ut omnem ab illius animo ſpem tollat, conſequendi aliquando, quod optat.

Ex juſtitia debetur merces poſt commiſſum delictum pacta an-

IV. Qui peccatum patravit ob pactam mercedem, ita ei merces debetur, ut peccet lethaliter, ſi ſit de re notabili, qui illam dare non vult, eique ſemper debitum remanet redintegrandi; ita cum Cajetan. 2. 2. q. 23. art. 7. & Soto lib. 4. de Juſt. q. 7. art. 1. communior, & rationabilior; & fundatur in doctrina Sancti Thomæ ſupracitata. Quia niſi lex poſitiva hominem inhabilem reddat ad recipiendum, ut contingit in Simonia, & ſupra indicavimus, ſtandum eſt juri naturali: atqui dare mercedem poſt patratum delictum, non eſt actio mala; ergo jure naturali erit adimplenda; cum ad eam adimplendam promittens ſe obſtrinxerit, poſita patratione peccati. Confirmatur exemplo inſolubili: qui cum vidua non meretrice rem vult habere, eamdemque inducit, promittendo ei matrimonium, cum ſit paris conditionis, neque aliud obſtet; tenetur in conſcientia, poſt rem habitam, illam ducere: ergo ſimiliter qui mercedem promiſit illi viduæ, ut tale peccatum faciat, ſi fiat, tenebitur ad mercedem pactam; non enim eſt major ratio, cur ad matrimonium promiſſum teneatur, & non ad pactam mercedem. Et ſimiliter de quacunque alia mercede, quæ licite dari poſſit, poſt patratum delictum.

tequam comittetur.

Quando promiſſio eſt prodiga, eſt ad juſtos limites reſtringenda.

V. Quando promiſſio pro patrando delicto eſt prodiga, ita ut poſt delictum commiſſum exequi non poſſit abſque peccato ſaltem veniali, probabilior Soti, & Bannez, quibus alii plures adhærent, docet quod non ſit exequenda quoad exceſſum mercedis juſtæ, & prudentum judicio debitæ: quia quod ſine peccato fieri non poteſt, omnino faciendum non eſt. Neque opponas cum Cardinali de Lugo contrarium ſuſtinente, quod promiſſio matrimonii facta a viro nobili puellæ virgini plebejæ, ut permittat ſe ab eo deflorari, quamvis prodiga, licite executioni mandatur. Reſpondetur enim, negando eſſe prodigam; quia honeſtas virginis, & cujuſvis alterius pudicæ fœminæ apud cordatos viros pluris æſtimatur, omnibus mere temporalibus, cum ſit bonum altioris ordinis; ſicuti eſſet prodiga ſi fieret publico ſcorto cunctis abominabili; & eſſet nulla.

Communior ſane inter Theologos ſententia eſt, perpetrato opere illicito (ut homicidio, ſacrilegio, maleficio, fornicatione &c.) de quo patrando initus contractus erat, vel promiſſio facta, attento jure naturæ teneri promittentem promiſſum ſervare, pactumque pretium ſolvere quemadmodum Auctor aſſerit. Non deſunt tamen, & quidem non infimæ notæ Doctores plures, qui oppoſitum ſentiant, veriorcumque exiſtiment opinionem, quæ ſuſtinet promiſſiones omnes ob cauſam ex ſe turpem eſſe penitus irritas, & nullas,

nullo-

nulloque modo ex ſe obligatorias etiam poſt patratum opus turpe. Inter cæteros opinionem hanc ampleƈtuntur, atque propugnant P. Paulus Cumitolus *Lib. 3. q. 5.* & Henricus a S. Ignatio *Lib. 9. cap. 42.* quibus poſtea adſtipulati ſunt Continuator *Præleƈt. Theologic.* Honorati Tournely *Par. 3. de Reſtit. ſeƈt.* 4., & Auƈtor Collat. Pariſiens. *Tom.* 4. Plura adſerunt ipſi ad eam evincendam argumenta, & inſuper quæ contrariæ ſententiæ Patroni objeƈtant, enervant, atque contundunt. Præſertim vero ad exemplum deſumptum ex ſponſalibus initis cum muliere ea conditione, ſi ſui corporis copiam fecerit, quæ valida ſunt, & obligant in conſcientia, quod Auƈtor ad aſſertionem ſuam confirmandam in medium adducit, quandoque inſolubile appellat, reſpondet laudatus Comitolus: ,, iſtas omnes paƈtiones ratas in Eccleſia ,, haberi non ex vi paƈtionum (nam apud ,, alias nationes ratæ minime eſſent) ſed ,, ex ipſius Eccleſiæ conſtitutione, quæ ,, matrimonio, & ſponſalibus favens turpes conditiones perinde interpretatur, ,, ac ſi non eſſent adhibitæ. Immo totum ,, hoc argumentum, *ſubjungit*, noſtram ,, cauſam confirmat. Nam Eccleſia ut rati ſint illi contraƈtus, ſubmovet turpitudinem conditionum, & quaſi pure contraƈtum ſit, ita judicari vult. " Quam reſponſionem firmat hac præceptione Durandi *in 3. Sent. diſt. 39. q. 4. In promiſſionibus, obligationibus, legatis, contraƈtibus, quæ ſunt hominis ad hominem, jura poſſunt ponere vel tollere obligationem in pœnam delinquentis, & in favorem innocentis, ſeu in favorem ſtatus contraƈtus. Ita conditio impoſſibilis, vel inhoneſta, quæ non eſt contra bona matrimonii, habetur pro non adjeƈta* ult. cap. de cond. appoſ., *& in legatis conditio mala habetur pro non adjeƈta.*

Gravem hanc & valde litigioſam difficultatem diſpiciendam ſuſcipit & P. Daniel Concina *Tom. 7. lib. 2. de Juſt. & Jure, Diſſert. 2.* Et in primis *cap.* 10. utriuſque partis argumenta ob oculos ponit, & ſpeciatim quæ Comitolus pro ſua probanda, ac tuenda ſententia in medium promit. Poſtea vero *cap. ſeq.* 11. ſic mentem ſuam aperit: ,, Hactenus, inquit, quæ docet P. ,, Comitolus, paucis adjeƈtis, & paucis ,, demptis, recenſui. Nunc quæ ſentio ipſe ,, paucis expono. Omnis conventio, paƈtio, promiſſum pro aƈtione natura ſua ,, turpi, & ſceleſta (ut ſunt homicidia, ,, furta, falſa teſtimonia &c.) patranda, ,, jure naturæ, demptis legibus poſitivis ,, quæque ante factum juxta omnes illicita, & invalida ſunt, talia quoque reputari etiam poſt factum debent. Argumenta, quæ pro hac confirmanda ſententia capite ſuperiore ex P. Comitolo ,, retuli, adeo mihi luculenta ſunt, & ineluƈtabilia, ut nulla eludi tergiverſatione ,, queant. Rationes quæ in oppoſitum obtruduntur, ut ego quidem arbitror, ,, nulla vim habent &c. ,,.

Deinde progreditur ad decidendum, num turpe lucrum reſtituendum ſit. Et primum fatetur communem ſententiam defendere quæſtum meretricium non eſſe reſtitutioni obnoxium, niſi ſit immoderatus, aut fraude, dolove quæſitus, aut ab illis ſolutus, qui alienandi vim non habent. Et hanc etiam eſſe cenſet doƈtrinam S. Thomæ qui 2. 2. *q. 62. art. 5. ad 2.* ait. *Alio modo aliquis illicite dat, licet ipſa datio non ſit illicita; ſicut cum quis dat meretrici poſt fornicationem. Unde & mulier poteſt ſibi retinere quod ei datum eſt.* His relatis verbis, aliiſque citatis locis, in quibus S. D. ſimilia habet, duo animadvertit. Unum eſt, ſemper Doƈtorem Sanƈtum, dum de turpi lucro loquitur exemplum ſubjicere quæſtus meretricii, nullibi vero aſſerere ex alio turpi flagitio quæſitum lucrum a reſtitutionis onere liberum eſſe; in hoc tamen hallucinatur ipſe, ut liquido conſtat ex iis quæ tradit Auƈtor *num.* 2. Alterum eſt, nullibi explicare jus, vi cujus hoc lucrum meretricium debeatur, ſed ſolum docere, quod *datio non* ſit illicita, atque adeo neque acceptio.

Tandem, his animadverſis, decernit, meretricem poſſe repetere, & retinere hoc pretium, non ob ſuum in flagitium conſenſum, non ob voluptatem, non propter periculum aliquod, non denique quod ſui corporis copiam locare queat, non ob aliquam ſtipulationem, vi legis naturalis obligantem; ſed quia leges ob majora vitanda mala, ſcorta permittentes, hac mulƈta puniunt ſcortatores, ut mercedem ſolvant. Qua ſiquidem ratione permittunt ſcorta, eadem pleƈtere hac mulƈta ſcortatores jure valent, ut in pœnam patrati ſceleris ſolvant ſcorto mercedem.

Utcumque tamen res ſe ſe habeat, quoad praxim, ut monet P. Paulus Gabriel Antoine *Traƈt. de Juſt. & Jur. cap. 3. q. 14. reſp.* 3., in pœnitentiam imponenda eſt a Confeſſario obligatio dandi pauperibus vel piis cauſis

accepta pro quovis opere malo patrato, ſi accipiens non indigeat; tum quia peccatum eſt tali pœna dignum; tum ne lucrum ex peccato reportet, & ſic ad peccatum affectum retineat, & ad illud iterandum alliciatur.

§. XI. *De receptis pro actione alioquin ex debito præſtanda.*

Recepta ob opus debitum ſunt reſtituenda.

I. QUi recipit aliquid pretio æſtimabile non omnino ſpontanee, voluntarie, & libere datum pro actione, quam ex juſtitia præſtare tenetur, debet quod recipit indubitanter reſtituere, juxta communem; quia vendit, quod jam ſuum non eſt, & ex juſtitia præſtare tenetur: & idem omnino eſt, ac ſi venderet Petro equum, quem alioquin tenetur dare Petro. Addo, quod qui dat, ut illam actionem obtineat, dat non omnino voluntarie, & libere; dat enim ad redimendam vexationem ſibi injuſte factam. Propterea væ illis miniſtris, qui ſolvendis publicis ratiociniis a Principe deſtinantur, quippe, aviditate lucrandi ſtrenam, italice *mancia*, diu fatigant illos, qui accedunt ad exigendas pecunias ſibi debitas, quibus ſtatim ſuo ordine ab ipſis eſſent numerandæ, & nihilominus ſe urgentibus curis diſtrahi fingunt, aliiſque doloſis artibus utuntur, ut differant ſolutionem, & exinde compellantur creditores ad erogandam ſtrenam, ut expediantur: væ, inquam, hujuſmodi miniſtris, qui iniquis raptoribus accenſendi ſunt, vendentes hoc modo creditori, eam diligentiam, & ſollicitudinem, quam ex debito officii ſui debent eidem. Idemque dicas de ſtrena recepta a tertia perſona, ut diligenter perſolvas, quod jam perſolvere teneris illi, pro quo ſtrena datur; quia ſemper præſumi prudenter poteſt, ſtrenam eſſe involuntarie datam, & quadam coactione morali: Dices, quomodo prudenter præſumi poterit ſtrenam vere eſſe omnino liberaliter datam? Reſpondeo, ſi tu, nullo artificio adhibito, prompte facias, quod agere teneris & nihilominus ſtrena detur ab opulento donatore: ſi dans ſtrenam, etiam in aliis caſibus ex liberali indole ſoleat ſtrenam dare, abſque ulla recipientis inſinuatione; in his circumſtantiis præſumi poſſe videtur, quod omnino voluntarie detur. Quod ſi detur antequam quidquam opereris, aut dubites, an plene voluntarie detur, debes te declarare paratum, etiam ſine ſtrena, ad prompte agendum quod teneris, ut danti innoteſcat, te nihil omnino exigere ad perficienda, quæ debes.

Etiam accepta pro actione debita titulo charitatis ſunt reſtituenda.

II. Accepta pro actione, quæ motivo charitatis, aut alterius virtutis eſt exequenda, ſi in illius executione nullus labor, aut ſumptus, nullumve periculum intervenire debet juxta probabiliorem, ſunt reſtituenda. Ratio eſt, tum quia hujuſmodi opera non ſunt pretio æſtimabilia, utpote altioris, & omnino diverſi ordinis a quovis pretio temporali erogato, vel erogando. Tum etiam quia ſunt debita, & quamvis non titulo juſtitiæ; titulo tamen alterius virtutis, charitatis præcipue, unde injuſte venditur, quod jam quis præſtare tenetur. Tum denique quia prudenter præſumendum eſt, non omnino voluntarie dari, dum is, qui dat, ſcit actionem illam deberi. Consulto dixi, ſi in illius executione nullus labor &c.; quia ſi quidquam indicatorum interveniat, quidam dicunt, data poſſe retineri, quin peccetur contra juſtitiam: quandoquidem recipiantur in compenſationem laboris, ſumptus, periculi temporalis imperiti &c. peccat tamen recipiens contra charitatem, eo quod actio erat ſine ulla mercede præſtanda: niſi tamen ex conjecturis ſupra indicatis conſtet certiſſime dari omnino voluntarie: unde videns in domo Petri jam dormientis incendium inchoari, & pergens ad illum excitandum, ut ſurgens incendium præveniat, nil poteſt recipere ob hoc monitum datum, ad quod dandum ſtricte tenebatur lege charitatis &c.; niſi, ut dixi, conſtet omnino liberaliter dari ob gratitudinem.

Accepta pro actione, quæ motivo caritatis, aut alterius virtutis eſt exequenda, ſi in illius executione nullus labor, aut ſumptus, nullumve periculum interveniat, juxta probabiliorem, ſunt reſtituenda, ſi conſtet, vel ſaltem dubium ſit, eum, qui quicquam dedit pro hujuſmodi actione, illud dediſſe animo ſolvendi pretium pro ipſa. Ratio eſt, ut optime ait Auctor, tum quia hujuſmodi opera non ſunt pretio æſtimabilia, utpote altioris, & omnino diverſi ordinis a quovis pretio temporali erogato, vel erogando; tum etiam quia ſunt debita, & quamvis non titulo juſtitiæ, titulo tamen alterius virtutis, caritatis præcipue, unde injuſte venditur, quod jam quis præſtare tenetur. At quia præſumi plerumque poteſt, eum, qui quicquam poſt ejuſmodi actionem, nullo præ-

ce-

cedente pacto patratam, dat, eum omnino voluntarie, & in ſignum gratitudinis pro beneficio recepto, licet alias ex caritate debito, tribuere; hinc putamus, eum, qui aliquid hoc modo recipit, ad reſtitutionem minime teneri. Quare qui marſupium e. g. auro plenum abs ſe inventum Domino reſtituerit, ſi aliquos aureos ab eo ſponte oblatos acceperit, retinere ſalva conſcientia poterit, etſi alias marſupium gratis, & quidem ex obligatione juſtitiæ reſtituere debuiſſet. Multo vero magis poterit recipere, & retinere, ſi in præſtanda actione alias debita peculiarem aliquem laborem, aut periculum aliquod ſubire debuiſſet. Quod ſi vero aliquam præſtitiſſet actionem in beneficium alterius, ad quam præſtandam cum tam gravi incommodo, periculo, ac etiam expenſa nulla ex virtute obligatus erat; hic non ſolum recipere pro ea aliquid poſſet ſponte oblatum, illudque retinere, ſed etiam petere poſſet, & aliquatenus exigere eo quod utilem operam ei impendiſſet, quam illi nullo modo debebat: immo hic aliquatenus ex juſtitia illius laborem compenſare, ſaltem ipſius expenſis reparare teneretur. Hæc doctrinam ab Auctore *n. præcedenti* traditam illuſtrant.

Accepta pro actione utili ſoli accipienti.

III. Accepta pro actione aut omiſſione cedente in ſolum commodum accipientis, vel ad Dei cultum, poſſunt retineri; quia tali modo donata, non eſt locus ſuſpicandi, fuiſſe donata non omnino libere, cum nemo conſueverit emere ab altero actiones, quæ ipſi ſoli, a quo emuntur, ſint utiles, & non emptori. Unde recipiens eleemoſinam, ut audiat miſſam, jejunium obſervet, deſiſtat a peccato aliquo &c., licite retinet; dummodo tamen non intendatur vera, & propria emptio, pariens ſtrictam obligationem, quia eſſet ſimonia realis. Et circa hoc notandum eſt, quod quando receptio doni efficit, ut actio, alioquin debita, non ponatur ſecundum ſubſtantiam, tunc donum erit reſtituendum: propterea qui ex voto tenetur offerre duo candelabra centum argenteorum, & id ægre adimpleat, non poteſt recipere ab amico quinquaginta, ut libentius id præſtet, ſed reſtituere tenetur; quia non impleret id, ad quod ex voto obligatur. E contra teneris ex voto jejunare, & cum ægre id facias, genitor tuus, vel amicus donat tibi anulum, ut libentius jejunes; retinere potes, quia in primo caſu non poneres totam ſubſtantiam rei promiſſæ, ſicut illam ponis in ſecundo caſu.

§. XII. *De Concauſis damnorum proximi generatim.*

Recenſentur & explicantur Concauſæ.

I. Novem ſunt modi cooperandi ad damnum, quos Theologi cum Angelico Doctore 2. 2. q. 62. art. 7. his duobus eximetris comprehendunt. *Juſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus, Participans, Mutus, non Obſtans, non Manifeſtans.* Juſſio denotat jubentem, ut damnum inferatur: Conſilium denotat conſulentem, ut damnum inferatur: Conſenſus donotat aſſentientem, ad damnum inferendum: Palpo denotat adulatorem confluentem ad damnum inferendum: Recurſus denotat receptorem damnificantis ut talis: Participans denotat ſcienter participantem in re ablata. Mutus denotat non clamantem, ad clamandum obſtrictum, ut damnum impediatur: Non Obſtans denotat non reſiſtentem reſiſtentia poſitiva, ad reſiſtendum obligatum: Non Manifeſtans denotat non manifeſtantem damnum illatum, vel damnificantem, dum manifeſtare tenetur.

* Nota. S.P.Innocentius XI. hanc jure meritoque proſcripſit propoſitionem *n.* 39. *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem illius damni illati.*

Ad rem hanc vero hæc habet D. Thomas *loco ſupra* ab Auctore *citato. Dicendum,* ait, *quod ſicut dictum eſt,* nempe ar. præced., *ad reſtitutionem tenetur aliquis non ſolum ratione rei alienæ, quam accepit, ſed etiam ratione injurioſæ acceptionis. Et ideo quicumque eſt cauſa injuſtæ acceptionis, tenetur ad reſtitutionem. Quod quidem contingit dupliciter, directe ſcilicet & indirecte. Directe quidem, quando inducit aliquis alium ad accipiendum. Et hoc quidem tripliciter. Primo quidem modo, movendo ad ipſam acceptionem, quod quidem fit præcipiendo, conſulendo, conſentiendo expreſſe, & laudando aliquem quaſi ſtrenuum de hoc quod aliena accepit. Alio modo ex parte ipſius accipientis, quia ſcilicet eum receptat, vel qualitercumque ei auxilium fert. Tertio modo ex parte rei acceptæ, quia ſcilicet particeps eſt furti, vel rapinæ, vel quaſi ſocius maleficii. Indirecte vero, quando aliquis non impedit cum poſſit, & debeat impedire: vel quia ſubtrahit præceptum, ſive conſilium impediens furtum, vel rapinam; vel quia ſub-*

trahit ſuum auxilium, quo poſſet obſiſtere; vel quia occultat poſt factum.

Ut reſtituere teneantur quid requiratur?

II. Ut hi cooperantes teneantur ad reſtitutionem ſufficit, quod revera damnum ex eorum influxu ſecutum fuerit, etiamſi, ipſis non influentibus, adhuc damnum ſecutum fuiſſet. Ratio primæ partis eſt, quia ad veram rationem cauſæ ſufficit, ut reapſe influxerit in effectum. Ratio ſecundæ partis, quæ eſt contra aliquos male docentes, quod ut extet obligatio reſtituendi, requiratur, quod niſi adfuiſſet illa concauſa, damnum non fuiſſet ſecutum; hoc autem eſt falſum, cum ſufficiat, ut reapſe ex malitioſo influxu damnum illatum fuerit: quis enim dicat, mihi non imputandum homicidium, furtum &c., in quod influxi, eo quia infallibiliter a Petro patrandum erat poſt quadrantem horæ? ita ſimiliter ſi præveniam meo mandato, conſilio &c. alterum mandantem, conſulentem &c., mihi ut vere influenti imputandum erit damnum ſecutum.

III. Hinc cum Cajetano, Soto, & aliis infertur, quod dummodo influxus in damnum verificetur, nil refert ad excuſandum a reſtitutione, quod niſi extarent alia motiva, influxus cooperantis non fuiſſet ſufficiens: quia cum nihilominus revera influxerit, onus reſtituendi ſubivit. Quis enim dicat, quod ſi ad trahendum furto magnum lapidem, decem requirantur; nemo illorum ſingulatim ſit dicendus fur, quia niſi adjutus ab aliis novem, furtum ſequi non poterat? Quia tamen ſinguli influxerunt, omnes ſunt fures. Ita quis excuſabit, conſiliantem ab influxu, quia niſi aliud etiam extaſſet motivum occultum in animo furis, conſilium ſufficienter illum non induxiſſet; cum tamen verum ſit, etiam conſilium habuiſſe influxum, quamvis non totalem, tamen partialem?

Quando cooperans certus eſt ſuam actionem effectum non habuiſſe, aut dubitat, quid agendum?

IV. At difficultas eſt, an mandans, conſulens, ſuffragium dans, &c. teneantur, quando certiſſime conſtaret, nullum omnino influxum ſe habuiſſe in damnum ſecutum? Sed probabilius videtur cum Cajetano in ſum. verdo reſtitutio cap. 1. §. *conſenſus*, & Navarro cap. 17. num. 21., & aliis, non teneri ad reſtitutionem, quia revera nullum influxum habuir in damnum. Dixi quando certiſſime conſtet, nullum influxum habuiſſe; ſi enim de hoc dubitaret; tunc cum certus ſit de ſua actione injuſta poſita, & ſolum dubitetur de effectu, reſtitutioni eſt obnoxius, ſaltem pro rata dubii, aliter non ſervaretur æqualitas. Quæ reſolutio non contradicit ei, quam poſuimus in §. 6. n. 9., in qua diximus, quod teneatur ad totum damnum: ibi enim ſermo erat de unico damnum inferente; hic autem loquimur de pluribus ſimul concurrentibus, quorum unus dubitat an revera influxerit: unde non affertur præjudicium innocenti, etiamſi omnes dubitarent, & pro rata reſtituerent; nam ex his reſtitutionibus ſimul ſumptis conſurgeret integra compenſatio; ſi tamen alii nollent, teneretur in ſolidum.

* Ad magis magiſque firmandam doctrinam, quam tradit Auctor *n. præced.* juvat afferre verba D. Thomæ, quæ *præcit. art. 7.* habentur: *Non ſemper*, inquit, *conſilium, vel adulatio, vel aliquid hujuſmodi eſt efficax cauſa rapinæ. Unde tunc ſolum tenentur conſiliator, aut palpo, ideſt adulator ad reſtitutionem, quando probabiliter æſtimari poteſt, quod ex hujuſmodi cauſis fuerit injuſta acceptio ſubſecuta.* Dum igitur certo conſtat mandantem, conſulentem &c. nullum omnino habuiſſe influxum in damnum ſecutum, ad reſtitutionem non tenentur. Si vero certi de ſua actione injuſte poſita, dubitent, an in effectum influxerint? pro rata dubii ad reſtituendum adſtringuntur.

Porro valde probabiliter æſtimari poteſt, ut animadvertit Petrus Collet *tom. 2. tract. de Juſt. cap. 3. art. 3. ſect. 4.*, conſilium, aut mandatum nihil influxiſſe in damnum alterius 1. ſi damnificator neget ſe alieno conſilio motum fuiſſe; ei enim, ſi aliunde fidem meretur, in interiori foro credi poteſt, 2. ſi homicida v. g. poſt conſilium datum, inimicum non occiderit, etſi fauſta illius occidendi ſeſe obtulerit occaſio; ſed ſolum ad facinoris executionem devenerit, ob novas quæ inter utrumque exortæ ſunt ſimultates, vel propter vetera odia, quæ ex nova occaſione recruduerunt.

Cooperans ad partem, ad eam dumtaxat tenetur.

V. Qui non ad totum damnum, ſed ad partem dumtaxat confluit, ad illam tantum tenetur, quia in ea ſolum damnum intulit: puta ſi jam furanti equum, ſuggerat, ut etiam tollat ſalleras, aut jam volenti furari centum, ſuadeat, ut furetur ducentum, ad centum dumtaxat tenebitur, & ad ſolas ſalleras.

Adjuvans furem ſine neceſſitate.

VI. Ex dictis inferas, quod qui alterum adjuvat ad aſportandam rem furtivam, quam ſolus fur aſportare ſufficeret, quamvis nil ex illa participet, vere in-

ſluat

F..at in furtum, & ad reſtitutionem tenetur, in defectu furis, ob rationem jam adductam, quia vere influit in furtum, & damnum proximi. Qui volentem certo furari hebdomada ventura, ſuadet ut furetur hebdomada præſenti, nil participans, tenetur probabilius ad reſtitutionem, quia accelerat damnum proximi, quodammodo magis certum efficit: nam dilatio dierum poterat forte impedire furtum, aut ex infirmitate furis, quæ evenire poterat, aut ex mutatione propoſiti, aut ex alio eventu. Ad differentiam illius, qui, non potens ullo modo removere proximum a damno inferendo, ſuadet ut ſaltem differat: quia hic efficit, quod poteſt, ne damnum inferatur, & dilationem conſiliat, cujus beneficio evenire poterit, damnum impeditum iri ab aliquo eventu fortuito. At de his omnibus clarius in ſequenti paragrapho.

Suadens acceleraſtionem, vel dilationem damni.

§. XIII. *De cauſis cooperantibus poſitive ad damnificationem ſingulatim.*

Mandans mandatum revocans ad quid teneatur?

I. PRima cauſa poſitive cooperans eſt Mandans. Hic ſi ſerio revocet mandatum, & revocationis notitia ad mandatarium perveniat; ſi mandatarius mandatum velit exequi, mandans ad nihil tenetur; quia cum tota ratio agendi eſſet mandatum, hoc ſerio retractato, & ſecure admonito mandatario de retractatione; ſi damnum ſequitur, non eſt amplius mandatum cauſa damni, ſed malitia volentis damnum inferre. Et idcirco mandans, ſi mandatarii notitiæ non pervenerit retractatio, tenetur admonere illum, cui damnum inferendam eſt, ut ſibi caveat; quamvis mandans ex hac admonitione ſubiturus eſſet æquale damnum; quia in hypotheſi quod damnum fuerit illatum, certum eſt teneri mandantem ad illud in æqualitate compenſandum: igitur ad idem tenebitur, quoties agitur de damno illo impediendo, ne ſequatur ob ſui mandatum. Si autem longe majus damnum ſubiturus eſſet, (nota bene) rationabilius videtur, quod non teneatur monere: quia etiam pro compenſando damno illato, non tenetur, qui illud intulit, ad compenſationem, ſi longe majus damnum ſit ipſi inevitabile, puta famæ pro adamante: vitæ pro ſumma notabili pecuniæ; ita neque pro illo impediendo, tenebitur ad ſubeundum longe majus: Dico longe majus; quia ſi non de longe majori agatur, ſed de modice majori; ſubeat illud. Si autem revocatio mandati non perveniat ad mandatarium, damnum ſecutum adſcribitur mandanti.

* Animadvertendum occurrit, mandantem non ſolum adſtringi ad reſarciendum damnum ſecutum quod ipſe juſſit, verum etiam ad illud quod, habita ratione circumſtantiarum, prævidere potuit ex mandato ſuo ſecuturum. Quamobrem ſi famulis iracundis præceperit, ut aliquem baculi ictibus inſigniter exciperent, tenebitur etiam de morte, licet contra ejus prohibitionem evenerit. Quod ſi mandatum de ſe periculoſum non erat, & mandatarius præ malitia plus fecerit, quam fuerat ſibi imperatum, mandans non tenebitur niſi pro ratione damni quod mandavit.

Animadvertendum inſuper mandantem, ſi ſit ſuperior mandatarii, teneri ad reparandum damnum quod evenit ipſi mandatario propter iniqui mandati executionem, puta ſi vulnus aliquod reportaverit, vel in bonis temporalibus jacturam ſubierit. Ratio eſt, tum quia ſubditus veluti moraliter compellitur a Superioris mandato, adeo ut fere invitus agere cenſeatur, tum etiam quia mandans virtualem videtur cum ſervo ſuo contractum inire, quo eum a quocumque, quantum poterit, damno incolumen ſervet. Diximus *ſi ſit ſuperior mandatarii*. Quippe aliter ſtatuendum juxta non paucos, ſi mandans non ſit ſuperior, ſed mandatarium ſtipendio conduxerit; quandoquidem mandatarius, cui liberum erat, periculo huic non ſe exponere, omne quod ſubiit damnum imputare ſibi debet, cum volenti, & conſentienti non fiat injuria.

Animadvertendum demum nomine mandantis qui alium movet ad damnum alicui injuſte inferendum non ſolum intelligi qui mandat *expreſſe* ſeu verbis expreſſis, ſed etiam qui mandat *implicite* ſeu ſignis & nutibus, aut qui notum facit inferiori gratum ſibi fore, ſi talem actionem injuſtam exequatur. Hinc implicite mandant Magnates, cum erumpunt in verba, quæ vindictæ deſiderium ſpirant, ut accidit in Martyrio S. Thomæ Epiſcopi Cantuarienſis. Cum enim Henricus ſecundus Angliæ Rex ſæpius conquereretur, ſe cum uno Sacerdote pacem in ſuo regno habere non poſſe; hac voce confiſi nefarii ſatellites, ut eum interficerent, Cantuariam clam conveniunt, & Sanctum Antiſtitem veſpertinas horas in templo perſolventem aggreſſi ſunt,

et-

Digitized by Google

atque impie trucidarunt. Legatur Petrus Collet *citata ſuperius ſect.* 4. *punct.* 1. ex quo ferme omnia hactenus exhibita deprompta ſunt.

Obſervat etiam P. Antoine tract. *de Juſt. cap.* 4. §. 1. *reſp.* 3. quod inſuper teneatur ad reſtitutionem qui cognoſcit alterum paratum eſſe nomine ſuo damnum inferre, ſi non impediat, cum poſſit, cohibendo, vel ſignificando, ſe nullatenus id velle. Quia cenſetur mandaſſe ſaltem tacite, aut certe ejus taciturnitas cenſetur conſenſus & approbatio. Deinde, ait, quiſque tenetur ex juſtitia, impedire, ne nomine ipſius, & tanquam aliquid ſibi gratum, damnum proximo injuſte inferatur.

Damnum afferens ſub ſpe ratihabitionis alterius.

II. Si ſperans damnum proximo inferendum ratum habitum iri a Petro, illud inferat, & deinde illud manifeſtans Petro, hic ratum habeat; juxta mihi probabiliorem redintegratio primo ſpectat ad illum, qui damnum intulit; quia ratihabitio Petri nil omnino influxit in damnum illud, cum fuerit poſterior damno jam illato: Sed quia ſpes ratihabitionis induxit inferentem, ſine qua ſpe damnum non intuliſſet; propterea in hoc ſaltem ſenſu vera debet eſſe opinio Paludani, & Sylveſtri, quod in caſu, quo qui damnum intulit redintegrare recuſet, teneatur Petrus, qui ratum habuit, redintegrare. Si autem poſt ratihabitionem, damnum adhuc continuaretur, ad Petrum primo ſpectaret omnino redintegratio damni continuati.

Damnum illatum quod pendebat ex ſolo conſilio, incumbit totum Conſiliario.

III. Secunda concauſa poſitiva eſt Conſiliator; (ad quem reducuntur ab Auctoribus etiam Promittens, & Rogans ut damnum inferatur). Quando damnum inferendum pendet ex ſolo conſilio; puta quando Rex ſincera mente eſt paratus ad ſuſcipiendum, vel ſuſpendendum bellum, prout ſibi a conſiliariis peritis, & piis conſiliabitur; tunc ſi iſti vel ex malitia, vel ignorantia vincibili errent, onus reſtituendi ſuper ipſos devolvitur; eo quod ipſi ſola ſint cauſa damni per bellum illati.

Quando retractatio ſeria conſiliantis non ſufficiat?

IV. Quando Conſiliator ſerio retractet conſilium directum ad inquirendam veritatem, & juret ſe fuiſſe deceptum, neque eſſe verum, quod dixit, & afferat motiva veritatem probantia; tunc ſi conſiliatus exequi velit, damnum illatum reparare ad ipſum conſiliatum pertinet; quia reapſe ceſſavit omnis prioris conſilii influxus. Si autem conſilium datum dirigatur ad commodum, & utilitatem percipiendam, probabilioriſtæ docent, quod quamvis retractetur conſilium, cum adhuc remaneant in mente conſiliati motiva, quibus ſuaſus fuit ad agendum, a quibus adducendis abſtinere debebat pravus conſiliator, quorum efficaciam prævidere debebat; adhuc ad ipſum pertineat onus reſtituendi: quia damnum ſequitur adhuc ex influxu conſilii ſui, nempe ex efficacia motivorum a ſuo conſilio in animo operantis relicta. Putarem tamen, ſalvo meliori judicio, aliqualiter temperandam hanc doctrinam, & veram quidem eſſe in caſu, quo conſiliator aut dumtaxat ſerio retractet ſimpliciter conſilium, aut afferat motiva non elidentia motiva ab ipſo priori conſilio allata; quia tunc verum eſt, efficacitatem anteriorum motivorum adhuc remanere in animo conſiliati, quorum vi inducitur ad damnum inferendum. At quando conſiliator ſeriæ retractationi prioris conſilii addit etiam motiva, quæ revera ſunt efficaciora anterioribus; & elidentia vim eorumdem; tunc ſi conſiliatus velit adhuc damnum inferre, non amplius verificatur, quod inferat ex vi motivorum anteriorum, quæ eliſa, & convulſa remanere debent a noviter adductis, ſed quod inferat ex mera ſua pravitate; quæ adoptare vult motiva non amplius ſubſiſtentia, & jam inepta ad movendum. Unde ſi movetur, non revera movetur a vi motivorum anteriorum jam convulſorum, ſed ex ſua mera malitia, quæ vult vim conferre motivis omni vi reapſe ſpoliatis, & omni influxu privatis: & propterea ſi influant, influunt, non ex ipſorum efficacitate, ſed ex malitioſa voluntate, quæ vult eis dare vim, quam non habent.

* Excitatur difficultas, an teneatur ad reſtitutionem qui minus malum conſulit ei, qui jam paratus erat ad majus inferendum? Et reſpondent communiter Doctores quod non teneatur, ſi conſulat, ut minus damnum eidem inferatur, cui majus inferendum erat, & minus damnum ſuadeat animo ſolum avertendi majoris damni. Quippe per hoc conſilium nullum reapſe damnum alteri infert; immo majus impediendo, utiliter rem ejus gerit, &, tunc proprie, ut ſcite obſervat P. Antoine *loc. cit.* §. 2. non conſulit damnum, ſed potius imminutionem damni, ſeu evitationem majoris damni. Tenetur vero ſi conſulat alicui, ut minus malum potius inferat Petro, de quo ille non cogitabat, quam Paulo, cui ſtatuerat illud inter-

ter-

Digitized by Google

ferre. Quandoquidem in tali caſu, ut nemo non videt, eſt cauſa injuſta damni, cui ſubjacet Petrus, ipſique injuriam irrogat; cum quilibet innocens jure potiatur, ne damnum ſibi inferatur, etiam ad avertendum majus alterius. Et revera Petrus tam jus habet, ut reddatur immunis a minori illo damno, quam Paulus, ut ſervetur illæſus a majori; niſi damnum Petri ſit tam exiguum, ut illud ſubite ex caritate adſtringatur ad impediendum majus damnum quod Paulo eveniret; tunc namque non eſt rationabiliter invitus.

Aſſentiens qualis teneatur? &c.

V. Tertia cauſa poſitive cooperans ad damnum, eſt Aſſentiens, & indicatur ille, cujus aſſenſus eſt neceſſarius ad aliquid agendum; aut voce expreſſus, aut ſuffragio ſecreto: puta aſſenſus Principis, Conſiliariorum, vocalium in electione, approbantium approbatione confirmante. Videre potes dicta in §. anteriori n. 4. nam patet, horum quemvis cooperari ad damnum inferendum.

Palpo quis?

VI. Quarta cauſa poſitive cooperans eſt Palpo, ſeu laudator in malum, & vituperator in bonum: unde qui animum auget ſuis laudibus volenti damnum inferre, aut vituperans volentem deſiſtere a vindicta damnoſa, a violentiis &c., jam patet, quod influxum habeat in damna illata, & reſtitutioni ſubjiciatur.

Recurſus quid, & qualiter teneatur?

VII. Quinta cauſa poſitive cooperans, eſt Recurſus, ſeu Receptator damnificatoris ut talis, ſi receptio influat aliquo modo in damnum. Proinde concedere ſcienter tranſitum eunti ad furandum, vel illius furta ſervare, aut occultare; ſecuritatem præbere, ut animoſius furetur; defendere furem cognitum talem defenſione injuſta, aliaſque facere ſimiles actiones, palam eſt eſſe reſtitutioni obnoxia, utpote influentia in damnum. Qui vero reciperet furem fugientem a volentibus illum percutere, vulnerare; patet, quod non recipit ut furem, neque ut reddat animoſiorem, ſed ut proximum, quem præſervare intendit, eruat a periculo vitæ.

An autem licite recipere poſſit, ſine reſtitutionis onere, fugientem a lictoribus eumdem publica auctoritate inſequentibus; quamvis plures affirment; fateor me hærere; tum quia impedio actionem juſtam Principis publicam ſecuritatem intendentis; tum quia hujuſmodi perditi homines quo plura pericula evadunt, eo animoſiores ad furandum fieri conſueverunt. Ideo niſi ignorantia, & bona fides agentis forte excuſaret; ex merito actionis non cenſeo immunem a reſtitutione aliorum furtorum ſubſequentium, in quæ, ſua receptione, indirectum influxum habuiſſe videtur.

* Doctrina, quam tradit Auctor *num. præced.* circa receptatorem furis, qui a Magiſtratu vel a lictoribus quæritur videtur habere locum dumtaxat in duobus caſibus: 1. nempe ſi receptator ſic eum occultet, ut ſpem faciat ſimilis in poſterum auxilii, & fur eo auxilio fretus iterum poſtea furetur; tunc namque eſt cauſa illius furti ſubſequentis. 2. ſi per occultationem illam cauſa ſit, ne fiat a fure reſtitutio earum rerum, quæ jam fuerunt ab ipſo ablatæ. Cæterum ſi neque det ſpem refugii in poſterum, neque cauſa ſit injuſtæ detentionis; ſed furem a lictoribus quæſitum abſcondat, aut fugiendi viam ipſi patefaciat, præciſe ut ejus vitam conſervet, vel eum a periculo pœnæ temporalis eripiat, actum caritatis exercet; nec poteſt cenſeri cauſa damni, ſi fur a periculo elapſus ad bona aliena ſurripienda denuo revertatur; cum tale damnum per accidens ſolummodo ſequatur ex opere caritatis a ſe patrato; ideoque immunis videtur a reſtitutione aliorum furtorum ſubſequentium. Legatur Sylvius *in 22. q. 62. art. 7. De Recurſu.*

Caupones &c. qualiter incidant in Recurſum?

VIII. Caupones, aliique conſimiles, qui admittunt perſonas ad potandum, prandendum, ludendum, &c., ſi admittant quoſdam filios familias, famulos, alioſque, de quibus prudenter ſuſpicari poſſunt, quod conſumant, ludant, dilapident non ſua, ſed aliena, incidunt in hanc concauſam Recurſus; tum quia commodum præbent ad aliena inſumenda, tum etiam quia illi inde animoſiores redduntur ad proſequenda ſua furta. Unde reſtitutioni fiunt obnoxii, tanquam injuſti receptatores.

Participans quis dicatur?

IX. Sexta cauſa poſitive cooperans eſt Participans de re aliena, quod duobus modis evenire poteſt, nempe vel participando in re ablata, vel in actione auferendi: in re, participando de præda: in actione, ſi adjuvet ad damnum inferendum, quamvis nil de re participet. Primus participans ſi ignoranter, & bona fide participet, tenetur juxta regulas datas de poſſeſſore bonæ fidei in §. 4. ſi participet ſcienter, tenetur juxta regulas datas de poſſeſſore malæ fidei in §. 6.; & multo magis ſi participet in actione injuſta au-

fe-

ferendi. Nota, participantibus accenſeri auxilium, operam, inſtrumenta ſcienter præbentes, explorantes, ne quis ſuperveniat: comitantes damnificatorem ne timeat; item fabriferrarios claves adulterinas conficientes; procuratores uſurariorum; conficientes inſtrumenta uſuraria; hujuſmodi inſtrumentorum teſtes; item vendentes venena illis, quos prudenter timent eiſdem abuſuros; & alios conſimiles.

Quomodo reſtituere debent dictæ ſex cauſæ poſitivæ?

X. Rationabilius dicendum, quod præfatæ ſex cauſæ poſitivæ teneantur ſingulæ ad totum damnum, poſito quod aliæ nolint reſtituere pro ſua parte: Ita Cajetanus, & Sotus, quos Vaſquez & alii plures ſequuntur. Ratio eſt, quia quamvis ſint materialiter plures, moraliter & prudentum judicio ſunt una dumtaxat cauſa damnificans; unde ſingulæ ita damnum inferunt, ac ſi totum a ſingulis inferatur: eo quod communitas conſenſionis illas in unam formaliter aſſurgere facit. Si autem ſingulæ ſuum debitum implere velint, ſingulæ tenebuntur pro rata. Idem dicendum, quando, etſi ſingulæ non poſſint totum damnum afferre, ſingulæ tamen ſunt neceſſariæ, ut damnum inferatur; itaut, una deficiente, damnum inferri non poſſit. Exemplum fuit ſuperius datum de quinque neceſſariis ad aſportandum lapidem multi valoris, quorum aliquis eorum ſi deſit, lapis aſportari non poteſt: tunc, ut patet, ſinguli impendendo ſuam operam, ſunt cauſa totius damni; ſi enim alteruter eorum ſuam operam ſubtraxiſſet, damnum illatum non fuiſſet: & idcirco, cæteris nolentibus reſtituere pro ſua rata, ſinguli tenentur ad totum. Idem dicas de concurrentibus ſuo ſuffragio ad injuſtam promotionem, in qua ſi votum alicujus eorum defuiſſet, electio ſecuta non eſſet: & idem de conſiliatore, ſine cujus conſilio damnum ſuſpenderetur. Secus dicendum, ſi abſque ſuo conſilio damnum certo fieret ob aliorum conſilia; tunc enim teneretur per ſe dumtaxat pro rata influxus, ſi non interceſſerit conſenſio, ſeu conſpiratio: quod ſi hæc interceſſerit, tenebitur ad totum, ſi alii recuſent, ob datam rationem.

§. XIV. *De tribus aliis Cauſis negativis ſingulatim.*

Mutus quis?

I. PRima cauſa negativa damnificationi cooperans eſt Mutus, nempe qui non monet, non clamat, non corripit, non præcipit, non conſulit, non ſcribit, antequam damnum inferatur; & ad dictas actiones reſpective agendas ex juſtitia tenetur. Hujuſmodi ſunt Gubernatores, Duces, Conſiliarii, quidam publici Adminiſtratores, Medici, Chirurghi, Advocati, Procuratores, Domini, Famuli, Genitores, Tutores, Curatores: uno verbo omnes illi, qui vel ex contractu, vel ex officio, aliena cuſtodire tenentur, quamvis, ut notavit Lugo, munus contra eorum voluntatem illis impoſitum fuerit a poteſtate, & jus habente; cui ſicut obedire tenentur, ita etiam exequi munus impoſitum debita diligentia. Quæ dicimus & dicemus de Muto, applicanda etiam ſunt non Obſtanti, nempe ei, qui dum tenetur, non cuſtodit, non repellit, non defendit, non impedit facto & actione ſua, ne damnum inferatur: & etiam non Manifeſtanti, qualis eſt, qui, dum tenetur, non revelat damnum illatum, neque illos monet, qui monendi ſunt.

Non obſtans, non Manifeſtans quinam ſunt?

II. Qui non obligatus ex juſtitia clamare, impedire, revelare, id non facit, cum poſſet abſque ſuo notabili incommodo, graviter peccat contra charitatem; quia non ſuccurrit proximo, dum tenetur: ſimiliter ſi ex odio contra illum, cui damnum infertur, peccat quidem gravius contra charitatem; ſed non contra juſtitiam neque ad reſtitutionem tenetur; niſi in caſu, quo qui vult damnum inferre, ex quo noverit odium tuum, confidens, te non manifeſtaturum, impediturum &c., liberius inferat damnum, quod alioquin, te vidente, non inferret, aut longe minus; tunc niſi clames, impedias, ſine tuo damno manifeſtes, cenſeris cooperari, non tanquam Mutus, ſed ut conſentiens in damnum, quod ex odio tuo noto alii inferunt, alioquin non illaturi: & hinc teneberis ad reſtitutionem.

Quando quis alioquin non obligatus impedire ſit mutus injuſtus?

III. Si tu, videns Petrum non obligatum ex juſtitia, volentem impedire damnum Pauli, illum avertis ab impediendo, utendo mendaciis, aut aliis modis injuſtis, peccas contra juſtitiam ex communi; quia violas jus Pauli in eo conſiſtens, quod nemo fraudibus retrahatur a ſibi ferenda ope, ut diximus in caſu conſimili §. 8. Si autem illum avertas abſque ulla fraude, aut modo injuſto, ſed ſola ſuaſione, precibus &c. quamvis graviter pecces contra charitatem, non tamen contra juſtitiam, quia nullius jus violas, non Petri, quem non decipis; non Pauli, qui nullum jus habet, ut adjuvetur a Pětro. Puto tamen ad-

Impediens alterum, ne ſuccurrat damnum paſſuro.

Digitized by Google

admodum difficile, ne precibus quidquam fraudis, aut mendacii admiſceatur. Unde Confeſſarius magna ſubtilitate examinare teneretur rogantem circa omnia quæ dixit & fecit, ut retraheret impedire volentem.

Accipiens donum, ne clamet an teneatur?

IV. Si fur donaret tibi aliquid, ne clamares, dum clamare ex juſtitia non teneris, Sotus, & Navarrus dicunt te non peccare contra juſtitiam; quia ſicuti ante donum non violabas juſtitiam non clamando, ita neque poſt donum. Verum dicunt, ſi in praxi nil aliud adderetur: at quia moraliter impoſſibile eſt, ut donum a te acceptum non confluat ad reddendum furem ſecuriorem, & animoſiorem; eo enim fine prudenter judicandus eſt fur donaſſe; idcirco in praxi te judicarem, concauſam damni, a fure illati. Idque eo magis, ſi acciperes cum pacto de non clamando; quia tunc nemini videretur dubitandum, te comparticipem evadere damni inferendi.

Famuli non clamantes &c. quomodo peccent?

V. Circa famulos, certum eſt, ſpecialiter deputatos cuſtodiæ aliquarum rerum, teneri ex juſtitia clamare, ut illarum rerum furtum impediant; ſicuti etiam præfectum toti rei domeſticæ. Quando autem ſunt famuli quidem domus, ſed non ſpecialiter illis rebus cuſtodiendis deputati, probabilius videtur dicendum cum Soto, Lugo, & aliis, quod nihilominus teneantur clamare, impedire, manifeſtare ex juſtitia. Ratio eſt, quia hæc cenſetur prima conditio imbibita in contractu conductionis famulorum, ut commendando illis cuſtodiam ſpecialem horrei, cellæ vinariæ &c. omnia bona domini cenſeantur ipſis generaliter commendata, ut fert communis hominum, & dominorum ſenſus; qui nullum famulum unquam conducerent, ſi ſe exprimeret nolle ſe huic generali cuſtodiæ ſubjicere. Dices; quænam igitur differentia inter famulos iſtos, & ſpecialiter deputatos? Hæc eſt differentia, quod ſpecialiter deputati tenentur etiam ex culpa levi, utpote ex contractu in utriuſque utilitatem confluente; qui autem non ſunt ſpecialiter deputati, tenentur ex culpa lata: niſi malimus dicere, dominum reſpectu illorum circa bona ſibi ſpecialiter non commiſſa, reſpiciendum eſſe tanquam quemvis alium extraneum; quo nil abſurdius excogitari poteſt.

Quomodo reſtituere teneantur, quando

VI. Quicumque itaque tenentur impedire ex juſtitia verbo, aut facto, ſi id agere omittant, quia certum evidenter ſit, actionem ſuam nullum habituram effectum puta quia nullus eſt, qui audire, aut accurrere poſſit; tunc excuſantur, nec judicio prudenti judicari poſſunt confluxiſſe in damnum: Quod ſi poterant, quamvis non totum damnum, ſaltem partem ejuſdem impedire, ad eam partem redintegrandam tenebuntur, cum effectibus eidem parti connexis, ob rationes ſæpe adductas. Quando autem totum damnum quilibet eorum impedire poterant, & non impedierunt; probabilius ſinguli tenebuntur ad totum, ſi alii recuſent pro ſua parte redintegrare. Ratio patet, quia tunc ſinguli evadunt cauſæ totales damni illati, quod a ſingulis impediri poterat. Si vero ſinguli totum damnum impedire non poterant, tamen ſi unus clamaſſet, aut ſe oppoſuiſſet, alii ejus exemplo commoti fuiſſent, unde damnum impediretur, etiam in hoc caſu videntur ſinguli eſſe cauſa totius damni; ſi enim ſufficiebat ad impediendum, ut unus obſtaret, unde cæteri inducerentur ad obſtandum, en quomodo quilibet eorum evadit cauſa mediata totius damni. Si demum aliquis eorum coram Deo ſinceram voluntatem habens ſe opponendi, & ſe ad opponendum diſpoſuiſſet, alioſque excitaſſet ad idem faciendum, & alii noluiſſent; hic procul dubio ad nil tenebitur, cum egerit, quantum potuit; cæteri vero tenebuntur in ſolidum.

potentes impedire non impedierunt?

§. XV. *De ordine in reſtitutione ab iſtis Concauſis obſervando.*

Quem ordinem ſervare debent iſtæ concauſæ in reſtituendo? Premittuntur notanda.

I. PRiuſquam præſcribamus ordinem, ab ipſis in reſtituendo ſervandum; nota primo, quod is ſignificatur *primo loco* teneri, qui ad bona illa reſtituenda ita tenetur, ut ſi ipſe reſtituat, cæteri nil amplius debeant nec damnum paſſo, neque ipſi reſtituenti; & e contra ſi alii reſtituant, ipſe iſtis debeat erogata compenſare. Qui autem dicitur *ſecundo loco* teneri, ille eſt, qui, poſito quod reſtituat, ceteri nil aliud debebunt, excepto primo, qui huic ſecundo reſtituenti compenſare debebit, quod erogavit. Unde ſi v. g. præpotens aliquis miſerit quatuor ſatellites ad devaſtandam meſſem Petri, illo præpotente reſtituente, ſatellites ad nil amplius tenebuntur; quia iſti tenentur dumtaxat in defectum primi, utpote ſolius cauſæ principalis, cujus iſti ſunt ſolum animata inſtrumenta; & in caſu quo, illo principali nolente reſtituere, iſti miniſtri reſtituerent; ille iſtis compen-

penſare tenebitur omne erogatum ab ipſis. Nota ſecundo, quod illi, qui primo loco, vel ſecundo reſtituere tenentur, aliquando tenentur æqualibus portionibus reſtituere; aliquando inæqualibus: Tunc æqualibus tenentur, quando influxus fuit æqualis, aut bona ablata fuerunt æqualiter diviſa: tunc vero inæqualibus, ſi prædæ fuerint ex condicto inæqualiter diviſæ, aut ſi influxus revera fuit inæqualis. Nota tertio quod quando plures cauſæ ejuſdem ordinis, & loci reſtituere debent, ſi una, vel paucæ reſtituant totum, aliis nolentibus; iſtæ tenentur redintegrare illas, quæ ſuppleverunt id, ad quod iſtæ tenebantur; quis enim non videat, iſtas non eſſe reportaturas utilitatem ex proprio peccato in damno inferendo, & in nolendo reſtituere? Tandem nota, videri certum, ut is primo loco reſtituat, apud quem res ablata adhuc extat vel in ſe, vel in ſuo pretio; juſtum quippe eſt, ut ſi ipſe utilitatem recipit, damnum reparet: ſi vero res ablata conſumpta fuit, & quamvis abſque ulla ipſius utilitate apud ipſum conſumpta fuit, adhuc primo loco ipſe reſtituere tenetur ante cæteros, ſi nulla alia cauſa fuerit principalior ipſo; eo quod tunc ipſe eſt cauſa principalis exequens deſtructionem injuſtam rei ablatæ, & conſummans facto damnum illatum: ſi vero hic exequens habuit aliam cauſam principalem, & jubentem deſtructionem rei, ita ut ipſe deſtruens fuerit inſtrumentum cauſæ principalis, nec ex re conſumpta ullam reportaverit utilitatem; non apparet, unde ipſe teneatur primo loco reſtituere, ſed ad hoc teneatur ille jubens, ex cujus influxu inſtrumentum injuſte egit; &, ut illi obtemperaret, rem deſtruxit. In defectu vero mandantis, tenebitur ipſe exequens deſtructionem. His præmonitis.

Primo loco tenetur Jubens.

II. Onus reſtituendi totum primo loco ſpectat ad mandantem, qui ſuo juſſu, atque auctoritate, ſeu comminationibus, compulit alios, ut damnum inferrent: ita communior, & rationabilior: quia jubens iſte eſt vera cauſa principalis, & principaliter influens in damnum; quamvis mandatarii mercedem accepiſſent: quia nihilominus non deſinunt eſſe mera inſtrumenta ejuſdem: unde S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2. *Reſtituere tenetur principaliter quidem præcipiens.*

Deinde Executores.

III. Poſt jubentem proprie talem, tenetur executor ad totum damnum, ut docet communior, & probabilior; quia inter alias concauſas, poſt mandantem, exequens eſt principalior agens, & ceteri non exequentes minus principaliter ſe habent. Quod ſi plures exequerentur, omnes iſti ſimul tenerentur ad totum damnum; & ſinguli in defectu aliorum tenerentur in ſolidum, ob rationem datam: Et S. Thomas loc. citat. *Secundario vero exequens.*

Deinde alii cooperantes.

VI. Alii cooperatores nempe conſiliantes, laudantes, receptantes, conſentientes, adjuvantes, tenentur ſinguli proportionabiliter ad influxum, quem habuerunt in damnum pro rata influxus: & in defectu aliorum, ſinguli tenentur ad totum immediate; quia in iſtis cooperantibus non apparet ſubordinatio unius ad alterum, ſed unuſquiſque immediate operatur juxta ſuum influendi modum; & cum influant in totum damnum, propterea ſinguli tenentur ad totum, ſi ceteri nolint. Tenebuntur tamen nolentes ad illos compenſandos, qui pro iſtis ſupplevere. Iſti autem cooperantes tenentur, ſuppoſito quod nec jubens, nec exequens reſtituant; nam ſi iſti reſtituant, liberantur ab onere reſtituendi: hoc autem intelligas, dummodo executor non intulerit damnum ex influxu harum concauſarum; ſi enim ab iſtis tanquam a principalibus inductus fuiſſet, & ſe habuiſſet ut merus executor, tenerentur prius hæ concauſæ ad totum damnum, & ipſe executor non teneretur, niſi in defectu harum. Conſulto dixi, ſi ſe habeat ut merus executor; quia ſi ipſe executor fuiſſet una cum dictis concauſis, agendo nempe etiam nomine proprio, & proprio impulſu; tunc ſimul cum iſtis teneretur ad totum damnum, immo ſtrictiori jure; quia nedum fuiſſet merus conſultor, aut conſentiens &c., ſed inſuper etiam executor.

Quando reſtituere tenentur cauſæ negativæ?

V. Poſt cauſas poſitivas damni illati, ſi iſtæ non reſtituant, tenentur reſtituere cauſæ negativæ: quia etiam negativæ ſuo modo fuerunt cauſæ indirectæ damni. Non tenentur tamen, niſi in defectu poſitivarum; in tantum enim negativæ tenentur, in quantum poſitivæ damnum intulerunt, nec reſarcire volunt: ex terminis ergo tenentur dumtaxat in defectu poſitivarum, quæ deinde tenerentur redintegrare negativas. Id autem intelligas ſimpliciter loquendo: ſi enim omittens impedire eſſet motivum, ut damna multiplicarentur, idque adverteret, vel teneretur advertere; tunc non ampliùs ſe haberet ut cauſa negativa,

Digitized by Google

gativa, ſed poſitiva, & reduceretur ad Conſentientem. Propterea obſervavit S. Thomas in 4. d. 15. q. 1. art. 5. quæſtiunc. 3. *Quinque iſtorum ad reſtitutionem ſemper obligant: quorum primum eſt Juſſio: ſecundum eſt Conſenſus ad rapinam perpetrandam, ſine quo rapina fieri non poterat: tertium eſt Recurſus, quando aliquis eſt receptator latronum, & eis patrocinium præſtat: quartum eſt Participatio, quando aliquis latroni ſe ſociat ad ſpoliandum, & partem ſpoliorum accipit: quintum eſt non Obſtans, cum ſcilicet ex officio obſtare tenetur. In aliis autem cauſis non obligatur ſemper quis ad reſtitutionem, niſi in certis caſibus; quando probabiliter credit, quod conſilium ſuum fuit efficax, & quod alias injuſta ablatio commiſſa non fuiſſet. Similiter etiam non omnis Palpo ad reſtitutionem tenetur, ſed ille qui adulando ad auferendum incitat. Similiter etiam Mutus dicitur, qui ex officio tenetur reclamare; & non reclamat, nec tunc ſemper tenetur ad reſtitutionem, niſi operetur, ut fiat injuſta ablatio; ſed debet inducere eum, qui abſtulit, ut reddat. Similiter etiam non omnis, qui non manifeſtat tenetur ad reſtitutionem, ſed ille, qui pro latrocinio celat, & particeps eſt lucri. In omnibus autem his, ſi principalis reſtituit, alii deobligantur.*

Illationes notatu dignæ. VI. Ex hactenus dictis inferas primo, quod quando mandans ſatisfacit, reliquæ omnes cauſæ ab omni onere liberantur. Si Exequutor ſatisfaciat, ſolus mandans tenetur illum compenſare, reliquæ vero remanent omnino liberæ. Si alia cauſa ex ſecundariis ſatisfaciat, illam compenſare tenetur primo mandans, ſecundo exequens. Si cauſæ poſitivæ ſatisfaciant, liberantur ab onere negativæ: quæ ſi ſatisfacere compellantur ob defectum poſitivarum, tenentur poſitivæ illas compenſare juxta ordinem dictum; primo mandans, ſecundo exequens, ſi mandans nolit, aut non poſſit, deinde aliæ; quemadmodum etiam aliæ cauſæ ejuſdem ordinis ad redintegrandam illam, quæ ſola totum onus ſubjiſſet ob defectum aliarum ſui ordinis, quamvis illas induxiſſet; quia inductio illa fuit, ut ſupponitur, abſque ulla fraude, vi, &c., unde conſenſerunt volentes, & inductæ a motivis ab inducente allatis, & ita ſinguli egerunt nomine proprio, non nomine ipſius.

Illatio ſecunda. VII. Inferas ſecundo, in hypotheſi, quod creditor remittat reſtitutionem cauſæ principali, non pe Mandanti, aut Exequenti, cæteræ remanent liberæ; quia cum iſtæ non obligentur, niſi in defectu illius; ſi creditor illi remittat, extinguitur etiam debitum iſtarum, quæ principali ſubrogandæ erant. Si autem remittat alicui cauſarum minus principalium, non propterea deobligantur cæteræ minus principales a ſua portione, neque principales a toto, excepta portione correſpondente illi cauſæ minus principali, cui remiſit.

Illatio tertia. VIII. Si unus ex illis, qui ſunt æqualiter obligati, aut non poſſit, aut nolit portionem ſuam reſtituere, alii tenentur ad eam reſtituendam, dividendo tamen quantitatem hoc modo: v.g. damnificantes fuerunt tres, & res ablata fuit valoris ſexaginta; pro rata ſinguli tenentur ad viginti, ſi igitur duo nolint, aut non poſſint reſtituere, unus debebit totam ſummam erogare; quod ſi deinde unus velit, aut fiat potens reſtituere, tenebitur ultra portionem ſuam viginti, dare etiam decem, utpote dimidium portionis pro tertio nolente reſtituere.

§. XVI. *De Circumſtantiis obſervandis in reſtitutione bonorum temporalium, & primo quoad Perſonas, quoad Tempus, & quoad Locum.*

Cui reſtituendum ſit? I. COmmunis cum S. Thoma 2. 2. qu. 62. art. 5., ubi loquitur de eo, cui reſtituendum eſt, docet: *Per reſtitutionem fit reductio ad æqualitatem commutativæ juſtitiæ, quæ conſiſtit in rerum adæquatione: hujuſmodi autem rerum adæquatio fieri non poſſet, niſi ei, qui minus habet, quam quod ſuum eſt, suppleretur quod deeſt; & ad hanc ſuppletionem faciendam neceſſe eſt, ut ei fiat reſtitutio, a quo acceptum eſt.* Et nota, quod etiam alii, præter dominum rei, habere poſſunt jus ad rem ablatam: puta Commodatarius pro tempore, quo ei conceſſa fuit; Depoſitarius, Uſufructuarius, Tutor, Curator &c., qui jus habent rem illam reſpective detinendi, cuſtodiendi, eadem utendi &c.. Quod ſi dominus obierit, eſt reſtituendum hæredibus ſive ab inteſtato, ſive ex teſtamento, ſive ex ſententia Judicis, ſive quovis alio juſto titulo tales ſint; quia ſuccedunt in omnibus perſonæ defuncti: ita ex jure lib. 37. de acquirenda, vel amittenda hæreditate: *Hæres in omne jus mortui, non tantum ſingularum rerum dominium ſuccedit:* Et S. Thomas loc. cit.. *Si ſit mortuus, cui reſtitutio facienda eſt, debet reſtitui hæredi, qui computatur quaſi una perſona cum ipſo.*

II. Mo-

Quid agendum quando reſtitutio prævidetur nocitura; vel quando ignoratur Dominus vel ipſi moraliter fieri nequit? Monitum Confeſſariis.

II. Monet S. Thomas loc. cit. *Quando res reſtituenda apparet eſſe graviter nociva ei, cui reſtitutio facienda eſt, vel alteri; non ei debet tunc reſtitui; quia reſtitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui reſtituitur.... Nec tamen debet ille qui detinet, rem alienam ſibi appropriare, ſed vel reſervare, ut congruo tempore reſtituat, vel etiam alii tradere tutius conſervandam;* ibid. ad 1. *Quod ſi ille, cui debet fieri reſtitutio, ſit omnino ignotus, debet homo reſtituere ſecundum quod poteſt, ſcilicet dando in eleemoſinas pro ſalute ipſius, ſive ſit mortuus, ſive ſit vivus; præmiſſa tamen diligenti inquiſitione de perſona ejus, cui eſt reſtitutio facienda,* ibid. ad 3. Hæc poſtrema Angelici verba motivum præbent redarguendi facilitatem injuſtam plurium confeſſariorum, (experto crede) qui nullam, aut valde modicam rationem habent, ut inquiratur dominus rei, vel ſummæ, cui eſt reſtitutio facienda; immo ob quamlibet modicam difficultatem, quæ ſe opponat, etiam noto domino, imponunt pœnitentibus, ut reſtituant per eleemoſinas: injuſta plane methodus, quæ illos cooperatores conſtituit, ad privandum dominum re ſibi debita, non ſine onere ſupplendi, quod ipſi inordinate agere conſuluerunt.

Quo tempore reſtituendum?

III. Certum eſt apud omnes, reſtitutionem ex injuſta acceptione; faciendam eſſe, quamprimum fieri poſſit, quia ex præcepto negativo non detinendi alienum: & idem dicendum de debitore ex re aliena accepta, cum noverit eſſe alienam. Debitor autem ex contractu tenetur eo tempore, quo inter partes conventum fuit, ut patet ex terminis. Si autem fuerit in mora, vide dicta in §. 9. Si vero nullum tempus præfixum fuiſſet pro ſolutione, tunc putarem cenſendum eſſe tempus inculpabile, quouſque creditor congrua dilatione interpoſita, ſolutionem exigat, attenta natura & conditione contractuum; quia tunc juſte petitur, quod debetur; & non ſolvens, ſi moraliter poſſit, cenſetur inchoare moram culpabilem. Quod ſi creditor non petat, nec adſit prudens ſuſpicio, quod petere omittat ex metu, aut alio motivo minuente voluntarium; cenſetur indulgere dilationem, & debitor non videtur judicandus in mora culpabili. Circa hoc tamen Magnates, Nobiles, & alii auctoritate pollentes, ibi cavere debent ne ſilentium creditoris ex metu ſaltem amittendi eum, qui vel ad ejus officinam pro mercibus emendis concurrat, vel ejus opera utatur, procedat; quod fere ſemper evenit, experientia teſte; tunc enim non ſunt tuti in conſcientia; & tenentur ad damna creditori reſultantia.

Monitum utile.

IV. Ex communi, licitum eſt ſolvere ante tempus præfixum, ſi terminus fuerit præfixus in favorem debitoris, v. gr. in commodato. Quando vero terminus præfigitur in favorem creditoris, non licet prævenire ſolutionem; quia injuria emergit alteri: v. gr. ſi quis alicui, habenti beneficium, vel fideicommiſſum, vel uſumfructum, eſſet obligatus ſolvere penſionem annuam, & illam ſolveret præveniendo annum, puta ſolvendo pro anno præſenti, & futuro; hæc ſolutio præjudicaret ſucceſſoribus in dicta jura, neque teneretur ſucceſſor ſtare ſolutioni factæ, ſed poſſet illam denuo exigere a debitore; quippe quæ fuerit erogata in ſui damnum: ſic debitor frumenti pro tempore, quo pluris valere conſuevit, non poteſt prævenire tempus illud, niſi de conſenſu libero creditoris, & ita in ſimilibus.

Quid de loco reſtituendi a poſſeſſore injuſto?

V. Circa locum, in reſtitutione exequenda, ſi fieri debeat ex injuſta acceptione, ita reſolvit S. Thomas in 4. d. 15. quæſt. 1. art. 5. quæſtiunc. 4. ad 2. *Si res ſit magni valoris, debet ei tranſmitti,* (nempe domino) *ſi poteſt commode; nec obſtat, ſi damnum de tranſmiſſione patitur, quia ipſe ſibi fuit cauſa injuſte auferendo. Si autem tranſmittere non poteſt; vel res non ſit magni valoris, poteſt eam dare* (per Confeſſarium) *propinquis illius, ſi habet, vel alicui cœnobio; cum proteſtatione tali, quod ei reddere teneantur, ſi requiſierit, vel unquam comparuerit.*

Quid quando debitum oritur ex re accepta?

Quando autem debitum oritur ex re recepta extra contractum, ex communi, res debet reſtitui in loco, ubi habetur a poſſeſſore bonæ fidei ita ut is neque teneatur ad illam alio mittendam, neque ex ullo alio capite alicui expenſæ ſubjacere debeat, quia ſicut ex re illa in nullo debet fieri ditior, ita neque in ullo pauperior. Debet tamen monere dominum abſentem, ut ſibi indicet, cui tradenda ſit. Quod ſi dominus ſit adeo diſtans, ut plus ſit expendendum in tranſmiſſione rei, quam ſit valor ejuſdem, neque ſpes ulla affulgeret reditus domini, tunc dicunt multi, quod de conſilio prudentis, & docti Theologi, poſſet illam vendere, & tradere pretium vel pauperibus conſanguineis ejuſdem ibi commorantibus, vel aliis pauperibus. Melius putarem, ſi fieri poſſet, expectare per litteras reſponſum domini, quid de eadem agendum ſit;

VI. Quan-

Quid quando reſtitutio, facienda eſt ex contractu.

VI. Quando reſtitutio rei facienda eſt ex contractu, debet fieri expenſis illius, in cujus utilitatem ceſſit contractus, niſi juſta conventione aliter ſtatutum fuiſſet; quia non eſt juſtum, ut reſtitutio fiat expenſis illius, cujus commodum non fuit in contractu quæſitum, ſed illius, qui commodum reportavit. Unde in contractu donationis, legati, commodati, promiſſionis gratuitæ, expenſæ pro tranſmiſſione &c. faciendæ ſunt a donatario &c., & hæc eſt probabilior, & communior. Obſervandum tamen eſt, quod ſi promiſſio fuiſſet facta ſub conditione; puta donabo tibi equum, ſi emero alterum hoc meliorem: aut ſi facta ſit in diem; puta donabo tibi equum poſt annum; ſi interea promittens longius abiret, tunc, dicunt aliqui, habenda eſſet ratio ad animum promittentis, quem habuit, dum promiſit; ſi enim voluiſſet ſe obligare ad equum ibi tradendum, & ita acceptata fuiſſet promiſſio, expenſæ pro tranſmiſſione a promittente eſſent faciendæ: addo ego, ſi de hoc clare non conſtet, promiſſarius, in cujus commodum cedit promiſſio, ſi vult equum, illas faciat. In contractu, in quo res eadem eſt reſtituenda, ut in commodato, & depoſito (jam de commodato diximus) debet depoſitum ſemper reddi in eo loco, in quo a depoſitario cuſtodiendum eſt. Unde ſi ego, Venetiis commorans, acciperem Patavii vas argenteum a Paulo, apud me Venetiis cuſtodiendum; Venetiis reddam, nec teneor Patavium mittere: per accidens enim eſt, quod Patavii acceperim, quia ibi per accidens aderam; cum enim contractus ſit utilis ſoli deponenti, illius expenſis facienda eſt translatio.

Quid quando non eſt eadem res reſtituenda?

VII. In contractu, in quo res eadem non eſt reſtituenda, ſed æquivalens, puta in emptione, & venditione, niſi aliter conventum ſit, ſolvendum eſt pretium in loco, in quo traditur res, quæ emitur; quia quando nihil conventum fuit, cum in aliquo loco ſolutio ſit facienda, & cum id pendere non debeat ab arbitrio alterutrius, poſt contractum, ne una pars gravet alteram, deſignandus erit locus ille, qui correſpondeat naturæ contractus; atqui convenientior aſſignari nequit eo, in quo traditur res, pro qua ſolvendum eſt: nam cum æqualitas inveniri debeat inter datum, & acceptum, hæc æqualitas multum pendet a loco, eo quod tam valor rei, quam pretii æſtimabilitas variari ſoleat juxta diverſitatem locorum, & proinde tritici modius v. g. Venetiis valet viginti aureos, quia hoc pretium Venetiis æquivalet tritico Venetiis: quod ſi pretium eſſet erogandum v.g. Ferrariæ, eveniret forte, ut non ſervaretur æqualitas inter mercem, & pretium: quia vel hoc eſſet minus, vel majus merce ſeu tritico in Ferrarienſi foro vendito. Abſoluta igitur, & juſta regula erit, ut, nulla interveniente conventione, in eo loco ſit erogandum pretium, in quo traduntur merces: & idem dicas in reſtituendo mutuo, ob eamdem rationem.

Solvitur caſus.

VIII. Petrus diſcedens Venetiis, & Romam proficiſcens ibi commoraturus, invenit Ferrariæ amicum Venetum Venetias redeuntem, a quo petit mutuo viginti aureos, infra menſem eidem reſtituendos; in quo loco erunt reſtituendi, cum certum videatur, quod non Ferrariæ, ubi neuter illorum domicilium habet? Reſpondeo Venetiis eſſe reſtituendos, tum quia eſt locus propinquior loco contractus; tum etiam quia in hujuſmodi caſibus videtur debitor implicite ſuſcipere in ſe onus reddendi mutuum in loco, ubi creditor inhabitat; ſi enim mutuatarius accepit beneficium intraneum contractui, congruum eſt, ut ſubeat etiam incommodum intraneum contractui.

Caſus alter.

IX. Si idem Petrus Ferrariæ emeret rem ipſi a præfato amico venditam, cum pacto ſolvendi pretium poſt menſem: ubi ſolvendum eſſet pretium? Reſpondeo, quod ſi res empta Ferrariæ tradatur, pretium ſit Venetiis erogandum; cum enim Petrus gaudeat beneficio dilationis in ſolvendo, pro quo beneficio nil amicus petere poteſt; videtur congruum, ut pretium ſolvatur in loco creditoris. Si vero e contra Ferrariæ pretium erogetur, & res ibi non tradatur, aliqui ita diſtinguunt: ſi vendatur res determinata, videtur intentio contrahentium eſſe, ut res eo loco tradatur, ubi tunc invenitur, niſi aliter conventum fuerit, unde ſi Petrus emat Ferrariæ dolium vini, quod amicus Venetus tenet Patavii, Patavii tradendum erit: & idem affirmant; quando venditur res indeterminata, ſpeciei tamen determinatæ, puta unus equus ex illis decem, quos amicus tenet Patavii; quia in his caſibus animus venditorum eſſe videtur, quod non aſſumat ſibi onus aſportandi rem venditam ad locum abſentem, ſed duntaxat conſentendi jus emptori, ut illam ſibi accipiat, quando libuerit. Si autem vendatur res aliqua indeterminata, puta tot urnæ olei, & pretium

tium acciperetur Ferrariæ, ubi emptor inhabitat, & nil de tranſlatione conventum ſit; videtur venditor debere eam mercem Ferrariam advehere; quia ibidem valor æſtimatur æqualis merci venditæ, & pretium accipitur. Si autem contractus fiat in tertio loco, ibique pretium ſolvatur, nec de tranſlatione conveniatur; putant, quod cum vendatur res indeterminata, & ipſa ſtatim non tradatur, hic contractus imitari debeat conditionem mutui; unde ſi locus ille tertius ſit vicinus domicilio emptoris, debeat res tranſmitti ad ipſum a venditore propriis expenſis; ſi autem locus ille ſit vicinus domicilio venditoris, ſufficiet eam tradere in ſuo domicilio. Si demum ſit locus diſtans ab utriſque, ſufficiet eam emptori tradere, ubicumque invenietur; alioquin videtur mittenda expenſis venditoris, cum ipſe habuerit beneficium dilationis in re tradenda. Hæc dicta ſint, ſalvo ſapientiori judicio.

Caſus alter. X. Quando neque res traditur, neque pretium ſolvitur, ſed tam venditor, quam emptor ſe obligant; & de loco non convenitur, ubi ſolvendum eſt? Reſpondeo juxta prædicta, quod ſi res vendita eſt determinata, pretium ſolvendum ſit, ubi eſt res; cum ex communi hominum uſu ibi ſit tradenda, ac proinde ibi etiam pretium ſolvendum. Si vero res ſit indeterminata, reflexio habenda eſt ad locum, ubi venditio fit, ait perdoctus quidam: ſi venditor, aut emptor ibi habitent, ſaltem pro eo tempore, quo hi contrahentes ſe obligarunt; & tunc quemadmodum quando tempus non determinatur, juxta regulam juris, præſenti die debetur; ita etiam, quando locus non determinatur, intelligendus videtur locus præſens, ubi obligatio contrahitur: ſi vero contractus fieret in itinere, tunc reſolvendum eſt ut ſupra: ſi demum tam venditor, quam emptor æque diſtarent a loco contractus, videtur, quod venditor poſſit rem venditam tradere in ſuo domicilio, ubi pretium ab emptore eſt erogandum. Hæc enim eſt praxis vendentium & ementium, ut iſti pergant ad domum, officinam, &c. venditoris, ibi empturi quod optant: & præſumendum eſt, dictos contrahentes ſe voluiſſe accommodare huic uſui communi.

In quo loco cenſus realis. XI. Cenſus realis videtur ſolvendus in loco, ubi ſunt bona ſtabilia, ſuper quibus eſt fundatus; eſt enim quædam portio fructuum illius fundi ob rationem modo allatam.

XII. Proventus annui ſive in pecunia, ſive in frugibus, ſive in alia quacumque re ex teſtamento procedente, ſunt eroganda in loco illo, in quo hæres occupavit hæreditatem, cum ſint onera hæreditati adnexa, & hæredi relicta, quibus etiam ut ſatisfaciat, inſtitutus fuit hæres; & proinde in eo loco, in quo hæreditas fuit acceptata; cum ibi contracta fuerit obligatio, ibi ſolvenda videntur. Circa tamen hactenus dicta, obſervandæ ſunt locorum conſuetudines jam poſſidentes. In quo loco proventus annui?

* Accidit ſæpe quod poſſeſſor non poſſit immediate rem domino reſtituere, vel quia dominus abeſt, vel quia poſſeſſoris intereſt, ut a domino non cognoſcatur: unde neceſſe eſt, ut aliena manu aut conſeſſarii, aut alterius perſonæ utatur ad illam reſtituendam. Poſito itaque quod in manu delatoris res ſeu culpa ipſius, ſeu caſu fortuito pereat, ac per conſequens ad dominum non perveniat, difficultas excitatur, cuinam in tali caſu pereat, poſſeſſori videlicet, an domino?

Duo certa apud omnes præmittimus. 1. Quicumque debitor ſive ex delicto injuſtæ acceptionis, ſive ex re accepta, ſive ex contractu tranſmittens rem debitam per perſonam a creditore deſignatam eximitur ab onere iteratæ reſtitutionis, quamvis illa tertia perſona non reſtituat, vel quomodocumque res pereat. Idem etiam aſſerendum, quando debitor rem debitam tradit nuntio a ſe quidem delecto, tamen etiam de voluntate, & commiſſione ipſius domini, ut quem vellet, deligeret, modo fidelis communiter habeatur. Idem inſuper ſentiendum, ſi debitor & creditor communi conſenſu ſtatuiſſent aliquod ſignum ex pacto, quod per omnem perſonam exhibentem illud ſignum, res ſit mittenda; & aliqua perſona alio tali ſigno falſo exhibito, rem ſibi traditam non reddat domino, dummodo debitor ipſe alicui alteri non manifeſtaverit tale ſignum. Idem demum dicendum, ſi perſona, cui res committitur reſtituenda, ſit auctoritate judicis conſtituta.

2. Quicumque debitor tranſmittens, inconſulto domino, ſeu creditore rem debitam per perſonam non ſatis fidelem, ſeu per viam non ſatis tutam, ſi res ipſa, aut a nuntio detineatur, aut in itinere a latronibus auferatur, perit non domino, ſed debitori, atque adeo hic ad iteratam tenetur reſtitutionem. Hæc extra omne dubium verſatur. Quare ad hæc tota de-

vol-

volvitur difficultas, nempe num res pereat domino, vel poſſeſſori ſeu debitori, dum poſſeſſor ſeu debitor rem debitam tranſmittit inconſulto creditore per perſonam fidelem habitam ab ipſo? Hanc nos breviter ſequentibus aſſertionibus enodamus.

1. Res debita ex delicto tranſmiſſa per internuntium quamvis fidelem habitum, etiam Parochum, vel Confeſſarium, ſive ejus malitia, ſive quocumque caſu domino non reddatur, vel pereat, debitori perit, iſque denuo reſtituere tenetur juxta probabiliorem ſententiam. Quippe debitor ratione injuriæ tenetur dominum prorſus indemnem ſervare, & ſic debet ſubire omne damnum, ac periculum; cum dominus nulli debeat eſſe obnoxius damno ex injuria ſibi illata. Quod ſi debitor pluries reſtituere adſtringitur, id fit per accidens, & ſibi imputare debet.

2. Res, quam quis ſine ſua culpa habet, ut eſt poſſeſſor bonæ fidei, ſi pereat in via, domino perit, non autem remittenti, ſi is ſufficientem diligentiam adhibuerit, ideoque a nova reſtitutione liber eſt. Quia non tenetur neque ex injuſta actione, ut ſupponitur, neque ex re accepta, cum eam non habeat; & alias omnem, quæ neceſſaria fuit in ea remittenda, diligentiam adhibuit.

Si tamen bonæ fidei poſſeſſor convenerit cum domino, ſe per talem nuntium rem ſuam ipſi remiſſurum eſſe, tenetur ad reſtituendum, ſi eam committat alteri, a quo diripiatur; quia alteri dando eſt in culpa.

3. Denique, Res ex contractu debita perit creditori, cum is ejus dominium ſervat; perit vero debitori, ſi dominium ejus in debitorem translatum ſit. Quia res quælibet ſicut domino ſuo clamat, ita & eidem perit. Hinc ſi quis mittat equum, quem commodatum accepit per amicum ad dominum, ſimulque pecunias ab ipſo mutuo acceptas, & hæc omnia furto auferantur per viam, aut amicus, vel famulus fugam cum his bonis arripiat, reſtituere denuo pecunias debet, ſecus equum, quia pecuniarum vi mutui dominus evaſerat, dominium vero equi perpetuo remanſit penes illum, a quo ipſum equum commodatum acceperat.

§. XVII. *De Ordine in reſtitutione bonorum temporalium obſervando.*

I. Sermo præſens præſupponit debitorem imparem eſſe ad ſatisfaciendum omnibus ſuis creditoribus ordinis diverſi: idcirco præmittendum eſt primo, debita quædam eſſe certa, ut cum quis debet Petro centum: quædam incerta, ut cum ſcit ſe debitorem centum, & ignorat cui, vel prudenter dubitat, an alicui debeat; de quibus ſufficienter dictum fuit in §. 5 Secundo, quædam debita dicuntur rerum, quarum jam quis dominium aſſecutus fuit, puta pecuniæ mutuo acceptæ, mercis habitæ &c.; alia ſunt rerum, quarum quis dominium non habet; puta depoſiti, commodati, & multo magis rei furto ſublatæ. Tertio, alia dicuntur realia, quando bona debitoris ſunt creditori obligata per hypothecam ſive generalem, ſive ſpecialem: alia dicuntur perſonalia, quando creditor habet actionem in perſonam, & non in bona debitoris. Quarto, alia ſive realia, ſive perſonalia ſunt privilegiata, quæ videlicet ex juris privilegio præferuntur in ſolutione, v.g. expenſæ pro funere, & alia ſimilia in jure expreſſa: alia dicuntur ſimplicia, ſeu nuda, ſeu ordinaria, ideſt non privilegiata, quæ communiter contrahuntur. Quinto, alia ſunt ex delicto, alia ex contractu. Sexto, alia ſunt gratuita, puta orta ex liberali promiſſione, ex legato; alia onerofa, orta ex titulo oneroſo: puta ex emptione rei. Nota inſuper, quod quando dicemus, hæc aut illa debita eſſe in ſolutione præferenda, intelligendum eſt quoad totum debitum, ita ut omnia illius generis ſint cæteris aliorum generum anteferenda. Quod ſi debitor neque habeat ſufficientia bona ad ſolvenda omnia debita illius generis, dicetur inferius, quid illi agendum ſit.

Præmittuntur ſcitu neceſſaria circa varia debitorum genera.

II. Certum eſt apud omnes, quod ſi res alterius adhuc extet in ſe, ſit ejus domino danda, neque poſſit aliis creditoribus quantumvis privilegiatis dari; quia quouſque res exiſtit in ſe, & pro ea pretium nondum fuit ſolutum, perſeverat ſub jure domini anterioris, clamatque ad dominum ſuum: patet autem quod de alieno nequit fieri reſtitutio alteri. Proinde ſi res fuit accepta in Depoſitum, Commodatum, Precarium, aut furtive, ſi poſt diligentem inquiſitionem non inveniri poſ-

Primo res exiſtens in ſe, domino ſuo eſt danda ante omnes creditores.

ſit dominus, aut illius hæres, diſtribuenda ſit in uſus pios, juxta dicta ſuperius. Idem dicas de re vendita nondum ſoluto pretio, neque pignore dato; aut fidejuſſione præſtita; niſi forte venditor ſola ementis promiſſione ſe contentum declaraverit. Propterea ſi emptor incidat in impotentiam ſolvendi ob incendium, furtum &c., valde congruum æquitati videtur Cajetano, & Sylveſtro: ut equus, pannus, anulus &c. adhuc exiſtens revertatur ad dominum ſuum ante ſolutionem quorumvis aliorum debitorum.

Quando creditor re adhuc extante non ſit præferendus?

III. Probabilior mihi eſt opinio Vaſquez cap. 11. de reſt. dub. 1. n. 19. a pluribus adoptata, quod ſi venditor aut obtinuerit pignus, aut fidejuſſionem, aut emens ſe promptum manifeſtaverit ſtatim ſolvere, ſi hic deinde incidat in impotentiam, non ſit creditor ille præferendus aliis creditoribus, qui ex æquitate, aut privilegio juris ſunt ipſi anteferendi. Ratio mihi efficax eſt, quia quando aliquo ex dictis modis ſe gerit venditor, manifeſtat ſe velle rei venditæ dominium in emptorem transferre; ad differentiam alterius modi ſe gerendi, quando nihil æquivalens pretio obtinet, nec voluntarie ceſſit offerenti pretium, ſed ſtat expectando pretium ſuum, nulla cautione habita pro eodem: atqui ſemel acquiſito ab emptore dominio ſuper re, hæc ingreditur conditionem aliarum rerum ab ipſo poſſeſſarum; igitur ſicut reſpectu earum non eſt præferendus hic creditor, ita neque in illa; quippe quod illius dominium in emptorem tranſierit, qui poteſt de eadem facere, quid voluerit. Si dicas quouſque ſolvatur pretium rem venditam extantem manere hypothecatam virtualiter pro venditore. Reſpondeo, id eſſe falſum, præcipue in caſu noſtro, quando aut pignus, aut fidejuſſionem venditor obtinuerit: omnis enim hypotheca habetur vel ex conſenſione partium, vel a lege: in caſu hoc neque ulla extat lex; nec ullus interceſſit partium conſenſus; immo venditor accipiendo pignus; aut fidejuſſionem, videtur excluſiſſe etiam virtualem illam intentionem hypothecandi rem, cum pignus, & fidejuſsio hypothecæ æquivaleant.

Recenſetur ordo in reſtitutione ſervandus cum creditoribus realibus.

IV. Ante omnia igitur debita ſolvendæ ſunt expenſæ pro funere, & pro curatione in infirmitate factæ: ita ex leg. 45. de relig. & ſumpt. funer. Secundo, ſolvenda ſunt, & præferenda debita certa incertis; illa ſcilicet, quorum creditores ſciuntur, illis quorum creditores ignorantur: ita ex communi. Quia talis prudenter creditur intentio creditorum incertorum, cum certi habeant jus immediatum ad bona debitoris; incerti autem dumtaxat mediatum, mediantibus nempe pauperibus; tum etiam quia debitorem liberant a vexationibus, quæ contra ipſum a creditoribus notis cum ſuo dedecore inſtitui poſſunt; quod ab incertis fieri non poteſt. Tertio, ex communi, inter debita certa, præferenda ſunt oneroſa, gratuitis: ita ex Leg. 19. §. de Re judiciaria. Ratio patet: quia cum gratuita ſint effectus liberalitatis, juſte præſumitur, quod donans, legans, &c. nolit ejuſmodi ſatisfieri cum præjudicio eorum, quibus ex juſtitia tenetur; & propterea debita defuncti ſolvuntur ante omnia legata etiam pia, & ante vota, quæ Deo non ſunt grata cum præjudicio tertii: ſolutis tamen debitis oneroſis, vota ſunt ſolvenda ante debita gratuita. Quarto, inter oneroſa, ex communi, præferenda ſunt hypothecata, aut privilegiata, nudis, & ſimplicibus: ita leg. 19. Codic. *qui potiores in pignore*: quia hæc ſpeciali jure pertinent ad creditorem, utpote oblata ad cautionem, & ſecuritatem crediti ſui. Inter creditores autem hypothecarios ille præferendus eſt, qui fuit prior tempore; ita ut ex illo bono hypothecato illi prius ſatisfiat: unde hypothecæ ſequentes cenſentur factæ ſub conditione, ſi ſatisfieri poterit ſine præjudicio anteriorum. Nihilominus cum ſeptem ſint caſus a jure excepti, in quibus prælatio temporis non ſuffragatur; idcirco pro his ſeptem caſibus eorumque praxi conſulendæ ſunt leges municipales regionum: hi caſus ſunt: Primus, ſi quis mutuum dederit ad conſervandam rem hypothecatam. Secundus, ſi quis mutuum dederit ad ſatisfaciendum pro vectura mercium, vel pro locatione Promptuarii, in quo ſervantur. Tertius eſt hypotheca dotalis: quæ obligat bona mariti uxori, & filiis ejus; quia dos eſt præferenda omnibus hypothecariis tacitis, habentibus in bonis viri hypothecam, non autem expreſſis, anterioribus dote & matrimonio: quia aliter per matrimonium ſubſequens fraudari poſſent. Quartus, quando ex pecunia pupilli, vel minoris empta eſt res aliqua, quæ remanet ipſis obligata ante omnes. Quintus, ſi quis alicui pecuniam det mutuo ad emendum quidpiam cum pacto expreſſo, ut res empta obligetur mutuum danti pro ſolutione debiti. Sextus,

tus,

Digitized by Google

tus, ſi quis contrahat cum Fiſco. Septimus, ſi quis det pecuniam mutuo ad militiam, cum eam det ad bonum commune.

Præſcribitur ordo obſervandus in reſtitutione cum creditoribus perſonalibus.

V. Poſt creditores hypothecarios ſeu reales, ſatisfaciendum eſt perſonalibus hypothecam non habentibus; & primo illis, qui habent privilegium perſonale prælationis; quale habet ſponſa, quæ tradidit dotem, quin ſecutum fuerit matrimonium, in bonis ſponſi: ita qui depoſuit pecunias apud nummularium, quin inde perciperet juſtas uſuras. Similiter qui pecuniam ſubminiſtravit ad navim emendam, aut conſtruendam, aut inſtruendam. Circa hæc tamen ſtandum eſt juſtis legibus regionum. Inter creditores perſonales titulo oneroſo nulla datur prælatio, ſive debitum fuerit ex contractu, ſive ex delicto; igitur pro rata cum facultatum debitoris, tum rationis debitorum proportione geometrica ſingulis eſt ſatisfaciendum, ſi debitor non ſit ſufficiens ſolvere totum omnibus. Et reſpectu horum non valet regula illa, *prior ordine, prior jure*, quæ tantum valet reſpectu hypothecariorum. Præferre in ſolutione creditores non hypothecarios, nec privilegiatos hypothecariis, & privilegiatis eſt illicitum; quia graviter offenditur ordo præſcriptus a jure, & irrogatur injuria gravis hypothecariis, & privilegiatis; & ideo tam ſolvens, quam recipiens tenentur ad reſtitutionem iſtis de jure præferendis in totum. Quod ſi creditor non hypothecarius nec privilegiatus petierit in judicio ſolutionem, tunc, ſi ex ſententia judicis præferatur, erit præferendus: ita lex 6. & 24. §. *quæ in fraudem creditorum*. Neque gravis indigentia creditoris non præferendi debet inducere debitorem ad illum præferendum quibus non debet; quia ſua indigentia nullum jus eidem confert, ut præferatur, ut docet probabilior: & proinde vel ipſe creditor, vel debitor permiſſionem petat a præferendis, ut ſaltem in portione aliqua præferatur, ut poſſit ſuæ gravi neceſſitati occurrere.

Illatio notanda.

VI. Hinc deducas cum communi opinione, neminem poſſe recipere ab homine, debitis gravato ſupra ſuas facultates munera, aut aliud quidpiam gratuitum habens valorem pretii, ſi prudenter prævideat, exinde aut fieri impotentem, aut eo impotentiorem ad ſolvendum creditoribus ſuis; quia cooperatur aliorum injuſtæ damnificationi.

§. XVIII. *De motivis excuſantibus a reſtitutione bonorum temporalium, & de reſtitutionis dilatione.*

Primum motivum eſt ſpontanea remiſſio: aliquibus caſibus exceptis.

I. PRima cauſa a reſtituendi onere excuſans eſt legitima remiſſio creditoris; quæ ut valida ſit, debet eſſe immunis ab omni circumſtantia valente minuere plenum voluntarium, cum ſit donatio liberalis: debet fieri a potente donare independenter a quocumque alio: & non debet eſſe vetita a jure; ut, remiſſio diſtributionum Canonico abſenti, pro quibus vide dicta in Tr. 4. c. 11. §. 6. item remiſſio, quæ fieret Viſitatori Eccleſiæ circa ab eo recepta, præter neceſſaria ad victum illis diebus: ac demum remiſſio, quæ fieret Inquiſitoribus, rerum, quæ ſub prætextu ſui officii, fuiſſent ab eiſdem extortæ.

Paulus Gabriel Antoine *Tract. de Juſt. & Jur. cap. 6. q. 1. n. 3.* exactius caſus exponit, in quibus remiſſio ſeu condonatio creditoris non eximit a reſtitutione, utpote jure abolita. Requiritur, *inquit*,
„ ut condonatio non ſit a jure annullata
„ prout eſt in his caſibus. 1. Si viſitan-
„ tes Eccleſias, accipiant aliquid ab iis
„ præter neceſſaria ad victum pro illis
„ diebus, quibus viſitant, tenentur reſtitue-
„ re duplum intra menſem, non obſtante
„ quacumque remiſſione iis ſponte facta
„ a dantibus cap. 2. *de conſ. in* 6. 2. Si judex
„ delegatus aliquid acceperit a partibus,
„ niſi forte exculentum mera liberalita-
„ te oblatum, quod paucis diebus poſſit
„ conſumi; vel ſi dum cogitur extra do-
„ micilium proficiſci, acceperit plus,
„ quam moderatas impenſas; vel ſi deni-
„ que acceperit aliquid pro impenſis, dum
„ partes ſunt pauperes, tenetur accepta
„ reſtituere, non obſtante remiſſione cap.
„ 11. *de reſcript. in* 6. 3. Si Inquiſitores præ-
„ textu officii inquiſitionis pecunias ex-
„ torſerint, tenentur reſtituere nullis re-
„ miſſionibus ſuper hoc valituris, *Clement.*
„ 2. *de hæret. in* 6. 4. Si Canonicus, qui
„ non intereſt officio, acceperit diſtribu-
„ tiones. *Concil Trid. Seſſ.* 24. *c.* 12."

* Difficultas inſurgit inter Theologos, an ad remiſſionem, ſeu condonationem ſatis ſit virtualis domini voluntas? Sententia affirmans non paucis arridet, dummodo ex conjecturis vere probabilibus hujuſmodi voluntas colligi poſſit. Quare a reſtitutionis onere liberant tum filios fa-

milias, qui aliquid non ita magni momenti ſubripiunt parentibus, a quibus impenſe diliguntur; tum etiam ut plurimum Dominorum amicos: & famulos, qui eſculenta, & poculenta arripiunt, quæ ſibi concederentur, ſi poſcere auderent. Verum aliis hæc doctrina plena periculi, & in praxi admodum dubia apparet. Certe, ait Petrus Collet *tract. de juſtit. cap. 3. art. 4.* non idem eſt *condonaſſem*, *&* *condono*. Itaque, *ſubdit*, vel petenda eſt condonatio, vel reſtituendum niſi res tam levis ſit momenti, ut ex quodam uſu condonata cenſeatur. Profecto præſumpta dominorum voluntas innumera quotidie furta parit: ſic Capitanei qui milites vix 60. habent, ex præſumpta Regis voluntate pro militibus 100. ſtipendium accipiunt.

Secunda eſt ceſſio bonorum. Sed quomodo?

II. Secunda cauſa eſt Ceſſio bonorum, quando quis non valens omnibus ſuis creditoribus ſatisfacere, dimittit illis reſidua bona, quæ habet, ne carceri mancipetur, vel ut detruſus liberetur; unde hujuſmodi ceſſio confert debitori, ne poſſit carcerari, & etiam ſi poſt ceſſionem aliquid acquirat, ne poſſit eo privari, poſito quod eo indigeat ad ſuam, ſuorumque ſuſtentationem; remanet tamen ex communi, eidem debitori onus reſtituendi, & ſolvendi debita ſua, poſito quod redeat in bonis; & non ſint neceſſaria ad dictam ſuſtentationem: ita jura apud Auctores: & ratio de ſe patet.

* His ſequentia addere operæ pretium exiſtimamus cum Cardinali de Lugo *de Juſtit. diſp. 21. ſect. 3.*

1. Qui tenetur reſtituere ex injuſta acceptione, ſeu ex damnificatione, & cedit bonis, excuſatur in conſcientia, ſi occulte ſibi retinet quantum ſufficit, ne periclitetur vita, vel ſalus ſui, aut ſuorum, quia licet ſit debitor ex delicto; eſt tamen in neceſſitate extrema. E contra, ſi aliunde habeat, unde poſſit ſuſtentari cum ſuis, non excuſatur, ſi aliquid ſibi retineat, ne periclitetur honor, vel ſtatus ſui, aut ſuorum, quia licet ſit in neceſſitate gravi, non tamen eſt in extrema.

2. Qui tenetur reſtituere ex re accepta, vel ex contractu, & cedit bonis, excuſatur in conſcientia, ſi aliunde habens, unde ſuſtentetur cum ſuis, aliquid ſibi retinet, ne periclitetur honor, vel ſtatus ſui, aut ſuorum, quia cum non ſit debitor ex delicto, ſed ex alia cauſa, ſufficit ei, ut ſit in neceſſitate gravi. E contra nihil poteſt retinere, ſi aliunde habeat, unde poſſit cum ſuis honeſte, quamvis non tam commode vivere, quia tunc non cenſetur eſſe in neceſſitate gravi. Legatur P. Clemens Piſelli *Part. 1. tract. 9. cap. 29. §. 4.*

An ingreſſus Religionis eximat?

III. An autem ingreſſus Religionis ſit cauſa ſufficiens ad eximendum a reſtitutione; priuſquam definiatur, quædam ſunt ut certa præmittenda: Certum eſt, quod ſi habeat, unde ſolvat, ad id tenetur debitor ante ingreſſum; & etiamſi paucorum annorum dilatio eſſet neceſſaria, differre teneretur, ut plerique docent; quia Deo grata non ſunt Vota aliis injurioſa. Certum item eſt; quod ſi debita, quæ habet ſint incerta, etiamſi ſperet, quod in ſæculo remanens, poſſet ea ſolvere, non tenetur remanere; ſed poſſit ingredi Religionem, non quamcumque, ſed, ut plures notant, in qua ferventius Deo ſerviatur; eo quod motivum reddens ingreſſum licitum hujuſmodi debitori, eſt, ut Deo famuletur: tenebitur ergo ingredi non mollem, & dilapſam, ſed auſteram, & ferventem, ne ſuo ingreſſu pauperes, creditores ſuos incertos, deludat. Propoſitam quæſtionem ita reſolvit S. Th. 2. 2. qu. 189. art. 6. ad 3. *Ille, qui eſt obligatus ad aliquid certum, non poteſt illud prætermittere, facultate exiſtente: & ideo ſi aliquis ſit obligatus, ut rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non poteſt hoc licite prætermittere, ut religionem ingrediatur. Si tamen debeat aliquam pecuniam, & non habeat unde reddatur, tenetur facere, quod poteſt, ut ſcilicet cedat bonis ſuis creditori. Propter pecuniam autem perſona liberi hominis ſecundum jura civilia non obligatur, ſed ſolum res; quia perſona liberi hominis ſuperat omnem æſtimationem pecuniæ: unde licite poteſt, exhibitis rebus ſuis, religionem intrare, nec tenetur in ſæculo remanere, ut procuret unde debitum ſolvat.*

* Poſtrema hæc S. Thomæ verba accurate expendit Cl. Sylvius ſupra *cit. art.* & in quo ſenſu ſint intelligenda, luculenter exponit. Aſſerit in primis apud B. Thomam conſtare, quod qui habet debita non poſſit eorum ſolutionem ſibi poſſibilem prætermittere, ut Religionem ingrediatur. Dicit enim quod *ille qui eſt obligatus ad aliquid certum non poteſt illud prætermittere facultate exiſtente*: tum addit: *Et ideo ſi aliquis ſit obligatus, ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non poteſt hoc licite prætermittere, ut Religionem ingrediatur*. Accedit, B. Thomam non diffiteri illud Apoſtoli *ad Rom. 13.*

Red-

Digitized by Google

Reddite omnibus debita eſſe juris naturæ.

Quod ſi quiſpiam, *ſubdit*, non poſſit omnibus ſuis debitis nunc ſatisfacere, poſſit autem poſtea, ſi in ſæculo maneat; debet manere; & creditoribus, quantum poteſt, ſatisfacere: cum æquitas non ferat, ut Religionem amplectatur cum damno aliorum. Si vero tantis ſit oneratus, ut illis exſolvendis, neque tunc ſufficiat, neque veriſimilis ſpes appareat, quod aliquando ſufficiet, vel omnia ſolvere, vel eorum partem notabiliter majorem quam nunc poſſit, quamvis in ſæculo maneret; tunc (quod attinet ad jus naturæ) licebit ei Religionem ingredi, bona fide cedendo ſuis omnibus bonis in utilitatem creditorum; quandoquidem ſive maneat in ſæculo, ſive non maneat, plenior ſolutio ſit ei impoſſibilis; nemo autem poſſit ad impoſſibile obligari, juxta *regulam 6. juris in 6.*

Et ſecundum hæc intelligendus eſt S. Thomas, ut verborum ejus hic ſit ſenſus: Propter pecuniam perſona liberi hominis ſecundum jura civilia non obligatur, ita nimirum, ut propter debitum pecuniarum poſſit aut vendi, aut in ſervitutem rapi, ſed ſolum res. Unde licite poteſt exhibitis rebus ſuis Religionem intrare, nec tenetur in ſæculo remanere, ut procuret, unde debitum reddat; quando videlicet neque habet bona, ex quibus poſſit integrum debitum ſolvere; neque veriſimile eſt, quod haberet, quamvis in ſæculo maneret, operamque daret illis conquirendis. Dixi *quod attinet ad jus naturæ*; quia jure poſitivo inhibitum eſt, ne gravati ære alieno recipiantur in aliquam Religionem. Huculque præcitatus Sylvius.

Obſervandum vero validam eſſe profeſſionem hominis ære alieno obſtricti, cum ejus perſona libera ſit. Neque talis profeſſio jure poſitivo irrita redditur, ut declaravit Clemens VIII. qui, quoad hoc punctum, abrogavit quod Sixtus V. ſtatuerat.

Quæres 1. num a reſtitutionis onere immunis cenſeri debeat qui debiti immemor, creditori ſuo gratis largitur ſummam, quæ debitum æquat?

Reſp. negat. Ratio eſt, quia donatio eſt actus liberalitatis, reſtitutio vero eſt actus juſtitiæ: unde qui gratis donat, huic adhuc, nempe debito reſtituendi remanet obnoxius. Quare creditor etiam poſt donum receptum poteſt exigere, ut debitum ſolvat, niſi conſtet debitorem intendiſſe per donationem ſatisfacere cuicumque debito, quod cum illo fortaſſe contraxiſſet.

Quæres 2. an debitor liberetur a reſtitutione, ſi creditori ſui creditoris ſolvat quod debet?

Reſp. Affirmant plures relati a P. Concina *Theolog. Chriſt. tom. 2. lib. 2. diſſert. 2. cap. 13. n. 12.* modo debita utriuſque ſint ejuſdem naturæ, nec ſint alii priores creditores privilegiati, aut hypothecarii. Alii negant, eorumque ſententiæ adhæret præcitatus P. Concina. Certe id non licet invito creditore, inquit P. Antoine *tract. de juſt. cap. 6. in reſp. ad Qu. 5.* nam creditor habet jus exigendi & accipiendi id, quod ei debetur, & debitor habet obligationem ſolvendi ſuo creditori id, quod ei debet; nec debitoris eſt creditoris ſui debita ſolvere; Et vero in foro externo cogar iterum ſolvere tibi, niſi mea gratia factus ſis debitor alteri, ut ſi gerens mea negotia mutuum ab illo acceperis, vel niſi ob rem alterius debitum contraxerim, ut ſi conduxi a te domum, quam tu ab illo conduxiſti.

IV. Cauſæ excuſantes dilationem ſolutionis ſunt. Prima, neceſſitas extrema tua, vel tuorum, ut patet, cui non poſſis niſi ex alieno ſubvenire. Secunda, gravis neceſſitas tua, vel tuorum, niſi tamen creditor in pari neceſſitate inveniatur. Ratio eſt, quia etiam in hoc caſu, cum & ipſe teneatur eleemoſinam erogare, non eſt cenſendus velle vexare, niſi indigeat, debitorem dicta neceſſitate laborantem. Tertia eſt magnum periculum animæ tuę vel tuorum; ut ſi prævideas filios furaturos, filias ſe proſtituturas; quia etiam in hoc caſu creditor, in pari neceſſitate non exiſtens, indulgere judicandus eſt. Quarta, quando reſtitutio fieri non poteſt abſque magno debitoris detrimento in rebus ſuis non debitis, & juſte acquiſitis; puta ſi cogeretur jacturam pati in proprio ſtatu; ſi redderetur pro ſemper impos ad collocandas aliquo modo filias, ſi deberet vendere prædia longe minoris, quam valent &c., niſi creditor ſolutione indigeat, neque in ſimili neceſſitate ſit; cenſendus eſt, non adeo inhumanus, ut cum tanto damno velit ſibi ſatisfieri. Quinta, ſi ex reſtitutione prudenter prævideatur grave malum creditori eventurum ſive ſpirituale, ſive temporale, chriſtiana charitas dictat, differendam eſſe. Cauſæ excuſantes dilationem.

* Quæres, num licite valeat quis reſtitutionem differre, ne magnum lucrum,

 quod

quod ex pecunia, quam reſtituere tenetur, percipere poſſet, deperdat?

Reſp. negat. Quippe æquitati conſentaneum non eſt quod creditor ſua defraudetur pecunia, ut debitor ex illa lucrum reportet. Si tamen debitor lucrum quæreret, ut aliis creditoribus ſatisfaceret, quibus alioquin ſatisfacere non valeret, teneretur creditor ex caritate dilationem concedere, ſi commode poſſet.

Quando differens reſtituere tenetur ad damna ex dilatione ſecuta?

V. Conſtat demum ex dictis in variis paragraphis, quod debitor ex delicto teneatur ad omnia damna ex ſuo peccato ſecuta, etiam pro tempore, quo reapſe reſtituere non poteſt; quia ſunt volita in actione injuſta primo poſita. Si autem ſit debitor ex contractu juſto, (& non fuerit in mora culpabili, non tenetur ad lucra ceſſantia, aut damna emergentia creditori ex dilatione; quia non fuit cauſa injuſta eorumdem: quod ſi fuerit in mora culpabili, tenetur ad damna moræ illi correſpondentia. Si demum, qui non eſt in mora culpabili, differat ſolutionem præciſe ad evitandum grave ſuum damnum, cui ſubjaceret, ſi ſtatim ſolveret, tenetur ad damnum creditori emergens, aut ad lucrum ceſſans; quia in pari caſu, melior eſt conditio creditoris poſſidentis, jus exigendi ſolutionem; neque juſtum eſt, ut debitor ſe indemnem ſervet a proprio damno, cum damno ſui creditoris, cui alioquin ſolvere poſſet, niſi differret ad evitandum damnum, cui creditor ſubjacet ex defectu rei, quam illi debet.

CAPUT VI.

DE

RESTITUTIONE

IN PARTICULARI, ET PRIMO OB DAMNA HONESTATIS.

§. I. *De obligationibus Defloratoris injuſti.*

Quando & quomodo teneatur deflorator ad reſtitutionem?

I. Deflorans virginem, vel ſe offerentem, vel petenti facile aſſentientem, eidem nihil tenetur; quia ſcienti, volenti, & ſponte aſſentienti nulla fit injuria. Tenetur tamen illis, ſub quorum cura deflorata degit in caſu, quo, ex publicatione criminis, aut eſſet augenda dos, aut nubere non poſſet; quia horum damnorum ſtuprator eſt cauſa realis, illaque prævidere debuit, illiſque virgo cedere non poterat, utpote juribus ſuorum cuſtodum, quorum violationem remittere, non eſt puellæ. Si autem fraudibus, mendaciis, aliiſque injuſtis actibus illam ſeduxiſſet, (non dico promiſſione matrimonii, de qua inferius) tenetur vel eamdem ducere, vel illam dotare; & in hoc caſu ſufficiet, quod addat doti alioquin dandæ, quod addendum eſt. Si vero puella inſtet pro matrimonio, & nullum damnum ex eo prudenter prævideatur, vel ob diſparitatem, vel ex alio capite, probabilius videtur defloratorem obligandum matrimonio: ſi vero gravia diſſidia ob diſparitatem, vel alia gravia damna inde oritura timeantur, ſufficeret dotare, & omnia damna exinde profecta reparare. Demum ſi deflorator ſolis precibus, & quidem urgentibus ſtuprum obtinuiſſet, tunc vel eſt vir magnæ auctoritatis, gravitatis, aliarumque circumſtantiarum, quæ quamdam ſpeciem vis precibus addere conſueverunt, puellaſque aliquo modo perterreſacere, ut non plena voluntate aſſentiantur; & in hoc caſu non eſt eximendus ab obligatione compenſationis, ob injuriam plene voluntarii ab eo violati. Si autem fuerit homo nullam valens puellæ ſubjectionem incutere; neque alicujus mali metum injicere, cum preces hujuſmodi in nullo minuant voluntarium, videtur reſpondendum ſicut in primo caſu; in hypotheſi quod crimen reveletur &c. Hinc inferas, quod ſi defloratio, cui puella plena voluntate conſenſum præſtitit, ob ſui occultationem nulli damnum afferat, nil reſtituendum ſit. Quod autem dictum eſt de puella, reſpective applicanda ſunt honeſtæ viduæ.

* Qui virginem ſponte conſentientem, & abſque ulla vi, fraude, dolo, importunitate precum, & promiſſione matrimonii vitiarit, non ſolum tenetur damnum reſarcire, ſi ideo potentes majorem poſtea dotem conferre debeant filiæ, ut ſecundum ſuam conditionem nubat, ut aſſerit Auctor *num. præced.*, verum etiam adſtringitur ad aliquam ſatisfactionem honorariam erga eoſdem parentes, per ſigna doloris, ſubmiſſionis, petitionem veniæ &c. ſi crimen reſciant, ut ſentiunt Doctores plures, & præſertim S. Antoninus 2. *part. tit.* 15. *cap.* 6, ubi hæc habet:

bet : *In foro conſcientiæ , ſi deflorat eam voluntariam , non tenetur ei . Patri autem tenetur , quia injuriatus eſt . Unde ei in aliquo ſatisfaciat , vel ſaltem eum placet .* Et ratio evidens eſt ; quippe violavit jus cuſtodiæ , quo potiuntur circa illam parentes ; parentes enim jus habent cuſtodiendi , & tuendi integritatem corporis ſuæ virginis. Inſuper dedecus & infamiam familiæ intulit.

Si autem virgo deflorata conceperit, tenetur ipſa prolem alere a partu uſque ad annum tertium completum. Ab anno vero tertio , & deinceps ipſe corruptor , donec proles ſibi valeat providere ; imo ab ipſo partu , ſi nequeat mater ; vel ipſe ad id præſtandum obligationem contraxerit ; & viciſſim ſi poſt triennium Pater impotens ſit ad nutriendam prolem , tenebitur , quoad poſſit , mater . Si vero hoſpitali expoſita fuerit proles , tenentur parentes , ſi ſatis habeant facultatum , hoſpitale reſarcire , eique impenſas ſolvere , cum hoſpitale erectus ſit dumtaxat & inſtitutus ad pauperes gratis alendos , non pro aliis , niſi ſuo ſumptu , juxta communiorem ſententiam . Videatur Auctor ſupra *tract. 6. de 4. Decalog. præcep. cap. 1. §. 2. n. 9. & 10.*

Quid, de eo , qui geſtibus ſuis obſcurat famam puellæ , ut damnum ſarciat?

II. Si quis erga virginem , aut viduam honeſtam tales geſtus coram aliis faceret , ipſa renuente & reprobante , ut exinde ſuſpicio oriretur de aliquo crimine patrato , vel patrando , & hinc , propter obſcuratam illius famam , damnum eidem , vel ſuis oriretur ; teneretur hic geſticulator impudicus hæc damna reparare , quippe qui cauſa realis eorumdem . Secus , ſi fœmina illa correſponderet , & in præfatos geſtus conſpiraret ; quia ipſi nil eſſet compenſandum , bene vero illis , qui curam illius gerunt , ut ſupra dictum eſt.

Quid, ſi puella non ſit virgo?

III. Cum virgo deflorata in foro externo ſemper præſumatur ſeducta , & quod fuerit virgo , niſi contrarium probetur ; ſi tamen in rei veritate aut virgo non fuiſſet , aut non ſeducta , teneretur ipſa , etiam ad petitionem ſui adverſarii , veritatem fateri , eumdemque redintegrare pro expenſis factis in litis proſecutione , & pro mulcta a judice impoſita ; eo quia interveniret error facti , & falſa eſſent motiva , ſuper quibus fundabatur ſententia Judicis.

Quid, quando deflorator eſt impotens ad dotandum , & alioquin valde diſpar?

IV. Quando deflorator eſt impotens ad dotandam defloratam inductam , & ipſe eſt longe diſparis conditionis , dicit Lugo diſp. 12. ſect. 1. num. 18., quod non teneatur eam ducere in uxorem : putarem tamen cautius diſtinctione eſſe utendum : vel enim hic nobiliſſimus eſt adeo inops , ut ſit impotens ad dotandum , & eſt filius familias , a quo pendet familiæ nobiliſſimæ , quamvis inopis , ſucceſſio , quæ extingueretur quoad nobilitatem , contrahendo tale matrimonium ; & tunc puto , non recedendum ab opinione docti Cardinalis , cujus ratio eſt , quia non fieret æqualitas inter damnum , & reparationem , ſed hæc eſſet longe major ; præterquam quod ſequerentur innumerabilia inconvenientia diſſidiorum , inimicitiarum &c. Si autem ipſe eſſet ſolus , non habens aſcendentes viventes , neque collaterales ; nulli faceret injuriam contrahendo , ſed dumtaxat ſibi ſoli ; quod tamen prævidere debebat , ſibi probabiliter eventurum , utpote impotenti ad dotandum ; unde exceſſui redintegrationis ceſſiſſe videtur , hoc ipſo , quod voluit deflorationem perficere .

Quid de eo , qui deflorat ſub promiſſione matrimonii?

V. Deflorator , qui puellam virginem ſeduxit promittendo eidem matrimonium , ſive vera , ſive ficta promiſſione , per ſe loquendo , tenetur illam ducere ; quia ſi promiſſio fuerit vera , cum una pars conditionem impleverit maximi momenti , tenetur & altera promiſſum præſtare : ſi autem fuerit ficta promiſſio , cum ſit manifeſte injuſta , eo quod deceperit puellam , tenetur itidem & validam facere promiſſionem , & puellam ducere .

Quando excuſetur a matrimonio celebrando?

VI. Ab implenda hac conditione excuſatur homo primo , ſi puella ſe finxerit virginem , cum revera non eſſet ; in quo caſu non tenetur eam ducere , bene vero dotare juxta dicta num. 1. Secundo , ſi antequam matrimonium celebretur , ipſa fornicetur cum alio , inferens ſponſo gravem injuriam , unde juſte recedere queat a matrimonio , non tamen ab illa dotanda ; quia cum illam poſuerit in via meretricandi , tenetur hoc impedire , compenſando pro rata injuriæ irrogatæ ; quæ abſolvendo illum a nuptiis , non abſolvit a dote . Tertio , ſi aut puella nolit defloratori nubere , aut ejus curam gerentes nolint eam illi tradere ; cum dumtaxat ſpoponderit matrimonium , ad nil ultra tenetur : Excipe caſum , in quo illam deceperit , fingendo ſe gradu ſuperiorem , divitem &c. quia ſi tunc nec puella , nec curam gerentes , cognita veritate , nollent nuptias ; tenetur adhuc illam dotare

Digitized by Google

tare ad compenſandam injuſtam deceptionem. Addendum putarem, quod ſi, ipſa nolente, curam gerentes vellent matrimonium; cum deflorator etiam ipſis injuriam intulerit cum gravamine dotis augendæ, videtur, quod quamvis non teneatur ad matrimonium, quod cum nolente celebrari non poteſt, teneretur ad illud dotis augmentum, cui ſubjiciuntur parentes ob paſſam deflorationem, & publicatam. Quarto, ſi ex matrimonio gravia ſcandala prævideantur profectura. Quinto, ſi aliquod impedimentum dirimens deflorator interjeciſſet, quod ſit indiſpenſabile: nam ſi eſſet diſpenſabile, & puella inſiſteret, teneretur deflorator diſpenſationem procurare; cum fraus nemini ſuffragari debeat: ſi autem ſit indiſpenſabile, puta contrahendo matrimonium cum alia; tunc ſufficit, ſi ei de nuptiis providerit, ait Sanctus Doctor in 4. diſtinct. 28. queſt. 1. articul. 2. ad 4.

Quando puella potuit facile fictionem cognoſcere. VII. Si deflorator ficte promiſit matrimonium, & fictio potuit a puella facile cognoſci, quia ſciebat adoleſcentem illum eſſe nobiliſſimæ ſtirpis, & ſe eſſe vilis, & plebeiæ originis, tunc non tenetur vir ad matrimonium, ut ait S. Doctor ibidem: *non tenetur, ut quidam dicunt, ſi ſponſus ſit multo melioris conditionis, aut aliquod evidens ſignum fraudis fuerit, quia præſumi probabiliter poteſt, quod ſponſa non fuerit decepta, ſed decipi ſe finxerit;* ſed debet illam dotare, aut congruum matrimonium eidem procurare. Quod ſi deflorator ita ſuam conditionem occultaverit, ut reapſe a puella grandis diſparitas animadverti non potuerit; neque in tali caſu tenetur eamdem ducere, ſed potiori jure illam dotare, eidemque providere: cum enim puella tantam diſparitatem ignoraverit, per conſequens tale matrimonium non quæſivit, ſed longe inferius, & quale ſibi convenire poſſe judicabat; & cum deflorator non poſſit illam ducere, niſi det matrimonium, quod longe majus eſt damno a puella paſſo, idcirco ut fiat æqualitas, ſufficiet, ut illam dotet: ſupplendo omnia illa damna, quæ ob deflorationem, & fictam promiſſionem incurrit. Si autem vere promiſerit, quantumvis diſparitatis intercedat, ſi nulla timeantur ſcandala, procul dubio tenetur illam ducere, juxta ſuperius dicta n. 4. & 5. quia ſi ſponſalia ſimplicia obligant, quamtumvis inæqualia, multo magis, quando intervenit jactura virginitatis.

VIII. Si vir, qui exiſtimans puellam, quam vult carnaliter cognoſcere, eſſe virginem, ſicut communiter habetur, ut eam facilius inducat, promittit ſerio matrimonium, ipſa omnino ignorante illius falſam opinionem de ſua virginitate, quam revera amiſit, & habens copulam, invenit illam non eſſe virginem, ſicut putavit, non tenetur in foro conſcientiæ ſtare promiſſioni de matrimonio; quia cum hoc promiſſum fuerit, ut compenſaretur amiſſio virginitatis, hac non amiſſa per eam copulam, non tenetur ad compenſationem adeo excedentem: tenebitur tamen ad eam compenſationem, quæ debetur uſui corporis non virginalis: Cum tamen communiter haberetur virgo, ſi copula nunc habita publicetur vel ex prægnatione, vel ex alio motivo, tenebitur infamiam puellæ, quam prævidere poterat eventuram, reparare; non quidem revelando ſe inveniſſe illam non virginem, quod apud omnes erat occultum, ex quo illa magis infamaretur; ſed vel illam ſufficienter dotando, vel ineundo matrimonium: nam ſupponimus ipſam ſe ſimulaſſe virginem. Caſus primus eveniens.

IX. Seductor, quia a virgine vere tali ſub promiſſione matrimonii extorquet, excepta copula, alios actus impudicos; ſi ſit æqualis circiter conditionis cum illa, & nullum prævideatur grave inconveniens ſecuturum, tenetur ſtare promiſſioni; quia non ſubeſt rationabile motivum eximendi illum. Si autem ſit conditionis notabiliter excedentis, non videtur obligandus, quia compenſatio excederet actiones a puella præſtitas. Sufficiet igitur, ſi illam congrue compenſet. Addo, quod hujuſmodi matrimonia longe diſparia, quia contra voluntatem conſanguineorum celebrata, ſunt gravium inconvenientium fœcunda. Si demum certo nullum inconveniens timeretur, & ipſe eſſet ſolus, tunc videretur ad matrimonium obligandus, & ſibi imputare deberet exceſſum promiſſionis factæ. Caſus alter.

X. Sollicitans viduam honeſtam ad copulam, ſub promiſſione matrimonii, ſi vere promittit, & nullum timeatur notabile inconveniens oriturum, tenetur illam ducere, quia pactum eſt implendum, quando licite impleri poteſt poſt commiſſum crimen; nec extat motivum rationabile illum deobligandi. Si ficte promiſit: diſtinguendum eſt; ſi enim periclitatura ſit fama illius mulieris, quia vel gravida, vel alio capite; tunc tenetur nihilominus ducere Caſus alter.

cere

cere illam, ut famam illius ſervet: ſi autem nullum ſit periculum famæ, peccavit decipiendo, & ſimiliter ſi ſint æqualis circiter conditionis, tenetur tollere deceptionem, eamdemque ducere: ſi vero ſint valde diſparis conditionis, & exinde gravia diſſidia timeantur, ſufficiet, ut illam compenſationem det, quæ, perpenſis circumſtantiis perſonæ, & deceptionis, a prudente confeſſario judicabitur.

Caſus alter. XI. Si deflorator virginis ſub promiſſione matrimonii erat voto ſimplici caſtitatis obſtrictus, & hoc ab ipſa ignorabatur, atque illius fama ſit periclitatura, tenetur procul dubio, expoſito caſu Sacræ Congregationi, petere diſpenſationem a voto, cujus obſervatio eſſet graviter injurioſa proximo, ut patet. Idemque plures affirmant etiamſi illius fama nullum ſit periculum ſubitura, ob eamdem rationem, quod tunc obſervatio voti eſſet graviter injurioſa proximo. Conſulto dixi, ſi ab ipſa votum defloratoris ignorabatur: quia ſi illud noverat, ille non tenetur eamdem ducere, excepto famæ periculo, ſed teneretur alio modo compenſare. Quod ſi ipſa votum petenti copulam objeciſſet, & ille ſpopondiſſet, ſe licentiam obtenturum, tunc affirmant multi, quod petere teneretur, ſincere expoſito caſu. Si autem S. Sedes diſpenſationem negaret, dum non extat infamiæ periculum, teneretur aliam facere compenſationem judicio Confeſſarii. Si demum votum emiſiſſet poſt deflorationem, teneretur nihilominus defloratam ducere, & abſtinere a debito petendo, nec non a cunctis aliis conjugalibus libertatibus activis, ſed licite poſſet dumtaxat reddere debitum petenti; quia teneretur votum ſervare in his, quæ poſſet ſine alterius injuria. Bene autem ageret, ut ſe eximeret a continuo periculo violandi votum, ſi expoſito caſu, diſpenſationem peteret, obſervandum deinde cum illis limitationibus; quas Sacra Congregatio addere conſuevit.

Caſus alter. XII. Si ſub matrimonii promiſſione quis defloraſſet, vel copulam extorſiſſet a conſanguinea, reſpondendum eſt, ſicut diximus de voto antecedente copulam; poſito quod impedimentum ſit ex diſpenſabilibus; & hoc eſt verum, etiamſi ficte promiſiſſet, & ipſa fictionem animadvertere non potuiſſet, ſicut animadvertere potuit, & debuit, ſi impedimentum eſſet in tali gradu, qui non niſi inter principes diſpenſari vix ſoleat.

§. II. *De Reſtitutione propter Adulterium.*

Quid agendum Adulteris? I. QUando adulterium occultum manet, neque aliud damnum ſequitur, adulteri veniam a Deo petant, & orent pro innocente. Si autem publicetur, & dedecus creetur marito adulteræ, tenentur rei eumdem placare, petendo veniam per congruos mediatores; & tenetur adulter compenſare dedecus illatum, procurando, ut innocens maritus augeatur ſive in bonis, ſive in officiis, ſive in dignitatibus; quia alteri compenſationi non remanet aditus. Si autem proles ſpuria ex occulto adulterio oriatur, tenetur adulter ab anno tertio ætatis prolis, & deinceps, quouſque ſibi provideat, illam alere. Etenim a partu uſque ad triennium completum tenetur mater prolem alere, & in ejus defectu tenebitur adulter: ita jus Can. ex cap. 2. de converſ. infid. Item tenentur adulteri æqualiter compenſare omnia damna, quæ propter prolem ſpuriam eveniunt marito, & legitimis hæredibus in partitione hæreditatis, in legatis, & donationibus proli ſpuriæ factis a conſanguineis patris putativi. Porro, uterque adulter tenetur in ſolidum, in defectu alterius: quod ſi alteruter vim alteri intulit, aut metum reſpective gravem incuſſit, qui incuſſit tenetur ipſe primus ad omnia præfata damna, quia tunc ipſe ſolus eſt vera cauſa principalis illorum damnorum; neque alter teneretur, niſi in ejus defectu: quia & ipſe aſſentiendo evaſit cauſa realis damni, quamvis minus principalis, nec plene voluntaria.

Quid agendum in caſu dubio? II. Quando extat dubium prudens, an proles ſit ſpuria, probabilius eſt, teneri adulteros modo dudum explicato pro rata dubii ad præfata damna; quia non eſt rationabile, quod qui eſt certus de actione damnum de ſe afferente a ſe poſita, & dumtaxat dubitat de effectu, debeat, qui eſt certo reus cauſæ injuſtæ poſitæ eximi ab omni onere; quia totum onus rueret ſuper innocentem, caſu quo damnum reapſe fuiſſet illatum. Nam ad hunc reum ſpectat probare, quod damnum non fuerit illatum, ut a reſtitutione abſolvatur: & propterea illa regula juris, quod in materia juſtitiæ melior ſit conditio poſſidentis, intelligitur ſi cætera ſint paria, & non adſit certitudo de actione injuſta poſita;

Digitized by Google

ſita; quia quando hæc extat, regula illa favet potius marito innocenti, & hæredibus, quorum in dubio melior debet eſſe conditio poſſidendi res ſuas, & ne eiſdem expolientur, ut ſecurus remaneat certo reus actionis injuſtæ poſitæ. Neque opponas; quod ſicut puer non debet ſe tenere ſpurium, niſi probetur; ita neque adulter debeat ſe putare ejus patrem, niſi probetur. Nam pro puero ſtant leges ita decernentes, ad tuendam innocentiam pueri: at e contra crimen ab adultero patratum poſtulat, ut ſe debitorem credat, niſi probet ſe damnum non intuliſſe. Idem, proportione ſervata, reſolvas, ſi mulier cognita fuerit a pluribus: nam ſi certum eſt, prolem eſſe ſpuriam, omnes qui rem habuerunt tenentur una cum adultera, ut dictum eſt: ſi vero dubitetur, cujus illorum ſit, tenentur omnes pro rata dubii ad totum damnum. Si demum dubitetur, an ſit eorum, vel mariti; ſimiliter tenentur pro rata dubii; & in defectum aliorum, ſinguli in ſolidum, vel pro toto, vel pro rata reſpective.

Quomodo reſtituendum ſit ab adultera? III. Adultera, ut reſtituat quando tenetur, ex communi, debet in primis, ſi habeat bona propria, illa relinquere, & diſtribuere filiis legitimis, non ſpurio. Si autem aut bona non habeat, aut non ſufficientia pro rata obligationis ſuæ, aut in ſolidum, deficiente adultero; tunc caute ſtudere debebit, ut afficiat maritum erga legitimos, inſinuando, ut eiſdem potius ſua bona relinquat; magna tamen cautela ſibi agendum erit, ne ſe prodat. Debebit item ſpurio ſuadere ſtatum religioſum, ſi ipſe ad illum aptus & idoneus videatur, ut proinde bona temporalia ad illos perveniant, quibus debentur. Tenetur item ſibi ſubtrahere de cultu in veſtibus, ornamentis &c. quantum poterit, ut pro legitimis bona reſerventur: quia his modis agendo, facit quantum moraliter poteſt.

An in aliquo caſu teneatur prodere ſuum delictum? IV. Si adulteræ, habitæ ut honeſtæ, deſit omnino modus redintegrandi damna judicata, non tenetur, abſolute loquendo, manifeſtare crimen ſuum, ut docet communis. Tum quia id redundaret in magnam ſuam infamiam, cui ſuſtinendæ impar plerumque cenſetur humana imbecillitas. Tum etiam quia hujuſmodi manifeſtatio plerumque germinat graviſſima inconvenientia. Vel enim revelat filio, vel marito: ſi filio, tenetur ne iſte credere? & de hoc ſtatim dicemus: & dato quod credat, cederet ne ipſe tot commodis, & bono nomini? Si marito? heu quot periculis ſe exponeret miſella, quot malis! Idcirco Innoc. III. in cap. 9. de Pœnitentia reſpondit, mulierem non eſſe ad hoc adigendam, & *quod non debeat illi pœnitentia denegari, ſi timeat id viro ſuo confiteri.* Conſulto dixi, ſi mulier habeatur ut honeſta; ſi enim jacturam ſuæ famæ jam feciſſet, & non haberet unde reſtitueret, ex hoc capite teneretur manifeſtare marito proles ſpurias: dico ex hoc capite; quia ſi prudenter timeret alia gravia mala inde exoritura, prætermittenda eſſet manifeſtatio tanquam pernicioſa proximis, & fœcunda pejorum damnorum illis, quibus ſatisfacere nequiret.

Aliquando tenetur. V. Conſulto etiam dixi, abſolute loquendo, quia poteſt evenire caſus, tametſi rariſſimus, in quo teneatur adultera etiam cum famæ, & vitæ diſcrimine crimen ſuum manifeſtare. Hic caſus eſt, ſi filius ſpurius eſſet morum corruptiſſimorum, ita ut etiam Catholicæ fidei abrenunciaſſet, & alioquin ſuccedere deberet genitori putativo in Principatu; ex cujus ſucceſſione jam proxima, nemo non videt, quot & quanta mala reſultarent bono communi fidei, divino cultui, morum honeſtati &c. In hoc caſu, ad impedienda efficaciter mala imminentia adeo gravia, & anteferenda vitæ, & famæ cujuſcumque particularis perſonæ, quia communia Religionis, & populi; teneretur mater revelare marito crimen ſuum, procurans interea meliori modo quo poſſet, ſecuritatem ſuæ vitæ, ſi de eadem metueret. Similiter in caſu, quo ſpurius e contra eſſet indolis adeo mitis, & matri adeo bene affectus, morumque adeo ſtabiliter piorum, ut prudenter, & moraliter eſſet mater ſecura, quod ſi filio revelaret ſuum delictum ſub ſecreto perpetuo cuſtodiendum, acquieſceret, matri crederet, & ſe ſubtrahendo impediret tot mala, præcipue ubi ſunt fideicommiſſa magni momenti, & hæreditates amplæ; in hoc caſu teneretur mater pati apud ſolum illum filium hanc infamiam: quia non eſſet in dictis circumſtantiis malum anteferendum tot damnis plurium perſonarum. Quis ignorat, quemvis ad capiendum conſilium maximi momenti in re graviſſima ſibi neceſſarium, poſſe licite ſub ſecreto naturali revelare perſonam, ſi aliter fieri nequeat, ex qua revelatione indirecte infametur dumtaxat apud illum conſiliarium? ſi igitur id poteſt licite fieri a quovis, ne injuſte amittat ſummam pecu-

cuniæ valde notabilem, & ad hunc finem licite permittere per accidens infamiam tertii apud unum conſiliarium, cur non tenebitur id agere mater quoad ſemetipſam apud unum filium, nunquam revelaturum crimen maternum, ad impedienda tot innocentum damna?

VI. In hypotheſi itaque quod adultera filio ſpurio crimen revelaret, atque illud probaret certis argumentis; aut in articulo mortis conſtituta, & Sacramentis munita cum juramento affirmaret; teneretur ſub mortali filius eidem credere; & tunc teneretur conſcientiæ ſuæ providere, & ſe gerere, ſicut ſe gerit poſſeſſor bonæ fidei, ſtatim ac animadvertit ſe alienum habere. Nota, quod filio ſpurio nulla præſcriptio ſuffragari queat reſpectu bonorum etiam plurimis annis poſſeſſorum, illegitimum priuſquam ſe noſceret.

CAPUT VII.

DE RESTITUTIONE

PROPTER DAMNA CIVILIA FAMÆ ET HONORIS.

§. I. *De variis modis lędendi famam, & honorem, nonnullaque regulæ proponuntur.*

Quid fama? Quid honor? I. FAma eſt bona opinio, & æſtimatio de alicujus perſonæ excellentia, aut abſolute in omni genere, morali, litterario, civili; aut reſpective videlicet in aliquo ordine particulari, puta ſcientifico, oratorio &c. aut in aliqua particulari facultate, puta medicina, theologia &c. Honor eſt atteſtatio quædam excellentiæ alterius perſonæ, exteriori ſigno reverentiæ &c. manifeſtata. Hinc fama inſidet aliorum interiori judicio; honor autem in exteriori æſtimationis ſignificatione.

Varii modi lędendi famam. II. Et fama, & honor variis modis læduntur per actus tam interiores, quam exteriores; per exteriores, verbo, & facto: verbo, primum Detractione, quæ eſt alienæ famæ læſio injuſta, & occulta: *& hæc fit, quandoque directe, quandoque indirecte: directe quidem quadrupliciter: uno modo quando falſum imponit alteri: ſecundo, quando peccatum adauget ſuis verbis: tertio, quando occultum revelat: quarto, quando id, quod eſt bonum, dicit mala intentione factum: indirecte autem, vel negando bonum alterius, vel malitioſe reticendo, vel minuendo*, ait S. Thomas 2. 2. queſt. 72. art. 1. ad 3. qui ſeptem modi his exametris recenſentur. *Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens. Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remiſſe:* addito ſeptem aſſignatis a S. Doctore octavo *laudandi remiſſe*, quando juſtum eſſet, & debitum laudare impenſe. His octo modis læditur fama proximi; & jam de quatuor directis patet, nempe de imponente falſum; de augente quod eſt verum, de manifeſtante verum, ſed occultum; de interpretante mala intentione factum, aut dictum, quod bene interpretari deberet, & poſſet. Pariter de negante falſo, aliquem feciſſe quidpiam laude dignum, aut tales prærogativas habere; ita de eo, qui illas quidem concedit, ſed malitioſe diminuit, & extenuat, dum extenuandæ non ſunt: item de eo, qui reticet, tacendo in illis circumſtantiis, in quibus illius ſilentium aut vim confirmandi habet detractionem, aut pro vituperatione ſumitur, & quidem injuſta: Ita etiam de laudante remiſſe, ideſt frigide aliquem, dum meretur laudari plene. Omnes iſti modi detrahendi ſunt graves aut leves pro ratione materiæ.

III. Alii modi lædendi famam verbo, aut facto, ſunt primo, per Calumniam, quæ coincidit cum Imponente jam recenſito. Secundo per Irriſionem, qua verbis, vel factis proximus ludibrio habetur; & hac læditur tam fama, quam honor. Tertio; per Contumeliam, ſeu convitium, quod eſt injuſta inhonoratio perſonæ, lædens honorem ei debitum ſive verbis, ſive factis, & ſi fiat coram, & per verba, dicitur Improperium; ſi fiat factis, & geſtibus perſonam inhonorantibus, dicitur ſubſannatio: & plerumque hæc ſunt mortalia, niſi parvitas materiæ excuſet a tanto.

Actus interiores famam proximi lædentes. IV. Læditur item fama proximi actibus interioribus; male, & temere judicando de eodem. Ut autem id recte percipias, nota, plures eſſe gradus, quibus intus læditur proximi fama apud noſmetipſos. Primus eſt Dubitatio, quæ mentem noſtram ſuſpenſam tenet inter affirmationem, & negationem, puta de honeſtate alicujus mulieris. Secundus eſt Suſpicio, qua mens in alteram partem ſe inclinare ſentit, non tamen determinate aſſentitur, aut adhæret, ſed dumtaxat inclinationem experitur ad unum extremum, puta quod

illa

illa mulier ſit impudica. Tertius eſt Opinio, qua mens determinate aſſentitur tali extremo, nimirum mulierem eſſe impudicam, non tamen certo, ſed cum formidine, quod poſſit eſſe falſum. Quartus eſt Judicium, quo determinate, & ſine formidine certo arbitratur eſſe impudicam. Plurimi confundunt opinionem, cum ſuſpicione; cum, ut vides, ſint diſtinguendæ. Quilibet dictorum graduum evadit temerarius, & pravus, ſi careat eo fundamento, quod reſpective habere debet, ne ſit reprehenſibilis. Hinc vides, majus requiri fundamentum ad ſuſpicandum, quam ad dubitandum; majus ad opinandum, quam ad ſuſpicandum, majus ad judicandum, quam ad opinandum.

Tres regulæ præſcribuntur.

V. Circa hactenus dicta, prima regula ſit, quam tradit S. Auguſtinus lib. 2. de Serm. Domini in monte cap. 18. *Ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretentur.* Et S. Thomas 2. 2. quæſt. 60. art. 4. *Ubi non apparent manifeſta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium eſt.* Ex his altera ſit regula. Quando indicia, & motiva ſunt talia, ut a prudente, pio, & docto judicentur ſufficientia, aut ad excuſandum ab omni culpa, aut ſaltem a mortali, perpenſis præcipue circumſtantiis perſonarum, locorum, temporum, & actionum, quæ aut videntur, aut a fide dignis audiuntur; tunc actio dubitandi, ſuſpicandi, opinandi, & judicandi erit, aut non erit peccatum leve, aut grave. Tertia regula ſit, quod quando agitur, aut de aliquo damno vitando, aut remedio adhibendo, aut præcautione obſervanda; quoties clare non conſtat de probitate proximi, poſſumus cum eodem ea cautione agere, ac ſi eſſet ſuſpectæ fidelitatis, abſque eo quod ipſum aut judicemus, aut ſuſpicemur talem: quia ſicuti prudentia dictat, neminem judicandum eſſe malum, niſi talis probetur; ita etiam dictat, quod quoties agitur de ſecuritate noſtra, rerumque noſtrarum, nec non de præcavendis periculis, & probitas proximi clare, & certo non innoteſcat; judicando ſincere illum judicio, ut ita dicam, ſpeculativo probum; tali cautione in praxi ſecum agere liceat, ac ſi ſuſpectus haberetur. Ab hoc enim ſtatutæ ſunt leges, & conſuetudines chyrographorum, inſtrumentorum, juramentorum &c., quia prudentia dictat pro praxi ita agendum eſſe. Immo quo periculoſior eſt res, & actio, eo major debet eſſe cautio in agendo, perpenſis circumſtantiis. Unde imprudenter ageret Pater ille, qui filiam juveni ſoli, quamvis piiſſimo, traderet longo itinere alio ducendam, ob grave periculum, cui & ductorem, & ductam exponeret alicujus incontinentiæ: & ſic de aliis.

§. II. *De qualitate peccati, temere Dubitandi, Suſpicandi, Opinandi, & Judicandi.*

Judicium temerarium in re gravi eſt lethale.

I. CErtum eſt ex Scripturis & Patribus, judicium temerarium deliberatum de proximo circa rem notabiliter malam, & famæ pernicioſam, eſſe peccatum mortale; quia graviter læſivum juris proximi, ut patet. Dixi graviter famæ pernicioſam; quia dantur quædam peccata etiam gravia, quæ reſpectu alicujus generis perſonarum non lædunt famam, de quibus immo illius generis perſonæ plerumque gloriari conſueverunt: puta militem in duello pugnaſſe &c.

Opinio temeraria quando mortalis?

II. Opinio temeraria, ideſt ſine ſufficienti fundamento, de proximo in re gravi, probabilius videtur eſſe lethalis: idque non obſcure ſignificat S. Doctor 2. 2. quæſt. 60. art. 3. ad 2. *Ex hoc ipſo quod aliquis malam opinionem habet de alio ſine cauſa ſufficienti, indebite contemnit ipſum, & ideo injuriatur ei.* Qui loquendi modus ſatis ſignificat gravem læſionem. Ratio eſt, quia etiam mala opinio temeraria de re gravi, & infamante perſonam eſt de ſe gravis injuria proximi, eo quod valde afflictivum ſit perſonæ honeſtæ, haberi apud alios in mala opinione infamante; ut quilibet experimento proprio id animadvertere poteſt. Quando igitur deficit notabiliter in fundamento, erit lethalis; & eo gravior evadit, quo dignior eſt perſona, de qua opinamur, & quo atrocius eſt crimen. Quando vero fundamentum deeſt in modico reſpective ad perſonam & crimen, erit dumtaxat venialis.

* Quando timorati, præſertim ſcrupuloſi, inquit Sylvius *in* 22. *quæſt.* 60. *art.* 3. *Q.* 1. *concl.* 4. ſiniſtras cogitationes de proximis patiuntur, & dubitant, an lethaliter peccaverint interogandi ſunt, an ſi tunc advertiſſent illud eſſe judicium temerarium, & peccatum deliberate voluiſſent conſentire. Si enim negative reſpondeant, cenſendi ſunt non peccaſſe mortaliter, quia vel nullus ei fuit voluntarius conſenſus, vel non fuit plene deliberatus.

Quæ

Quæ regula tanto magis eſt obſervanda, quia etiam locum habet in timoratis, qui vel contra fidem, vel contra caſtitatem tentationes, & varias cogitationes patiuntur, quibus nullo modo conſentire vellent, ſi eas plene adverterent; ſed eis ſuggeruntur a Dœmone, qui ſic ad amaritudinem eos perducere & inquietare, devotionemque turbare conatur.

Suſpicio quando mortalis? III. Sola ſuſpicio, (quæ, ut dixi, non eſt opinio aſſentiens cum formidine oppoſiti, ſed propenſio quædam ad aſſentiendum) temeraria, & ſine ullo, aut ſolo levi fundamento de re gravi infamante, putarem quod ſit mortalis, quia etiam hæc valde ſolet affligere perſonam innocentem honeſtam. Quis enim homo multum non gravaretur, ſi ſciret ſuam innocentiam, & nihilominus ſe penes aliquem eſſe ſuſpectum de fœdiſſimo ſcelere, aut quæ conjugata innocens, & pudica multum non affligeretur, ſi ſciret ſe haberi ſuſpectam de meretricio, & hoc ex levi dumtaxat fundamento; igitur etiam ſola ſuſpicio prorſus temeraria, & abſque ſufficienti fundamento, graviter lædit famam proximi: quando vero aliquod ſubeſt fundamentum, quamvis non plane ſufficiens ſuſpicandi, (quia quando eſt ſufficiens, nullum eſt peccatum in quolibet horum graduum) putarem non eſſe mortale; tum quia cum ſuſpicari non ſit affirmare neque formidoloſe, ſed dumtaxat inclinare ad affirmandum, & alioquin aliquod ſubeſt fundamentum, videtur non eſſe tanta læſio famæ, ex qua poſſit quis rationabiliter adeo gravari. Et in hoc ſenſu dixit S. Doctor, quodlib. 12. art. 34. *Suſpicio eſt quid imperfectum in genere judicii, & ideo eſt imperfectus motus; & ideo non eſt mortale ex genere; quamvis ſi fiat ex odio, erit aliquando mortale.* Quibus poſtremis verbis ſignificat, quomodo mala animi affectio inducat de facili ad ſuſpicandum mortaliter, nempe dum nullum omnino eſt fundamentum; ſicuti e contra nemo, qui ſit ab odio immunis, ſuſpicari ſolet, niſi habito aliquo fundamento.

Dubium an mortale? IV. Tandem dubium de bonitate proximi ex levibus indiciis, docet S. Thomas eſſe veniale, his verbis 2. 2. quæſt. 60. art. 3. *Primus gradus eſt, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat, & hoc eſt veniale, & leve peccatum.* Niſi forte eſſet de perſona valde digna, aut de crimine valde turpi, aut reſpectu cujuſcumque, de crimine inuſitato, & valde extraordinario. Putarem tamen verba Angelici intelligenda eſſe de dubio negativo, ideſt ſuſpendente omnem actum, & retinendo habitualiter bonam opinionem de quocunque. Nam dubium poſitivum ſine ullo prorſus fundamento habere de proximo, in re gravi; nempe interius ſentiendo, quod revera dubia ſit perſonæ probitas, integritas, pudicitia &c., aut ex leviſſimis motivis, putarem, ob rationes datas, non vacare a mortali, ſi deliberato animo id fiat. Si autem occurrat, quod motiva ſint utrinque circiter æqualia; tunc cum revera ſit res dubia, juxta regulam juris, in meliorem partem interpretanda eſt, ita ut in hoc dubio illicitum ſit judicare, opinari, vel ſuſpicari proximum eſſe improbum, vel peccaſſe graviter, quia quiſque jus ſtrictum habet, ne gravetur plus quam poſtulent motiva perpenſa.

* Quamvis ubi non agitur de præcavendo noſtri, eorumve qui ad nos pertinent, damno dubia de proximis meliorem ſint in partem interpretanda, ut optime aſſerit Auctor *num. præced.* attamen quoties de præcavendo noſtri, aliorumve damno agitur, licitum eſt, ut animadvertit Petrus Collet, *tom. 3. tract. de Decalog. cap. 8. art. 2. ſect. 2. regul.* 4., dubia pejorem in partem interpretari, non judicando quidem, aut ſuſpicando poſitive, ſed *per quamdam ſuppoſitionem*, ideſt exterius ita nos gerendo, quaſi is quicum agimus, reipſa improbus eſſet, tametſi non credatur talis. Ratio eſt, quia talis eſt hæc agendi ratio, ut nec de ea conqueri poſſit proximus, qui nos in pari caſu pari menſura metiretur; nec nobis ullam perniciem inferre poſſit; cum omnibus prudentiæ regulis congrua ſit. Et vero ſic nos *omnem* erga proximos *decet implere juſtitiam*, ut non deficiamus a caritate, quam nobis, noſtriſque debemus: ab ea autem deficeret, qui ignotæ, aut dubiæ fidei viro, ſe, ſua, ſuoſque ſine prævio examine committeret: unde tritum illud: Diffidentia mater eſt ſecuritatis.

Hinc ſi conjugatus videt juvenem, qui cum uxore, vel filia ſua ſermones miſcere quærit, haud equidem judicabit mores ejus eſſe corruptos; poterit tamen impedire colloquium. Hinc Patres, qui in filiis, Domini, qui in ſervis, Superiores, qui in inferioribus dubia nequitiæ ſigna detegunt, etſi intus nihil debeant ſuſpicari mali; cum iis tamen ex quadam

ſup-

ſuppoſitione mali agere poſſunt & debent, non puniendo quidem, ſed monendo, objiciendo veriſimilitudinem mali, quædam etiam interdicendo. Hinc qui ſuffragii jus habent, & de Novitii idoneitate dubitant, eumdem a nondum finito novitiatu poſſunt & debent excludere. Neque ſic eum judicabunt incapacem, ſed judicabunt tantum ſe non inveniſſe in eo ſufficientia idoneitatis argumenta, ut ipſum poſitive judicent capacem. Vide §. *præced. n. 5.*

Quænam ſint levia motiva?

V. Interrogabis quænam cenſenda ſint levia motiva? Reſpondeo levia motiva illa eſſe dicenda, quæ reſpective ad actum, qui eſt eliciendus, aut ſuſpicionis, aut opinionis, &c., non ſufficiunt ad reddendum ſaltem probabilem, & prudentem actum. Cave tamen, ne ex motivo dumtaxat probabili erumpas in judicium firmum; quia ad hoc non ſufficit probabilitas fundamenti, ſed requiritur certitudo; aliter aſſenſus excederet fundamenta. Proinde magna prudentia, magnaque animi indifferentia eſt neceſſaria ad rite dubitandum, ſuſpicandum, opinandum, & judicandum; quia quo major eſt præoccupatio animi contra proximum, eo facilior eſt deordinatio in dictis actibus.

Aſſertio unius de viſu an ſufficiat ad judicandum?

VI. Neque ad judicandum ſufficit aſſertio cujuslibet teſtis, ſed teſtificationis auctoritas pendet ex circumſtantiis perſonæ teſtificantis, & perſonæ de qua profertur teſtimonium: item loci, temporis, & aliorum, quæ conſideratione digna ſunt. Præterea perpendendum, an referens ſit perſona pia, prudens, nulla paſſione commota; & ſi his omnibus extantibus, aſſerat ſe oculis vidiſſe, videtur non eſſe judicium, ſaltem graviter malum, ſine formidine credere, & judicare ex hoc capite; nam poteſt eſſe tale, cooperando injuſtæ manifeſtationi criminis occulti; (de qua paulo inferius) quia aſſertio talis extra judicium legale, affert certitudinem moralem.

Quid agendum illi qui actibus interioribus prædictis proximum apud ſe infamavit?

VII. Qui igitur aliquo ex prædictis actibus interioribus proximum apud temetipſum infamavit, tenetur, ſtatim ac id animadvertit, deponere dubitationem, ſuſpicionem, opinionem, judicium, eliciendo actum contrarium, ſi actus revera fuerit temerarius, & afferens infamiam.

Ut magis magiſque perſpicua reddatur doctrina, quam tradit Auctor *numeris præcedentibus* hæc adjicere præſtat. Suſpicio temeraria, ideſt probabilibus conjecturis & indiciis deſtituta, quæ ex nulla paſſione odii, invidiæ, alteriuſve pravæ affectionis proficiſcitur, ſed ortum ducit ſolummodo ex errore intellectus putantis indicia eſſe ſufficientia ad ſuſpicandum, non eſt ex genere ſuo peccatum mortale, ſed veniale dumtaxat, etiam in materia gravi, ſaltem ſi non verſetur circa ſcelera graviſſima, quæ infamiam maximam ingerant. Sententiam hanc eo libentius amplectimur, quo evidentius nobis apparet eam eſſe omnino conſentaneam menti S. S. Eccleſiæ Doctorum Auguſtini & Thomæ. Auguſtinus ſic mentem ſuam aperit *Tract.* 90. *in Joannem*. *Ignoſcatur*, inquit, *nobis, quod de occultis hominum aliquando, immo aſſidue non vera ſentiamus; hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror, ſine qua duci iſta non poteſt vita*. Et poſt pauca ſubdit. *Quanquam & in his rerum tenebris humanarum, hoc eſt cogitationum alienarum, etſi ſuſpiciones vitare non poſſumus, quia homines ſumus, judicia tamen ideſt definitas ſententias, continere debemus*. Item *ſuper cap.* 4. 1. *ad Cor. ait*: *In ſuſpiciones, ſicut & in alias tentationes, quæ oriuntur ex humana fragilitate, frequenter incidunt homines etiam juſti & timorati*. Porro peccata, ſine quibus vita iſta duci nequit, quæ vitare non poſſumus, & in quæ etiam homines juſti non raro labuntur, haud dubie genere ſuo mortalia non ſunt, ſed ſolum venialia.

Non minus clare loquitur D. Thomas 2. 2. *q.* 60. *art.* 8. in c. Ibi enim tres conſtituit gradus ſuſpicionis, & ait: *Primus gradus eſt, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat, & hoc eſt veniale & leve peccatum . . . Secundus gradus eſt cum aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex levibus indiciis. Et hoc ſi ſit de aliquo gravi eſt peccatum mortale, inquantum non eſt ſine contemptu proximi . . . Tertius gradus eſt cum aliquis Judex ex ſuſpicione procedit ad aliquem condemnandum, & hoc directe ad injuſtitiam pertinet: unde eſt peccatum mortale*. Hæc S. D. Liquido autem conſtat, ipſum ſub primo gradu præter dubitationem comprehendere ſuſpicionem proprie dictam, cum ibi expreſſe agat de ſuſpicione, cujus aſſerit triplicem eſſe gradum; atque adeo ambigendum non eſt, quin ſuſpicionem proprie dictam ſub aliquo horum graduum comprehendat. Porro certum eſt eam non comprehendere ſub ſecundo, & tertio, quia in illis ſermo eſt de judicio, ut legenti patet: igitur eam comprehendit ſub primo. Cum vero de primo gradu diſſerens, ſtatuat eſſe veniale, & leve peccatum, recte in-

ſertur

Digitized by Google

fertur juxta ipſius mentem, ſuſpicionem genere ſuo non eſſe lethale peccatum, ſed veniale dumtaxat.

Nitidius adhuc judicium ſuum prodit *Quodlib.* 12. *ar.* 34. ubi ex inſtituto rem examini ſubiicit: *Suſpicio autem*, ait, *eſt quid imperfectum in genere judicii, & ideo eſt imperfectus motus: & ideo non eſt mortale ex genere, quamvis ſi fiat ex odio, erit aliquando mortale*. Quid luculentius? Suſpicionem collocat S. D. in genere judicii, cum includat mentis aſſenſum. At quia imperfectus eſt in genere judicii aſſenſus ille; cum ſit conjunctus cum notabili formidine de oppoſito, idcirco ex genere ſuo peccatum mortiferum non eſt, præciſis circumſtantiis odii, invidiæ, alteriuſve pravæ affectionis, de quibus infra.

Nec quidquam roboris habet reſponſio, quam ad infringendam illarum auctoritatum vim in medium adferunt nonnulli, præſertim Henricus a S. Ignatio, & Natalis ab Alexandro qui contrariam opinionem propugnant, nempe S. S. Auguſtinum, & Thomam loqui de ſuſpicionibus ſubreptitiis, & indeliberatis, quæ nobis non opinantibus irrepunt, mentemque noſtram præoccupant, non vero loqui de plene deliberatis & voluntariis. Non, inquam, quidquam roboris habet hæc reſponſio, ſed vana prorſus eſt, atque futilis, ac ab illorum mente penitus aliena. Quippe Auguſtinus loquitur de ſuſpicione prout diſtinguitur contra definitivas, firmaſque ſententias: ſuſpicio autem quantumvis deliberata non eſt firma, & certa ſententia. S. Thomas autem conceptis verbis declarat ſuſpicionem non eſſe genere ſuo peccatum lethale, eo quod ſit quid imperfectum in genere *judicii*, non quia ſit quid imperfectum in genere deliberationis. Inſuper ſi S. D. loqueretur de ſuſpicione indeliberata, eam non ſecerneret a judicio temerario, quia etiam hoc eſt ſolum veniale, ſi ſit indeliberatum, ſicuti veniales ſunt & aliæ actiones genere ſuo exitioſæ, & ſceleſtæ, ſi ſint indeliberatæ; imo inepte omnino affirmaret ſuſpicionem genere ſuo non eſſe peccatum mortale, quia id quod propter imperfectionem, & indeliberationem actus eſt veniale, bene poteſt eſſe mortale genere ſuo, ut compertum eſt in motibus indeliberatis luxuriæ. Alias eorumdem Auctorum reſponſiones, ut leviores prætermittimus.

Ratio etiam eaque validiſſima eidem ſententiæ ſuffragatur. Siquidem per ſuſpicionem non irrogatur gravis injuria bonæ exiſtimationi proximi, cum non deturbetur totaliter a poſſeſſione illius; etenim ſuſpicio eſt aſſenſus valde debilis, imperfectus, formidinem oppoſitæ ſententiæ comitem habens, &c. adeoque fama per eum ſolum leviter læditur, nec proximus, ſaltem ſi ſuſpicionis indolem recte percipiat, ob eam graviter invitus rationabiliter dici poteſt.

Hiſce tum ab auctoritate, tum a ratione depromptis argumentis permoti graves Auctores ſententiam hanc amplexati ſunt, præcipue Franciſcus Genettus *Tract.* 9. *in* 8. *Decal. Præcep. cap.* 5. *q.* 4., Martinus VVigandt *Tract.* 8. *Exam.* 1. *q.* 11. aliique non pauci, quos refert, quibuſque ſeſe adjunxit P. Daniel Concina *Theol. Chriſt. To.* 3. *Lib.* 10. *in Decal. Diſſert.* 2. *cap.* 9.

Diximus autem 1. ſuſpicionem temerariam non eſſe genere ſuo peccatum mortale, ſed veniale dumtaxat, ſi ortum ducat ex errore intellectus putantis indicia eſſe ſufficientia ad ſuſpicandum. Nam quæ ex pravis animi affectionibus provenit, puta ex odio, invidia, aliave paſſione, dubio procul malitiam mortalem induit, & mortalis evadit ab extrinſeco, ut & perſpicue docet D. Thomas in verbis paulo ante relatis.

Diximus 2. etiam in materia gravi, ſaltem ſi non verſetur circa ſcelera graviſſima, quæ infamiam maximam ingerant. Quippe ſi ſuſpicio non habeat pro objecto conſueta, & communia crimina, ſed reſpiciat ſcelera graviſſima plurimum infamantia, ſeu crimina adeo enormia, ut juxta vulgarem ſenſum illud vel ſuſpicari nefas ſit, non erit lethalis noxæ expers; ut cenſent plures, præcipue Dominicus Soto *Lib.* 3. *de Juſt. q.* 4. *art.* 3.

Quod autem aſſeruimus de ſuſpicione, multo magis aſſerendum eſt de dubitatione temeraria, quia hæc nullum aſſenſum dicit; atque adeo minor ratio culpæ in ea reperitur.

§. III. *De detractatione famæ proximi facta per verba.*

I. DEtractionem ex genere ſuo eſſe peccatum mortale, patet, quia graviter lædit charitatem, & juſtitiam; niſi forte parvitas materiæ excuſet a tanto. Et ideo S. Thomas 2. 2. quæſt. 73. art. 2. dicit: *Si quis proferat ex animi levitate, aut propter cauſam aliquam non neceſſa-* Quale peccatum Detractio?

riam, non eſt peccatum mortale, niſi forte (nota bene) *verbum, quod dicitur, ſit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus lædat, & præcipue in his, quæ pertinent ad honeſtatem vitæ; quia hoc ex ipſo genere verborum habet rationem peccati mortalis.*

Gravitas Detractionis a quo deſumenda?

II. Gravis autem, vel levis famæ læſio ex gravitate materiæ deſumenda eſt, Gravitas materiæ quandoque eſt abſoluta, quandoque reſpectiva: abſoluta eſt, quæ reputatur gravis reſpectu cujuſcunque, dicendo e.g. aliquem eſſe furem: reſpectiva gravitas eſſe illa, quæ deſumitur ex circumſtantiis perſonarum, vel actionum: proinde detractio, quæ eſt gravis de Epiſcopo, non erit talis reſpectu perſonæ laicæ: actio, quæ infamat nobilem, non infamabit vilem plebejum; quæ infamat virum ætate provectum, & pium, non infamat adoleſcentem voluptuoſæ vitæ profeſſorem. Semper eſt gravis, quando fit animo lædendi notabiliter famam proximi, quamvis quod dicitur non ſit notabile; & etiam quando id, quod dicitur, quamvis non notabile, prævidetur tamen ab audientibus accipiendum ut grave, & famam proximi graviter læſam iri.

An revelare culpam venialem poſſit eſſe lethale?

III. Manifeſtare peccatum veniale proximi, per ſe loquendo, eſt culpa venialis: per accidens, ratione qualitatis perſonæ, & peccati, poteſt eſſe mortale: puta ſi de perſona in magna opinione ſanctitatis habita dicas, eam de induſtria mentitam fuiſſe, vel ſibi vanam æſtimationem procuraſſe: non autem ſi dixeris, ſine neceſſitate, modicum preces interrupiſſe, aut verbum otioſum protuliſſe; quia prima peccata multum minuunt æſtimationem talis perſonæ, ſecus vero ſecunda.

Alii modi graviter detrahendi proximo.

IV. Similiter cenſendum, ſi de proximo proferantur verba ſignificare valentia rem gravem, aut levem, ſi prævideatur, aut prævideri debeat, quod ab auditoribus accipientur in ſenſu deteriori; & perſona, de qua proferuntur, ſit valde bonæ famæ; puta ſi dicas eſſe invidam, avaram, ſuperbam, & quid ſimile; quia etiam his vocibus graviter læditur talis perſonæ bona fama. Uti autem reticentiis quibuſdam, puta dicendo, ſe ſcire de tali perſona id, quod a nemine crederetur, de quo nemo ſuſpicaretur; quod non revelaret pro quacunque re; quod poſſet de illa dicere id, quod illam valde humiliaret, & ſimilia; juxta communem, eſt lethale; quia datur aditus concipiendi mala gravia, & forte graviora his, quæ ſilentio indicantur, cum magno proximi in fama detrimento.

Revelare defectus naturales, quando lethale?

V. Revelare defectus naturales perſonæ honeſtæ communiter ignoratos, quorum revelatio gignere ſolet non modicum dedecus, & magnam afflictionem, ſi ſciret fuiſſe publicatos, eſt lethale: puta dicendo de perſona conditionis honeſtæ, quod ſit ſpuria, illegitima, deſcendens ex ſtirpe infami, aut peſſimi nominis; quia hujuſmodi notitiæ perſonam contemptibilem reddunt, valde minuunt illius æſtimationem, & gravem afflictionem eidem afferunt, ut quiſque ex ſemetipſo, ſi ei accideret, colligere poteſt. Multo magis revelare de Concionatore, quod profert ſibi data ab aliis, de viro Eccleſiaſtico communiter habito ſaltem ut ſufficienter docto, revelare eſſe ignorantem, niſi id revelaretur alicui privato ob bonum finem, puta ne committat animam ſuam illius directioni &c., & ſimilia proferre de aliis perſonis reſpective, non vacat a mortali, ob datam rationem.

Revelare crimen membri alicujus Collegii &c.

VI. Revelare crimen occultum perſonæ, quæ ſit membrum alicujus Conventus, Collegii &c., etiam non nominatæ perſona (quamvis aliis innocentibus nullum detrimentum apud prudentes redundare deberet, cum neque apoſtaſia Angelorum malorum, neque lapſus Apoſtolorum aliis Angelis, cæteriſque Apoſtolis ullum damnum intulerit) plerumque a mortali non vacat; quia, præcipue apud ſæculares, fama illius communitatis, & æſtimatio non modice minuitur; idcirco, niſi reveletur perſonis certo moraliter nullam imminutionem famæ, & æſtimationis paſſuris erga communitatem illam, & inſuper tacito ſemper perſonæ nomine, erit mortale.

Detrahere de defunctis.

VII. Revelare occultum crimen perſonæ defunctæ eſt lethale, nam homines etiam poſt mortem famam ſuam poſſident, per quam vivunt in ſuperſtitum opinione & memoria: quod ut aſſequantur, dum vivunt, nulli ſollicitudini parcunt.

Revelare uni tantum ſine cauſa. Neque ad leva men.

VIII. Revelare occultum crimen etiam uni ſoli, ſub ſecreto, ſine juſta cauſa, juxta probabiliorem magiſque receptam eſt lethale. Id docere videtur S. Thomas 2. 2. quæſt. 73. art. 1. ad 2. *Si uni ſoli aliquis de abſente malum dicat, corrumpit famam ejus non in toto, ſed in parte*: Quæ corruptio profecto ſemper grave malum reputatur ab homine honeſto: & quo prudentior, & æſtimabilior eſt ille, cui reve-

velatur; eo gravior eſt læſio; cum hujuſmodi hominis opinio pluris fiat, quam viginti gregalium, plebejorum, vilium, & indoctorum. Neque excuſat hujuſmodi revelationem, ſolum motivum leniendæ afflictionis, ut mihi probabilius videtur; eo quod plurima adſint chriſtiana media ejuſdem levandæ, quin apud aliquem proximus infametur. Dixi ſolum motivum; ſi enim neceſſe eſſet conſilium petere, neque alius conſultor moraliter haberi poſſet, niſi cognoſcens perſonam illam, quæ neceſſario foret manifeſtanda; tunc infamia omnino per accidens, & præter intentionem eveniret, & quidem ex motivo neceſſario.

* Excuſatur utique a peccato qui, ut auxilium, ſeu conſilium capiat, illatæ injuriæ reparationem conſequatur &c. occultam alterius nequitiam amico ſuo exponit. Imo id non pauci licitum eſſe credunt, ſi fiat ut quis atrocem injuriam paſſus, ſolatium recipiat: cum præſertim grave ſibi ex dolore nocumentum, puta mortem, veretur. Firmius tamen & ſanctius ſibi providebit, qui ad eum confugiet *qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*. Sic Petrus Collet *Inſtit. Theol. tom. 2. cap. 4. art. 3. ſect. 2.*

An liceat referre ab aliis audita vetum crimine occulto? IX. Probabilius eſt cum Soto, Navarro, Lugone, Sylvio, & aliis, peccare mortaliter illum, qui mere refert occultum crimen infamans ab aliis auditum, quamvis nihil omnino addat, immo etiamſi oſtendat ſe oppoſitum credere; quia procul dubio magis divulgat crimen occultum: tum etiam quia humana perverſitas, magis prona ad credendum male de proximo, quam bene, facilius inducit auditores ad partem deteriorem: Demum quia ille, de quo refertur crimen, in animo auditorum tranſit de ſtatu bonæ opinionis ad ſtatum opinionis ſaltem dubiæ in re graviter famam lædente.

Infamatus in uno genere an poſſit infamari in aliis generibus? X. Infamatus in aliquo determinato genere mali; abſque culpa lethali nequit infamari in aliis generibus; & aliquando neque in eodem genere: & aliquando neutrum eſt lethale. Exemplis probo, & declaro cum communi. Petrus eſt diffamatus in ſolo genere luxuriæ etiam deteſtabilioris: adhuc retinet jus ſuæ famæ in materia juſtitiæ; unde qui de furto illum infamaret, graviter peccaret, ut patet. Uxor Petri diffamata eſt ut adultera unius dumtaxat adulterii: graviter peccaret, qui illius novum adulterium occultum revelaret; quia relapſus in idem crimen infamans, relatus de perſona non aſſueta, notabiliter auget ejuſdem infamiam. Qui de publica meretrice revelat occultam ab illa perpetratam ſeductionem alterius hominis, non peccaret graviter; immo neque ſi referret quod fuerit die feſto, ut ornatior appareret oculis intuentium; quia eſt delictum ſubordinatum primo; dixi quod id referens graviter non peccaret; bene vero ſi illius occultum furtum notabile evulgaret, quia novum delictum nullam connexionem habens cum meretricandi turpitudine.

Contumelia quando gravis aut levis? XI. *Cum convicium*, ait D. Thomas 2. 2. quæſt. 72. art. 2., *ſeu contumelia de ratione ſui importet quamdam dehonorationem, ſi intentio proferentis ad hoc feratur, ut aliquis per verba quæ profert, honorem alterius auferat, hoc proprie, & per ſe eſt dicere convicium, vel contumeliam, & hoc eſt peccatum mortale, non minus quam furtum: non enim homo minus amat ſuum honorem, quam rem poſſeſſam. Si vero aliquis verbum convicii, vel contumeliæ alteri dixerit, non tamen animo dehonorandi, ſed forte propter correctionem, vel propter aliquid hujuſmodi; non dicit convicium, vel contumeliam formaliter, & per ſe, ſed per accidens & materialiter, in quantum ſcilicet dicit id, quod poteſt eſſe convicium, vel contumelia: unde hoc poteſt eſſe quandoque peccatum veniale, quandoque abſque omni peccato. In quo tamen neceſſaria eſt diſcretio, ut moderate homo talibus verbis utatur; quia poteſt eſſe ita grave convicium, quod per incautelam prolatum auferret honorem ejus, contra quem proferretur; & tunc poſſet homo peccare mortaliter, etiamſi non intenderet dehonorationem ejus.*

§. IV. *De publicitate criminum excuſante a detractione gravi.*

Quotuplex ſit Publicitas? I. PUblicitas alia eſt juris, alia facti. Prima oritur ex ſententia judicis adeo manifeſtata, qua reus condemnatus eſt, ut nulla poſſit tergiverſatione celari: & hoc evenit, quando ſententia fuit publica, & crimen tranſiit in rem judicatam, ſive id habeatur ex confeſſione rei, ſive ex plena probatione per teſtes idoneos. Si autem contingat, ex proceſſu non poſſe liquidum reddi crimen, ſed probari ſolam ſuſpicionem, tunc fit publica; non reitas, ſed ſola ſuſpicio. Publicitas facti

evenit, quando factum evidenter conſtat apud plures in eo numero reſpectu talis Communitatis, ut in illa Communitate prudentum judicio nulla poſſit tergiverſatione celari; & quamvis delictum evidenter quandoque non conſtet, adeſt nihilominus talis præſumptio juris, quæ ſufficit ad illud præſumendum, & ſi illa præſumptio evidenter publica ſit, adhuc dicitur notorium notorietate facti. Tunc autem, juxta plures, factum cenſetur notorium, quando in Collegio, Monaſterio, Parœcia, Pago, Civitate, Provincia tot perſonis reſpective eſt notum, ut moraliter impoſſibile ſit, quod in toto Collegio, Monaſterio, &c. non divulgetur.

Obſervatio notanda.

II. Caute animadvertendum eſt, quod, v. g. furtum notorium reſpectu alicujus loci, non debet cenſeri notum reſpectu aliorum locorum: v. g. quod publicum eſt in ſolo Monaſterio, in ſolo Collegio, in ſola Familia, nequit revelari alteri extra Monaſterium, Collegium, Familiam, Congregationem, Religionem. Immo ſi eſſet notum ſolis Patribus diſcretis, qui a Conſiliis denominantur, vel ſoli Presbyterorum Capitulo, extra tale Conſilium, vel talem cętum manifeſtari non poſſet, quamvis cœtus ille ex majori Conventus, aut Capituli numero aſſurgeret: quia cœtus iſti peculiares conſtituunt corpus quoddam, ab aliis religioſis, vel Presbyteris moraliter diſtinctum.

Diffamatus in uno loco, in eodem loco an poſſit ignorantibus manifeſtari?

III. Ex communi, contra nonnullos, juſte diffamatum in aliquo loco, aliis ejuſdem loci ignorantibus manifeſtare, non eſt lethale; immo ſi recto fine fiat, nullum peccatum; quia neque violatur juſtitia; cum in eo loco jus amiſerit ad propriam famam; neque charitas; quia ſi eſſet grave contra charitatem, eſſet grave contra juſtitiam; ideo enim eſſet grave contra charitatem, ut contendunt Adrianus, & Sylveſter, quia ampliaretur illius infamia; atqui id non eſt grave contra juſtitiam, ut & ipſi concedunt; ergo nec contra charitatem. Immo ſi fiat bono zelo utilitatis communis illius loci, ut reddatur honor, quibus debetur, & illis denegetur, qui non merentur, hique magis confundantur, & abſterreantur a criminibus perpetrandis, nullum peccatum committetur: & ſi id fiat ex levitate, & garrulitate, erit veniale; quia quamvis afferat diſplicentiam diffamato, hic cognoſcere debet, ſe non graviter lædi, quippe qui in hac re non meretur tam circumſpectionem, quam merentur innocentes, & rei non diffamati.

Secus manifeſtare in loco diſtanti.

IV. Manifeſtare crimen præfati diffamati in alio loco, quo notitia non cenſetur adeo de facili perventura, eſt lethale, ut probabilior docet. Quia in eo loco reſpective diſtante proximus ille non erat infamis, neque talis erat de facili habendus; igitur manifeſtans violat jus ejuſdem in illo loco. Ex his tamen non inferas, poſſe hujuſmodi diffamatum, v. g. Patavii, manifeſtari Venetiis, vel Vincentiæ, quin graviter peccetur, quia cum ſint Civitates non multum diſtantes, de facili poteſt notitia criminis eo pervenire: at videndum eſt, unde oriatur hæc facilitas; profecto oritur ex loquacitate volentium manifeſtare, & non ex alio capite; quonam vero motivo velint manifeſtare, viderint ipſi; ſi enim abſque ullo rationabili motivo ducantur, videtur manifeſtatio excuſari non poſſe a gravi læſione juris illius miſerrimi; non enim ſola vicinitas locorum confert jus manifeſtandi aliena crimina in illis locis ignota. Do exemplum: Quid vicinius monaſterio, (in quo Religioſus aliquis jam diffamatus eſt) civitate ipſa, in qua conſiſtit monaſterium? & nihilominus licebit ne ulli religioſorum manifeſtare alicui extra monaſterium religioſum diffamatum? minime: igitur vicinitas locorum non excuſat manifeſtantem. Perpendas rem æquo animo, & videbis, non niſi loquacitatem volentis irrationabiliter manifeſtare in finitimis locis eſſe unicam originem diffamationis criminoſi in eiſdem locis; ac proinde ſaltem primos manifeſtantes evadere reos gravis peccati contra charitatem, & contra juſtitiam, ſi manifeſtent infamem extra locum, & illum deferant ad loca finitima.

Revelare crimen non verum, ſed communiter creditum.

V. Revelare alicui crimen non verum, quamvis publicum, & communiter creditum, eſt lethale; quia perſona illa ita vel per errorem, vel per nequitiam publice diffamata, eſt revera innocens; & per conſequens eſt in poſſeſſione pleni juris ad ſuam famam; ac propterea, qui ejus præſuppoſitam infamiam extendit, & ampliat, graviter peccat contra juſtitiam.

Publicare crimen nondum publicatum a judice.

VI. Quando crimen aliquod innoteſcit ex ſola confeſſione rei, & depoſitione teſtium in judicio, & non divulgatur per publicam judicis ſententiam in judicio, non poteſt abſque gravi læſione juſtitiæ aliis manifeſtari, nec in eo loco quidem,

ubi

Digitized by Google

ubi reus convictus fuit; quia hic adhuc retinet jus ad famam reſpectu publicæ notitiæ: cum enim judex illum non diffamaverit per ſententiam publicam, non fuit ſuo jure a judice privatus: qui igitur crimen publicat, violat tale jus. Si autem in illo loco publica infamia jam laboraret, & haberetur communiter v. g. ut fur, tunc videtur, quod non eſſet lethale.

Crimen verum alienæ malignitate evulgatum ibidem manifeſtare.

VII. Crimen verum injuſte alterius maligno ſpiritu divulgatum, ita ut in eo loco evaſerit publicum, ſine peccato lethali, quis illud aliis in eo loco ignorantibus revelat; quia jus proximi ne infametur, oritur vel ex innocentia ſua, vel ex occultatione ſui delicti; atqui in caſu neutrum ſubſiſtit, ut patet; igitur qui illud ibidem refert aliquibus neſcientibus, graviter non peccat.

Qui famam recuperavit, an poſſint ejus præterita crimina referri?

VIII. Qui ob ſua crimina olim commiſſa, fuit olim infamis notorietate facti, deinde pietate conſtanti vivendo, famam recuperavit, non poteſt abſque lethali culpa manifeſtari ignorantibus quoad præterita ſua crimina; cum enim infamia facti contrahatur moribus indignis; ita hæc infamia deletur per mores honeſtos, & diutinos, quibus bona fama recuperatur, & ſimul jus ad eamdem: hoc autem jus non leviter læditur, manifeſtando ignorantibus præteritas ejuſdem infames actiones. Dixi infamem notorietate facti; quia aliquibus videtur, quod de infami notorietate juris poſſint præterita delicta referri ſine gravi culpa. At valde timendum, quod nihilominus peccetur graviter ſaltem contra charitatem, ob gravem diſplicentiam, quam ſine cauſa affert illi, jam ſuæ famæ reſtituto; & puto idcirco etiam lædi juſtitiam.

Commemorare delictum oblivioni communiter traditum.

IX. Similiter, narrare alicui ignoranti crimen alterius infamans olim patratum, & tunc notorietate facti publicum, nunc autem communi quaſi oblivione ſepultum, eſt lethale; quia oblivionis beneficium redegit crimen illud ad eum ſtatum, quem habebat antequam fieret publicum. Sicut igitur tunc manifeſtari non poterat abſque gravi læſione famæ; ita etiam illud nunc ad memoriam revocare, non vacabit a dicto reatu, cum revera publicum eſſe defierit.

Quid de hiſtoricis aliena facta evulgantibus.

X. Quid dicendum de Hiſtoricis aliena facta ſcribentibus, quippe eo majorem æſtimationem ſibi tribuendam cenſent, quo occultiora evulgant? Huic quæſito aliorum potius reſponſa referre malumus, quam proprium exponere. Doctiſſimus Sotus lib. 5. de Juſt. quæſt. 10. art. 2. hæc ſcribit. „ Cum grano ſalis circa hoc eſt procedendum: primo, quod ubi non denarrantur infamia peccata, ac turpia, ſed bella, & homicidia, & alia, quæ viris illuſtribus dedecora non ſunt, non eſt, quod ſint condemnandi. Mox, quanquam aliqua turpia denarrent, quæ non ſunt omnino ſecreta, non eſt illis vitio vertendum, ſed officio potius tribuendum: debent enim optima fide, quæ ad rem pertinent pernarrare. Nihilominus ubi invidia moti, aut aliquo pravo affectu quempiam aliquibus vitiis notant, non ſunt a peccato liberi: tunc potiſſimum dum Generi alicui, aut Proſapiæ notam inurunt, quæ in perpetuam memoriam manſura eſt „. Bannez in 2. 2. queſt. 73. art. 2. hæc habet. „ Inſignia, & illuſtria crimina, ac pœnas illis impoſitas, poſſe hiſtoricos in hiſtoria referre propter utilitatem poſterorum„. Salonius in 2. 2. qu. 43. art. 2. controv. 2. concl. ult. ad 4. docet „ Hiſtoricos peccare, ſi crimina occulta ſcribant. Si autem ea referant, quæ ſuis temporibus publica erant, & quorum notitia utilis eſt poſteris, ut illa vitia detrectentur, & Principes ad ſimilia punienda concitentur, laudabiliter agunt: illis tamen magna prudentia eſt utendum, ut explorent, an præponderet utilitas poſterorum, damno & infamiæ, quibus perpetuo ſubjacebunt proſapiæ illæ, de quibus ea indigna narrantur“. Cardinalis de Lugo diſp. 14. ſect. 6. num. 87. col. ligit „ Nil plus Hiſtoricis communiter a doctoribus concedi, quam aliis concedatur: & num. 89. „ Non licet hiſtorico manifeſtare aliorum infamiam notoriam ſola notorietate facti aliquando contractam, ſi tempore & oblivione abolita fuerit; eo quod in tali hypotheſi delicta habeantur moraliter tanquam occulta, & tanquam in eorum primo ſtatu antequam publicarentur: ſicut igitur, ut concordant omnes, delicta occulta infamiam afferentia hiſtorici ſcribere non poſſunt; ita etiam quæ fuerunt temporis, & oblivionis beneficio e memoria deleta“. Sic cenſent præcitati Doctores, quorum nemo hac in re Theologiæ ſeverioris fuit profeſſor.

Prævenire diffamationem.

XI. Prævenire diffamationem, tunc non eſt graviter illicitum, quando ipſa eſt certiſſime eventura, & breviſſimo temporis intervallo, & ex ſententia judicis certiſ-

Digitized by Google

ſime publicanda. Si autem aliquid horum deſit, eſt peccatum mortale: nam ſi deſit primum, revelatio præveniens poteſt eſſe graviter læſiva famæ: ſi deſit ſecundum, revelatio ſubit idem periculum, quia quo magis differtur, eo major patet aditus, ut aliquod occurrat motivum diffamationem divertens, vel impediens: ſi deſit tertium; evulgatio continget ex publicatione hominum privatorum; ſicuti igitur iſti graviter peccent evulgando; ita illos præveniens peccat præveniendo. Quando autem illa tria concurrunt, ſi prævenias, graviter non cenſeris delinquere in famam proximi.

§. V. *De neceſſitate excuſante detractionem.*

Ex motivo quietis communis poteſt revelari. I. JAm diximus in §. 3. n. 8. non excuſari a detractione revelationem criminis ad mere capiendum levamen ab afflictione. Cum communi Doctorum, adhærentium Petro de Soto doctiſſimo Dominici germano fratri, qui ex profeſſo de hoc argumento diſſerit in ſuo celebri tractatu *de Secreto tegendo* membro 3. qu. 4., habetur, quod neceſſitas evadendi mortem, aut gravia tormenta, excuſat a revelando occulto crimine vero alicujus, (notitia non ex Confeſſione Sacramentali acquiſita, quod nunquam licet) dummodo ex tali revelatione non ſit ſecuturum notabile damnum Reipublicæ; quia proximus ille non habet ad famam ſuam tale jus, quod in nullo eventu poſſint occulta ejus delicta alioquin vera revelari; ſed dumtaxat, ne ſine juſta cauſa revelentur. Igitur quoties utilitas & quies communis id poſtulabit, fieri poterit; cum hujuſmodi quies ſit bonum longe præſtantius fama ſua privata; atqui hominum quies, & pax exigit, ut quoties agitur aut de amittenda vita hominis innocentis, aut de gravibus tormentis evitandis, in concurſu ſervandæ famæ hominis alioquin rei, hæc cedere debeat, igitur &c. Conſulto dixi de revelando crimine vero; nam imponere falſum crimen nullo modo licet; quia innocens eſt rationabiliter invitus, ne injuſte infametur: ſicut enim ipſe non tenetur ſibi imponere falſum crimen ad ſalvandam alterius vitam; ita rationabiliter non vult ut ſibi ab alio imponatur.

Caſus valde implexus. II. Similiter excuſat a revelando crimine vero & occulto cognito, neque ex confeſſione, neque ex ſecreto naturali, ſed aliunde, motivum vitandi gravia damna injuſta tam propria, quam aliena, dummodo tamen id fiat ſtricte debita œconomia; ut videlicet illis ſolis manifeſtetur, prout neceſſitas poſtulat, ad evitanda imminentia gravia damna. Ratio eſt, quia in concurſu gravis damni perſonæ innocentis, & perſonæ vere criminoſæ, ſi utraque ſalvari non poſſit, defenſio innocentis prævalere debet. Neque opponas, quod reus ille non eſt actualiter aggreſſor, ut vi liceat repellere vim. Reſpondetur enim, quod adhuc uteris jure tuo defendendo tuam innocentiam; æquum namque non eſt, ut innocens, qui non alio modo evadere poteſt a gravi malo, niſi detegendo crimen alterius vere nocentis, nocenti parcat, & ipſe ſuccumbat; detectio enim illius criminis evenit indirecte, & præter intentionem, cum directa intentio ſit, defendendi propriam innocentiam. Si interroges, quam grave debeat eſſe malum, ut iſta agere poſſis? Reſpondeo, quod certe ut evites majus; item ut evites æquale: neutiquam ut evites longe minus. An autem ut evites grave quidem, ſed aliquanto minus? varie reſpondent Scriptores: non diſ; licet regula tradita ab aliquibus, quam ſapientiori judicio ſubjicio: nempe quod quando ex charitate tenemur impedire tale malum proximi etiam cum proprio incommodo, tunc cum dicto incommodo proprio debeamus ex juſtitia occultum crimen tacere: quando vero cum tanto incommodo non tenemur ex charitate vitare proximi damnum, non teneamur ex juſtitia cum eodem damno illius delictum ſilere. Hinc verum puto, licitum eſſe revelare occultum crimen alicujus, quando neceſſarium creditur ad illius utilitatem ſpiritualem, ne in pejora prolabatur jam in animo ſuo conſtituta; & exinde ſperetur fructus.

III. Videtur licitum, ut alibi innuimus, quod ad capiendum conſilium in re magni momenti, poſſit revelari occultum crimen verum, quando alio modo conſilium obtineri non poſſit; quia niſi id liceret, magnum foret gravamen bono communi, quod multum pendet ab adimpletione ſanorum conſiliorum: petens tamen conſilium debet, antequam vera exponat, exigere a conſiliario ſecretum, & ſi opus eſſet etiam ſub juramento. Ad conſilium capiendum.

§. VI. *De cuſtodiendo ſigillo naturali, & de legentibus alienas Epiſtolas.*

I. EX Navarro, & aliis multis: qui modo injuſto aſſecutus eſt notitiam rei occultæ, cujus revelatio reſultaret in di- Acquirens injuſte notitiam

damnum vitæ, aut famæ, aut bonorum proximi, tenetur ſub mortali ad ſecretum naturale, etiam cum æquali diſpendio vitæ, famæ, aut rerum propriarum. Ratio evidentiſſima eſt, quia cum graviter peccaverit, & gravem injuriam intulerit ei, de quo talem notitiam injuſte expiſcatus fuit, non poteſt licite talem injuſtitiam proſequi, aliis manifeſtando quod injuſte novit; ergo tenebitur cum æquali etiam periculo ad ſecretum ſervandum. Neque dicas, illum eſſe vere reum: quia cum crimen eſſet occultum, erat in poſſeſſione ſuæ famæ reſpectu injuſte expiſcantis notitiam criminis ſui; ac proinde innocens reſpectu illius; & qui injuſte expiſcatus fuit, evadit reus: & hinc in concurſu æqualis damni, cum reus ſuccumbere debeat, tenebitur injuſte expiſcatus notitiam, ad eamdem ſub ſecreto ſervandam, etiam in caſu, quo ſubiturus eſſet damnum, quod ſubiret alter, ſi publicaretur crimen.

rei occultæ ad quid teneatur?

Revelare ſecretum acceptatum, & promiſſum.

II. Quando ſecretum exigitur, antequam res enarretur, & ab audiente promittitur, quia non denarraretur niſi præſtita hac promiſſione; tunc revelans peccaret graviter etiam contra juſtitiam, revelando audita ſine juſto motivo. Ratio eſt, quia in hoc caſu non intervenit nuda promiſſio, ſed pactum oneroſum inter enarrantem, & audientem; unde, tametſi nullum aliud ſequeretur damnum ex manifeſtatione auditorum, violatur jus in re gravi, nempe illum in re gravi decipiendo, cujus enarrata cuſtodire ſub ſecreto tenebaris. Id etiam verificatur, tametſi expreſſe non ſpopondiſſes narranti ſecretum cuſtodire, ſed ex modo ſe gerendi in aperiendo tibi ſecretum, vel ex natura rei quæ tibi aperitur, pactum implicitum contraxiſti ad ſecretum ſervandum. Quod valde notandum eſt Medicis, Chyrurgis, Advocatis, Obſtetricibus, Conſiliariis, & aliis, quibus talia aperiuntur facta, quæ nullo modo illis aperirentur, niſi implicitum ſecreti pactum interceſſiſſet. Dixi in aſſertione, revelantem peccare etiam contra juſtitiam; nam quod peccet contra fidelitatem, cujus officium eſt conformare facta cum dictis & promiſſis, jam patet.

Quando promiſſio fit poſt enarrata quomodo obligat?

III. Quando promiſſio audientis de ſecreto ſervando exigitur, & fit poſt notitiam rei auditæ, vel ab ipſo enarrante, vel aliunde; tunc videndum eſt, an res enarrata tale ſecretum mereatur; & ſi mereatur; ſub mortali eſt ſervandum, propter rationem datam; ſi autem res in ſe non mereatur, & nihilominus narrans admodum ſollicitus eſt, ut ſecretum ſervetur, & idcirco promiſſionem exigat ab eo qui audivit, & hic ſerio promittat; cum hic ſibi hoc vinculum imponat, tenebitur ſub gravi ſine juſto motivo non revelare, ne in re, de qua alter eſt valde ſollicitus, ipſum decipiat. Si autem hæc promiſſio ſuperveniens acquiſitæ notitiæ fiat, ut regulariter inter amicos fieri ſolet, urbanitatis, & amicabilis fidelitatis gratia, & res narrata de ſe gravis non ſit, violare ſecretum tunc non videtur mortale: *quia ſecundum honeſtatem homo homini obligatur ex promiſſione*, ait S. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 3. ad 1. obligari autem ex mera honeſtate, non videtur vinculum graviter ſtringens.

Quid dicendum de legentibus alienas litteras?

IV. Ex communi, qui alienas literas aperit, vel legit apertas, & relictas in loco, qui cenſetur ſecurus, puta in cubiculo ſuper menſam, in qua ſunt aliæ ſcripturæ, peccat mortaliter; niſi forte ille, cujus ſunt epiſtolæ, ſit perſona quoad hoc caput legenti ſubjecta. Ratio patet, ob injuriam gravem illi irrogatam privato, & irrogatam publico bono, cui perniciosiſſimum eſt inducere abuſum circa epiſtolarum ſecreta. Excepi perſonas ſubjectas, quales ſunt Religioſi reſpectu Superioris, & reſpectu literarum non a Superiore majori miſſarum & receptarum; Filii familias non emancipati, & quam maxime filiæ nubiles reſpectu genitorum, vel aliorum earum curam gerentium: conjugati reſpectu ſui invicem, ex prudenti ſuſpicione conjugalis fidei violandæ, poſſunt reciproce literas legere: cautiſſime tamen id agendum; ne pejora mala ſuboriantur: ſubditi reſpectu ſui Principis: milites, & officiales reſpectu ſupremi Ducis. Tenentur autem omnes hujuſmodi legentes ad ſecretum, ſi quid dignum ſecreto inveniant, ad ipſos non pertinens. Quando literæ a domino fuerunt in locum publicum projectæ, & in partes laceratæ, videtur dominus ceſſiſſe juri ſuo; ut proinde ſi quis curioſulus eas colligat, & conjungat, ut videat quod in illis continetur, non peccet graviter, juxta Sylveſtrum, & alios; cum dominus illas projiciens prævidere potuerit, id forte eventurum, & impedire, illas comburendo, vel alio modo deſtruendo. Si tamen colligens illas partes, & legens quidpiam inveniat ſecretò dignum, illud obſervare tenebitur naturali jure.

§. VII. *De audiente Detractorem.*

Cooperari detractioni, quando grave?

I. Certum eſt, quod incitare detractorem interrogationibus, aut illum ſponte detrahentem audire jucunde, unde ad proſequendum alliciatur, aut quovis alio modo cooperari ad detractionem ſive occulta pandentem, ſive falſa enunciantem, eſt peccatum grave, aut leve contra charitatem, & juſtitiam pro ratione materiæ, & perſonæ, cui detrahitur. Ratio patet. Similiter peccat, qui abſque eo quod aliquo ſigno exteriori promoveat detractionem, gaudet tamen interius de notitia illa, quæ ſi ſit de re gravi occulta, erit gaudium lethale: quia de notitia proximo graviter injurioſa, & injuſte acquiſita. Immo ſi audiens graviter detrahentem, & poſſit impedire, & non impediat, peccat graviter contra charitatem, quando id agere poteſt abſque notabili ſuo incommodo; quia non avertit damnum grave a proximo, dum poteſt avertere abſque notabili incommodo, juxta dicta in cap. 5. §. 14. n. 2. Addendum, quod ſi audientis ſilentium, ratione circumſtantiarum æquivaleret confirmationi dictorum, peccaret etiam contra juſtitiam; quia ſuum ſilentium æquivaleret confirmationi injuſtæ contra jus proximi. Idemque crimen incurrerent illi, qui ex officio & gradu quem tenent, obſtringuntur detrahentem corrigere, ut Pater filium, Dominus ſervum &c. Sic communiter Theologi.

Et gaudere interius de acquiſita notitia.

Potens impedire, & non impediens.

Silendum teneretur defendere.

Regula obſervanda.

II. Quale autem incommodum excuſare poſſit audientem, ne gravem, & injuſtam detractionem impedire teneatur, dum poſſet; regula certa definiri non poteſt; ſed perpendendum eſt damnum, quod ex detractione redundat proximo, & damnum ſeu incommodum, quod impediendo, corrigendo &c. ſubire deberet; ita ut quo majus eſt damnum proximo redundans, eo majus incommodum ſibi ſubeundum ſit: Item habenda eſt ratio, & quidem prudens, ſpei, impeditionem, correctionem &c. eſſe profuturam: quibus omnibus perpenſis, conjici poterit, an quis teneatur ſub gravi. Nihilominus audiatur S. Doctor 2. 2. qu. 73. art. 4. *Dicendum eſt, quod ſi aliquis detractiones audiat abſque reſiſtentia, videtur detractori conſentire, unde fit particeps peccati ejus: & ſi quidem inducat eum ad detrahendum, vel ſaltem placeat ei detractio propter odium ejus, cui detrahitur, non minus peccat, quam detrahens, & quandoque magis: unde Bernardus dicit: detrahere, aut detrahentem audire, quid damnabilius ſit, non facile dixerim. Si vero* (nota bene) *non placeat ei peccatum, ſed ex timore, vel ex negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, ſed multo minus, quam detrahens, & plerumque venialiter. Quandoque etiam poteſt hoc eſſe peccatum mortale, vel propter hoc, quod alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere, vel propter aliquod periculum, quod audiens novit conſequens,* (detractionem), *vel propter radicem, qua timor humanus quandoque eſſe poteſt peccatum mortale.* Ex Angelico Præceptore, ſimilia docuit clariſſimus Diſcipulus Sotus lib. 5. de Juſt. quæſt. 10. art. 4. concl. 2. „ In privata perſona detractionem aliorum non repellere peccatum eſt, multo „ tamen minus, quam in detrahente; quod „ quidem ut plurimum eſſe ſolet veniale. „ Adde & ſola verecundia excuſari aliquem poſſe; ut ſi qui detrahit illuſtriſſimus eſt, audiens vero famulus ejus, „ aut alia abjecta perſona „ Hæc ille; quæ non contradicunt aſſertis n. 1., ſi attente illa cum his contuleris.

* Quæres num licitum ſit legere libellum famoſum qui crimina vera, ſed occulta ſine juſta cauſa, & ratione manifeſtat?

Reſp. Jure naturali non licere libellum famoſum, ſeu famam proximi lædentem, & crimina vera, ſed occulta ſine juſta cauſa, & ratione pandentem legere, perinde ac audire detractionem; nam crimini auctoris libelli quodammodo conſentit, aut cooperatur lector, ut auditor detractioni. Præterea quiſque rationabiliter vellet, ut libellum contra ejus famam injuſte ſcriptus a nemine legeretur. Conſulantur P. Antoine *tract. de Juſt. part. 3. cap. 5. poſt. reſp. 5. ad Quæſt. 5.* & Petrus Collet *tom. 2. tract. de Juſt. cap. 4. art. 3. ſect. 3.*

Eſt autem libellus famoſus chartula quædam in quocumque loco reperta, ad alterius infamiam ſcripta, ut ex dictis patet. Nomine vero & appellatione chartulæ veniunt nedum ſcripturæ, ſed etiam Carmina, epigrammata, & ſimiles cantiones in detractionem famæ alterius compoſitæ. Libellus famoſus fit non ſolum ſcriptura, ſed & pictura; quo etiam nomine plura veniunt, ut exponit P. Lucius Ferraris V. *Libellus Famoſus n. 2.*

Porro ad conſtituendum libellum famoſum quinque requiſita debent concurrere

co-

copulative ut poſt plures recte animadvertit idem P. Ferraris *ibidem n. 3. & ſeqq.* 1. requiritur quod occultetur nomen Libellantis, idest quod Auctor non exprimat nomen ſuum, 2. quod in illo exprimatur nomen libellati ſeu injuriati; niſi tamen aliunde conſtet, quod de eo Auctor loqui velit. 3. quod Libellus famoſus publicetur; eſt enim de ſubſtantia libelli famoſi, quod ex eo ſequatur diffamatio, quæ ſine publicatione non datur. 4. quod interveniat intentio injuriandi, quia ſi aliquis non animo injuriandi, ſed vel per ſimplicitatem, vel per jocum Libellum componat, & publice, non erit reus libelli famoſi. 5. demum quod libellus contineat non ſolum contumeliam, ſed & ſimul delictum aliquod conſiderabile. Recenſita debent cumulative concurrere ad hoc, ut quis dicatur reus libelli famoſi: unde ſi unum vel alterum ex his deficiat, deficit nomen, & crimen libelli famoſi, & remanet crimen & ratio injuriarum.

Libellos autem famoſos facientes, publicantes, conſulentes, ſeu mandantes fieri, ſeu publicari, & hujuſmodi, committunt crimen graviſſimum, & deteſtabile, ut compertum eſt ex Conſt. S. Pii V. incip. *Romani Pontificis providentia &c.* & inſuper ſubjacent graviſſimis pœnis a jure tum canonico, tum civili ſancitis, ut fuſe exponit præcitatus P. Ferraris *ibidem n. 18. & ſeqq.* Et ſi famoſus Libellus reſpiciat ſtatum alicujus Religionis in communi v.g. Ordinis Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, Societatis Jeſu &c. ultra alias pœnas, Auctor eſt ipſo facto excommunicatus excommunicatione majori Papæ reſervata. Eamdem tamen excommunicationem non incurrit conficiens libellum famoſum contra privatum Religioſum, ejus perſonam tantum infamando, quia Conſtitutiones Apoſtolicæ reſpiciunt favorem Religionis in communi; non autem alicujus Religioſi in particulari. Sic idem P. Ferraris poſt Navarrum, Urſayam, alioſque *n.30.*

§. VIII. *De obligatione, & modo reſtituendi famam.*

Quomodo reſtituet qui falſum dixit?

I. EX communi cum S. Doctore 2.2. qu. 62. art. 2. ad 2. *Qui infamavit falſum dicendo, & injuſte, tenetur reſtituere famam, confitendo ſe falſum dixiſſe:* Et quamvis jacturam propriæ famæ ſubire debeant, id non excuſat; calumnians enim hoc ſibi onus impoſuit; & alioquin æquitas poſtulat, ut damnum injuſte illatum æquali damno reparetur.

Qui verum occultum revelavit.

II. *Qui verum dicendo ſed injuſte, puta cum quis prodit crimen alterius contra ordinem debitum, tenetur ad reſtitutionem famæ quantum poteſt, ſine mendacio tamen: utpote quod dicat ſe male dixiſſe, vel quod injuſte eum diffamaverit*, ait S. D. loc. cit. Caute tamen ſe debet exprimere, præcipue apud ſagaces, & doctos, ne potius infamiam augeat, illos quaſi confirmando in notitia eiſdem injuſte data; unde ita ſe gerere debet in hac reſtitutione, ut compenſare ſtudeat, & non confirmare injuriam, ſaltem laudando in aliis capitibus &c.

Reſtituere debet etiam apud alios, quibus audientes narrarunt.

III. Ex communi, qui infamavit, occultum revelando, & multo magis falſum imponendo, tenetur reſtituere, & compenſare nedum apud illos, quibus revelavit, verum etiam apud alios, quibus iſti narraverunt, ſi iſti vel id agere recuſent, vel non curent; & præcipue quando prævidere potuit, & debuit, illos fuiſſe probabiliter aliis narraturos, utpote homines non graves, ſed loquaces: & quamvis graves, in caſu quo ab illis prius non exegiſſet promiſſum de non manifeſtando aliis. Ratio patet ex generali reſtitutionis regula; nempe quia injuſta ſua actione ille primus fuit cæterarum revelationum prima, & injuſta cauſa.

Quid de illo, qui evulgavit, putans crimen eſſe verum?

IV. Ex communi, qui evulgavit, prudenter putans crimen eſſe verum, & evulgaverit ex cauſa juſta, ſi deprehendat eſſe falſum, tenetur ſtatim retractare quod dixerat: quia in hoc caſu ſe habet ut poſſeſſor bonæ fidei, qui rem alienam, quam habet tenetur reſtituere. Dixi ſi evulgaverit ex juſta cauſa; quia ſi id egerit ſine juſta cauſa, tenetur ad omnia dicta numero præcedenti. Quando autem id fecit ex juſta cauſa, ſtatim ſe retractando apud illos, qui revelavit, & quibus ut ſupponitur, ſecretum commendavit; debet ipſis injungere, quod ſi forte alicui revelarint, ſuam quoque retractationem eidem referant. Quod ſi eſſet in mora culpabili ſe retractandi apud illos primos, & interea crimen illud præſuppoſitum verum evulgetur apud alios; juxta regulam datam de mora culpabili in reſtituendo, teneretur ad reſtitutionem apud omnes illos, ad quos, ratione moræ ſuæ culpabilis, notitia pervenit: quia mora illa fuiſſet cauſa injuſta hujuſmodi diffamationis.

V. Ex

Digitized by Google

Reparare tenetur damna temporalia ex diſamatione ſecuta.

V. Ex communi, ille, qui ex injuſta ſua proximi diſamatione fuit cauſa etiam damnorum temporalium ejuſdem, puta quod non fuit aſſecutus beneficium, matrimonium magnæ dotis, hæreditatem &c., vel depoſitus fuerit ab officio lucrativo &c, tenetur ad omnium hujuſmodi damnorum compenſationem; quippe quæ profluxerint ab injuſta ſua diſamatione.

Hæredes infamatoris defuncti, quid agere debent?

VI. Hæredes defuncti, qui injuſte calumniatus eſt proximum, non tenentur ex juſtitia reſtituere famam; quia obligatio hæc eſt perſonalis, neque afficit res, ſed perſonam infamantem. Tenentur tamen ex charitate, & quidem ſub gravi manifeſtare falſam fuiſſe calumniam impactam; quia ſine ſuo gravi incommodo (quippe quod incommodum totum devolveretur ſupra defunctum, qui ſolus haberetur ut infamis, & juſte quidem; eo quod teneretur cum diſpendio famæ ſuæ alienam reparare) tenentur ſuffragari proximo in neceſſitate gravi, qualis eſt infamia injuſta. Tenerentur tamen ex juſtitia reſarcire omnia damna temporalia ex infamia illata ſecuta; eo quod hæc obligatio afficiat res, & bona defuncti, quæ cum tranſeant ad hæredes, tranſeunt cum tali obligatione. Immo tenerentur etiam ex juſtitia ad retractationem in caſu, quo infamans moriens, id illis agendum commiſiſſet, & ipſi onus implendi acceptaſſent, quia tunc etiam quoad hoc acceptaſſent gerere perſonam defuncti. Conſultius tamen egiſſent, ſi infamantem induxiſſent ad ſe coram idoneis teſtibus retractandum. Quod munus profecto ad Confeſſarium pertinet; qui non poteſt injuſtum quovis modo infamantem abſolvere, niſi ad compenſandum obſtringat.

Honor læſus quomodo reſarciendus?

VII. Honor proximi læſus injuſte per verba, aut facta, (etiam præſcindendo ab infamia, quæ plerumque verbis, aut factis inhonorantibus adjungi ſolet, & quæ affert diſtinctam rationem ſatisfaciendi.) eſt reſarciendus; quamvis inhonoratio fuerit privata, quia actione inhonorante fuit proximus honore ſibi debito privatus; & quamvis actio inhonorans tranſierit, relinquit tamen vulnus morale in animo perſonæ inhonoratæ, quod vulnus juſtitia petit, ut ab eo qui illud intulit, ſanetur. Non autem ſufficere videtur, ſi in poſterum ſigna honoris illi proximo, alioquin debita, exhibeantur; quia etiam ab illis, qui illum non læſerunt ſunt exhibenda; ſed requiritur, quod aliquid amplius, & ſpeciale a lædente præſtetur; quod ſpeciale librandum eſt, perpenſis qualitatibus perſonarum inhonorantis, & inhonorati, necnon actionis, qua læſus fuit honor. Juxta communem liberabitur lædens ab hac ſatisfactione in caſu, quo offenſus privata, quamvis injuſta, ſatisfactione ſibi compenſaverit; Nam hoc ipſo quod offendens vindictam toleravit, apparet culpam ſuam recognoviſſe, & æſtimationem perſonæ offenſæ manifeſtaſſe: quod ſi lædens reſtiterit, & vim vi repulerit aut verbis aut factis, non cenſebitur ſatisfeciſſe offenſo; immo non raro, ſe defendendo hoſtili modo, reatum ſuum adauxiſſe, & exinde augendam etiam ſatisfactionem. Et circa hoc conſulendi erunt viri pii, & prudentes, ut quid agendum ſit conſtituant. Si demum offendens a judice competente puniatur pœna actioni læſivæ correſpondente, tunc ab omni abſolvetur ſatisfaciendi onere. Quod ſi forte pœna impoſita eſſet longe minor reatu, tunc adhuc in conſcientia tenetur offenſor ad ulteriorem condignam ſatisfactionem, ut docet communis; ut fiat æqualitas a juſtitia commutativa præſcripta.

§. IX. *De cauſis excuſantibus a præfata reſtitutione.*

Imponens falſum nunquam excuſatur.

I. VIx imaginari quis poteſt cauſam excuſantem a neceſſaria retractatione illum, qui doloſe calumniam impoſuit; quia impoſſibilis moraliter eſt certitudo, quod a nemine fuerit admiſſa, & quod identidem non commemoretur. Qui igitur falſum crimen impoſuit, nunquam excuſari poteſt a retractatione etiam juramento firmata, & ad omnia damna, ſi quæ inde ſecuta fuerint, reparanda. Quando autem infamavit revelando quidem verum, ſed occultum, & fama omnino certo recuperata fuerit, aut ex teſtimoniis validioribus, aut ex aliis factis evidentibus ita, ut revera fuerit abolita infamia, tunc videtur excuſari, qui revelavit ab ulteriori reſtitutione famæ, quamvis ad commendandum infamatum in his, in quibus poteſt, ſemper teneatur, data opportuna occaſione: cum inde nullum incommodum infamanti reſultet: tamen ſi quæ damna temporalia infamato emerſerint ex revelatione, ad eadem compenſanda omnino tenetur. Dixi conſulto, ſi certum omnino ſit famam fuiſſe recuperatam; quia ſi aliquod ſubſit dubium, tunc poſſeſſio ſtat pro in-

Quando excuſari poterit revelans occultum verum?

fa-

Digitized by Google

famato certo læſo; & tenetur qui revelavit ad omnes ſollicitudines, & curas a prudenti & docto confeſſario præſcribendas, juxta qualitates perſonarum, & criminis revelati, ut fama redintegretur.

Quando crimen eſt oblitum?

II. Quando infamia orta ex revelatione occulti criminis prudenter creditur ſublata per meram oblivionem, temporis Beneficio; tunc magna cautione eſt utendum, ne quod, vel ſopitum eſt, excitetur, aut oblitum, commemoretur: interea abſque affectatione incumbit revelatori promovere ſemper famam perſonæ ab ipſo offenſæ modis, qui ſuggerentur a prudente confeſſario, attenta præcipue conditione locorum, cum maxime in locis anguſtis, oppidis, ruribus, pagis otioſis, valde difficilis ſit oblivio omnimoda, niſi forte poſt generationum ſucceſſionem. Propterea beneficium oblivionis inter præſentes cautum debet reddere revelatorem, ne vel indirecte indicet, quod revelavit.

Excuſat remiſſio plene voluntaria perſonæ diffamatæ.

III. Ceſſat procul dubio obligatio reſtituendi, ſi infamatus, qui ſit ſuæ famæ plene dominus, omnino voluntarie & ſponte reſtitutionem condonet, actu quidem heroico charitatis. Dixi, qui ſuæ famæ ſit plene dominus, ſi enim ipſius infamia redundaret etiam in alios, puta in filios, in familiam, in collegium, non poteſt remittere ſine conſenſu aliorum, ad quos etiam pertinet remittere, ſi velint.

Non ſemper excuſat nova juſta diffamatio de eodem crimine.

IV. Quamvis multi abſolute affirment, ceſſare reſtituendi obligationem, ſi injuſte diffamatus de tali crimine, deinde juſte diffametur de eodem crimine; ſalvo meliori judicio, putarem diſtinguendum eſſe. Si enim crimen ſit valde infamans, puta adulterium honeſtæ mulieris, vel quidpiam ſimile, tunc videtur quod nihilominus a primo injuſto infamante ſit adhuc aliqua ſatisfactio reddenda, immo & retractatio, ſi fuerit calumnia; nam quis inficiabitur, quod longe abominabilior ſit adultera habita ut relapſa, quam de unico adulterio accuſata & convicta? hujus autem majoris abominationis nonne eſt vera cauſa primus injuſte imponens & calumnians? quod & de omnibus criminibus infamantibus verum apparet: ergo tenebitur infamiæ injuſtum argumentum tollere per condignam compenſationem; cum probabiliſſime prima injuſta diffamatio potuerit eſſe occaſio, ut facilius cederet, adulterium petenti. Quod autem relapſus in crimen infamans longe augeat infamiam, præter rationem manifeſtam, patet ex jure, quod indulgentiam, quam concedere ſolet ſemel lapſis in hæreſim, denegat relapſis in eamdem.

Quandoque excuſat periculum certum damni longe majoris.

V. Obligatio reſtituendi aliquando ſuſpenditur, ſi judicio doctorum & prudentum ex reſtitutione longe majus detrimentum immineret infamanti, quam quod ex diffamatione emerſerit infamato. Quia regulariter reſtitutio excuſatur, quando revera id inconveniens ſequitur: puta ſi perſona infamata eſſet fœmina plebeja modiciſſimæ æſtimationis, & infamans eſſet miniſter publicus, & neceſſarius, maximæ auctoritatis &c., in quo caſu compenſatio alia via procurari deberet, & præcipue bonis pecuniariis, aut procurando fœminæ honeſtum matrimonium, aut congruam ſuſtentationem; ita ut etiam ſuaviter induceretur ad cedendum juri ſuo &c.

Quandoque neque hoc damnum excuſare poteſt.

VI. Aliquando tamen evenire poteſt oppoſitum, ut infamans teneatur etiam cum libertatis, aut vitæ periculo, quæ ſunt bona majora fama, redintegrare perſonam infamatam, quando judicio prudentum longe pluris facienda eſt fama talis perſonæ, quam vita diffamantis injuſti: puta ſi homo plebejus infamaſſet Prælatum magni nominis, magnæque probitatis, & auctoritatis, vel quempiam conſimilem: quia ratione naturalis bonum minus cedere debet bono longe præſtantiori, quoties hoc ſalvari non poſſit ſine deſtructione boni longe minoris.

Non excuſat infamare ſe infamantem.

VII. Certum eſt, non excuſare a reſtitutione, ſi injuſte infamatus ab uno, eidem reciproce calumniam imponat. Quia id eſt intrinſece malum, & mendacium pernicioſum; Et propterea Innocentius VI. damnavit theſim 43. *Quidni nonniſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam, falſo crimine elidere?* & 44. *Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, aut honorem defendat: & ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

Neque publicare crimen verum occultum.

VIII. Illicitum mortaliter eſt, infamare illum, qui te injuſte infamavit, revelando illius crimen verum, ſed occultum. Quia hoc ſe gerendi modo ſumitur propria auctoritate vindicta gravis de offendente, quod nemini unquam licet; quem obſtringere potes apud judicem, ut tibi ſatisfaciat. Sicut enim non licet devaſtare ſegetes illius, qui tuas devaſtat, ita neque infamiam tuam illius infamia compenſare, cum id non eluat infamiam tuam. Neque valet paritas, quod te defendendo ab inva-

ſo-

ſore vitæ, illum te defendendo juſte occidis, ſi alia via evadendi tibi non ſuppetat: quia in eo caſu nil aliud intendis, niſi tuam juſtam defenſionem, & occiſio ſequitur omnino præter intentionem; in caſu vero præſenti vindictam appetis, & directam infamiam.

* Quamvis illicitum mortaliter ſit infamare illum qui te injuſte infamavit, revelando illius crimen verum, ſed occultum præciſe ad compenſandam infamiam illatam; attamen ſi quis ait P. Antoine tract. *de Juſtit. part. 3. cap. 4. in reſp. 3. ad quæſt.* 18. te falſo infamet, ex communi ſententia potes aliquem ejus defectum vel peccatum verum occultum detegere ad labefactandum ejus teſtimonium; v. g. quod antea fuerit deprehenſus in mendacio, perjurio; modo hæc manifeſtatio ſit utilis, & neceſſaria ad famæ tuæ defenſionem, nec majorem ei infamiam pariat, quam ſit ea, quam tibi injuſte parat. Quia 1. quiſque habet ius tuendi propriam famam, quam alter vult injuſte adimere, nec ille eſt tunc rationabiliter invitus, cum cogat læſum ad hoc medium neceſſarium. 2. Potes detegere crimen alterius ad impediendum grave damnum proprium, vel proximi: ergo multo magis id potes ad avertendum damnum, quod ipſe criminoſus tibi parat injuſte inferre.

Illicita tamen eſt, *ſubdit*, defenſio immoderata propriæ famæ, ut ſi majorem infamiam alteri inferas ad tuam minorem avertendam; nam eſſet inæqualitas, ideoque injuſtitia reſarcienda.

Quod ſi manifeſtatio alieni criminis non ſit neceſſaria ad famæ tuæ defenſionem, ſive quia potes eam aliter tueri, ut teſtibus, juramento &c. ſive quia hæc revelatio ad tuam defenſionem inutilis eſt; tunc illud detegendo peccas contra juſtitiam, & teneris ad reſtitutionem. Nam ille habet jus ad famam, quamdiu ejus infamia non eſt neceſſaria ad infamiam, quam tibi injuſte infert, amovendam; & ſine juſta cauſa læderetur fama proximi; quod eſt intrinſece malum; eſtque mera vindicta. Vide quæ habet Auctor ſupra *tract. 8. cap. 2. §. 2. num. 2.* & Legatur etiam Petrus Collet *de Juſtit. cap. 4. art. 3. ſect. 4.*

Neque reciproca actualis infamatio.

IX. Hinc ſi duo ſe mutuo infament, uterque tenetur ad reſtitutionem, quia uterque juſtitiam graviter violavit. Si autem tu ad reſtituendum promptus ſis, alter autem recuſet, & infamia irrogata ſit circiter æqualis, neque tu videris teneri ad reſtituendum; non quidem ex vindicta, ſed ne indirecte confirmes infamiam tuam, augendo auctoritatem illius retractatione tua, & illius innocentiam declarando, dum ille de infamia tibi illata nil loquitur; ex quo confirmentur illi, qui illum audierunt te infamantem in opinione impoſiti tibi criminis. Quod ſi infamia a te illi impacta eſſet longe major, compenſare tenereris quoad exceſſum.

X. Si caſus eveniat, quod infamans nullo modo prudenter poſſibili valeat famam reſtituere, tenetur reſtitutionem ſupplere in alio bonorum genere. Ita S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2. ubi hæc habet: *Si non poſſit famam reſtituere, debet ei aliter compenſare.* Sanctum Doctorem ſequuntur celebriores ejus Diſcipuli, Paludanus, Cajetanus, Sylveſter, Soto; ex extraneis autem Scotus, Richardus, Gabriel, Adrianus, Salonius, Azorius, Valentia, Rebellus, Molina, & alii. Ratio invictiſſima eſt, quia juſtitia obligat ad faciendam æqualitatem inter jus violatum, & compenſationem, quantum moraliter fieri poteſt; qui igitur non poteſt totum, ſed partem tantum præſtare, ad hanc tenetur: ita qui non poteſt in eodem genere, poteſt autem in alio, quamvis inferiori ad hoc tenebitur, ut verificetur, quod agit, quantum coram Deo moraliter poteſt: unde reſtituat in bonis temporalibus &c., juxta conſilium prudentis & docti viri. Non potens reſtituere famam, tenetur aliis modis compenſare.

CAPUT VIII.

DE RESTITUTIONE OB DAMNA VITÆ ILLATA.

§. I. *De reſtitutione ob damna illata vitæ & corpori.*

I. CUm de homicidio, mutilatione &c. egerimus in tract. 8. hic differendum ſupereſt de obligationibus juſtitiæ, quæ ex hujuſmodi actionibus injuſtis proficiſcuntur. Et primo ipſi occiſo, ſi non conſtet, deceſſiſſe in ſtatu culpæ lethalis, tene- Quid debeat occiſor ipſi occiſo?

Digitized by Google

tenetur occiſor procurare ſuffragia animæ, quantum moraliter poteſt, ut docent S. Antoninus, Navarrus, & alii: quia, ut diximus, exceſſus debiti non diſpenſat debitorem ab agendo quantum moraliter poteſt: Si autem mutilaverit membrum, & impotem ad lucrandum reddiderit, ſive ad tempus, ſive pro ſemper, tenetur, primo illum compenſare eo modo quo poteſt pro damno membri mutilati. *Quando id quod eſt ablatum* (ait S. D. loco ſupracitato ad primum) *non eſt reſtituibile, per aliquid æquale, debet fieri compenſatio, qualis poſſibilis eſt; puta cum aliquis alicui membrum abſtulit, debet ei compenſare vel in pecunia, vel aliquo bonore, conſiderata conditione utriuſque perſonæ, ſecundum arbitrium boni viri.* Hæc tamen compenſatio plerumque remitti ſolet ob offenſo, quando partes reconciliantur; nihilominus ſi etiam pro membro ſibi mutilato exigeret, tribuendum eſſet judicio prudentum.

Quid debent mutilato pro membro mutilato?

Omnia damna ex mutilatione ſecuta.

II. Tenetur præterea injuſte mutilato reſarcire omnia damna temporalia ex mutilatione conſecuta, nedum quoad expenſas factas pro ipſius curatione, verum etiam quoad damna emergentia, & lucra ceſſantia, computando certum pro incerto, habitaque ratione ætatis, valetudinis, lucrorum &c., detractis tamen expenſis, quas mutilatus facere debuiſſet, ut lucrari poſſet; quia mutilator eſt injuſta horum damnorum cauſa, ut ſupponitur. Et nota, quod ſi mutilator, & a fortiori occiſor, moriatur antequam reſtituat, obligatio tranſit ad hæredes, ut diximus ſuo loco; neque abſolvitur ab hac obligatione, etiamſi vitam amiſerit ex ſententia judicis; nam moriendo, vel carcerem perpetuum ſuſtinendo, ſatisfacit damno publico, & publicæ tranquillitati ædificationique, non tamen damnis privatis illius familiæ; quæ obligatio cum afficiat tam perſonam, quam bona malefactoris, idcirco tranſit & ad hæredes.

Omnia damna ſecuta conjunctis neceſſariis.

III. Occiſor, vel mutilator injuſtus tenetur in conſcientia, juxta omnes, alere eos conjunctos neceſſarios, quos occiſus, aut mutilatus alebat, nempe genitores, uxorem, filios; & ita tenetur, ut etiamſi occiſus, antequam moreretur, aut mutilatus condonaſſet occiſori, aut mutilatori hanc compenſationem, in conſcientia non excuſaretur, ſed teneretur adhuc ad alendas dictas perſonas, poſito quod aliunde non haberent, quo ali poſſent; quia ſicut dictæ perſonæ habebant jus, ut alerentur a mutilato, aut occiſo; ita hic non poteſt per ſuam remiſſionem præjudicium afferre præfato juri, quod habent contra occiſorem, vel mutilatorem; quippe qui injuſte poſuerit impedimentum, occidendo vel mutilando, ne amplius ali poſſent ab eo, qui alere tenebatur: Et proinde tale onus eaſdem alendi devolvitur ſupra illum qui poſuit impedimentum; ipſumque onus remitti non poteſt, niſi a præfatis perſonis quarum jus graviſſime læſit occiſor, & mutilator. Immo ſi præfati conjuncti habentes aliunde, quo poſſent ali, id remitterent occiſori, vel mutilatori, non propterea cenſerentur remittere alia damna quoad lucra ceſſantia, & damna emergentia, niſi etiam circa hæc expreſſe, & voluntarie cederent juri ſuo.

Tenetur etiam creditoribus occiſi.

IV. Tenetur præterea occiſor, vel mutilator creditoribus occiſi, vel mutilati de damnis eiſdem ſecutis propter occiſionem, vel mutilationem debitoris, & aut totum ſupplere, ſi occiſus bona non habeat quibus ſatisfaciat, aut partem, ſi bona tantum pro parte ſatisfaciant; & quidem habita ratione quantitatis lucri, & ſummæ, quam occiſus, attentis circumſtantiis ætatis, ſanitatis &c., acquirere poterat; & debitis ſatisfacere. Ratio patens, quia occiſor vel mutilator eſt damnorum creditoribus reſultantium injuſta cauſa.

Non tenetur aliis, qui ex conſuetudine ſola charitate alebantur ab occiſo.

V. An autem teneatur occiſor etiam illis, qui non ex debito, ſed ex charitate ab occiſo alebantur; varia eſt Doctorum ſententia: quidam magis pie affirmant, eo quod modo injuſto privati fuerint ab occiſore ſubſidio illo. Alii, meo videri, probabilius negant, quia nullum jus eorumdem violatur. Neque opponas, quod quamvis non habeant jus, ut alantur ab occiſo, habent jus, ne modis injuſtis impediantur ſubſidia, quæ ab occiſo ipſis miniſtrabantur; nam id verum eſt, ſi ſermo ſit de modis injuſtis afficientibus perſonas illas, quæ alebantur, puta ſi mendaciis, calumniis, fraudibus ſubſidium illis impediatur; non autem verum eſt, ſi ſermo ſit de modis injuſtis, perſonas illas non afficientibus, ſed duntaxat contra occiſum exequutis, qualis fuit occiſio, quæ omnino extranee ſe habet reſpectu perſonarum ab ipſo ex ſola eleemoſina & charitate ſubventarum, eaſdemque tantum per accidens attingit. Hæc dicta ſint, ſalvo ſapientiorum judicio.

* Si quis tamen ea intentione occidiſſet alium, ut ii, quibus ante benefaciebat

ciebat, beneficii hujus jacturam facerent, utique ad hujus damni reparationem teneretur.

Tenetur ad ſupplendam imminutionem lucri, ſi percuſſus tantum lucrari nequeat.

VI. Si percuſſus, vulneratus &c. injuſte, convaleſcat, ſed non plene, ita ut non poſſit amplius tantum lucrari, quantum lucrabatur ante percuſſionem, jam patet, quod injuſtus percuſſor teneatur ad ſupplendum id, quod minus lucratur; quandoquidem ipſe fuerit cauſa injuſta hujus imminutionis lucri.

Occidens per errorem tenetur ad damna.

Quando aggreſſus fugere teneatur?

VII. Qui per errorem occidit, vel mutilat Petrum, volens occidere, vel mutilare Paulum, ſimiliter patet, quod cum voluerit occidere primum hominem illum, obnoxius fiat omnibus prædictis reſtitutionibus. Sicut etiam ille, qui, ſe defendendo ab injuſto aggreſſore, exceſſit limites juſtæ defenſionis, occidendo, dum poterat dumtaxat illum vulnerare; quia reapſe eſt cauſa injuſta mortis, & damnorum illam conſequentium. An autem teneatur fugere, ſi poſſit, ne invadentem vulneret &c.? Abſolute loquendo ad id tenetur, ne ſit cauſa injuſta damni invaſori illati. Si autem qui invaditur ſit perſona equeſtris, aut militaris, cui magnum dedecus fuga ſit allatura, & plerumque totam rationem ſuæ ſuſtentationis ſit ſublatura; tunc plures dicunt, quod fugere non teneatur, ſed poſſit ſe defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ, fuſe explicato in tract. 9. cap. 2. §. 1. Verum hæc opinio videtur non poſſe amplius ſuſtineri, poſt damnatas a Benedicto XIV. Theſes, quas retulimus in Tract. 4. cap. 9. §. 5. de Duello.

Caſus non rarus.

VIII. Petrus v. g. ſolis verbis contumelioſis afficit alterum, qui ira commotus invaſit Petrum armis, a quo ut Petrus ſe defenderet, cum ipſi non ſuppeteret alius evadendi modus, compulſus fuit aggreſſorem occidere. Petrus quamvis graviter peccarit contumelias proferendo, non peccavit occidendo occiſione vere, & mere defenſiva, neque ad damna ex occiſione ſecuta tenetur: quia contumeliis affectus injuſte egit, aggrediendo Petrum factis privata auctoritate; & proinde Petrus juſte ſe defendit; & cum, ut ſupponitur, non haberet alium ſe defendendi modum, juſte occidit. E contra dicendum, ſi Petrus rixam incepiſſet factis, alterum aggrediendo, a quo ut ſe defenderet, utpote valentiore, compulſus fuit illum occidere; teneretur ad damna ſecuta ex occiſione; quia Petrus non verbis tantum, ſed factis fuit primus injuſtus rixæ promotor, & ſe poſuit in cauſa voluntaria illum occidendi. Quod ſi liquido conſtaret, illum a Petro invaſum exceſſiſſe moderamen ſe defendendi, & proinde Petrum ob hunc exceſsum fuiſse compulſum illum occidere, videretur Petrus non teneri, cum illius exceſsus Petrus non fuerit cauſa: Quia autem id diſcernere liquido, eſt moraliter impoſſibile; ideo in caſu dubii Petrus teneretur ad damna ex occiſione ſecuta, cum certum ſit, ipſum fuiſſe primum injuſtum aggreſsorem. Si vero Petrus in fervore rixæ voluiſset deſiſtere, & id ſignificaſset congreſsori, qui deſiſtere nollet, ſed proſequeretur pugnam; tunc ſi Petrus ob juſtam ſui defenſionem, quin alius modus ſuppeteret, illum occideret, ad nil teneretur ex occiſione; quia tunc non amplius Petrus, ſed iniquus proſequutor pugnę eſset in cauſa ſuæmet occiſionis, dum acceptare tenebatur oblatam a Petro ceſsationem a pugna. Quod ſi Petrus hujuſmodi ceſsationem animo dumtaxat conceptam non ſignificaſset, ſecuta occiſione pugnantis, teneretur ad damna ob rationem ſupra datam.

Caſus alter non rarus.

IX. Si, dum Petrus ſtricto gladio invadit Paulum, ut illum percutiat, alius tertius id videns, evaginato gladio aggreditur Petrum, ipſumque conſtringit ad ſe defendendum, & ita aggreditur, & proſequitur, ut manifeſtet animum percutiendi, & vulnerandi illum; qui non habens alium evadendi modum, ferit mortaliter illum tertium, qui voluit Paulo ſuccurrere; tenebitur ne Petrus ad damna vulnerato illata? Salvo meliori judicio, videtur ad nil teneri. Quia quamvis Petrus injuſte egerit tentans aggredi Paulum, non tamen injuſte ſe defendit ab illo ſpontaneo Pauli defenſore, active Petrum aggrediente: ſi igitur injuſte non ſe defendit, cum neque illum injuſte provocaverit; non ſupereſt ratio, propter quam obligandus ſit ad damna vulnerato illata.

Quando vulnerans in duello teneatur ad damna?

X. Occidens aut vulnerans in duello voluntarie ſuſcepto ab utraque parte, non tenetur ob damna vulnerato illata; quia ex quo voluntarie pugnare ſuſceperint, ſua jura ſibi invicem ceſſerunt: conjunctis tamen neceſſariis, & aliis tenetur juxta dicta n. n. 3. 4. 5. Si autem qui occidit, aut vulneravit non voluntarie, ſed coacte pugnaverit, puta ne invaderetur, & hic occidatur a provocante, provocans procul dubio ad omnia damna tenetur,

tam-

Digitized by Google

tamquam cauſa injuſta omnium illorum. Si autem provocatus coactus occidat provocantem, Bannez 2. 2. qu. 62. art. 2. dub. 5. concl. 4., & cum eo alii negant teneri: Salonius ibidem controverſia 17. & cum eo alii affirmant teneri. Rationabilius diſtinguendum videtur dicendo, quod vulnerato ad nil teneatur, cum provocans fuerit in cauſa propriorum damnorum: Conjunctis autem vulnerati, & aliis &c., adhuc ſubdiſtinguendum: ſi pugna provocati judicetur licita coram Deo, quia pugnam evadere non potuit, ne occideretur, aut vulneraretur; & tunc ad nullum damnum reparandum tenetur, præſuppoſito quod pugnaverit debito moderamine &c., ſi autem ejus pugna coram Deo, & in conſcientia judicetur illicita, eo quod potuerit aliquo modo illam declinare, tunc conjunctis, & aliis tenetur de damnis ob rationem toties repetitam; quia damna illa proceſſerunt ex actione injuſta, & illis injurioſa, ut dictum fuit in numeris citatis.

* Ordinarie occiſor non tenetur ſolvere impenſas funeris; quia cum aliquando faciendæ fuerint, nil damni ex hac parte illatum eſt. Diximus ordinarie; nam ſi propter accellerationem mortis, majores ſumptus neceſſarii forent, ut ſi viri nobilis extra patriam occiſi cadaver ad proſapiæ ſuæ ſepulchrum tranſvehendum eſſet; tunc pro illo exceſſu fieri deberet reſtitutio, detractis tamen expenſis, ſi quas in itinere facturus fuiſſet ille, qui occiſus fuit.

Obſervandum autem 1. cum Petro Collet *tract. de Juſt. cap. 4. de reſtit. in particul. art. 2. ſect. 1. in reſp. ad Q.* 10. eum qui interficit hominem paulo poſt moriturum ex infirmitate, vel juſte a Judice morti tradendum, non teneri ad reſtitutionem niſi pro lucris ceſſantibus ſecundum breve illud tempus, quo ſupervicturus erat, cum occiſor non ſit tunc cauſa niſi modici illius damni. Secus vero ſentiendum foret, ſi ille ab alio injuſte necandus erat. In tali caſu profecto ad integram adſtringeretur reſtitutionem faciendam.

Obſervandum 2. eum, qui aliquem vulneravit, qui paulo poſt non ob vulnus, ſed ob aliam cauſam ex vulnere nullatenus promanantem e vita exceſſit, ſola quæ ex vulnere uſque ad diem mortis emerſerunt damna refarcire debere; cum horum dumtaxat cauſa extiterit. Quod ſi jam vulnerator cum vulnerato de certa ſumma tranſegiſſet, ſtandum eſſet conventioni, ut quæ in incertum peracta ſit. Idem eſt, ſi vulnerator a Judice ad certam ſummam condemnatus fuerit.

§. II. *De cauſis excuſantibus a reſtitutione propter homicidium, vulnerationem &c.*

I. JUxta dicta in capite 5. §. 27., excuſari videtur homicida, mutilans &c. a reſtitutione, ſi ut illam exequeretur, reducendus eſſet ad ſummam egeſtatem, decidendo a ſtatu ſuo juſte acquiſito; ita ut neque poſſet amplius alere familiam, collocare filias &c.; & alioquin illis, quibus teneretur ratione occiſionis, mutilationis &c., ex defectu reſtitutionis adeo grave malum non eſſent ſubituri, ut docet communior, & rationabilior. Quia lex naturalis, & præcipue chriſtiana charitas impedire videtur, ne creditores illi non indigentes, adeo gravi damno debitoris exigant credita ſua. Dixi non indigentes, quia ſi æqualiter circiter indigentia opprimendi eſſent, tunc iſtorum innocentia prævalere deberet reatui debitoris. Idcirco in praxi procurare debet debitor, dum per congruos mediatores, procurat reconciliationem cum perſonis læſis, ut committat eiſdem mediatoribus aut remiſſionem, aut dilationem reſpective debitorum apud creditores non indigentes. Quando non tenetur occiſor &c. ad reſtitutionem ob paupertatem?

II. Hinc impotentia aut abſoluta, aut reſpectiva excuſat a reſtitutione ſive facienda, ſive differenda, perpenſis, ut dictum eſt, mature circumſtantiis perſonarum &c., a prudenti confeſſario. Videantur dicta loco citato. Impotentia excuſat.

III. Vulnerans, mutilans, occidens cum debito moderamine, juxta dicta in tractatu 8. cap. 2. §. 2. ob defenſionem vitæ ſuæ, vel proximi, aut ſuæ propriæ pudicitiæ, ad nil tenetur; cum injuſtus aggreſſor vitæ, & impudicus aggreſſor fuerit damnorum ex ſui occiſione ſecutorum ſola cauſa. Pariter, juxta dicta ibidem §. 3., qui mutilat, vulnerat, occidit cum debito moderamine in eo capite explicato, ob defenſionem bonorum temporalium maximi momenti, & neceſſariorum pro ſtatus juſte acquiſiti honeſta conſervatione, ad nil tenetur, juxta mihi probabiliorem Sancti Antonini, Cajetani, Silveſtri, Soti, cum quibus Navarrus, Vaſquez Excuſatur occidens aut ob defenſionem pudicitiæ, aut vitę proprię, & proximi.

quez & alii. Ratio manifeſta, quia cum, ut ibidem probavimus, actio mutilandi &c. non ſit injuſta, neque ad damna conſtringit reparanda. Quam opinionem etiam S. Thomas, ut veram præſupponit 2. 2. quæſt. 64. art. 7., ubi probans, quod liceat occidere ſe defendendo, ait, afferens illud Exodi 22.: *Si effringens fur domum, ſive ſuffodiens inventus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis*: hæc in Exodo: ſequitur Angelicus; *ſed multo magis licitum eſt defendere propriam vitam; quam propriam domum; ergo &c.* Qui arguendi modus profecto declarat ſuam mentem, noſtræ opinioni patrocinantem.

* Relege quæ circa occiſionem, vel mutilationem ob defenſionem propriæ pudicitiæ adjecimus *tract.* 8. *cap.* 2. §. 2. *num.* 3. & quæ circa occiſionem ob defenſionem bonorum temporalium etiam maximi momenti addidimus *ibidem* §. 3. *num.* 4.

Defenſio honoris & famæ non excuſat occidentem &c. a reſtitutione.

IV. Defenſio honoris aut famæ non excuſat occidentem, mutilantem, percutientem proximum neque a peccato injuſtitiæ, neque a reſtitutione damnorum ex occiſione, mutilatione, percuſſione ſecutorum, ut ſentiunt communiter Doctores cum Bannez, & Soto, præcipue qui ſcripſerunt poſt damnatas theſes 17. 18., & 30. ab Innoc. XI. relatas in tractatu 8. cap. 2. §. 2. ubi probatum fuit, hujuſmodi defenſionem non eſſe licitam. Ex quo ſequitur, quod ſi ſit illicita, & injuſta, teneatur occidens, mutilans &c. & ad omnia damna inde ſecuta omnibus illis, quibus diximus, teneri injuſtum occiſorem &c.

Hic agendum eſſet de reſtitutione ob damna ſpiritualia proximo illata per peccatum ſcandali. At de hoc ſatis dictum habes in tractatu 4. Capite 9. §. 6. n. n. 27. 28. 29. 30.

TRACTATUS X.

DE

CONTRACTIBUS

IN GENERE, ET IN SPECIE.

Juremerito tractatui in ſeptimum Decalogi præceptum adjungitur communiter a Doctoribus Tractatus de Contractibus, quippe cum in illis quoque ſit omnino æquitas obſervanda, damnumque proximi, quod mille modis in contrahendo ſubrepere poteſt, præcavendum. Tractatum in duo Capita dividemus; in quorum primo de Contractibus generatim; in ſecundo de eorum ſingulis ſpeciebus differetur.

CAPUT PRIMUM,

DE

CONTRACTIBUS

GENERATIM.

§. I. *De natura, & multiplicitate Contractus.*

Contractus, quatenus comprehendit tam contractum proprie dictum, quam improprie talem, definitur ab Ulpiano, cui communiter omnes ſubſcribunt leg. 1. ff. de pact. *Pactum, atque conſenſus duorum, vel plurium in idem placitum*: qua definitione comprehenduntur etiam Promiſſio, & Donatio, quæ non inducunt obligationem niſi in uno tantum, nempe in promittente, & donante, cum alioquin revera ſint pacta, atque conſenſus duorum, vel plurium, nempe promiſſarii, & donatarii in idem placitum cum promittente, & donante. Contractus autem proprie, & ſtricte acceptus, quatenus affert obligationem in duobus, vel pluribus contrahentibus in lege *Labeo* ff. de verbor. Signifi. definitur *obligatio ultro, citroque*, ideſt mutua, & reciproca inter contrahentes, ad commutativam, & ſtri-

Explicatur natura contractus.

ſtrictam juſtitiam pertinens. Certum eſt, contractum aliquo exteriori ſigno celebrandum eſſe, quippe quod cor ſoli Deo innoteſcat, nec hominibus manifeſtetur niſi per exteriora ſigna. Hujuſmodi mutua obligatio oritur nedum ex contractibus proprie acceptis, verum etiam ex illis, qui a jure vocantur quaſi contractus, & ſunt illæ obligationes, quæ exurgunt ex officio vel commiſſo, vel ſponte ſuſcepto; puta Medici, Advocati, Procuratoris, Tutoris &c. ex eo enim quod aliquis hæc munera vel ſponte, vel commiſſa ſuſcipit, ſimul ſuſcipit obligationem a tali munere individuam, utiliter, & diligentia reſpective requiſita obeundi tale miniſterium.

Explicatur prima Contractus diviſio in formalem, & virtualem.

II. Dividitur ergo primo contractus in formaliter talem, qui eſt duorum, vel plurium expreſſa conventio circa eamdem rem cum mutua contrahentium obligatione, vel ſaltem cum obligatione unius erga alterum: & in virtualiter talem, qui etiam dicitur quaſi talis, & eſt ille, in quo tacite, & implicite ſuſcipitur obligatio juſtitiæ ex ſuſceptione alicujus facti, aut actionis licitæ; uti faciunt dudum memorati, Medici, Curatores &c. quorum obligatio reſpective conſurgit, aut ex naturali æquitate, aut ex lege, aut ex conſuetudine.

Secunda Contractus diviſio in Nominatum, & in Innominatum.

III. Dividitur ſecundo contractus in Nominatum, & Innominatum; primus ille eſt, qui nomine proprio gaudet; puta emptionis, locationis &c.: ſecundus ille eſt, qui caret nomine ſpecifico, & gaudet ſolo generico pacti, aut contractus. Hujus quatuor ſunt ſpecies, nempe: Do, ut facias: Do, ut des: facio, ut des: facio ut facias. Hi contractus, ut obſervant Doctores, hanc habent proprietatem, quod una pars contrahens poteſt reſilire, quamdiu altera pars non implevit: v. g. ſi Paulus dedit pecuniam Petro, ut veheret talem mercem Romam, poteſt Paulus pecuniam datam repetere, antequam Petrus Romam verſus iter ſuſcipiat, poſito quod nullum damnum exinde Petrus incurrerit; eo quod mercem illam Romam mittere non amplius expediat Paulo.

Tertio in Onerosum, & Gratuitum.

IV. Dividitur tertio in Onerosum, & Gratuitum: primus ille eſt, in quo ex utraque parte aliquod onus incurritur. Secundus ille eſt, in quo onus eſt ex una parte tantum, & altera nil rependere debet, ut donatio.

Quarto in illum [illegible]

V. Dividitur quarto in contractum, qui dicitur ſtricti juris, & in illum, qui dicitur bonæ fidei: in primo agendum eſt ſecundum rigorem verborum, ſeu juris ſcripti, ſeu prout ſtat ſcripto exaratum; puta in Legato, Teſtamento, Donatione ſcripta &c. Secundus ille eſt, in quo nedum ſervanda ſunt ea circa quæ conventum fuit, verum etiam judicandum eſt pro æquo, & bono, quamvis in conventione non fuerit expreſſum; puta in contractu Emptionis, Venditionis, Locationis, Conductionis, Permutationis, Commodati, Mandati, Pignoris, Depoſiti, Societatis, in quibus aliqua non raro facienda ſunt, æquitate naturali ita fieri poſtulante, quamvis de illis nulla intercelſerit conventio.

qui dicitur ſtricti juris, & illum qui eſt bonæ fidei.

Quinto in Nudum, & Veſtitum.

VI. Dividitur quinto in Nudum, & Veſtitum: primus conſiſtit in conventione aliqua carente eo firmamento, quod pariat actionem in foro externo: & hujuſmodi ſunt omnes contractus Innominati, antequam ex altera parte impleantur, niſi tamen accedat formula aliqua ſtipulationis, vel juramenti. Secundus conſiſtit in illa conventione, quæ innititur aliquo fundamento; unde aditum relinquit inſtituendi actionem in foro externo: tales ſunt conventiones innixæ ſtipulationibus ſcriptis, aut juramento, aut teſtibus &c.

Sexto in illum, qui rei traditione perficitur, & in illum, qui ſolo aſſenſu conſummatur.

VII. Dividitur ſexto in illum, qui perficitur quoad ſubſtantiam traditione rei; puta Commodatum, Mutuum, Pignus &c., & in illum, qui ſolo aſſenſu quoad ſubſtantiam perficitur; ut eſt Locatio, Venditio, Emptio &c., quæ quamvis conſummentur traditione, ſubſtantialiter tamen perficiuntur per aſſenſum contrahentium.

Septimo in Purum, & Modificatum.

VIII. Dividitur ſeptimo in Purum, ſeu Simplicem, & Modificatum. Purus nullo accidente, ſeu modo afficitur; ut eſt ſimplex venditio. Modificatus eſt ille, qui aliquo modo afficitur; quique modis quinque affici poteſt: primus dicitur adjectionis in diem, dum præfigitur dies, ante quam non oriatur obligatio ſolvendi, vel tradendi rem, vel inſtituendi actionem &c. Secundus dicitur ſub modo, quando additur aliquis modus, ſub quo contractus obliget, v. g. quando donatio fit cum pacto, ut res donata, per menſem concedatur alteri ad uſum, vel cum pacto ut ille, cui donatur, commodet alteri aliquid aliud. Tertius dicitur ad cauſam, eo quod fiat ob aliquam cauſam; v. g. dono tibi, quia pauper es. Quartus dicitur ad demonſtrationem, quando apponitur aliquod ſignum ad rem, vel perſonam deſignandam, v. g. dono tibi viginti aureos in [illegible]

Quinque modis quibus aſſici poteſt Modificatus.

li arca depoſitos, vel qui mihi debentur a Petro. Quintus dicitur ad conditionem, quando aliqua apponitur conditio; v. g. promitto tibi meam bibliothecam, ſi lauream doctoratus conſequeris.

Obſervationes circa modo dicta; & primo circa contractus in ſolo aſſenſu,& in ſola traditione re ſubſtantialiter conſiſtentes.

IX. Nonnulla ſuperſunt obſervanda circa indicatos contractus: & primo ad dignoſcendum, quales ſint contractus, quorum ſubſtantia in aſſenſu mutuo contrahentium conſiſtit; & quales, quorum ſubſtantia in ipſa traditione rei; hanc regulam tradit Bartolus in lege Jurisgentium in princip. cap. 2. ff. de pactis, quod videlicet attendendum ſit ad nomen contractus. Si enim nomen contractus ſignificet actionem ipſam, ſeu rem exteriorem, contractus ſubſtantia conſiſtit in ipſa actione, & traditione: v. g. nomen Depoſiti, quod ſignificat ipſam actionem deponentem, remve depoſitam. Quando autem nomen contractus ſignificat aſſenſum, conventionem, pactum, tunc contractus ſignificatus per tale nomen, conſiſtet ſubſtantialiter in ſolo aſſenſu ſignificato: v. g. nomen Locationis denotat mutuam conventionem Locatoris, & Locatarii: & ſic de aliis. Et quamvis leges, ad plura evitanda incommoda, diſpoſuerint, quod in contractibus locationis, & venditionis, quamvis ſubſtantialiter in conſenſu conſiſtentibus, res pertineat ad illum, cui reapſe traditur, quamvis alteri antecedenter fuerit locata, aut vendita; non tamen eximitur venditor, & locator, qui primum decepit, ad ſarcienda huic omnia damna ex deceptione ſua eidem ſecuta; quod ſatis comprobat violaſſe juſtitiam contractus, qui jam ſubſtantialiter ſubſiſtebat.

Obſervanda circa contractum ſub modo.

X. Circa contractum ſub modo, obſervandum occurrit, quod ſtatim obliget, etiamſi modus impoſitus non impleatur; quia quamvis ſubſiſtat gravis obligatio implendi modum, ſeu onus a modo impoſitum, eſt tamen quid ſequens & præſupponens diſpoſitionem jam perfectam, cum ſit quid eidem adjectum: aliter eſſet idem contractus ſub modo, & ſub conditione, cum tamen ſint diverſi. Si autem contractui ſub modo addatur pactum nullitatis, niſi modus impleatur, tunc evadit contractus ſub conditione, & non eſt contractus ſub modo.

Obſervanda circa contractum ad Cauſam.

XI. Circa contractum ad Cauſam, jam patet, quod ſi ſit cauſa finalis, ea non ſubſiſtente, contractus cadat: unde ſi promiſi Petro domum quia pauperi, ſi talis non ſit, promiſſio cadit. Quod ſi eſſet cauſa dumtaxat impulſiva, & non eſſet vera, ſubſiſtente alioquin finali, contractus ſubſiſteret: puta ſi promiſerim Petro de me benemerenti domum, & etiam quia aliam domum non habenti: etiamſi aliam habeat, tenet promiſſioni; quia finalis cauſa meritorum Petri ſubſiſtit.

Obſervanda circa contractum ad Demonſtrationem.

XII. Circa contractum ad demonſtrationem notandum, quod ſi falſitas demonſtrationis non pertineat ad ſubſtantiam rei demonſtratæ, ſubſiſtit contractus, ſecus ſi ad ſubſtantiam: v. g. lego Petro agrum, qui eſt prope mœnia civitatis, & conſtat decem jugeribus, cum alioquin conſtet duodecim; vel dono Petro anulum tot lapillis conſtantem, quem emi Venetiis, cum illum emerim Romæ; ſubſiſtit legatum, & donatio; quia ſubſiſtit ſubſtantia rei demonſtratæ, & error eſt circa accidentalia. Si autem falſificetur ſubſtantia rei demonſtratæ, cadit: v.g. dono Petro anulum aureum conſtantem decem adamantibus falſis, cum adamantes inveniantur boni. Ulterius notandum, quod demonſtratio aliquando ponitur *taxative*, aliquando *demonſtrative*: tunc taxative, quando diſpoſitio incipit a numero, vel menſura rei demonſtratæ; v. g. cum quis dicit, lego triginta aureos Petro, qui ſunt in tali capſula; vel lego centum ulnas panni, qui eſt in tali arca: & tunc ſi in illa capſula, aut arca inveniantur plures quam triginta aurei, & plus quam centum ulnæ panni, triginta dumtaxat ſunt accipiendi, & ſolum centum ulnæ; eo quod diſpoſitio demonſtrationis ſit principaliter taxativa. Quando autem diſpoſitio incipit a re ipſa, quæ donatur, vel legatur, & deinde ſubjungitur numerus, vel menſura, tunc diſpoſitio eſt demonſtrativa: v. g. dicendo: lego Petro pecuniam, quæ eſt in tali arca, quæ eſt ſummæ centum aureorum; tunc etiamſi aſcendat ad mille, ſpectat ad Petrum; quia diſpoſitio eſt principaliter demonſtrativa, & non præcipue taxativa; unde debetur totum id, quod demonſtratur. Ita ex Jure apud Auctores.

§. II. *De voluntate, & qualitate aſſenſus requiſiti ad contrahendum.*

Præmittuntur certo tenenda.

I. Certum eſt apud omnes, contrahentem ſine voluntate adimplendi, teneri ad contractum, cum adimpletio ſequatur ad eſſentiam contractus, qui non conſiſtit in voluntate adimplendi, ſeu contrahen-

trahendi. Certum quoque eſt, contrahentem, non habentem contrariam intentionem, valide contrahere; quia hoc ipſo quod voluntarie contrahit, implicite vult, quod ſejungi nequit a contractu, nempe obligationem. Certum item eſſe debet, requiri in contrahente voluntatem vel implicitam, vel expreſſam ſe obligandi; cum enim id ſit de quidditate contractus, ut patet ex definitionibus datis, hac deficiente, non ſubſiſteret contractus. Nec propterea ficte contrahens ſolum externus, abſque aſſenſu in contractum & obligationem, eximeretur ab implendo, quod exterius ſignificavit; quia tenetur hanc deceptionem tollere per verum aſſenſum; ad quod poteſt compelli a judice, exceptis nonnullis caſibus alibi recenſendis. Unde & emptor a ficto venditore vere dominium acquirit rei venditæ, cui tenetur venditor illam tradere: quod ſi obſtinate nolit, dicens ſe non contraxiſſe, tenebitur ad omnia damna emptori inde emergentia; quia deceptione ſua injuſta fuit eorum cauſa.

Notanda. II. Notandum ex jure, quod error eſt unum pro altero putare; dolus autem eſt quæcunque fallacia, calliditas, aut machinatio ad circumveniendum, & decipiendum adhibita. Error verſari poteſt vel circa ſubſtantiam rei, puta accipiendo ſiliginem pro tritico; vel circa accidentia & qualitates ejuſdem; accipiendo triticum vetus pro novo. Ad errorem circa ſubſtantiam reducitur error circa naturam contractus; v.g. putans tibi donari, quod tibi venditur; nec non error circa motivum finale contractus; v.g. donas Petro, quia putas eum tibi conſobrinum, cum neque ſit conſanguineus. Error proficiſci poteſt a triplici perſonarum genere; nempe vel ab altero contrahentium, qui a ſeipſo decipitur; vel ab altero contrahente volente ſuam compartem decipere, & hic eſt dolus; vel ab altera tertia perſona, quæ non eſt contrahens, & hæc poteſt aut errare, aut doloſe agere.

Quomodo error invalidet contractum? III. Aſſenſus procedens ex errore, aut dolo verſante circa ſubſtantiam rei, reddit contractum nullum; quia tollit aſſenſum, qui non eſt, niſi v. g. in gemmam, & non in vitrum. Aſſenſus procedens ex errore aut dolo verſante circa qualitates rei, quæ non ſint expreſſe & tanquam finis intentæ, non reddit irritum contractum; quia adhuc ſubſiſtit aſſenſus circa ſubſtantiam datus; & quamvis forte non contraxiſſet, ſi carentia illarum qualitatum ſibi innotuiſſet; nihilominus contractus ſubſiſtit, quia aſſenſus datus fuit v. g. in illam perſonam, quam putavi divitem, pulchram, cum talis non ſit. Conſulto dixi qualitates, quæ non ſint expreſſe, & finaliter intentæ; quia ſi illæ expreſſe intendantur ita ut, illis non extantibus, contractus ſubſiſtere non debeat, tunc palam eſt, eas tranſire in ſubſtantiam rei, & niſi extent, contractus eſt nullus. Advertat tamen contrahens, ut ſe exprimat; ne deinde compellatur ſtare contractui. Decipiens alterum quoad qualitates, quamvis non finaliter intentas, tenetur redintegrare deceptum pro eiſdem, meliori modo quo fieri poterit prudentum judicio; aut ſi deceptio provenerit ab altero contrahentium, poteſt ad petitionem decepti contractus reſcindi, juxta probabiliorem, maxime ſi deceptio ſit circa qualitatem notabilem, & contractus ſit reſcindibilis: nam de matrimonio dicetur ſuo loco. Non poteſt autem decipiens petere reſciſſionem, immo poteſt obligari a decepto, ut ſtet contractui; quia juſtum eſt, ut decipiens pœnam luat ſuæ deceptionis, quæ ipſi ita vere nunquam debet. Si demum deceptio proveniat ab altero tertio, & non ab aliquo contrahentium, tunc non eſt reſcindibilis contractus ad petitionem decepti, ſed firmus ſubſiſtit, cum alter contrahens nullam culpam habeat; ſed decipiens ille tertius tenetur ad damna illa reſarcienda decepto, quippe qui fuerit eorum injuſta cauſa.

* Sentiunt nonnulli, contractum, in quo emptor etiam ex dolo venditoris ultra dimidium pretii deceptus eſt, reſcindi non poſſe ad arbitrium emptoris, ſed ad æqualitatem reduci debere, niſi venditor eum reſcindi conſentiat. Porro reſtituendus videtur exceſſus ſupra pretium, quod dediſſet emptor, re, ut erat, cognita.

Exceptio a notatis regulis. IV. Excipiuntur ab his regulis Promiſſio mere gratuita, & Donatio mere liberalis; in quibus ſi interveniat error circa notabilem circumſtantiam, revocari poſſunt, quia cum fundentur in mera largitate unius partis, abſque ullo jure alterius; cenſetur, quod pars ſe obligans non velit ſe obligare, ſi error circa circumſtantiam notabilem dederit cauſam contractui.

Excipiuntur etiam ſponſalia, in quibus major libertas requiritur, cum directa ſint

Digitized by Google

ad mutuum amorem, & ad ineundum indiſſolubilem matrimonii nexum.

Qualiter invalidet metus?

V. Aſſenſus ad contractum debet item immunis eſſe a metu. Varias metus diviſiones vide in tract. 3. cap. 2. §. 3., ne hic inutiliter repetantur; quibus denuo viſis, accipe ſequentia. Metus gravis aut a principio intrinſeco, puta metus mortis ab infirmitate gravi excitatus: aut a principio extrinſeco naturali, ſeu neceſſario ortus, puta metus mortis ob naufragium imminens, non facit irritum contractum; quia nec tollit voluntarium, neque illud injurioſe minuit; cum tam infirmitas, quam naufragium ſint a Deo ſupremo Mundi Gubernatore, & Domino. Metus item gravis & juſte excitatus a principio libero extrinſeco, puta a Genitore comminante ſe accuſaturum ſtupratorem filiæ apud judicem non reddit irritum contractum, v. g. promiſſionis factæ a ſtupratore, ut accuſationem juſtam declinet; quia ex una parte relinquit contractum voluntarium, & liberum ſimpliciter, & ex alia parte promittenti nulla fit injuria; eo quod metus excitetur ex timore mali, quod incutiens jus habet comminandi, nempe accuſationis apud judicem; unde nihil adeſt, ex quo nullus efficiatur. Si autem metus incutiatur injuſte a præfato principio libero, puta ſi dictus genitor comminetur mortem, niſi ſtuprator promittat ſe filiam ducturum, qui metus dirigitur ad extorquendam promiſſionem; tunc quamvis irritum non reddat contractum, quippe quod ſit voluntarius, relinquit tamen illum reſcindibilem ad beneplacitum illius, cui injuſte incuſſus fuit dictus metus; eo quod ineatur contractus cum gravi injuria contrahentis, quæ neque debet ipſi nocere, neque prodeſſe metum inferenti injuſte; non enim habet genitor ille jus in vitam ſtupratoris, ſicut illud habet in accuſationem ejuſdem. Hæc ſunt communia apud omnes. Quando metus injuſte incutitur non ad extorquendum contractum, tunc diſtinguendum eſt: ſi enim contractus ineatur cum alia tertia perſona, quamvis ex metu injuſto, & non directo ad extorquendum contractum, ut dixi, tunc ſubſiſtit contractus, neque eſt reſcindibilis; quia eſt ſubſtantialiter, & ſimpliciter voluntarius, & alioquin perſona, cum qua initur, innocens eſt, neque metum incutit: unde non debet eſſe obnoxia reſciſſioni contractus. Si vero incutiatur metus a parte contrahente, cum qua contraho, vendo, emo, loco &c., ut me liberem a malo mihi ab ea comminato, quamvis non ad extorquendum contractum, tunc remanet reſcindibilis ad meum beneplacitum: quia metum injuſte incutiens gravem mihi injuriam infert, & quia illam non vult auferre, ſicuti tenetur; ideo eligo ſecum contrahere emptionem, venditionem &c., ut me liberem; ac proinde niſi reſcindere poſſem venditionem, promiſſionem &c., injuſtitia illius eidem prodeſſet, quod nunquam verum eſſe debet.

Notandum circa modo aſſetta.

VI. Notandum quod actio redhibitoria, ſcilicet per quam poteſt metum paſſus reſcindere contractum, & rem ſuam, pretium &c., repetere, durat per ſex menſes ex jure communi. Ille tamen, qui metum incuſſit nunquam ſecurus eſt in conſcientia, niſi aut reſtituat, quæ per talem metum acquiſivit, aut ab eo, qui metum paſſus fuit omnino libere tandem declaretur ratus contractus initus. Nota inſuper jure ſpeciali declarari nullos, & invalidos contractus Matrimonii, Sponſaliorum, & Profeſſionis Religioſæ metu gravi injuſto ad extorquendum contractum celebratos; non autem ſi ineantur ex metu levi, aut reverentiali; de quibus in propriis locis diſſeretur.

* Non ſolum actio *redhibitoria* in foro exteriori competit ei, qui deceptus ab alio, aut metum paſſus contraxit, ſed etiam actio, quæ dicitur *quanto minoris*, & actio quæ vocatur *in id quod intereſt decepti non decipi*. Actio quæ dicitur *quanto minoris* datur ad repetendum a venditore exceſſum pretii, ſeu tantum quanto minoris emptor rem illam fuiſſet empturus, ſi defectum ejus cognoviſſet. Hæc actio per annum durat, & idcirco intentari ab eo poteſt, qui actionis redhibitoriæ tempus imprudenter effluere permiſiſſet: conceditur etiam eadem actio iis qui decepti ſunt infra dimidium juſti. Actio vero, quæ vocatur *in id quod intereſt decepti non decipi* eſt jus non ſolum reddendi rem, aut pretii exceſſum non obtinendi, ſed etiam habendi compenſationem damnorum omnium, quæ ex contractu ſubſecuta ſunt: ut ſi quis vendiderit ovem morbidam, quæ alias infecit, tenetur ad compenſandum quidquid ceſſavit lucri, aut damni emerſit.

Alii

Digitized by Google

Alii ſunt contractus præter recenſitos ab Auctore *num. præced.* qui jure poſitivo ſunt irriti, ſi fiant ex metu gravi injuſte incuſſo; nimirum 1. Promiſſio dotis, vel ejus ſolutio. *l. 21. §. de eo quod metus cauſa, &c.* 2. Promiſſio, vel traditio rerum Eccleſiæ cap. 2. *de jurejur.* 3. Juriſdictio metu extorta ex l. 2. §. *de Judic.* 4. Addunt bene multi contractum initum cum pupillo per auctoritatem Tutoris metu obtentam; item electionem per metum factam.

Metus levis an impediat contractum.

VII. Metus levis, ſi injuſte incutiatur, & vere det cauſam contractui, itaut ſi contrahens immunis fuiſſet a dicto timore, certe non contraxiſſet; quamvis in foro fori nec nullum efficiat contractum, nec præbeat facultatem reſcindendi; in foro tamen conſcientiæ, ſi reapſe fuerit cauſa totalis contrahendi, relinquit contractum arbitrio metum paſſi reſcindibilem; & qui metum incuſſit, reſtituere tenetur, quia etiam præfatus metus in caſu infert veram injuriam, & eſt injuſtus, & propterea qui illum incutit, tenetur tollere, & pro eodem compenſare, qui illum paſſus fuit, nedum reſtituendo rem, aut pretium, verum etiam damna ſi quæ evenerint.

§. III. *De Materia, & Obligatione Contractus, necnon de Perſona ad contrahendum idonea.*

Materia Contractus?

I. MAteria contractus ſunt omnia bona, quorum quis & dominium, & adminiſtrationem habet, & quæ jure vel Divino, vel humano prohibita non ſint cadere ſub conventione. Ratio ſingularum partium eſt manifeſta; quia cum contractus dominium transferat, ſequitur quod res, quæ contractui ſubiicitur, debeat eſſe in dominio, & adminiſtratione contrahentis: Debet item eſſe res, quæ aliquo jure prohibita non ſit cadere ſub conventione, quales ſunt res omnes vitio ſimoniæ tam juris Divini, quam Eccleſiaſtici obnoxiæ, ut dictum eſt tr. 4. cap. 13. §. 8., & ſequentibus.

Obligatio contractus.

II. Omne pactum, omniſque contractus validus, etiamſi actionem in foro præbere non valeret, obligat in conſcientia; quia naturali jure fides data, quoulque fieri poteſt, ſervanda eſt; aliter periret humana fides, humanaque ſocietas ſubverteretur. Conſulto addidi validus; quia ſi irritetur a jure, cum contractus ſit nullus, nullam obligationem parere valet. Neque dicas inde ſequi, quod ſi quis abſque ullo interiori conſenſu, immo hoc excluſo ſolum exterius contraheret, nullam obligationem incurreret. Reſpondetur enim, quod reapſe ex vi contractus nullam contraheret obligationem, cum, deficiente aſſenſu, non adſit contractus; teneretur tamen in conſcientia ex aliis capitibus, nempe ad omnia damna, ſi quæ alteri contrahenti obvenerint ex deceptione ſua, ut etiam ſuperius dictum fuit; immo teneretur ad revalidandum contractum per verum aſſenſum.

Varii ſtatus hominis ſecundum jura?

III. Perſonæ ad contrahendum habiles ſunt, quæ uſu rationis potiuntur, liberaque bonorum adminiſtratione, & facultate legitima diſponendi de bonis ſuis. Et ne hic plura inutiliter repetantur, vide tradita in tr. 9. cap. 2. §. §. 2. & 3., ubi de dominio filiorum, & uxorum diſſertum fuit. Solum igitur hic nonnulla ſunt addenda. Et primo notandum eſt, ut infra abſque errore intelligantur, quæ ſæpe apud auctores leguntur circa varios ſtatus hominis, quod Infans dicitur in jure, qui nondum ſeptennium explevit: infantiæ autem proximus dicitur a ſeptimo uſque ad decimum annum cum dimidio, ſi ſit mas, vel uſque ad nonum cum dimidio, ſi ſit fœmina. Pubes mas dicitur, qui explevit annum decimum quartum, fœmina autem dum explevit annum duodecimum; & ante hanc ætatem expletam dicuntur Impuberes: unde mas a decimo & dimidio uſque ad decimum quartum expletum; & fœmina a nono, & dimidio, uſque ad duodecimum expletum, dicuntur pubertati proximi. Pupillus eſt impubes, qui deſiit eſſe ſub Patris poteſtate, quia vel obiit, vel ab eo emancipatus eſt. Minor eſt pubes, qui annum vigeſimumquintum nondum expleverit; & eo completo vocatur Major: Pupillis aſſignantur Tutores; Minoribus Curatores.

Quid poſſint Pupilli?

IV. Pupilli infantiæ proximi contractibus obligari non poſſunt ob defectum ſufficientis judicii vel ob periculum hujus defectus: Unde ab Inſtit. de inutilit. ſtipul. §. 10. tollitur obligatio ab eorum contractibus; quod intelligendum eſt de contractu cedente in eorum incommodum; qui ſi cedat in eorum commodum, lex valorem eidem concedit. Monent tamen

Doctores, quod qui cum pupillo in ipſius favorem contraxit, poſſit ab executione contractus abſtinere; niſi tamen aut Tutoris aſſenſus, aut Judicis decretum intervenerit; quia tunc exequendus eſſet. Si pupillus de conſilio ſui Tutoris contraxiſſet, obligaretur ad contractum; & caſu quo Tutor in ipſius præjudicium conſilium dediſſet, poſſet contra Tutorem actionem inſtituere. Bona immobilia, & etiam mobilia Pupilli, & Minoris, quæ ſervando ſervari poſſint, alienari nequeunt ſine licentia judicis, motivum alienationis approbantis: ita ex lege 22. Cod. de adminiſtr. Tutor. vel Curat. Mobilia autem quæ ſervando ſervari non poſſunt, qualia reputantur, quæ triennio durare nequeunt, de licentia Tutoris a pupillo alienari poſſunt. Minores autem Curatore carentes poſſunt hæc alienare propria auctoritate: qui ſi, contrahendo, læſionem paſſi fuiſſent, poterunt a judice obtinere beneficium reſtitutionis in integrum. Pupilli, qui ſine licentia Tutoris de bonis mobilibus contrahunt, nedum non obligantur in foro externo, ut omnes fatentur, verum etiam neque naturali jure, & in foro conſcientiæ, ut tenet probabilior; quia quando contractus aliquis ſimpliciter, & abſolute a lege irritatur, abſque eo quod irritatio expreſſe limitetur pro foro externo, tunc irritatur etiam pro foro conſcientiæ; aliter inutilis foret adjuncta illa limitatio, quando additur: irritatio autem omnium contractuum a pupillo celebratorum eſt ſimpliciter, & abſolute ſancita; nam in Inſtitutis titulo *quibus alienare liceat*, dicitur: *Neque pupillum, neque pupillam rem ullam ſine Tutoris auctoritate alienare poſſe... nec debitum ſolvere ſine auctoritate Tutoris poſſe: quia id quod ſolvunt non fit recipientis, cum ſcilicet nullius rei alienatio eis ſine tutoris auctoritate conceſſa ſit*. Et in leg. 11. §. de acquir. rerum. domin. dicitur: *Pupillus quantum ad acquirendum non indiget tutoris auctoritate; alienare vero nullam rem poteſt, niſi præſente tutore.* Si igitur nulla invenitur limitatio, alienatio prohibetur etiam jure naturali. Si tandem Pupillus mutuum accipiat ab aliquo, qui bona fide mutuat, ut ejus indigentiæ ſuccurrat; debet, qui mutuavit, reſarciri, definiente lege 5. §. de auctorit. & conſenſu Tutor. quod pupillus *naturaliter obligatur, in quantum locupletior factus eſt*; quod evenit in caſu; neque enim ratio naturalis dictat, quod pupillus locupletetur cum damno bona fide mutuantis. Unde quando in leg. 19.; §. de oblig. & action. dicitur: *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, nequidem naturaliter obligatur*, intelligendum eſt de mutuante pecuniam in uſus inutiles. Plura alia videſis apud Juriſtas.

§. IV. *De ſolemnitatibus quorumdam contractuum a Jure præſcriptis.*

I. Contractus carentes ſolemnitatibus, aut circumſtantiis ad eorum valorem a jure ſive communi, ſive municipali præſcriptis, invalidi remanent, nullamque pariunt obligationem; quia ſi homines privati poſſunt contractus quos ineunt afficere conditionibus non injuſtis, quibus deficientibus, invalidi reddantur; cur id non poterunt Principes, & Reipublicæ reſpectu ſuorum ſubditorum, quorum voluntates, & bona ſubeſſe debent poteſtati legiſlativæ Superiorum, qui in talibus ſolemnitatibus, & conditionibus præſcribendis conſulunt bono publico, & rectæ bonorum particularium adminiſtrationi? Hinc deducitur, in omnibus contractibus ſervandas eſſe leges, & approbatas conſuetudines regionum, in quibus celebrantur. *Contractus carentes ſolemnitatibus, quando invalidi?*

II. Hinc tamen inferendum non eſt, quod omnis contractus contra legem factus ſemper ſit invalidus; quandoquidem non raro, ut legali axiomate utar, *multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent*. Si enim contractus dumtaxat prohibeatur ob quaſdam circumſtantias loci, perſonarum; temporis &c.; erit quidem illicitus, ſubſiſtet tamen validus: ita Matrimonium contractum tempore quadrageſimæ, illicite quidem, ſi abſque debita licentia, valide tamen celebratur: & idem dicas de eodem matrimonio quoad omnia impedimenta ſolummodo impedientia, non dirimentia. *Aliquando contra. ctus prohibiti, tamen ſubſiſtunt.*

III. Si interroges: unde nam cognoſci poterit, quando prohibitio nullum reddat, & quando illicitum dumtaxat contractum efficiat? Reſpondeo ex duobus capitibus id eſſe præſertim inferendum; primum, ex verbis legis, aut legiſlatoris, qui ſi dicat, contractum eſſe nullum, irritum; non poſſe ex eo quidquam tanquam debitum exigi; nullam parere obligationem; reſtituendum quod acquiſitum fuit; ſi hiſce ſimilibus utatur verbis; indicatur contra- *Quando prohibitio invalidet, quando non?*

ctus

ctus irritus; & prohibitus quoad ſui ſubſtantiam. Secundum, quando temerſi legiſlatori conſtaret, nullam contractui acceſſiſſe fraudem, nihilominus illum ut nullum reputaret, ſignum eſt, prohibitionem verſari circa ſubſtantiam: eapropter ſi quis in Italia matrimonium clandeſtine celebraret abſque ulla fraude, idque ſciretur ab Eccleſia, illud nihilominus ab eadem Eccleſia ut nullum haberetur.

CAPUT II.

DE

CONTRACTIBUS

IN SPECIE ET PRIMO DE PROMISSIONIS CONTRACTU.

§. I. *De Promiſſione Liberali, ejuſque affectionibus.*

Notio & conditiones promiſſionis. I. Promiſſio eſt libera atque ſpontanea Fidei obligatio de aliqua re licita & poſſibili, alteri præſtanda. Dicitur Fidei obligatio; quia cum in promiſſione res non detur, quod fit in donatione, tantummodo datur fides, & obligatur: & propterea promiſſio liberalis (nam oneroſa ſpectat ad alium contractum) non importat ſimplex propoſitum, quantumvis efficax, ſed obligationem fidei, nempe fidelitatis perſonæ promittentis. Debet eſſe item obligatio libera, immunis a quocunque errore circa ſubſtantiam rei promiſſæ, aut circa motivum finale, & a quocunque minuente voluntarium. Debet eſſe ſpontanea, & immunis a quocunque metu etiam reverentiali, vi, aut precibus multum importunis, & a quovis alio, integram ſpontaneitatem, ut ajunt, lædente. Debet eſſe de re licita, ut patet, quia de illicito præſtando nulla poteſt eſſe obligatio; & poſſibili, quia de impoſſibili non poteſt eſſe firma voluntas. Exinde promittens debet habere animum ſe obligandi, ut patet ex dictis in cap. præcedenti §. 2., ſufficit autem quod hic animus ſit virtualis, quamvis non formalis, quatenus promittens non ignorans vim promiſſionis, voluntarie promittit; aut quamvis ignoret vim promiſſionis, intendit tamen promittendo id agere, quod a prudentibus agitur.

Requirit receptationem. II. Requiritur etiam ex parte promiſſarii acceptatio, quia quamvis poſſit quis abſque alterius voluntate amittere dominium rei ſuæ, non tamen efficere poteſt ut res in alterius jus tranſeat, niſi ipſe velit. Et propterea quemadmodum promiſſio oneroſa includere videtur hanc conditionem, ſi alter voluerit ſe obligare ad illud dandum, vel faciendum; ita liberalis hanc conditionem includit, ſi alter voluerit acceptare. Hanc antequam acceptetur, revocari poteſt: quouſque tamen promiſſio non revocetur, perſiſtere cenſetur ex parte promittentis, qui illam non revocando, dum poteſt, oſtendit ſe velle illam ſubſiſtere, etiamſi poſt menſem acceptetur, ſi antea revocata non fuerit.

III. Acceptatio autem duplex eſt: una formalis & expreſſa per verba, aut ſigna manifeſtata; alia virtualis, quando ſilentio promiſſarii acceptatur, & approbatur; cum enim ſit in ſui favorem, hic præcipue valet illa regula: *Qui tacet, conſentire videtur.* Monent tamen aliqui, & quidem caute, non ſemper ſilentium ſignificare acceptationem rei oblatæ, alioquin gratæ; ſed id conjiciendum eſſe ex conditione perſonæ ſilentis. Nam aliquando promiſſio v. g. præbendæ magni momenti facta viro ſincere a ſimilibus abhorrente, ejus ſilentium Prælato promittenti nedum debet eſſe indicium acceptationis, immo potius repulſæ, quam non exprimit, in ſignum reverentiæ: attendenda igitur eſt conditio perſonæ tacentis, & qualitas rei oblatæ, ut ſilentium æquivaleat acceptationi. Duplex Acceptatio.

IV. Non ita dicendum eſt de Pollicitationibus, quæ ſunt meræ promiſſiones offerentis, quin acceptationem requirant; & propterea diſtinguuntur a pactis, & a promiſſione etiam mere liberali, quæ inter pacta enumeratur. Hæ pollicitationes fieri conſueverunt aut Civitati, ad reparanda damna v. g. quæ paſſa fuit ab incendio; aut Eccleſiæ ad pias cauſas &c.; & inducunt obligationem in pollicitante ad exequendum quod ſpopondit; præſupponuntur enim acceptatæ a Communitate, ab Eccleſia, & a Deo. Non ſic dicendum de Pollicitationibus.

V. Promittens liberaliter rem notabilem, ad quam præſtandam ſe intendit obligare obligatione legali & civili proprie accepta, & pro merito rei promiſſæ, ſi promiſſio acceptetur; juxta omnes tenetur ſub mortali ad promiſſionem implendam; quia adſunt omnia requiſita Promiſſio liberalis qualiter obliget?

Digitized by Google

Præmittuntur certa.

ad contrahendam gravem obligationem. Idem maxime dicendum, ſi promittens prævideat, vel prævidere debeat, quod niſi promiſſum præſtet, promiſſarius grave damnum ſubiturus eſt, vel in rebus, vel in fama, vel in anima; quia tunc; etiamſi intentionem præfatam ſe obligandi non habuiſſet, ſub gravi teneretur ratione damni gravis, ex fide a ſe non ſervata, proximo redundantis. Si promittens liberaliter rem etiam notabilem, ex cujus defectu nullum aliud damnum promiſſario reſultet, niſi ſola non acquiſitio rei promiſſæ, & promittens ſe expreſſe declaret, ſe nolle obligari ſub gravi, ſed ex ſola honeſtate, & fidelitate, non ſervando fidem, lethaliter non peccaret; quia cum promiſſio ſit ex mera liberalitate, & veluti quædam lex, quam ſibi promiſſor imponit, & non ſit abſolute neceſſaria; poteſt eidem adjungere quem gradum obligationis ſibi libuerit. Cum igitur noluerit expreſſe gravem obligationem adjungere, gravem obligationem non contrahet ſervandi fidem. Exemplum habes ex tract. 1. cap. 2. de legibus §. 5., ubi reſolvimus, poſſe Legiſlatorem humanum rem gravem cum nulli bono alioquin non neceſſariam, jubere ſub levi tantum, ſi velit: ita in caſu noſtro. At difficultas eſt, quando promiſit rem notabilem promiſſione non legali aut civili, cujus defectus nullum aliud damnum promiſſario afferat, quam ſolam privationem rei promiſſæ, neque ullum ſcandalum pariat; & promittens nullam determinatam intentionem habuerit, ſe leviter, vel graviter obligandi, an teneatur ſub gravi promiſſum implere.

Promiſſio rei notabilis non legaliter facta, præciſive a quacunque intentione non obligat ſub gravi.

VI. Probabilior nobis apparet opinio negans, quam tuetur Cajetanus 2. 2. quæſt. 113. art. 1. Dub. 1., & in Summula verbo Perfidia, quem aliqui ſequuntur. Hac mihi ratione ſuadetur, quam cum apud neminem viderim, ſapientiorum judicio ſubmitto: Cum in hoc caſu nullam habeamus formalem promittentis intentionem, qui alioquin ſi voluiſſet, potuiſſet ſe ſub levi dumtaxat obligare; ideo judicandum videtur, quod virtualiter voluerit id agere, quod plerumque homines cauti, & timorati agere conſueverunt in conſimilibus caſibus; id autem, quod agere ſolent, eſt, ut minorem obligationem ſibi imponant, quam fieri poſſit: nemo enim eſt, qui cum ad aliquam actionem ſe obligare poſſit aut ſub gravi, aut ſub levi, eligat potius ſe obligare ſub gravi, niſi ita expreſse intenderit, & declaraverit: cum igitur in noſtro caſu nullam formalem intentionem elicuerit, recurrendum erit ad virtualem, quæ ob dictum motivum præſumenda erit fuiſse, non ſe obligandi ſub gravi, cum levem tantum eligere potuerit.

Reſponſio, & ſolutio.

VII. Reſpondebis; cenſendum erit quod promittens prudenter voluerit ſe conformare merito, & qualitati rei promiſſæ, quæ cum notabilis ſit, petit inducere obligationem gravem: quemadmodum Legiſlator rem gravis momenti jubens, ſi nullam intentionem exprimat, cenſetur ab omnibus, ſe conformare merito, & conditioni materiæ. Reſpondeo longe diſparem apparere rationem legiſlatoris imponentis obligationem aliis, & imponentis obligationem ſibi ſoli: legiſlator imponens obligationem aliis, (& una cum aliis etiam ſibi quoad vim directivam, non coactivam) ſi nullam intentionem circa obligationis gradum concipiat, aut exprimat, optime cenſetur ſe voluiſſe conformare merito rei impoſitæ; quia communiter ita fieri ſolet, nempe quod lex de gravi obliget ſub gravi, quando oppoſitum non conſtet: at legiſlator ſibi ſoli onus imponens, ſi nullam intentionem exprimat, aut concipiat, cenſetur velle agere, quod timorati, & cautiores agere ſolent, nempe ut minus conſcientiam gravet, quam fieri poſſit, & præcipue circa onus mere liberaliter & ſponte ſuſceptum erga alium hominem, cui nullum jus competebat ad illud onus. Idque confirmari poteſt ex eo, quod hujuſmodi promiſſio, utpote non legaliter, & civiliter facta, nullum jus conferat promiſſario conveniendi promittentem in judicio; nullum igitur violatur jus; & proinde implere promiſſum ſpectabit ad honeſtatem juris naturalis, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 3. ad 1. *Dicendum quod ſecundum honeſtatem ex qualibet promiſſione homo homini obligatur; & hæc eſt obligatio juris naturalis: ſed ad hoc, quod aliquis obligetur ex aliqua obligatione civili, quædam alia requiruntur.* Cavendum tamen eſt, ne tidem non ſervando abſque cauſa, & non implendo promiſſum, ſuboriatur ſcandalum notabile; quod videtur impeditu difficile

§. II.

§. II. *De Ceſſatione obligationis in promiſſione, nec non de irritatione ejuſdem.*

Quando ceſſet obligatio promiſſionis?

I. SAnctus Thomas 2. 2. quæſt. 110. a. 3. ad 5. tradit hanc regulam: *Qui non facit, quod promiſit, poteſt excuſari a duobus: uno modo, ſi promiſit id, quod manifeſte eſt illicitum, quia promittendo peccavit, mutando autem propoſitum, bene facit. Alio modo, ſi ſunt mutatæ conditiones perſonarum, & negotiorum.* Ex his, & ſuperius dictis, deduci poteſt primo, quod quando res promiſſa evadit inutilis, aut noxia promiſſario, aut impoſſibilis promiſſori, cum eſſet materia promiſſioni apta, ceſſat obligatio. Secundo, quando ceſſat motivum finale promiſſionis factæ. Tertio, quando ex duobus ſibi invicem promittentibus, unus deficit; quia *fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem a ſe præſtitam ſervare recuſat*, ait regula 75. juris. Quarto, quando res talem mutationem ſubit, ut prudenter judicari queat, promittentem eos caſus in promiſſione ſua noluiſſe comprehendere; prudentis namque viri eſt, nolle ſe cuicunque eventui committere, ut promiſſionem liberalem impleat: puta, ſi promiſiſſet mutuare pecuniam, qua deinde ob emergentem, ſeu ſupervenientem caſum ipſe indigeret; vel ſi promiſit matrimonium Bertæ, quam putavit virginem, cum deinde certo ſciat talem non eſſe. Sed de his ad tractatum de Matrimonio.

Promiſſiones a Jure irritatæ.

II. Irritantur autem a jure naturali promiſſiones de re illicita; nota bene de re illicita, non dico de mercede promiſſa propter actum illicitum; quia poſito actu illicito, hæc debetur; cum illicitum non ſit illam dare, ut diximus in tractat. 9. capit. 5., §. 10.. Promiſſiones autem juro poſitivo irritæ ſunt ſequentes; ſi promiſſio aperiat aditum peccandi; v. gr. promiſſio remittendi furi obligationem pro furto &c., ita lex 27. §. de pactis. Secunda eſt promiſſio, qua tollitur poteſtas diſponendi de rebus propriis; puta non condendi, aut mutandi teſtamentum, aut non inſtituendi alium hæredem niſi Petrum, quia eſt promiſſio repugnans bono communi. Tertia eſt promiſſio beneficii nondum vacantis, quocumque modo fiat: ita ex Concil. Later. 3. cap. 8.

Vide quæ de mercede promiſſa propter actum illicitum adjecimus §. 10. *cap. 5. Tract. 9.*

CAPUT III.

DE CONTRACTU DONATIONIS.

§. I. *De Natura, Varietate, & Valore Donationis.*

Quid ſit donatio?

I. DOnatio eſt liberalis & omnino libera rei collatio alteri facta: unde qui verbaliter tantum donat, promittere potius dicitur, quam donare, ſeu promittere donationem. Donatio vere talis nullum debitum præſupponit, neque late acceptum. Et propterea donatio remuneratoria, ſeu, ut utar termino legali, antidoralis, decidit a donatione proprie tali. Hinc debet eſſe immunis nedum a quovis minuente voluntarium, nempe errore, dolo, metu, ut ſit valida, verum etiam, juxta probabiliorem, a metu levi, ſi fuerit in facto motivum donandi, quo metu ſublato, donatio facta non fuiſſet. Et proinde ſi id a donatario animadvertatur, debet rem donatam reſtituere, & donans poteſt illam repetere.

Illatum notabile.

II. Ex his infertur, injuſte retinere donata, qui fingit ſe eſſe pauperem, aut tali neceſſitate gravatum, cum talis non ſit: qui comminatur, ſe non daturum id, quod aut debet, aut ſine magna inconvenientia negare non poteſt, ut alter ad donandum inducatur: item qui animadvertit, donantem dare, quia putat rem ita, vel ita ſe habere, cum ita non ſit; & nihilominus recipit: hi omnes ad data reſtituenda tenentur, quando error, aut metus fuit motivum inducens.

Diviſio Donationis in Abſolutam, & Conditionatam.

III. Præter indicatas diviſiones donationis in Verbalem, & Realem; in Liberalem, & Antidoralem; dividitur præterea in Abſolutam, & Conditionatam; illa eſt immunis a quacumque conditione, & ſtatim confert donatario jus in re; hæc autem aliqua conditione afficitur; nec confert donatario jus in re, niſi expleta & verificata conditione poſita. Perpendendum tamen eſt, an revera quod apponitur donationi ſit conditio, an potius deſiderium quoddam donantis ſignificatum, qui nihilo-

Digitized by Google

hilominus donat, quamvis ejus deſiderium non impleatur; puta cum quis donat puellæ, ut nubat, aut nubere poſſit; hic revera donare intendit abſolute, declarans dumtaxat ſuum deſiderium ut nubat: idcirco mature perpendendæ ſunt expreſſiones, quibus donatio concipitur, & ſignificatur.

De donatione inter vivos, & mortis cauſa.

IV. Dividitur inſuper in donationem inter Vivos, & in donationem Mortis cauſa: prima vult donator ut etiam eo vivente dominium rei donatæ tranſeat ad donatarium: ſecunda vult ne dominium tranſeat in donatarium, niſi ipſo donatore defuncto. Et propterea donatio inter vivos acceptata irrevocabilis eſt; Donatio autem cauſa mortis (quæ cauſa in donatione exprimenda eſt) revocari poteſt ex natura ſua uſque ad mortem, ita ſtatuente lege 4. ff. de adimendis: *In ſupremis enim diſpoſitionibus hæc regula dubio procul obtinet, ut ambulatoria ſit hominis voluntas uſque ad extremum vitæ ſpiritum.* Circa hanc donationem notandum eſt, quod etſi quandoque donans mortis cauſa tradat rem donatario, adhuc revocari poteſt, & res tradita reſtituenda una cum fructibus ex eadem perceptis; quandoquidem hæc omnia donantur tali modo, quod donatarius ea re non potiatur, niſi interveniente morte donantis, & eadem morte confirmetur; quouſque igitur donator vivit, res in ejus dominio perſeverat; quamvis igitur donatario conſcio, quod ad eum non pertineat dominative, niſi poſt mortem donantis, tradatur, repeti poteſt a donatore. Quandoque hæc donatio fit a conſtituto in extremo vitæ periculo, a quo ſi evadat, cenſeri debet revocata, niſi iterum poſt evaſionem a periculo illam ratam habeat: & tunc perſeverat, & poſt donantis mortem ſuum ſortitur effectum.

Requiſita ad valorem donationis mortis cauſa.

V. Ut donatio cauſa mortis valeat, requiritur jure communi ſubſcriptio quinque teſtium, ſicut in Codicillis, niſi conſuetudo approbata regionum aliter diſponat: ita lex ultima Cod. de Donat. mortis cauſa. Valet, quamvis ſit donatio omnium bonorum donantis: ita ex dicta lege: & in hoc equiparatur teſtamentis; & diſcriminatur a donatione inter vivos, quæ ſi fiat omnium bonorum, eſt irrita, ut ex variis locis juris docent communiter. Ut ſit valida donatio mortis cauſa, requirit capacitatem donatarii, quæ quamvis non extet tempore donationis, ſufficit, quod extet tempore mortis donatoris, ſicut in legatis. Notat doctiſſimus Molina diſp. 287., alios afferens, quod quando donatio mortis cauſa fit ſine ſolemnitate ſuperius indicata, ſed cum ſolis teſtibus ſufficientibus ad valorem donationis inter vivos, tunc evadit donatio inter vivos, & eſt irrevocabilis; unde additio quæ ſit mortis, non alium habet effectum, niſi ſuſpendendi ejus executionem poſt mortem donantis. Rationem affert, quia in tali donandi modo, cum donator cenſeatur velle donare modo quo melius fieri poteſt, & cum donatio non valeat ut mortis cauſa, quippe quæ deficiat in numero teſtium requiſitorum, valebit tanquam inter vivos, quippe quæ habet teſtes ad id ſufficientes: & admittitur etiam a Sanchez lib. 4. Conſil. cap. 1. dub. 13. n. 8., dummodo donator ſe declaret, non velle donare niſi mortis cauſa. Quando mortis mentio fit ad deſignandum dumtaxat tempus executionis, & non ad differendam firmitatem donationis, tunc eſt donatio inter vivos, & eſt irrevocabilis, ut patet, quia donator tunc donare intendit, & tantummodo ſibi vult reſervare fructus uſque ad mortem incluſive.

Illatio ex dictis.

VI. Ex dictis infertur, quod quando donationi apponitur pactum de ipſa non revocanda, quamvis fiat mortis mentio, cenſetur donatio inter vivos, & ſolum ſuſpenditur ejus executio uſque ad mortem donatoris, quia apponitur pactum deſtruens naturam donationis mortis cauſa. Debet tamen pactum de illa non revocanda eſſe abſolutum, & univerſale, nullaque limitatione affectum; quia ſi aliqua limitatione afficiatur, decidit a donatione inter vivos; puta ſi donator velit, non poſſe donationem revocari niſi per expreſſam revocationem, aut niſi poſt evaſionem a tali, vel tali periculo: aut niſi donatarius obeat ante donatorem: ita Juriſtæ. Si pactum non revocandi additum donationi mortis cauſa non ſit additum in ipſo donandi actu, ſeu in ipſis verbis diſpoſitionis, & in ea inſtrumenti parte, in qua ſubſtantia donationis continetur, ſed in calce ipſius inſtrumenti; aut in alio loco diſtante a loco factæ, & ſcriptæ donationis, tunc examinandum eſt, an illud pactum additum ſit ex mente donatoris; quod ſi conſtet, reputabitur donatio inter vivos; ſi autem non conſtet de ejus mente, ſed dubitetur, tunc ait Molina cit. diſp. 287., relinquendam eſſe in ſpecie donationis mortis cauſa; quia pactum illud eo loco additum, cenſetur potius additum ex Notarii conſuetudine,

Digitized by Google

dine, aut ex genio, quàm ex mente donatoris, quippe quod ſit pactum repugnans donationi mortis cauſa: & in Clem. 1. de præbendis dicitur: *Quæ in executione, & confirmatione apponuntur, diſpoſitionem non augent*. Plura alia circa hanc materiam videſis apud Juriſtas, & præcipue in Molina doctiſſime, & legaliter de his diſſerente. Monemus tandem nos ſuiſſe loquutos, attento jure Cæſareo; & proinde obſervandas eſſe leges municipales regionum jam obtinentes, nec non ad valorem donationis cujuſcumque requiri, ut ſupra indicatum fuit, acceptationem donatarii.

§. II. *De Donatore, & Donatario, præcipue Conjugibus.*

Quis donare poſſit?

I. CUm donare non poſſit, niſi qui rei dono dandæ habet plenum dominium; propterea tibi legenda ſunt, quæ tradidimus in tr. 9. cap. 2. circa perſonas gaudentes dominio, nec non circa bona, quorum eis competit dominium: unde hic nil dicimus de dominio filiorum, uxorum &c. vide ibidem tradita in §. §. 2., & 3.. Similiter quid circa donationes poſſint Beneficiarii, jam traditum habes in tr. 4., capite 12. §. 6. Circa Religioſos autem, cum ex vi voti ſolemnis paupertatis ſemetipſos incapaces conſtituerint dominii perſonalis quarumcumque rerum; jam patet, quod ſine Superioris licentia nil donare poſſunt; & dicetur fuſius in tr. ult. de ſtatu Religioſo.

Quid circa Minores?

II. De Minoribus hic eſt aliquid dicendum: quod Minores poſſint aliquid donare juxta conditionem ſui ſtatus, etiam invitis Curatoribus, liquidum eſt; quandoquidem id ſpectat ad decentiam ſtatus eorumdem: ſi autem in donando excedant, poteſt exceſſus a Curatoribus repeti; & niſi repetatur, condonari cenſetur; dummodo tamen exceſſus non ſit nimius; quia tunc condonari non poteſt, cum nec minor valeat de bonis ſuis ad libitum diſponere, nec poſſit Curator exceſſum permittere, abſque notabili defectu in munere ſuo, debeatque reddere rationem Judici, ſi defferatur.

Quinam eſſe poſſint donatarii?

III. Circa perſonas donatarias, certum eſt, donari poſſe cuilibet capaci dominii, ſi ipſe acceptare velit. Si autem remote capax eſt dominii, ut infantes, & amentes, donatur ipſis mediate, nempe mediantibus illis, qui curam illorum habent. Quemadmodum etiam Religioſis, dominii incapacibus ob votum paupertatis, donatur mediante Religione, quæ aut habet dominium in communi, aut habet ſolum uſum facti.

Quid, circa donationes Conjugum?

IV. Quoad Conjuges, donationes mere liberales ſibi invicem factæ, ſunt invalidæ, & revocabiles ad nutum donantis. Si autem neque explicite, neque implicite, (ideſt per divortium) revocentur; confirmantur morte donantis: ita communis ex variis juribus; ſed præcipue ex leg. 3. Cod. de Donat. §. *ſciendum* 10. Ratio legum eſt, quia ſi permitterentur hujuſmodi donationes, neceſſario ſequeretur, quod aut facillime conjuges depauperarentur, quia prodige donarent, ne minus amare crederentur; aut perpetus inter illos vigerent diſſenſiones, niſi ſibi invicem donarent. Quod autem niſi revocetur, confirmetur donatio morte donantis, habetur in lege 19. Codicis de Donationibus inter virum, & uxorem, & alibi.

Tria valde notanda, circa donationes conjugum.

V. Nota circa modo dicta, & mente retine; quod ſi res ab uno conjugum alteri donata, ante donantis mortem nondum tradita fuiſſet conjugi donatorio, neque ab hoc poſſeſſa, non tranſiret in hujus dominium poſt mortem donantis; quia cum ante donantis mortem invalida fuerint, nil remaneret poſt donantis mortem confirmandum & convalidandum; non enim confirmatur & convalidatur, quod nullo modo eſt, ſcilicet neque in ſe, neque in aliquo ſui, ut docet Communis. Nota inſuper, quod ſi Conjux donatarius, rem donatam tenens, obeat ante donatorem, res donata pertinet ad illum ſuperſtitem, & non ad hæredes conjugis donatarii defuncti; quia cum donatio illa eſſet ex jure nulla, nullum jus conferre poteſt hæredibus conjugis donatarij defuncti; unde conjuge donante ſuperſtite, eam ab hæredibus repetente, hi reſtituere tenentur; immo, etiam eo non repetente, ſi putetur ejuſdem rei oblitus, vel credendus eam fuiſſe conſumtam. Nota demum, quod donatio inter conjuges facta mortis cauſa, valet, etiamſi res nondum tradita fuerit, morteque donantis confirmetur; hæc namque non eſt tam donatio, quam legatum, ut communiter dicitur. Cavendum tamen eſt, ne donatio inter conjuges ſive facta inter vivos; ſive mortis cauſa, præjudicet legitimæ filiis debitæ; quia non valeret ſaltem pro ea parte, quæ legitimam filiorum complere debet: ita lex 1. Codic. de inofficios. donat. Ita etiam ex jure naturali caven-

Digitized by Google

cavendum eſt, ne præjudicet creditoribus donantis, ſi quos habeat.

Aliæ donationes irritę inter conjuges.

VI. Invalidæ ſunt donationes inter conjuges, etiam ſtante matrimonio dumtaxat rato; immo etiam inter ſponſos ante matrimonium, ſi donatio fiat ſub conditione pendente a nuptiis, nempe quod res donata non fiat alterius, niſi ſecutis nuptiis, ita ex laudatis ff. de Donat. inter virum, & uxorem, lege *cum hic ſtatus* 32. §. *ſi ſponſus* 12. Quia quamvis donatio fiat perſonæ tunc habili, fit tamen cum reſpectu ad tempus, quo habilis non erit. Si autem donatio fiat ſponſæ ante nuptias abſolute, & abſque ullo reſpectu ad nuptias, valida eſt, quamvis etiam poſt paucas horas nuptiæ ſequantur: ita ex laudato loco Lege *inter eos* 27. Invalida item eſt remiſſio alicujus debiti ab uno conjugum contracti cum altero, quia etiam hæc eſt vera Donatio; ſicuti etiam remiſſio pretii rei alicujus inter ipſos venditæ; quia & hæc eſt vera donatio inter vivos, quamvis venditio valida ſit quoad pretium juſtum, & erogatum: ita loco cit. Lege *ſi Sponſus* 5. §. 2.

Donationes inter Conjuges validæ.

VII. Excipiuntur a Jure varii caſus, in quibus Donatio inter conjuges ſtatim eſt valida: Primo, ſi ſint Principes. Secundo, ſi ex ea donatione donans non fiat pauperior, ſe privando re poſſeſſa: puta cum v. g. maritus recuſat donum, legatum, hæreditatem, ut ad uxorem devolvatur. Tertio, ſi maritus ſit prodigus, & res, quas prodigere ſtatuerat, uxori donet. Quarto, ſi donatarius ex re donata non fiat ditior; puta donando alteri locum ſepulturæ. Quinto, ſi uxor donet marito ad conſequendam dignitatem, quæ etiam in ipſam uxorem reſultet, puta ſi donet, ut de ſtatu ignobili ad gradum nobilis evehatur. Sexto, ſi maritus uxori remittat dotem promiſſam; aut ſi ipſam dotet, vel dotem ejus augeat, ad compenſandam inæqualitatem ſive gradus, ſive ætatis. Non valet tamen dotis conſtitutio facta uxori poſt nuptias mere liberaliter, ſive in ipſis nuptiis; quippe quæ ſit donatio quædam inter vivos. Poteſt tamen uxor, etiam poſt nuptias, marito dotem conſtituere, aut jam conſtitutam augere; eo quod non ſit donatio, cum dominium directum remaneat uxori, & ſolum utile cedat viro, quod congrue ipſi conceditur ad onera matrimonii ferenda.

Alię donationes validæ.

VIII. Si donatio inter conjuges non ſit nuda, & ſimplex, ſed juramento firmata, quando videlicet donans jurat ſe non repetiturum, tunc valet donatio, nec donator poteſt amplius revocare, ne ſit perjurus, quia cum actio illa non ſit per ſe mala, poteſt athci juramento; contra quod leges chriſtianæ circa actiones non malas ceſſant obligare. Similiter, cum mihi probabiliori, & jam communiori, donatio inter conjuges antidoralis ſeu remuneratoria valida eſt; quia cum non ſit mere liberalis, ſed involvat debitum gratitudinis, decidit a donatione ſtricte accepta, & proinde videtur a lege eximi: cui enim prohibetur donare, non prohibetur remunerari; quod omittere, notam affert: ſecus, ſi omittatur donatio liberalis. Notandum tamen, quod ſi donatio remuneratoria facta fuerit ante matrimonium, deducenda ſit ex toto hæreditatis cumulo, eo quod non ſit donatio, ſed contractus onerosus innominatus, qui vocatur *Do ut facias*: nempe do tibi nobili adoleſcentulæ, ut mihi ignobili, ætate provecto nubas. Si autem fiat poſt matrimonium contractum, cum tunc remaneat in gradu donationis, quamvis remuneratoriæ, quæ non debetur ex juſtitia, ſicut debetur, quando fit ante matrimonium; tunc non eſt deducenda ex hæreditatis cumulo, ſed ſolum ex ea parte, de qua diſponere poteſt; unde non minuit legitimam aliorum, &c.

Quid de anulo ſponſæ dato?

IX. Anulus a ſponſo datus ſponſæ in celebratione matrimonii, niſi fuerit eidem donatus ante, non cenſetur donatus; quia cum dari ſoleat poſt matrimonium contractum de præſenti, cadit ſub lege donationem vetante. Veſtes quoque pretioſæ, aliaque hujuſmodi a ſponſo miſſa ſponſæ ad celebrationem nuptiarum, niſi expreſſe donentur eidem, non cenſentur donari; quia non comprehenduntur inter dona, quæ dicuntur ſponſalitia largitas, de qua ſtatim, ſed ideo dantur, ut ſponſa ornatior appareat coram ſponſo, ipſique honorem augeat; ad differentiam veſtium non pretioſarum, quæ ad ejus uſum mittuntur, ut ab eadem continuo uſu conſumantur.

Quid de largitate Sponſali?

X. Sponſalitia largitas, conſiſtens in dono, quod ante matrimonium ſponſi ex propriis bonis ſibi invicem facere ſolent in ordine ad futurum matrimonium, ſed precipue in eo, quod ſponſus elargitur ſponſæ, eidem valide donatum cenſetur, dummodo matrimonium ſequatur; cum habeantur veluti dona conditionata ſub conditione ſecuturi matrimonii; quę dona non irritantur a jure: proinde ſi matrimonium non ſequatur, reſtituenda

da

da erunt aut ſponſo, aut illius hæredibus, ſi obiiſſet; dummodo non interceſſerit culpa donantis, propter quem non fuerit ſecutum matrimonium; quia tunc acquiruntur innocenti.

Quid de Arrha?

XI. Arrha, quæ eſt donatio a ſponſo facta ſponſæ, vel e contra, in remunerationem dotis, nobilitatis, virginitatis &c., acquiritur ſponſæ matrimonio ſecuto; quam amittit, ſi injuſte a matrimonio reſiliat; ſicuti & a ſponſo amittuntur, quæ tradidit ſponſa, ſi & ipſe injuſte reſiliat. Secuto autem matrimonio, ita ad uxorem pertinent, ut etiamſi nondum fuerit ipſi tradita, eſt eidem arrha tradenda; & ſi uxorem ante virum obire contingat, habet jus diſponendi de eadem arrha, ſicuti de dote adventitia; & relinquendi illam hæredibus ab inteſtato. Videatur Sanchez de Matrim. lib. 6. diſput. 27.

Quid poſſit donare vidua de acceptis dono a viro defuncto?

XII. Si mulier vidua tranſeat ad ſecundas nuptias, & filios habeat a defuncto viro ſuſceptos, non poteſt diſponere de ſibi liberaliter donatis a defuncto pro quibus ipſi libuerit, ſed debet ea donata relinquere filiis defuncti; ita ſtatuente jure; & quidem juſtiſſime; cum talis cenſeatur procul dubio voluntas defuncti, qui donavit. Conſulto dixi de ſibi liberaliter donatis; nam de datis titulo aliquo oneroſo, libere diſponere poteſt ac de propriis. Et idem putarem dicendum etiam de datis in remunerationem. Hactenus dicta conſonant juri Cæſareo; quod in regionibus quibuſdam totum admittitur; in aliquibus ex parte; in aliquibus rejicitur: idcirco, ut monui, ſtandum eſt juribus municipalibus, & conſuetudinibus locorum jam obtinentibus.

§. III. *De Donationibus Genitorum & Filiorum.*

Donata filio a Patre, quomodo ſint ſibi?

I. DOnatio Patris facta filio non emancipato eſt ſemper revocabilis, niſi fuerit adjunctum juramentum de non revocanda, aut genitoris morte firmetur; dummodo res filio tradita fuerit: ita jura apud auctores, quia filius non emancipatus non eſt quid moraliter diſtinctum a Patre. Confirmata autem donatione per mortem Patris, filius habet jus etiam ad fructus ex ea profectos a die, qua res ipſi tradita fuit; dummodo tamen donatio ad tantam quantitatem non perveniat, ut requiratur Inſinuatio; (de qua in §. ſequenti) quia tunc quoad hunc exceſſum non firmaretur morte patris. Confirmatur etiam dicta donatio per emancipationem filii, niſi repetatur a patre res tradita, antequam emancipetur: ita leges apud Auctores.

Donatio facta a Matre, aut Avis?

II. Donatio facta filio a Matre, aut ab Avis maternis valida eſt, & acquiritur res donata filio ipſi; quia hæc donatio non impeditur a jure: quemadmodum impeditur illa, quæ fit filio a Patre, ſive ab Avis paternis.

Quænam donationes factæ filio a Patre ſint validæ, & in portionem hæreditatis computandæ?

III. Donatio facta filio a Patre bonorum filii adventitiorum valet: & præter jura, quæ illam concedunt, ratio etiam ſuffragatur; quia id non eſt donare de ſuo, ſed potius nolle acquirere, & ditari ex alieno, nempe ex proventibus bonorum filii adventitiorum, qui fructus ad ipſum Patrem ex lege pertinerent. Bona autem a Patre donata ad ducendam uxorem, ad patrimonium pro Sacris Ordinibus, ad militiam, ad redemptionem a captivitate, ad Religionis ingreſſum; & filiæ ad dotem, fiunt eorumdem, ut jam diximus in tr. 9. cap. 2. §. 2. num. 7., & hæc donata ſunt conferenda in partem hæreditatis, ut leges ſtatuunt; quia quæ pater dat filio ob cauſam, dando quod debet filio, cenſetur dare coactus; tenetur enim procurare ſtatum filio, eidemque ſubminiſtrare, quæ ad ſtatum acquirendum neceſſaria ſunt: eapropter niſi contrarium exprimat, cenſetur dare de portione hæreditatis, quam filio negare non poteſt. Si autem expreſſe dixerit, ſe illa donaſſe, tunc non erunt computanda in portionem hæreditatis.

Quænam non computanda in portionem hæreditatis?

IV. Non ſunt computanda in hæreditatem, quæ Pater pro filio expendit in convivio pro nuptiis, in Doctoris gradus ſuſceptione, in prima Miſſa, in ingreſſu ſplendidiori Religionis, aliave conſimili occaſione: ita ex jure: quia cum hæc pater filio non debeat, cenſetur liberaliter donare: tum quia hæ expenſæ etiam in ipſius honorem reſultant, aliiſque fratribus ſunt communes. Computandæ autem eſſent in hæreditatem, ſi fierent pro filio emancipato, aut ſi pater, potens revocare donationem, ſe declaret, velle ut in partem hæreditatis computentur; aut ſi frater, vel ſoror petat, ut computentur, cum & ipſi computare debeant ſibi a patre data ſive liberaliter, ſive ob cauſam, nempe ob dotem, nuptias &c., & hoc ut vitetur inæqualitas inter fratres.

V. Non

Alia non computanda. V. Non ſunt in partem hæreditatis computanda, quæ Præter filio non emancipato dat etiam ob cauſam, ſi data ſpectent ad decentem filii ſuſtentationem, eo quod pater filio ſub poteſtate ſua exiſtenti jure naturali providere tenetur de his, quæ ad ipſius alimenta, & decentem ſuſtentationem pertinent, conſideratis circumſtantiis familiæ; opum &c., & ſecluſa fraude, & damno aliorum filiorum, itaut nec legitima ſibi debita defraudentur, nec injuſte ad inopiam redigantur. Unde non erunt computanda, quæ Pater mittit filio, qui aliunde ſibi providere non valet, ob ſtudium commoranti in aliquo Collegio; quæ dat ad diſcendam ſcientiam, vel artem ſuo gradui, & ingenio correſpondentem; ad doctoris dignitatem obtinendam, & ad conſimilia; quippe quæ reducuntur ad decentem filii ſuſtentationem. Si autem pater revocans expreſſe donationem, ſe declararet, ut etiam hæc computentur, non eſſet computandum id, quod, ſi manſiſſet domi, filio teneatur dare ad ſui congruam ſuſtentationem.

Alia non computanda. VI. Neque ſunt computanda, quæ Pater filio dedit, ut ad bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, vel adventitia pertinerent; quandoquidem jus vetat, ne hujuſmodi bona computentur; inter quæ enumerantur, quæ pater dat filio eunti ad bellandum, ad ſerviendum in curia Principis, quæ caſtrenſibus accenſentur; item quæ donavit ad libros emendos pro ſtudio, ſaltem poſt adeptum Doctoris nomen; aut ad publicum officium, vel dignitatem electo, aut poſtquam habilis ad ſcientias docendas effectus eſt; quæ accenſentur quaſi caſtrenſibus: item quæ dedit donatione remuneratoria, quæ accenſentur adventitiis; item quæ dedit veluti pretium pro obſequiis, laboribus, induſtriis, curis, ab ipſo filio extraordinarie impenſis pro negotiis, opificiis, aliiſque bonis paternis utilius gerendis; quia hæc filio debentur tanquam æqua compenſatio ſuorum laborum: ita ut ſi ante patris obitum nihil ipſi fuerit erogatum, aliquid ſit ei erogandum, ſi inſtet, ut ſibi fiat compenſatio; dummodo hac intentione laboraverit, ut compenſaretur; quia ſi laboraſſet animo donandi Patri laborem ſuum, nil exigere poſſet, bene vero ſponte ſibi data retinere. Monemus iterum obſervandas leges Regionum.

§. IV. *De Donationis Materia.*

I. Olim donatio excedens trecentum ſolidos, non præmiſſa inſinuatione, erat invalida ſecundum leges. Deinde conceſſum fuit, ne excederet quingentos ſolidos, qui aſcendunt ad ſummam ſeptingentorum tredecim ſcutorum Romanorum, ut notant Auctores, quam ſummam jure cæſareo excedere non licet in donatione inter vivos abſque inſinuatione; Eſt autem Inſinuatio manifeſtatio publico Judici facta donationis, quam quis facere deſtinat, dictam ſummam excedentis: a quibus limitationibus excipiuntur donationes ad pias cauſas. Ubi igitur hæ leges ſunt admiſſæ peccant ſcienter illas violantes in re notabili, & exceſſus a donatario retineri non poteſt: Nam *leges juſtæ habent vim obligandi in foro conſcientiæ a lege æterna*, ait S. Thomas 1. 2. quæſt. 96. art. 4. Ratio cur leges requiſierint dictam inſinuationem eſt, ne ob prodigas donationes cives depauperarentur damno hæredum, & cum perturbatione quietis communis; nec non ut fraudes, & adulationes evitarentur, quibus facile ſeducuntur homines vani, & ambitioſi, qui inordinate cupiunt liberaliores haberi. Quantum donari poſſit inter vivos?

II. Donatio inter vivos omnium bonorum tam præſentium, quam futurorum irrita declaratur a jure communi; quippe quæ communi bono adverſetur, & auferat facultatem teſtandi. Propterea ſi fiat dumtaxat bonorum, aut præſentium, aut futurorum tantum, non irritatur a jure communi; irritatur tamen a juribus particularibus plurium regionum. At quid, ſi donatio omnium omnino bonorum firmaretur juramento. Probabilius mihi videtur irritum eſſe juramentum; nam illud eſſet de non revocanda donatione facta; atqui non revocare donationem factam idem eſt, ac illam continuare in ſui ſubſtantia: igitur cum donatio hujuſmodi ſit contra bonos mores, communeque bonum, & ideo vetita, etiam ejuſdem continuatio non vacabit deformitate, & malitia; ſed juramentum de actione, quæ purgari nequit a malitia & deformitate non ligat; igitur dicendum cum communi Juriſtarum contra plures Theologos hujuſmodi juramentum non tenere. Si quis autem diceret: dono tibi omnia bona mea; dicunt communiter, quod, cum donatio intelligenda ſit de bonis præſentibus, eſſet valida; idem dicitur communius etiam ſi dona- Donatio omnium bonorum an valida?

naret ſimul futura, excepto uſufructu præſentium, & futurorum, quia non eſſet donatio omnium bonorum ſimpliciter & abſolute, neque induceret ea incommoda, propter quæ vetatur donatio omnium omnino bonorum ſimpliciter & abſolute.

§. V. *De revocatione Donationis.*

Quinque caſus reddentes donationem revocabilem.

I. CErtum eſt apud omnes, quod poſſit donatio facta revocari ob ingratitudinem donatarii. Hæc autem ingratitudo in quinque caſibus indicatur a jure civili in lege ultim. Codic. de revocandis donationibus; nec non a jure Canonico in cap. ult. de donationibus: & ſunt primo, ſi donatarius inferat atroces injurias donatori ſive coram, ſive in abſentia, ſive verbis, ſive factis, quæ atrocitas judicio prudentum eſt definienda, attentis conditionibus perſonarum. Secundo, ſi violentas manus in donatorem extendat, ipſum ſive manibus, ſive alio inſtrumento percutiendo, ita ut talis actio in Clericum facta excommunicatione plecteretur. Tertio, ſi grave detrimentum donatori afferat in bonis temporalibus; & quidem non ſufficit, quod ſit damnum ſufficiens ad culpam lethalem, ſed debet eſſe revera grave, arbitrio judicis perpendendum: non tamen requiritur, ut aſcendat ad dimidium bonorum donatoris. Quarto, ſi vel per ſe, vel per alium poſuit donatorem in vitæ periculo, quamvis mors non ſit ſecuta ex aliquo eventu accidentali. Iſti quatuor caſus recenſentur in laudato jure Canonico: quibus additur etiam quintus in jure Cæſareo, nempe ſi donatarius nolit implere conditiones, ſeu conventiones, ad quas ſcripto, vel verbo in donatione acceptanda ſe obſtrinxit; quia quamvis ad eas exequendas cogi poſſit a judice, ſi adhuc nolit, poteſt rebus donatis privari.

* Alia etiam ab aliquibus aſſignatur revocandæ donationis cauſa, nempe cum filii abſque parentum conſenſu, aut obtento, aut ſaltem requiſito, ad nuptias convolant. Sed hæc cauſa, ut alii animadvertunt, ad primam ex recenſitis ab Auctore *num. præced.* revocari poteſt, cum vix gravior parentibus injuria inferri nequeat, quam ſi, ipſis inconſultis, eligatur ſtatus tanti momenti.

Obſervanda circa hos caſus.

II. Si donator offenſus dictis modis tacuit, diſſimulavit, non revocavit, non poſſunt heredes offenſi actionem inſtituere, contra ingratum donatarium; cum cenſeatur remiſiſſe: ſecus autem, quando ideo non revocavit, quia ſufficiens tempus non habuit, morte præventus, aut alio vero impedimento fuit præpeditus: ſicuti etiam ſi tacuit, quia ignoravit ingratitudinem donatarii, & in tali ignorantia obierit; quia in his caſibus poſſunt hæredes inſtituere actionem contra ingratum, ut revocetur donatio a judice una cum fructibus a die litis conteſtatæ perceptis. Idem quoque poſſunt facere hæredes, ſi donatarius ingratus atrociter, & injuſte detrahat defuncto donatori, aut conventiones, & pacta promiſſa non ſervet.

An in caſu atrocior: prædictis?

III. At quid dicendum, ſi donatarius crimen aliquod in donatorem committat atrocius enumeratis? Reſpondeo, quoſi ſi ſtandum ſit juri poſitivo, non poterit revocari donatio, eo quod lex civilis Juſtiniani ſupr. citata, enumeratis illis quinque caſibus concludit: *Ex his tantummodo cauſis, ſi fuerint in judicium dilucidis argumentis cognitionabiliter approbatæ, donationes everti concedimus:* per ly igitur *tantummodo* excludi videntur aliæ cauſæ. At ſi ſpectetur ratio, quæ eſt anima cujuſcunque legis, reſpondendum videtur affirmative cum pluribus Theologis: & cum etiam ex præfatis cauſis revocatio debeat fieri per judicem, ut patet ex textu, non eſt dubitandum, quod judice varaciter certiore reddito de alio crimine graviori prætatis, puta ſi donatoris uxore per vim abuſus fuiſſet, factumque evulgaſſet; ſi alimenta donatori graviter indigenti abſque ſuo notabili incommodo denegaſſet &c., judex facultatem concederet donationem revocandi.

Revocatio non admittitur in donatione ob cauſam, & antidorali.

Quæ hactenus dicta ſunt de revocatione donationis, vera ſunt de donatione mere liberali: nam in donatione facta ob cauſam, & remuneratoria, revocatio non haberet locum in indicatis criminibus, quia donatio ob cauſam, puta dotis ad filiam nubendam, eſt eidem quodammodo debita; ſicuti remuneratoria non eſt proprie liberalis.

An ob dicta crimina poſſit revocari collatio Beneficii?

IV. Dicta crimina perpetrata ab eo, cui collatum fuit beneficium, contra conferentem illud, non permittunt revocationem collationis; quia collatio beneficii non eſt ex mera liberalitate, ſed ex merito eligendorum; & propterea conferens beneficium agit id, quod tenetur.

In quibus caſibus poteſt mater revo-

V. Ex Authentica *quod mater* appoſita Codici de revocandis donationibus, poteſt mater revocare donationem liberalem filio factam tribus in caſibus: primo, ſi filius

cere do-natio-nem?

lius inſidietur vitæ matris; ſecundo, ſi impias manus contra eam injecerit; tertio ſi totius ſubſtantiæ ejuſdem molitus fuerit jacturam. Si tamen mater evaſerit meretrix, privatur hoc jure.

De revocatione in caſu prolis ſuſceptæ, & non expectatæ a donatore.

VI. Suſceptio prolis non expectatæ a donatore, dum donavit, eſt motivum a lege permiſſum donationis revocandæ: ita in lege *ſi unquam* 8. Codic. de revocandis donationibus: *Si quis filios non habens, bona omnia, vel partem aliquam libertis donatione largitus eſt, & poſtea filios habeat, totum, quod donavit, in ejus arbitrio, ac ditione manere*: quæ lex, juxta probabilius doctorum judicium, fundatur in præſumptione juſta voluntatis donatoris, qui cenſetur hac implicita conditione donaſſe; niſi filios ex matrimonio ſuſcipiam; in cujus rei ſignum, ſi donator donando expreſſe huic legi renunciaſſet, neque ipſe, neque ejus filii quidquam opponere poſſent, niſi forte pro eorum legitima recuperanda, caſu quo pater alioquin illam dare non poſſet, & proinde ſi donet etiam dum habet filios, & legi expreſſe renunciet, neque ab ipſo, neque a filiis poſſet quidquam attentari, niſi pro legitima, quia quoad hoc dicitur a jure inofficioſa donatio. Quod ſi natis filiis, ſtatim non petat, habet ſemper jus petendi, cum lex non reſtringat jus petendi ad ſtatim petendum, ſed ſolum requirat exiſtentiam filiorum. Quod ſi donatio fuiſſet juramento confirmata, tunc eſt diſtinguendum: ſi enim juraſſet, nil cogitando de prole forte naſcitura, & hæc nata fuerit, poterit revocationem petere; quia juramentum confirmat donationem dumtaxat pro quanto ſe extendere poteſt; & cum ad hunc caſum donatio non ſe extendat; neque juramentum: ſi vero juraſſet ſe etiam in hoc caſu non revocaturum, tunc revocare non poſſet; cum manutentio donationis non ſit per ſe mala, niſi pro quanto eſſet inofficioſa, & legitimæ filiorum præjudicans; quia cum quoad hoc eſſet mala, & injuſta, ſicut deficeret donatio quoad integrandam legitimam, ita & juramentum quoad hoc caderet, & a filiis jure attentari poſſet reſciſſio. Putarem tamen, ſalvo meliori judicio, quod ſi filii etiam habita legitima vexarentur magna inopia & penuria, non peccarent attentando revocationem apud judicem, neque judex illam concedendo, præcipue ſi donatarius bonis abundaret; quia juramentum de non revocando afficit genitorem, non filios, & multo minus judicem, qui pro æquo & bono poteſt filiis innocentibus ſua auctoritate conſulere.

Exceptiones notandæ.

VII. Si donatori prole carenti naſcatur proles illegitima, non habet ex lege privilegium revocandi, quia quæ a legibus ſtatuuntur in favorem liberorum, non extenduntur ad illegitimos. Si autem proles legitimetur vel a Principe, vel per ſubſequens matrimonium, rationabilior docet, poſſe revocare; quandoquidem revera proles evadit legitima, & comprehenſa in lege filiis favorabili; tum quia donator prudenter credendus eſt, neque contra hujuſmodi prolem donare voluiſſe, eamdemque poſtponere alteri donatario non filio. Pariter ſi donatio facta fuiſſet ad pias cauſas, prole ſuperveniente donatori, donatio revocari non poſſet, niſi pro quanto eſſet inofficioſa proli, & legitimæ præjudicans; quia cenſetur donator voluiſſe proli anteferre Deum, cujus cultum in pia donatione intendit; immo & animam ſuam filiis præferre, cujus meritum augere voluit in donatione. Cæterum laudabiliter agent pia loca, ſi proles ſuſcepta, & genitor bonis donatis indigeant ad congrue juxta proprium ſtatum vitam tranſigendam, & præcipue pro dotandis filiabus, cedendo aut in toto, aut in parte reſpective bona donata, obtenta prius a S. Sede diſpenſatione; dummodo ex hac ceſſione grave detrimentum ſpirituale pius locus paſſurus non ſit, puta ſi cogeretur eliminare vitam communem, ſi locus eſſet regularis; vel notabiliter minuere numerum pauperum alendorum, ſi ſit hoſpitale; vel quidpiam ſimile. Niſi igitur tam grave damnum emergat, magnæ ædificationis erit reſtituere donata, immo grave ſcandalum tolleretur, ſi abundante pio loco donatario, donator cum prole ob id inopia vexaretur. Audi S. Auguſtinum, ſerm. 355. *Laudabile factum Sancti, ac Venerabilis Epiſcopi Aurelii Carthaginenſis . . . Quidam enim cum filios non haberet, neque ſperaret, res ſuas omnes, retento ſibi uſufructu, donavit Eccleſiæ. Nati ſunt illi filii, & reddidit Epiſcopus nec opinanti, quæ ille donaverat. In poteſtate habebat Epiſcopus non reddere, ſed jure fori, non jure Poli. Plane profiteor, me ſuſcipere oblationes, ſed oblationes ſanctas.* Cave igitur a donis jacturam afferentibus familiæ innocenti donatoris incauti. Si enim, judicio Auguſtini, Aurelius jure Poli retinere non poterat donata, quamvis donator ille uſumfructum haberet; quid dicendum

de

Digitized by Google

de donatariis, qui, accipiendo donata, non ad neceſſitatem, cum abundent, ſed ad augendos proventus accipiunt, cum legitimorum hæredum magna jactura, atque inopiæ incommodo?

Quid quando donatio eſt antidoralis? VIII. Demum quando donatio eſt remuneratoria, ſeu antidoralis, & donatori naſcuntur poſtea filii, poterit dumtaxat revocari quoad exceſſum, ſi excedat merita donatarii: ſi autem merita non excedat, non poterit revocari. An autem poſſit revocari quoad legitimam proli providendam, ſi aliunde haberi nequeat? Putarem quod ſic; quia ſtrictius eſt debitum legitimæ filiis & filiabus dandæ quam debitum ſolius remunerationis, cum illud ſit pietatis, iſtud gratitudinis.

Quid ſi donatio facta fuerit uni filiorum & ſit aliis inofficioſa? IX. Si donatio facta fuit uni filio, aliis filiis, aut extantibus, aut poſt donationem natis, non poſſet a genitore revocari, niſi pro quanto exigeretur ad integrandam cæterorum filiorum legitimam: ita ex lege *ſi totas* Codic. de inofficioſis donat. & ex Authent. de immenſ. donat. Si donatio fiat extraneo, & ſit inofficioſa reſpectu aſcendentium, impediatque ne ipſis relinquatur portio legitima, revocari poterit, quouſque legitima portio aſcendentibus ſuperſtitibus aſſignetur: Ita lex *ſi filius* Cod. de inofficioſ. donat.

Quid ſi ſit inofficioſa aſcendentibus? At quid dicendum, ſi carens filiis, donet aſcendentibus, & deinde liberi naſcantur? quidam dicunt, aſcendentes coæquandos eſſe piis cauſis; ac proinde revocari poſſe dumtaxat pro legitima filiorum. Alii dicunt poſſe revocari in toto, quia creditur donator potius velle filiis providere, quam aſcendentibus; præcipue niſi ſint genitores. Putarem comparandas eſſe neceſſitates, eaſdemque judici ſapienti, & pio exponendas, & juxta ejus conſilium reſolvendum eſſe.

CAPUT III.

DE CONTRACTU TESTAMENTI.

§. I. *De Natura, & diviſione Teſtamenti.*

Natura & requiſita ad Teſtamentum exponuntur. I. Opportune capiti de donationibus adjungimus caput de Teſtamento; cum Teſtamentum ſit donatio quædam poſt teſtatoris mortem exequenda, multoties liberalis, multoties remuneratoria. Eſt igitur teſtamentum ultimæ voluntatis diſpoſitio, ſolemniter facta, cum inſtitutione hæredis. Dicitur diſpoſitio ultimæ voluntatis, ut ſignificetur, quomodo per ea verba conveniat teſtamentum cum aliis ultimis voluntatibus, puta Codicillo, Legato, & donatione mortis cauſa, non revocata: Dicitur facta ſolemniter, quia ex jure, ad evitandas omnes fraudes, requiruntur ad valorem teſtamenti quædam ſolemnitates, quibus deficientibus, invalidum cenſetur ſaltem in foro civili. Hæ ſolemnitates variæ ſunt, juxta præſcripta jurium municipalium: dixi in foro civili; quia in foro conſcientiæ non deſunt graves auctores, qui adhuc valorem habere affirmant; de qua re ſuo loco. Dicitur cum inſtitutione hæredis, quæ eſt nominatio ſucceſſoris in omnibus teſtatoris juribus; quæ inſtitutio adeo eſt neceſſaria, ut ſi deſit, fere apud univerſas regiones omnem valorem amittat.

Teſtamenti diviſio in Solemne, & Privilegiatum. II. Teſtamentum dividitur primo in Solemne, & Privilegiatum: dicemus modo de ſolemni. Solemne eſt illud, quod fit cum ſolemnitatibus a jure præſcriptis; inquędam ſolemnitates præſcribuntur a jure naturali, & gentium, aliæ a jure civili. Primæ ſunt, ut teſtamentum ſufficienter exprimat voluntatem teſtatoris aliquo ſigno exteriori ſive ſcriptionis, ſive vocis, ſive nutu ſufficienti, ſaltem coram duobus teſtibus idoneis, qui rei geſtæ fidem facere poſſint ad fraudes præcavendas. Solemnitates autem a jure civili præſcriptæ ſunt præter ſufficientem voluntatis teſtatoris manifeſtationem, quod adſint ſeptem teſtes maſculi, puberes, li-

Conditiones ſolemnes.

beri, ad id rogati, ideſt vocati, omnes una ſimul præſentes, ipſumque teſtamentum videntes, mentis, & uſu ſenſuum compotes: ita ex Inſtitut. de Teſtamen. §. *teſtes*. Proinde ab hoc munere excluduntur muti, ſurdi, cæci, furioſi, prodigi, infames jure, exiſtentes ſub poteſtate teſtatoris, pater teſtatoris, pater hæredis, hæres ipſe, & qui ſunt ſub hæredis poteſtate. Hinc admitti poſſunt legatarius, eo quod non agatur principaliter ejus cauſa, ſicut agitur cauſa hæredis: Eccleſiaſtici viri utriuſque cleri: quamvis ſit conſultum, Regulares prætermittere, ſi alii haberi poſſint, & Regularis peccaret, ſi abſque Superioris licentia id munus obiret. Hæc ſunt communia.

Divisio ſolemnis in Scriptum, ſeu Clauſum, & Nuncupativum, ſeu Apertum.

III. Teſtamentum ſolemne dividitur in Scriptum, ſeu Clauſum, & in Nuncupativum ſeu apertum: Primum illud eſt, quod vel manu teſtatoris, vel cujuſlibet alterius eſt ſcriptum, quod ipſe teſtator coram teſtibus idoneis declarat ſuam eſſe ultimam voluntatem, ſuumque teſtamentum; quod, ſi poſſit, ſubſcribere tenetur, ſin autem ab alia octava perſona nomine Teſtatoris ſubſcribendum eſt; & deinde ſeptem dicti teſtes debent ſubſcribere eodem tempore, illudque vel proprio, vel alieno ſigillo ſinguli ſigillare: ita in lege *hac conſultiſſima* 21. Cod. de Teſtam. juncto §. Sed *cum paulatim*, & ſequentibus. Nuncupativum, ſeu Apertum requirit, ut teſtator coram ſeptem teſtibus idoneis una ſimul præſentibus, qui ipſum teſtatorem videant, & audiant, ſuam voluntatem declaret loquendo, vel legendo: ita in laudatis juribus. Quia tamen etiam hujuſmodi teſtamenta coram notario proferri ſolent, & in ſcriptum redigi, id fit, non quia ſubſtantia rei geſtæ id poſtulet, ſed ad majorem ejuſdem rei geſtæ ſecuritatem in caſu, quo aut teſtes verborum teſtatoris obliviſcantur, aut aliqui eorum decedant, vel impotes evadant; unde ſcriptura ſupplere poſſit teſtium defectum. Immo addunt communiter Doctores, validum eſſe teſtamentum Nuncupativum, ſi tabellione, vel alio quovis interrogante teſtatorem coram dictis teſtibus, an velit talem perſonam hæredem inſtituere, & ipſe ita affirmet: ex lege *jubemus* Cod. Teſtamen. Et Canoniſtæ id admittentes, ſcribentes ſuper caput *cum tibi* de teſtam. addunt, quod etiamſi non declaret hæredem, neque legata, ſed dumtaxat coram dictis teſtibus, oſtendendo ſchedam, declaret, & proteſtetur in eadem contineri ſuum teſtamentum ſufficiat: & etiam ſufficiat, quod, neque oſtendendo ſchedam, ſe reportet ad ſchedam determinatæ perſonæ conſignatam, & proteſtetur coram dictis teſtibus, in eadem ſuum contineri teſtamentum. Circa has ſolemnitates iterum moneo, ſtandum eſſe regionum conſuetudinibus approbatis.

Teſtamentum Privilegiatum.

IV. Teſtamentum Privilegiatum, & prout contraponitur ſolemni, eſt illud, ad cujus valorem aut ſolę requiruntur conditiones jure naturali, & gentium præſcriptæ ſuperius aſſignatæ, nempe quod ſufficienter exterius ſignificetur teſtatoris voluntas coram duobus teſtibus, aut vix aliqua alia conditione juxta regionum morem afficiatur. Hujuſmodi autem teſtamenta ſunt illa, quæ fiunt ad pias cauſas, nempe ad Dei cultum, ad Sanctorum honorem, ad animæ teſtatoris utilitatem, nec non quæ deſtinantur ad Beneficium Eccleſiaſticum, ad hoſpitalia, ad monaſteria, ad captivorum redemptionem, ad ſuffragium defunctorum &c. Item Privilegiata ſunt teſtamenta, quæ a militibus, ruſticis, & tempore peſtis ſunt condita, nec non quæ a Patre, matre, aut alio aſcendente pro liberis conduntur.

§. II. *De Obligatione Teſtamenti.*

Obligatio Teſtamenti etiam ſine ſolemnitate.

I. EX Sancto Antonino, Sylveſtro, Bannez, Soto, Lopez noſtris; ex extraneis autem Adriano, Dabiena, Joanne de Medina, Angelo, & Molina relatis a Leſſio lib. 2. cap. 19. dub. 3. probabilius videtur, quod teſtamenta non privilegiata carentia ſolemnitatibus a jure præſcriptis, in locis ubi ſunt receptæ, dummodo certiſſime conſtet de voluntate teſtatoris, ſint valida in foro conſcientiæ: neque hæres, aut legatarius tenetur reſtituere hæredi ab inteſtato, quæ acquiſiverunt, niſi accedente ſententia judicis, quæ decernat eſſe hæredi illi reſtituenda bona illa; tunc enim in foro etiam conſcientiæ tenerentur bona reſtituere: Ita Jus Canonicum in Canone *ultima* 13. q. 2. *Ultima voluntas defuncti omnibus modis ſervari debet*: & in cap. *indicante* de teſt. *Cognovimus quod moriens uxor concham argenteam nudis verbis juſſit venundari, & ſuis dari liberis .... in quibus voluntatem ejus per omnia volumus adimpleri.* Ex quibus verbis deducitur concham illam non pertinuiſſe ad liberos ab inteſtato, ſed ex libera tantum diſpoſitione teſtatricis: aliter ſupervacaneum fuiſ-

ſet

Digitized by Google

ſet decretum illud Gregorii IX. Item ex jure Civili Lege *etſi inutiliter* de fideicommiſſis: *etſi inutiliter* (id eſt ſcripto ſolemnitate carente) *fideicommiſſum relictum eſt; tamen ſi hæredes, comperta voluntate defuncti, prædia ex cauſa fideicommiſſi avo tuo præſtiterunt; fruſtra ab hæredibus ejus de ea re quæſtio tibi movetur; cum non ex ſola ſcriptura, ſed ex conſcientia relicti fideicommiſſi defuncti voluntati ſatisfaciendum eſſe videtur*. Nil validius deſiderari poteſt ex jure. Ratio potiſſima eſt, quod omnes ſolemnitates a jure ſtatutæ pro validitate teſtamentorum eo tandem collimant, ut, ſubmoto cujuſcumque fraudis periculo, voluntas teſtatoris adamuſſim impleatur, & proinde omnes conſpirant in favorem voluntatis teſtatoris: igitur quando certiſſime conſtat de ſua voluntate, hæc in foro conſcientiæ erit implenda, quamvis dictis ſolemnitatibus careat; dummodo adſint requiſitæ a jure naturali, & gentium. Id autem quammaxime agendum eſt, quando ſolemnitates defuerunt teſtamento, vel ob ignorantiam, vel ob impotentiam teſtatoris, ita ut conſtet, eas non omnino voluntarie fuiſſe ab ipſo prætermiſſas: Nam revera in hoc caſu ageretur contra ipſius voluntatem, quæ, ut dixi, eſt ſcopus omnium ſolemnitatum. Si enim data opera, & omnino voluntarie illas prætermiſiſſet, tunc mihi probabilior evaderet opinio contraria; hac urgentiſſima ratione: quia in pœnam ſuæ inobedientiæ legi adeo juſtæ mereretur, ne impleantur diſpoſitiones teſtamentariæ; cum enim voluerit eſſe legi inobediens, juſte puniendus eſt, ne & ipſi obediatur in diſpoſitionibus ab eo contra legem factis. Dixi, quod ſi a judice reſcindatur valor teſtamenti minus ſolemnis etiam ob ignorantiam facti; obediendum ſit judici etiam in foro conſcientiæ; quia quando in ſententia judicis non apparet manifeſta injuſtitia, qualis non apparet in hujuſmodi judicio, quippe quod ſit ſecundum leges, obediendum eſt in conſcientia; cum plurimum juvet bono communi ſuſtinere ſolemnitates præſcriptas in tribunali, ubi ſunt receptæ; ne paulatim enervetur legum auctoritas in re tanti momenti, qualis eſt ſecuras reddere teſtamentarias diſpoſitiones.

* Sententia, cui ut probabiliori adhæret Auctor *n. præced.* conſona non videtur iis, quæ tradit ipſe ſuperius, nimirum *cap.* 1. §. 4. *num.* 1. ibi namque docet, contractus carentes ſolemnitatibus, aut circumſtantiis ad eorum valorem a jure ſive communi, ſive municipali præſcriptis, invalidos remanere, nullamque parere obligationem; hic vero aſſerit probabilius ſibi videri teſtamenta non privilegiata carentia ſolemnitatibus a jure præſcriptis in locis ubi ſunt receptæ, dummodo certiſſime conſtet de voluntate teſtatoris, eſſe valida in foro conſcientiæ. Si quod ſentimus, ingenue pandere liceat, prior opinio veritati magis conſentanea nobis apparet, magiſque conformis iis, quæ Auctor habet infra, nempe §. 3. *num.* 9. ubi cenſet, quod legum ſanctio juſta, & communi bono favorabilis prævalere debet voluntati teſtatoris.

Cæterum circa difficultatem, quam ipſe *nu. præced.* examini ſubjicit, atque diſcutit, tres ſunt Doctorum opiniones.

Prima ſtatuit, quod Teſtamentum ad cauſas profanas carens una vel pluribus ſolemnitatibus a jure poſitivo requiſitis ſit validum in foro interno, ſeu conſcientiæ, proinde, quod Hæres, vel Legatarius ſcriptus licite retinere poſſit hæreditatem, vel legatum ex tali Teſtamento imperfecto acquiſitum, nec reddere debeat hæredi ab inteſtato, dummodo aliunde ſufficienter conſtet, de voluntate Teſtatoris, & quod hæres ab inteſtato in conſcientia teneatur ipſi tradere hæreditatem, & ſolvere legata ex tali Teſtamento imperfecto relicta.

Secunda oppoſita ſuſtinet, quod Teſtamentum ad cauſas profanas carens una, vel pluribus ſolemnitatibus a jure Civili requiſitis, ſit invalidum, & nullum non ſolum in foro externo, ſed etiam in foro interno, ſeu conſcientiæ, adeo ut Hæredes, & Legatarii vi talis Teſtamenti, nec poſſint aliquid accipere, nec, ſi jam acceperint, illud tuta conſcientia retinere valeant, ſed Hæredibus ab inteſtato teneantur ſub gravi cuncta relinquere, aut reſtituere, quantumcumque de voluntate Teſtatoris certo conſtet.

Tertia tandem media eſt, & per eam, ut recte obſervat Pirhing. *Lib.* 3. *Decretal. tit.* 26. *n.* 13. *in fine*, fere conciliantur inter ſe prædictæ duæ contrariæ ſententiæ. Hæc namque decernit, quod dictum Teſtamentum minus ſolemne ſeu imperfectum non ſit quidem irritum & invalidum ipſo jure, in foro conſcientiæ; at tamen poſſit tale declarari per ſententiam judicis, apud quem tam Hæres ab in-

inteſtato, quam Hæres ſcriptus poſſunt licite agere, ut jus ſuum pro ſua bona fide in diverſis Legibus, & rationibus fundata defendant, quamvis ſint de voluntate Teſtatoris omnino certi: Unde tale Teſtamentum quadam ratione eſt validum, ideſt antequam per ſententiam judicis irritetur, ſeu irritum declaretur; & quadam alia ratione eſt invalidum, ideſt quatenus poteſt, imo etiam debet per ſententiam Judicis invalidum declarari, ſi ſuper eo in judicio lis fuerit mota. Legatur P. Lucius Ferraris *V. Teſtament. art. 1. a num.*43. *uſque ad* 58. ubi pro unaquaque expoſitarum ſententiarum plures allegat Doctores tum Juriſtas, tum Theologos, & inſuper quæ pro unaquaque militant argumenta, oculis ſubjicit. Poſtremæ huic ſententiæ patet auctorem ſubſcripſiſſe; quandoquidem poſtquam cenſuit, quod Teſtamenta non privilegiata carentia ſolemnitatibus a jure præſcriptis, dummodo certiſſime conſtet de voluntate Teſtatoris, ſint valida in foro conſcientiæ; ac proinde quod neque hæres, aut legatarius teneantur reſtituere hæredi ab inteſtato, quæ acquiſiverunt; *ſubdit*: niſi accedente ſententia Judicis, quæ decernat eſſe hæredi illi reſtituenda bona illa; tunc enim in foro etiam conſcientiæ tenetur bona reſtituere; quod uberius explicat & probat in fine ejuſdem numeri.

Quid de Teſtamento ad pias cauſas ejuſque privilegiatis?

II. Eſt ſententia communis tam apud Theologos, quam apud Juriſtas, teſtamentum ad pias cauſas ad ſui valorem non indigere aliqua juris ſolemnitate, ſed ſufficere, quod teſtatoris voluntas certo conſtet, quomodocumque fuerit manifeſtata: Et quamvis lex Eccleſiaſtica Alexandri III. in Canone *relatum* II. de teſtam. poſtulet duos, aut tres teſtes rogatos, id tamen, juxta Doctores, non requiritur abſolute, & quoties certa habeatur aliunde voluntas teſtatoris, vel ſcripto manu propria ſignificata, vel alio modo; ſed dumtaxat in caſu, quo nulla alia probatio haberi queat. Congruentia hujus privilegii eſt, quia legata ad pias cauſas cedunt in utilitatem animæ teſtatoris. Caveant igitur hæredes a cavillationibus Cauſidicorum, ne ſuæ conſcientiæ graviter noceant.

Monitum Confeſſariis.

III. Quando moriens teſtatur ad pias cauſas nuncupative, & vocetenus, debet Parochus, vel Confeſſarius aſſiſtens advocare teſtes, qui audiant & teſtari poſſint audita a teſtatore & confirmare relata a Confeſſario. Si autem nullus vocari poſſit, & præcipue ſi legatum non eſſet in favorem confeſſarii, neſcio, qua ratione non ſit ſtandum juramento Confeſſarii, & æquivalere non debeat aſſertioni teſtium. Pariter ſi teſtator coram duobus, vel tribus affirmet, ſe nonnulla commiſiſſe confeſſario executioni mandanda, & velle, quæ ipſe aſſeruerit, ut executioni mandentur; in hoc caſu, confeſſario atteſtante talia, aut talia eſſe facienda, eroganda &c. tenebuntur hæredes indicata exequi. Caute autem aget Confeſſarius, ſi aliquas conjecturas adducat, dummodo poſſit, unde conjici queat, illam fuiſſe teſtatoris mentem: Dixi, dummodo poſſit; quia non raro ſunt reſtitutiones faciendæ, quarum nulla conjectura afferri poteſt. Vide Navarrum lib. 3. Conſil. 16. de Teſtamen.

IV. Valet quoque teſtamentum ad pias cauſas, quod morte præventus teſtator abſolvere non potuit: proinde quamvis quoad cæteras civiles diſpoſitiones in eo factas, forte careat valore; quoad legata ad pias cauſas valore privari non debet; eo quia diſpoſitiones ad pias cauſas cenſentur confirmatæ mortis teſtatoris, qui illas non retractavit; quandoquidem eædem in animæ ſuæ utilitatem redundent.

Teſtamentum ad pias cauſas non completum.

V. Cave tamen ne teſtamentis ad pias cauſas accenſeas illud, quo quis habens propinquos valde inopes, non ſine anguſtia magna vix vitam tranſigentes, carentes bonis, ut ſuis puellis dotem ſubminiſtrent, liberiſque juxta ſui ſtatus conditionem provideant, relinquit ſuas facultates locis quidem piis, at non indigentibus, quinimmo pluſquam ſufficienter proviſis: aut exhæredatis filiis ex irato animo, monaſteria, quę jam reditibus affluunt, heredes inſtituit: audiant S. Auguſtinum ſerm. 355. *Bonifacii hæreditatem ſuſcipere nolui, non miſericordia, ſed timore .... Plane quando donavi filio, quod iratus pater moriens abſtulit, bene feci, ... Quicumque vult, exhæredato filio, hæredem facere Eccleſiam, quærat alterum, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum; immo, Deo propitio, neminem inveniat.*

Teſtamentum privilegiatum inter liberos quas conditiones poteſt habere?

VI. Teſtamentum inter liberos, quod aut a patre, aut a matre, aut ab altero ex aſcendentibus inter liberos conditum fuit, eſt privilegiatum, & validum, quamvis careat ſolemnitatibus juris: ita lex *Conſultiſſima* §. *& imperfecto* Cod. de teſtam. Tamen valde notandum, quod quando hujuſmodi teſtamentum fit in ſcriptis, Juſtinianus novo jure ſtatuit in Authentica de teſtam. imperf. n. 107. cap. 1. non eſſe validum, niſi ſubſcribatur a teſtatore, &

a li-

a liberis inſtitutis; aut niſi ipſe teſtator propria manu tempus conditi teſtamenti, nomina filiorum, & portiones in quibus inſtituti fuerunt, in teſtamento ſcripto exprimat; non tamen requiruntur teſtes: idque ſtatuit Juſtinianus, ad præcavendas liberorum fraudes. Si autem hoc teſtamentum fiat Nuncupative, nihil innovavit Juſtinianus, & ſtandum erit juri veteri; atque ſufficiet, quod fiat cum duobus vel tribus teſtibus maſculis, aut fœminis. Vide Molinam diſp. 228.

Teſtamentum privilegiatum militum.

VII. Circa teſtamentum privilegiatum militum actualiter in bello degentium ita ſtatuitur in Lege *Milites* 15. de teſtamento militis: *In vagina, vel clypeo literis etiam ſanguine annotaverit, aut in pulvere inſcripſerit gladio ſub ipſo tempore, quo in prælio vitæ ſortem dereliquit*: ideſt valet ipſius teſtamentum quocunque modo ſignificatum, dummodo duo teſtes etiam non rogati interfuerint, qui probare queant.

Teſtamentum privilegiatum Ruſticorum.

VIII. Ruſticis conceditur, ut ſi rari teſtentur, ubi non poſſint haberi plures teſtes, quam quinque, ii ſufficiant pro ſuo teſtamento tam ſcripto, quam nuncupativo: ita in lege ultim. Cod. de teſtam. Quod ſi dicti teſtes neſciant ſcribere, nec alii, qui id ſciant inveniri poſſint, valebit adhuc, quamvis ab illis non ſubſcriptum: ſi autem haberi poſſint aliqui, qui ſcribere queant, hi ſcribant pro ſe, & ſuppleant pro aliis illiteratis præſentibus.

Teſtamentum privilegiatum tempore peſtis.

IX. Communior opinio poſtulat pro teſtamento, graſſante peſtilentia, confecto, ut habeat ſeptem teſtes ſubſcriptos, non tamen una ſimul congregatos, aut præſentes; ſed ſufficiet, ſingulos ſeparatim ſubſcribere. Et hæc eſt in praxi tenenda, quando fieri poteſt. Si tamen id fieri nequeat, aſſiſtens moribundo curare debet, ut illi teſtes inveniantur quo plures inveniri poterunt, quinque, quatuor, tres; & tandem etiam fœminæ admittantur, ſi maſculi deſint. Si autem nullus inveniri queat, præter confeſſarium; utrum dato juramento de ultima voluntate teſtatoris peſte icti eidem credendum ſit? eſto judicium apud prudentes: putarem, quod eſſet fides adhibenda.

§. VIII. *De Codicillo, & Legato.*

Quid ſit Codicillus?

I. CODicillus eſt teſtamentum quoddam imperfectum, quo nullus hæres inſtituitur, ſed vel præſupponitur inſtitutus per teſtamentum, vel ſuccedens ab inteſtato, & vel adjungitur teſtamento jam condito, aliquid addendo, mutando &c.; vel quin præſupponatur teſtamentum, hæredi ab inteſtato committitur aliquid, poſt mortem codicillum condentis exequendum: ita lex *per manus* 10. ff. de jure Codicillorum, & lex *hæreditatem* 3. Cod. de Codicillis.

Quæ illius conditiones?

II. Codicillus ſive ſcriptus, ſive nuncupativus requirit quinque teſtes, etiam non rogatos, quamvis ſint fœminæ, qui debent vel codicillo ſubſcribere, ſi fuerit ſcriptus, vel teſtari voce, ſi fuerit nuncupativus: ita lex ult. §. 3. de Codicillis. Si a diſponente fiant ſucceſſive plures codicilli, dummodo dicto modo fiant, omnes valorem habent: & in caſu quo unus alteri opponatur, poſterior derogat priori: ita lex *Diti* 6. ff. de jure Codicillorum. In hoc differt codicillus a Teſtamento, quod duo teſtamenta ſimul vim habere non poſſunt, ſed poſterius ſemper irritum reddit prius conditum, quamvis nullus hæres exiſtat; quia aut noluit hæreditatem acceptare, aut obiit ante teſtatorem; & in eo caſu ſuccedunt hæredes ab inteſtato: ita in §. *poſteriora* 2. Inſtit. *quibus modis teſtamentum infirmetur*.

Quid ſit Legatum?

III. *Legatum eſt donatio quædam a defuncto relicta, & ab hærede præſtanda*: Ita §. 1. Inſtit. de Legatis, quæ donatio eſſe ſolet alicujus rei particularis. Differt legatum a Fideicommiſſo univerſali, quamvis conveniat cum Fideicommiſſo particulari:

Incidenter quid & quotuplex Fideicommiſſum?

Nam Fideicommiſſum univerſale eſt illud, quo integra hæreditas relinquitur hæredi, at gravato hoc onere, ut ſive abſolute, ſive cum certa conditione illam alteri reſtituat; & propterea hic denominatur fideicommiſſarius, cum facultate retinendi ſibi ſemper quartam partem hæreditatis, quæ Trebellianica dicitur. Si autem hæres ſit neceſſarius, habet facultatem retinendi ſibi legitimam, quæ non poteſt per fideicommiſſum gravari. Fideicommiſſum particulare eſt, quando, relicta hæreditate hæredi ſive inſtituto, ſive ab inteſtato, ipſi injungitur, ut tradat talem rem alteri: ſolis autem verbis differt a legato; nam in legato verba diriguntur ad legatarium dicendo: Lego v. gr. bibliothecam meam Titio: in Fideicommiſſo autem particulari verba diriguntur ad hæredem, dicendo: relinquo hæredi meo bona &c.; cum onere, ut cedat Bibliothecam Titio.

Caſus circa res legatas?

IV. Circa res, quæ legari poſſunt, hæ

Digitized by Google

ſunt, nedum res, quæ ſunt omnino propriæ teſtatoris, & quas obtinet tam in re, quam in ſpe, verum etiam illæ, quæ ſunt alteri obligatæ: propterea hæres illas redimere tenetur, & tradere Legatario. Si vero illas redimere non poſſit, neque via judiciali, debet tantumdem, ideſt valorem rerum tradere Legatario: ita lex *cum alienam* 10 Cod. de Legatis. Id autem verum eſt, poſito quod teſtator non ignoraverit rem legatam eſſe alteri obligatam; ſi enim hoc ignoraverit; non valet legatum, niſi tamen ex conjecturis prudenter conſtaret, quod teſtator eam nihilominus legaſſet, quamvis ſciviſſet eam eſſe alteri obligatam: immo etiamſi teſtator putaſſet rem eſſe ſuam, cum ſit hæredis, debebit hæres illam tradere legatorio: ita lex *unum ex familia* 67. ff. *ſi in rem tuam* 8. Ratio eſt, quia cum hæres cætera defuncti bona acquirat, congruum eſt, ut ipſe ad gratificandum defuncto, ſe dicta re alteri legata expoliet. Legatum fieri non debet de re, quæ alioquin eſt debita legatario titulo oneroſo; tum quia eſt legatum inutile, quod alioquin natura ſua debet eſſe gratuitum; tum quia legata, una cum teſtamentis, ſæpe ob varias cauſas infirmantur. Unde creditor exponitur periculo amittendi, quod ſibi debetur, ſi ſolius legati titulo dandum ſignificetur. Caveat igitur, qui debita oneroſa habet, ne hoc modo his ſatisfacere intendat, quia non eſt ſecurus in conſcientia; ſed explicet illam ſummam alteri eſſe debitam: & eſt communis.

Quid circa perſonas legatarias? V. Circa perſonas, quibus legari poteſt, ſunt omnes illæ, quæ hæredes eſſe poſſunt, regulariter loquendo; idcirco autem ita dico; ut excipiantur Spurii, qui quamvis hæres fieri nequeant, valide poſſunt eiſdem alimenta legari.

Quid circa modos varios inſtituendi legata? VI. Multiplex eſt modus inſtituendi legata: nam primo relinquuntur, nulla addita die, vel conditione &c. ſed abſolute; & hæc ſtatim debentur legatario: non tamen poſſunt peti, antequam ab hærede adeatur hæreditas. Quando autem corruit teſtamentum, corruunt etiam legata, quæ ab hæredibus ab inteſtato præſtanda non ſunt: ita lex *ſi nemo* ff. de teſtamenti tutela. Statim autem ac hæres hæreditatem adiit, ſtatim debentur legata una cum fructibus a die mortis teſtatoris perceptis. Quando autem hæc legata tranſeant ad hæredes legatarii, vide Molinam, & Lugonem, qui plures afferunt exceptiones a jure petitas. Alia ſunt legata aliquibus conditionibus affecta, & hæc dicuntur legata *in diem certum*; v. g. lego Petro decem ſcuta in die Paſchatis eroganda: hæc ante præfatam diem peti non poſſunt; jus tamen illa petendi, adveniente die, tranſit ad hæredes legatarii: ſi antea obiiſſet: ita *ſi dies* 21. ff. *quando dies legatorum* &c. Si autem relinquatur legatum in diem incertam: v.g. lego Petro centum ſcuta in die, qua nuptias celebrabit, ſi talis diei adjectio fiat dumtaxat in commodum hæredis, legatum ad hæredes legatarii non tranſit, ſi ante diem illam obeat: ita lex *ſi dies appoſita* ibidem: ſi autem fiat in commodum ipſius legatarii, tunc adjectio diei habet rationem conditionis pendentis in futurum, quæ conditio vel evenire poteſt, vel non; & quidem ſub triplici conditione, nempe aut poteſtativa, cujus eventus pendet a ſola legatarii voluntate: v. g. lego Petro centum ſcuta, ſi uxorem ducere velit: aut ſub conditione caſuali, cujus eventus a legatarii voluntate non pendet: v. g. lego Petro centum ſcuta, ſi noſtrates victoriam de hoſtibus reportaverint: aut ſub conditione mixta, cujus eventus partim pendet ex voluntate legatarii, partim aliunde: v. g. lego Petro centum, ſi talem uxorem duxerit. Legata his modis conditionata dicuntur remanere ſuſpenſa, nec legatario cedere, neque ad ejus hæredes tranſire, donec conditio ponatur in eſſe; & eo mortuo, extinguuntur: ita lex unica ff §. *autem* 7. Codic. *de caducis tollendis*. Id autem intelligendum eſt, ſi legatum ſit inſtitutum intuitu perſonæ: ſi vero ob aliam cauſam fuerit inſtitutum, puta pietatis, v.g. lego Agneti centum ſcuta ad dotem ob eleemoſinam; ſi hæc obeat, alia puella erit dotanda; eſt enim legatum ad piam cauſam pro dotanda puella paupere, ut communiter docent Auctores; ſecus autem ſi legaſſet Agneti, quia teſtatori in diuturno morbo inſervivit; tunc enim, illa obeunte ante executionem, legatum cadit.

Conditio ſpecialis obſervanda de nubendo. VII. Unam ſpecialiter conditionem afficientem hæreditates, & legata attentius perpendunt communiter Doctores, & eſt illa, qua legatum ſeu hæreditas afficitur conditione contrahendi, vel non contrahendi matrimonii, v. g. inſtituo Petrum hæredem, aut eidem lego mille aureos, ſi matrimonium contraxerit: quæ conditio utpote honeſta, affert exequendum le-

ga-

gatum, ſi matrimonium celebretur. Circa hoc Doctores ex juris benigna interpretatione, Authentica *niſi rogati*, Codic. *ad Senatus conſultum Trebellian.*, dicunt, quod Petro ſint mille aurei conferendi, etiamſi religionem ingrediatur, niſi forte a teſtatore ſolus nuptiarum caſus exprimeretur, ſignificando excluſionem religionis, non in odium religionis (nam eſſet turpis conditio pro nihilo habenda) ſed quia ſummam illam pro contrahendo matrimonio cenſuit neceſſariam & decentem; quam pro religionis ingreſſu expedire non putavit.

Conditio de nubendo tali perſonæ.

VIII. Præterea conditio adjecta, ut hæres, vel legatarius ducat talem perſonam, valorem habet, ut docet communis, & eſt implenda, ut poſſit hæreditas, vel legatum acquiri. Si tamen perſona deſignata vel recuſaret tale matrimonium, vel eſſet indigna, & male audiens; tunc cum non defecerit conditionis impletio ex parte legatarii in primo caſu, & ſit conditio turpis in ſecundo, adhuc legatum acquiritur; nam in primo caſu conditio pendens a voluntate duorum non impedit aſſecutionem legati, quando non defuit legatarius ex parte ſua: & in ſecundo caſu conditio utpote turpis, habetur in jure pro non adjecta.

Conditio de non nubendo.

IX. Conditio ut hæres, vel legatarius non contrahat matrimonium, rejicitur a jure, utpote repugnans bonis moribus, & bono communi; ita lex *Quoties* 22., lex *cum tale* 72. ff. *de conditione, & demonſtratione*. Proinde hæreditas, & legatum debetur etiamſi matrimonium contrahat. Pariter ſi legentur mille, ſi non contrahat, & quingenti, ſi contrahat, debentur mille etiamſi contrahat, lex *Titiæ ſi non nupſerit* 100. ibidem; quæ omnia vera ſunt etiam in foro conſcientiæ, ut probabilius cum Sylveſtro docent plures graves, & docti. Etenim legum ſanctio juſta, & communi bono favorabilis prævalere debet voluntati teſtatoris, præcipue circa diſpoſitiones, quæ honeſtati undequaque non concordant, quales ſunt modo relatæ. Si tamen hæ conditiones adderentur legato relicto perſonæ viduæ, aut ſi non excluderet matrimonium abſolute, ſed ad determinatum tempus, aut dumtaxat cum determinatis perſonis non eſſe contrahendum; conditio valeret, & eſſet implenda; ſicuti etiam ſi fieret excluſio illa in expreſſum favorem religionis. Standum eſſe moneo juribus Regionum.

§. IV. *De Perſonis Inſtitutoris, & Hæredis.*

Qui teſtari poſſint, aut non?

I. Cum quicunque gaudet bonorum libero dominio teſtari poſſit; propterea jure naturali teſtandi poteſtate carent Infantes, Furioſi, Amentes tempore amentiæ, in lucido tamen intervallo moraliter certo poterunt. Jure autem poſitivo teſtamenta, codicillos, legata facere prohibentur Surdi ſimul, & Muti a nativitate, ita lex *diſcretis* 10. Codic. *qui teſtamentum facere poſſunt* &c.; excipe pias caulas, dummodo ſignis id manifeſtare poſſint. Surdi tantum nativitate poſſunt: ſicuti ille, qui eſt ſimul cæcus & ſurdus ex ſuperveniente infirmitate, ita in citata lege. Uſurarius publicus teſtari non poteſt, niſi conſtet ante confeſſionem teſtamenti ſatisfeciſſe, aut cautionem idoneam præſtitiſſe: ex cap. *Quamquam*, de centuris in 6. Filius familias teſtari poteſt de bonis caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus, nec non de adventitiis, ſi eidem jam facto clerico advenerint; non tamen de adventitiis ante clericatum, quamvis de conſenſu Patris in foro civili: lex qui *in poteſtate* 6. ff. *qui teſtamentum*: poteſt tamen de conſenſu patris diſponere de præfatis bonis ad pias cauſas, circa quas jus civile vim non habet ex cap. *licet de ſepulturis* in 6. poteſt etiam de eodem patris conſenſu donare mortis cauſa: lex *ſi filius fam.* 7. §. 4. ff. de donation. Impuberes teſtari prohibentur: lex *æqua ætate* ff. *qui teſtamenta facere poſſunt*; neque ad pias cauſas ex laudato cap. *licet de Sepulturis* in 6. valet tamen teſtamentum impuberis in foro conſcientiæ, quouſque a legitimo ſuperiore reſcindatur. Circa alios ſtatus perſonarum non adeo uſitatos, vide Juriſtas.

Variæ hæredum genera.

II. Cum ſecundum Juriſtas, & Theologos hæreditas ſit devolutio juridica bonorum temporalium in aliquam perſonam, vel ratione ſanguinis, ſeu ſtirpis, vel ratione legitimæ inſtitutionis; hinc duplex inveniri poteſt hæres, nempe vel ab inteſtato, vel ex Inſtitutione, ſeu teſtamento. Hic ſextuplex eſt: Univerſalis, Particularis; Neceſſarius, non Neceſſarius; Suus, & non Suus. Hæres autem ab inteſtato ille eſt, qui jure Gentium, & civili ſuccedit in bonis alterius ex vi ſanguinis, & conjunctionis, abſque ulla inſtitutione ſpeciali defuncti. Quando igitur aut nullum ſit teſtamentum, aut factum,

Quis ordo ſervandus inter hæredes ab inteſtato?

declaretur illegitimum, aut alio quocunque modo juridice reſcindatur, ſuccedunt hæredes ab inteſtato. Quo autem ordine ſuccedere debeant, declaratur in Authentica *de Hæredibus ab inteſtato*, & in Authentica *defuncto* Codic. ad Senatus conſultum Trebellionem; & ſtatuitur primo loco ſuccedere deſcendentes defuncti, quicunque illi ſint, & excluduntur aſcendentes. Inter deſcendentes hic ordo ſervandus eſt, ut ſi extent filii, non ſuccedant nepotes; poſt defunctos filios, ſuccedunt nepotes, nempe filii filiorum, non per capita, ſed per ſtipites, ideſt omnes nepotes ex uno filio patrem ſuum repræſentant, & omnes ſimul unam tantum portionem ſumunt, ſicut ſumeret eorum pater, ſi viveret; quæ pars ſit æqualis parti ſingulorum filiorum extantium. Id autem intelligitur de omnibus filiis, ſive maſculi ſint, ſive fœminæ; ſive emancipati, ſive non emancipati, dummodo non fuerint exhæredati: ita novella Juſtiniani 118. collat.9.cap.1. Deficientibus filiis, & nepotibus, tam maſculis, quam fœminis, ſuccedunt Pater, & Mater defuncti; & in eorum defectu, Avus, & Avia reſpective ad bona profectitia; ita ut quoad bona profecta a patre ſuccedat Avus paternus, vel Avia; quoad bona profecta a Matre, Avus maternus, vel Avia: ita Bartol. in lege *poſt decem* Codic. *ſolum matrimonio*. Deficientibus deſcendentibus, & aſcendentibus defuncti, ſuccedunt Fratres, & Sorores defuncti ex utroque parente conjuncti, æquis portionibus, excluſis iis, qui ex ſolo Patre, vel ex ſola Matre conjuncti ſunt; in quorum locum, ſi obierint, ſuccedunt nepotes, ideſt filii fratrum: ex Anthentica *itaque*, Codic. *Communia de ſucceſſion.* Deficientibus fratribus, & ſororibus ex utroque parente conjunctis, atque eorum filiis, ſuccedunt fratres, & ſorores, ex una tantum parte conjuncti, ideſt vel ex ſolo patre, vel ex ſola matre, reſpective ad bona profectitia; ita ut qui ſunt conjuncti ex patre, ſuccedunt in bonis a patre profectis; qui vero ſunt conjuncti ex matre, ſuccedunt in bonis a matre provenientibus; in reliquis autem bonis communibus æqualiter ſuccedunt omnes: ita Gloſſa in Auth. ſupracitatam. Deficientibus omnibus prædictis, ſuccedunt propinquiores collaterales uſque ad decimum gradum, civili computatione, facta æquali diviſione in capita, nulla habita obſervatione, an ex utroque parente, an ex uno tantum conjuncti ſint, dummodo in eodem gradu vicinitatis ſint conjuncti: ita Authentica *de hæredibus ab inteſtato* cap.3., & Auth. *poſt fratres* Codic. *de legitim. hæredibus*. Deficientibus etiam collateralibus uſque ad decimum gradum, ſuccedit uxor defuncti, niſi tamen interceſſerit divortium: ita lex *unica* ff.& Codic. *unde vir & uxor*. Deficientibus omnibus haſtenus recenſitis, ſuccedit Fiſcus ſæcularis, ſi defunctus ſit laicus; aut Eccleſiaſticus, ſi defunctus ſit perſona Eccleſiaſtica: ita lex *vacantia* 4.Codic.de bonis vacantibus. Hæc quidem ſecundum jura: Sed attendenda ſunt in omnibus antedictis jura Regionum.

Quid circa hæredem ex teſtamento?

III. Hæres ex teſtamento ille dicitur, qui ex voluntate morientis inſtituitur, ut ſuccedat in bonis ſuis. Poteſt autem nedum quælibet perſona inſtitui, quæcumque illa ſit, verum etiam Communitates, Collegia &c., niſi jure particulari prohibeantur inſtitui: Leg. 1. Codic. de S. Eccleſ. Immo etiam ſinguli Religionum Ordines, quibus eſt conceſſum poſſidere bona in communi: Concil. Trident. ſeſſ. 25., capit. 3. de regularibus. Filiis ſpuriis prohibetur ſuccedere in bonis tam paternis, quam maternis, ex Authentica *licet* Codic. de naturalibus lib.: debentur tamen eis alimenta; ex correctione juris civilis per Eccleſiaſticum. Naturalibus vero filiis illegitimis, ſi pater legitimos non ſuſceperit, conceditur ſucceſſio juxta beneplacitum teſtatoris: ſi autem Teſtator alios legitimos ſuſceperit, non poterit naturalibus niſi unciam unam relinquere, ut etiam alibi indicavimus, ideſt duodecimam partem bonorum: ex Authentica citata. Reſpectu autem bonorum matris filii naturales æquali jure ſuccedunt ac legitimi, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato: ita lex *ſi quæ illuſtris* Cod. ad Senatuſconſultum Orficianum.

Quid de hærede Univerſali & Particulari?

IV. Hæres univerſalis dicitur etiam ex aſſe, & ſuccedit in omnibus bonis, & juribus defuncti, & ſubjacet etiam omnibus oneribus, & debitis realibus ejuſdem. Hæres particularis ſuccedit in parte determinata, & aliquota, v. gr. (utendo voce legali) Sextante, Quadrante, Triente, Semiſſe; ideſt in ſexta, quarta, tertia, media parte hæreditatis; & etiam hic, pro rata partis ſuæ obnoxius eſt oneribus, & debitis realibus defuncti. Alius eſt hæres particularis quoad aliquam rem determinatam, & deſignatam, v. g. quo-

ad

Digitized by Google

ad Bibliothecam, aut quoad gemmas defuncti, & hic dicitur potius legatarius, quam hæres: ita lex *Quoties* Codic. de hæredis inſtit. Si autem ſolus hæres particularis, etiam quoad determinatam rem, verbis ad ipſum in teſtamento directis inſtitutus ſit, aut alii hæredes particulares forte obiiſſent, reliqua hæreditas ipſi acquiritur, ex leg. 1. §. *ſi ex fundo* ff. de hærede inſtit.

Quid de hærede neceſſario, & non neceſſario.

V. Hæres non neceſſarius ille eſt, quem teſtator non conſtringitur ex neceſſitate hæredem inſtituere. Hæredes non neceſſarii ſunt tam extranei, quam conjuncti ſanguine, aut ſtirpe, ſed non in linea recta deſcendente, vel aſcendente: unde etiam fratres, & ſorores defuncti inter non neceſſarios recenſentur; propterea ſi in teſtamento omittantur, non poſſunt illud infirmare, niſi in caſu, quo teſtator aliquem infamem inſtituiſſet hæredem, quia (niſi & ipſi fratres infames eſſent, aut de ingratitudine in defunctum notati) poſſunt teſtamentum accuſare, & ſtare ſententiæ judicis: ita lex *Fratres* 27. Cod. de inofficioſ. teſtam. Hæres neceſſarius ille eſt, quem teſtator in portione legitima inſtituere conſtringitur, niſi habeat juſtam cauſam exhæredandi, de quibus paulo inferius. Hæredes neceſſarii ſunt omnes deſcendentes, & aſcendentes legitimi. Hæredibus deſcendentibus, nempe filiis, aut iis mortuis, nepotibus, ideſt filiis filiorum portio legitima eſt Triens, nempe tertia pars hæreditatis, niſi ſint plures numero, quam quatuor: ſi autem ſint plures quatuor, legitima portio erit Semiſſe, ideſt media hæreditas, filiis quidem per Capita, ut ſupra explicavimus, nepotibus autem per Stirpes, ita in Authent. *de triente, & ſemiſſe*, & in aliis juribus: filiorum numero accenſentur etiam illi, qui hæreditati renunciarunt, non autem qui ſunt juridice exhæredati.

Quid de deficientibus deſcendentibus neceſſariis?

VI. Si non adſint deſcendentes neceſſarii, tunc legitima portio Aſcendentium ſemper eſt Triens hæreditatis, quæ debetur immediate utriſque genitoribus defuncti, aut uni ſi alter obierit. Neutro genitorum ſuperſtite, ſuccedunt in locum patris Avus, aut Avia paterna; in locum matris Avus, vel Avia materna: ex Authent. *de hæredibus ab inteſtato*: & his hæredibus relinquitur dicta legitima immunis ab omni onere, aut conditione; quæ ſi apponatur a teſtatore, habetur ut non poſita: ex lege *Quoniam* Cod. de inoffic. teſtam. Quod ſi dicti hæredes aſſentirentur in aliquod onus impoſitum portioni legitimæ, renunciando proprio juri; valeret onus, ſed pro ipſis tantum, non pro ſucceſſoribus, quibus præjudicium afferre non poſſunt. Si alicui neceſſario deſcendenti, vel aſcendenti relinquatur portio minor legitima, habet jus petendi complementum uſque ad annos triginta. Si aſcendens, vel deſcendens neceſſarius in teſtamento prætereatur, nullum & invalidum remanet quoad inſtitutionem alterius hæredis, non autem quoad alia legata: ex Authentica *ex cauſa* Codic. de Liberis præteritis. Si demum in teſtamento eſſet appoſita cauſa legitima exhæredationis, & hæc ſi ab hærede inſtituto non poſſet probari; competeret hæredi neceſſario querela inofficioſi teſtamenti quoad eam partem, quæ continet hæredis inſtitutionem; ſed hæc actio querelæ contra teſtamentum, infra quinquennium eſſet conſummanda: ex lege *ſi quis filium* 34. & ex lege *ſcimus* 36. Cod. de inoffic. teſtam. Delicta autem propter quæ exhæredari poſſunt, jam tradidimus in tractatu 7. cap. 1. §. 2. n. 5.; ne hic inutiliter repetantur.

Quid de hærede ſuo, & non ſuo?

VII. Hæres tandem Suus dicitur, qui eſt proximus deſcendens, exiſtens ſub poteſtate defuncti, tempore quo obiit, etiam poſthumus, etiam naturalis legitimatus per ſubſequens matrimonium; non autem ſpurius, quamvis legitimetur per privilegium Principis, aut per diſpenſationem; de quibus plura videre potes apud Juriſtas, præcipue apud Molinam diſput 179. Hæres non Suus eſt quicunque alius hæres, ſive ab inteſtato, ſive ex teſtamento, qui hæreditatis dominium non acquirit, antequam illam adeat, aut ſe illam acceptare declaret: ex §. ult. Inſt. de *hæredis qualitate*. Hæredi non Suo conceditur ſpatium unius anni, poſtquam novit hæreditatem ſibi relictam fuiſſe, ut deliberet, an illam velit acceptare, nec ne. Quod ſi ante annum expletum moriatur, tranſmittit ad ſuos hęredes poteſtatem eamdam adeundi hæreditaten, quouſque annus compleatur. Statim autem ac hæreditas aditur, etiam priuſquam apprehendatur & poſſideatur, ſicut ſuſcipit omnia jura defuncti, ita etiam omnia onera realia. Monent tamen Abbas, Sylveſter, & alii plures a Lymano relati tract. 5. cap. 6. num. 7.: Quod ſi hæres inter triginta dies a cognita ſibi relicta hæreditate inven-

ventarium cœperit, & intra alios ſexaginta dies inventarium abſolverit, non teneatur ſolvere creditoribus debita ultra vires hæreditatis; ſi vero inventarium intra præfatum curſum dierum conficere neglexerit, tenebitur ſolvere debita etiam ſupra vires hæreditatis; & hoc quidem pro foro civili, quod fundatur in præſumptione fraudis ab hærede conſtructæ, non vero pro foro conſcientiæ, quod innititur veritati, ſi fraus revera non interfuerit. Et hic monemus, hactenus tradita regulanda eſſe juxta leges Regionum.

§. V. *De Conſiliario Teſtatoris.*

Debitum incumbens Conſiliario Teſtatoris Genitoris.

I. QUr Conſiliarius eligitur a volente condere teſtamentum, id præcipue curare debet, ut ſi teſtator filios habeat, quantum fieri poteſt, & niſi urgens cauſa interveniat, nullam diſcretionem inter illos faciat quoad bona illis relinquenda: niſi urgens cauſa &c. quæ nimirum aut manifeſta ſit aliis fratribus; vel ſi ipſis non eſt ſufficienter nota, illam in teſtamento declaret. Si enim notabilem diſcretionem inter eoſdem faciat ex levi cauſa, facile eſt, eum peccare mortaliter, tum ob manifeſtationem inæqualis longe dilectionis ſine cauſâ erga filios, tum ob ſcandala litium, invidiæ, odii, rixarum, quæ plerumque inter eoſdem, propter hujuſmodi irrationabiles diſcretiones, emergere conſueverunt. Procuret igitur conſiliator, ſi patrem inveniat averſum alicui filiorum, illius animum placare, & deinde, extante juſta, certa, & nota cauſa alicujus diſcretionis, ita diſcernat, ut æquitati conſulat, & pietati erga benemerentes; relinquendo nihilominus filio, vel filiis malemerentibus præter legitimam jure naturali debitam etiam tantam bonorum portionem, quæ illis ſufficiat ad vitam juxta eorum ſtatum honeſte tranſigendam.

Conſiliator teſtatoris Filii.

II. Si conſiliator ſit teſtatoris, qui ſit filius, habens genitores ſuperſtites non abundantes, ſuggerat, ut recordetur genitorum, præcipue ſi ſint ſenes, & ad ſibi lucrandum impotentes; relinquatque eiſdem, aut quo ſuſtentari queant, aut hæredibus ſtrictiſſime committat, ut vel tantam ſummam menſualem, vel annuam erogent, vel in omnibus provideant; addita etiam, ſi opus fuerit, comminatoria. Si autem teſtator careat filiis, & filiabus, & habeat genitores viventes, nimio tamen, & veſano amore erga uxorem feratur, & velit propterea eamdem univerſalem hæredem inſtituere ſuorum bonorum, modica, vel nulla ratione habita genitorum; conetur, quantum poteſt, ab hac ſcandaloſa diſpoſitione illum avertere, quæ profecto a mortali non vacaret: neque excuſationem admittet, quod commiſerit uxori, genitores alere, & per omnia illis providere; cum hoc eiſdem valde grave ſit, expectare a nuru ſuam ſuſtentationem, cum nurus plerumque magis afficiantur erga proprios conſanguineos, & parum curent de genitoribus mariti: hæredes igitur genitores inſtituat, quibus potius uxorem ſuperſtitem commendet, præcipue ſi ex dote ſua non poſſit decenter ſuſtentari.

Quid circa alios?

III. Immo etiam uxori teſtator, ſive hæredes habeat, ſive non, convenientiſſimum eſt, ut legatum faciat, juxta vires hæreditatis, & merita ejuſdem; cum id vix ſine ſcandalo prætermitti non poſſit. Idemque faciat cum fratribus emancipatis, ſi hæreditas permittat. Procuret item Conſiliarius, ut Teſtator recordetur Chriſti, relinquendo legata ad pias cauſas juxta hæreditatis vires: valde enim indecens, & ſcandali occaſio eſt, ut fidelis, bonis reſpective abundans, legata non inſtituat ad pias cauſas.

§. VI. *De Executore Teſtamenti.*

Quotuplex executor, ejuſdemque obligatio?

I. DUplex eſt Executor teſtamenti, Legitimus, & Teſtamentarius: Legitimus eſt hæres ſive ab inteſtato, ſive inſtitutus, & ſi alii deſint, Epiſcopus Loci, vel alter ordinarius Prælatus. Teſtamentarius eſt, qui ab ipſo teſtatore inſtituitur executor. Quilibet executor ſtrictiſſime obligatur ad fideliter exequenda omnia in teſtamento præſcripta, ſtatim ac novit teſtatoris intentionem, qua ſufficienter cognitam in nullum aliud, quamvis melius commutare poteſt: ita ex cap. *tua nobis* 17. videri poteſt Concil. Trid. cap. 6. de reform. Si autem executor, & maxime Epiſcopus, animadvertat in conſcientia motivum aliquod juſtum a teſtatore ignoratum, ad quod ſi advertiſſet, aliter diſpoſuiſſet, & ſi adhuc loqui poſſet, approbaret quod alio modo diſponatur: tunc mutatio fieri poteſt ab executore, & maxime ab Epiſcopo per Epichyam, re prius cum prudentibus conſiliata. Dixi per epichyam, non per diſpenſationem proprietalem, quæ ad ſolum Pontificem pertinet:

puta.

Digitized by Google

puta ſi teſtator reliquiſſet Eccleſiæ tot aureos in ornamenta, quibus abundat, cum alioquin indigeat reſtaurari in tecto; de conſenſu Epiſcopi poterit reſtaurari.

Quid quando legatum eſt incertum?

II. Quando legatum ad pias cauſas eſt incertum, ideſt ignoratur, cui ex duobus vel tribus ejuſdem nominis pauperibus perſonis, Eccleſiis, aut Monaſteriis relinquatur, de conſilio prudentum deliberandum eſt ab Executore de eo, quod creditur conformius menti teſtatoris; & niſi alia conjectura haberi queat, dandum erit pauperiori. Videri poteſt Authentica de Eccleſiaſticis titulis cap. 9. Si autem legatum hujuſmodi incertum, ſit ad prophanas cauſas, de jure naturali eſſet dividendum inter illos ejuſdem nominis, niſi validæ conjecturæ aliter agere compellerent: jure tamen poſitivo, ad lites vitandas, fit caducum ex lege *ſi fuerit* 10. Lex *ſi quis de pluribus* 27. ff. *de rebus dubiis*. Putarem tamen, quod ſi legatarii ejuſdem nominis inter ſe convenirent de dividendo, ipſis eſſet conferendum, quia impleretur mens teſtatoris meliori modo, quo fieri poſſet.

Legatum generale indeterminatum ſeu incertum circa perſonas.

III. Quando relinquitur legatum generale tantæ pecuniæ in eleemoſinas, nil determinando; & conſanguinei executoris revera indigeant; & inopia vexentur, docet Sylveſter verbo teſtamentum q. 2. cui alii graves ſubſcribunt, quod poſſit executor illis erogare eleemoſinam illam; nam vere implet legatum, & laudabiliter; cum propinqui indigentes aliis indigentibus extraneis ſint ordine charitatis præferendi, niſi forte conſtaret de aliis longe indigentioribus, & dummodo caute agatur ad evitandum ſcandalum puſillorum. Si vero ipſe executor eſſet revera pauper; diſtinguendum videtur; nam ſi innoteſcebat illius paupertas teſtatori, non poteſt quidquam ſibi applicare; quia ſi teſtator voluiſſet illi benefacere, id feciſſet: ſi autem ignorabatur a teſtatore, vel ipſi executori ſupervenit paupertas poſt obitum teſtatoris, reſpondeo cum S. Thoma 2. 2. q. 32. art. 9. *Cum alicuis diſtributor ponitur eleemoſinarum, poteſt & ipſe ſibi accipere, ſi indigeat, eo tenore, quo & aliis miniſtrat.* Putarem tamen, quod ſi legatum non ſit modicæ ſummæ, tam in caſu primo, quam in hoc, etiam aliis pauperibus aliquid eſſet erogandum, ad præcavendum ſcandalum puſillorum.

Quid quando eſt incertum circa res legatas?

IV. Quando incertitudo legatorum cadit ſupra res, quæ legantur; diſtinguendum eſt: ſi enim res legata a natura determinetur quoad gradum optimi, mediocris, infimi; & alioquin nil determinet teſtator, tunc executori ſufficiet dare de gradu mediocri: ita lex *legato generaliter* 37. ff. de legatis 17. Si res non ſit determinata a natura quoad dictos gradus, ſed ab arte, & æſtimatione humana; tunc executori ſufficiet, ſi tribuat minimum; ex loc. cit. hoc quidem in rigore juris: Sed an laudabiliter? prudentes judicent. Quamvis autem id poſſit eſſe verum quoad cauſas prophanas: Bartolo tamen, Covaruviæ, & aliis videtur, id non eſſe extendendum ad pias cauſas, quibus meliora danda ſunt; quia per legata pia intendit teſtator animæ ſuæ benefacere.

Obligatio cito exequendi qualiter intelligenda?

V. Executores igitur teſtamentorum, poſtquam adierunt hæreditatem, ſi ſint hæredes, tenentur quam primum moraliter poſſint exequi diſpoſitiones, & legata, præcipue ad pias cauſas; & quidem ſub mortali, niſi juſta, & rationabilis cauſa dilationem excuſaret. Audiatur S. Thomas Quodlib. 6. art. 14. *In mora modici temporis non videtur eſſe magnum periculum: unde ſi executor per modicum tempus differt, ut rebus defuncti melius venditis ampliores eleemoſinas dare poſſit, laudabiliter hoc facit: ſi vero e converſo per multum tempus differat eleemoſinas diſtribuere, ut non multo ampliores eleemoſinas faciat, non videtur eſſe abſque culpa; quia forte defunctus liberaretur a purgatorio, in quo exiſtenti remedium ſuffragiorum maxime neceſſarium erat: hoc autem requirit prudentis executoris examen, ut ſcilicet conſideratis dilatione temporis, & conditione perſonæ, quæ creditur citius, vel tardius liberanda, & etiam quantitate augmenti eleemoſinarum, faciat quod videtur expedire defuncto.* Ubi obſerva, quod non loquitur de Miſſis celebrandis ſibi relictis, quæ quam citius fieri poteſt ſunt celebrandæ. Si autem reliquiſſet, ut ex tali re vendita pretium in Miſſas erogetur, tunc prudenter utendum regula ab Angelico data, dummodo interea aliquot ſaltem ſacrificia celebrentur.

§. VII. *De Commiſſario Teſtamenti.*

Commiſſario obſervanda?

I. COmmiſſarius teſtamenti diſtinguitur ab Executore ejuſdem: huic enim competit ſola executio diſpoſitionum extantium in teſtamento: illi autem competit facultas diſponendi circa quædam, de quibus teſtator non plene diſpoſuit: hæc vero facultas ſecundum jus commune

quam-

quandoque valet, quandoque non. Cum autem circa diſpoſitiones teſtamentorum plures occurrere poſſint difficultates, caveat commiſſarius, ne ſuo judicio fidat, ſed conſulat viros in jure peritos, aut theologos reſpective, ut ſalvus ſit in conſcientia, fungendo munere ſuo. Plura de hoc videri poſſunt apud Doctiſſimos Vaſquez de Teſtamentis cap. 8. §. 3., & Molinam diſp. 157.

§. VIII. *De Renunciatione, & Ceſſatione hæreditatis.*

Quando valeat hæc renunciatio?

I. RENunciatio hæreditatis futuræ, qua hæres neceſſarius renunciat in toto, vel in parte juri ſucceſſionis ſeu hæreditatis ad ipſum perventuræ, eſt irrita jure communi; ex lege *qui ſuperſtitis* 94. ff. de acquir. hæredit. Tres caſus excipiuntur, in quibus tenet hujuſmodi renunciatio: primus ſi juramento firmetur: ex cap. *quamvis pactum* de pactis in 6. Secundus, ſi filius, patre adhuc vivente, acceperit integram portionem, quæ jure ipſi debetur. Tertius, ſi in ipſo teſtandi actu renunciet juri ſucceſſionis, aut ſi, condito teſtamento, præteratur in eo, & ſuam præteritionem approbet: ita jura apud Doctores.

Quando valeat pactum de hæreditate cedenda?

II. Quodvis pactum, aut quævis conventio, aut obligatio circa hæreditatem alicujus perſonæ viventis cedendam alteri, irritatur a jure, quamvis juramento firmata: **Lex** ult. Codicis de pactis. Ratio ibidem allata clara eſt: *quia hujuſmodi pactiones odioſæ eſſe videntur, & plene triſtiſſimi, & periculoſiſſimi eventus*: addit Gloſſa: *propter inſidias, quæ parantur ejus vitæ, ſuper cujus bonis paciſcuntur*. Tres caſus excipiuntur, in quibus valent. Primus, ſi accedat conſenſus illius, ſuper cujus hæreditate pactiones fiunt, qui in ea voluntate perſeveret uſque ad mortem; ita præfata lex. Secundus, ſi hujuſmodi pacta fiant ſuper hæreditate perſonæ incertæ: ita lex. 3. §. *de illo* 2. *pro ſocio*: ubi approbatur hæc conventio: ſi qua juſta hæreditas alterutri obvenerit, communis ſit. Ratio patet, quia ignorata perſona, nullum ei periculum imminere poteſt. Tertius, ſi renunciatio hæreditatis perſonæ certæ, vel pactum ſuper hæreditate eadem, fiat alicui Communitati, Collegio, Monaſterio &c. donando eidem hæreditatem obventuram genitoris, vel alterius conjuncti, valet, quamvis non exploretur illius conſenſus, ſuper cujus hæreditate pactum fit.

Quid de renunciationibus ingredientium Religionem?

Circa renunciationes perſonarum Religionem ingredientium, vel ingreſſarum, ita ſancivit Tridentina Synodus ſeſſ. 25. cap. 16., de Regularibus, loquens de Novitiis: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea* (ideſt ante expletum annum probationis) *facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcumque cauſæ piæ valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, ac non alias intelligatur effectum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione: aliter autem facta, etiamſi cum hujuſmodi favoris expreſſa renunciatione, ſit irrita, & nullius effectus.*

C A P U T IV.

DE CONTRACTU MUTUI, ET DE USURA.

§. I. *De natura Mutui, & de Obligationibus hujus contractus.*

Quid ſit mutuum? exponitur ejus natura.

I. MUtuum in lege 2. ff. de rebus creditis definitur: *Traditio rei in ſuo genere functionem recipientis, ac ſtatim accipientis fiat; & poſtea tantumdem reddatur ejuſdem generis, & qualitatis*: Dicitur traditio rei in ſuo genere functionem accipientis, quia materia mutui eſt talis conditionis, ut una poſſit fungi vice alterius propter omnimodam ſimilitudinem, quam habent: v. g. vinum vino, oleum oleo, pecunia pecuniæ &c. ſubſtitui poteſt, quæ omnia functionem recipere nata ſunt; & illa dicuntur, quæ conſiſtunt in pondere, aut menſura, aut numero, & quæ ſuo uſu nata ſunt conſumi ab eo, qui illis utitur: Dicitur, ut ſtatim accipientis fiat, nempe ſub ipſius dominio ſtatim cadat, ut eam rem in ſuum uſum conſumat. Dicitur, & poſtea tantumdem reſtituatur; ut denotetur mutuum non eſſe contractum undequaque gratuitum, in quo confertur aliquid abſque ullo omnino onere; in mutuo enim remanet obligatio tantumdem reſtituendi: unde eſt contractus aliqualiter oneroſus. Dicitur tandem, ejuſdem generis, & qualitatis; non melioris, quia eſſet

Digitized by Google

ſet uſura; nec idem in individuo, cum detur res ad conſumendum; ſed ejuſdem generis, & qualitatis, nempe ejuſdem ſpeciei, & perfectionis: puta vinum vetus pro vino veteri; frumentum recens pro frumento recente &c.

Notabile circa pecuniam mutuo datam?

II. Nota, quod circa pecuniam ſufficit ut reddatur idem valor, niſi aliter juſte conventum fuerit. Expedit tamen tam mutuatori, quam mutuatario convenire de ſpecie monetæ reſtituendæ, ut omnis uſuræ ſpecies præcaveatur. Quis enim ignorat, quod monetæ aureæ, vel argenteæ grandiores, ob earumdem commodum, pluris æſtimentur, quam æſtimetur æqualis ſumma in monetis minutis? Propterea ſi mutuum detur in monetis aureis, optimum erit, ut conveniatur de reddendo in monetis aureis ejuſdem ſpeciei, vel ſuppleatur a mutuatario illud emolumentum italice vocatum *aggio*. Quod ſi mutuator nullum damnum patiatur ex privatione monetarum aurearum, tantumdem valoris recipere, debet eſſet contentus.

Notabile aliud circa pecuniam mutuo datam.

III. Nota præterea, quod ut tantumdem mutuatarius reddat, debet reddere quantum accepit, neque plus, neque minus. Unde ſi quando dedit mutuum v. g. centum aureorum, ſinguli aurei valebant viginti libras nummarias; tempore autem quo reſtituendi ſunt, ſinguli valent viginti duas, non poteſt mutuator centum recipere, ſed duntaxat tot aureos, quot ſufficiant ad explendam ſummam librarum receptarum: ita e converſo, ſi dum dati fuere valebant viginti, & poſtea dum reſtituuntur, valent octodecim, tot debent reſtitui aurei, quot conficiant ſummam librarum receptarum: quia tantumdem, & non plus aut minus eſt reſtituendum: cum etiam quia cum mutuatarius ſtatim ac accepit mutuum, fiat dominus rei mutuo datæ, ſibi creſcunt, vel decreſcunt quoad valorem; immo ſi poſtquam pecuniam mutuo accepit, illam ammittat, vel ſibi furto eripiatur, ſibi perit, utpote vero domino ejuſdem.

Notabile circa alias res mutuo datas.

IV. Circa alias res mutuo datas, puta vinum, oleum, frumentum &c., in tali, & tanta menſura, tantumdem ejuſdem qualitatis reddendum erit, ſive creverit pretium, ſive decreverit, dummodo reddatur tempore præſcripto; & id ignoratum, nulloque modo prævisum fuerit a contrahentibus, quia ſi prævisum fuiſſet, pactum ineundum fuiſſet, ne alteruter uſuram perpetraret, aut dando, aut accipiendo pluſquam debet. Sicut enim in mutuo circa pecuniam æquari debet valor cum valore, ſic in mutuo circa menſurata, & ponderata debet coæquari menſura cum menſura, & pondus cum pondere: talis enim communiter eſt ſaltem virtualis intentio contrahentium, & praxis omnium etiam timoratorum approbata a communiori doctorum. Si tamen aliter conventum fuiſſet, puta ut reddatur frumentum in tanta menſura, quæ aſcendat ad valorem centum aureorum; quia frumentum valoris centum aureorum acceptum fuit, ſtandum eſſet.

Obligationes mutuatoris.

V. Obligationes mutuatoris ſunt, prima, ut moneat mutuatarium de vitio rei mutuatæ, ne incurrat obligationem reſarciendi damna, ſi quæ a mutuatario forte incurrantur. Secunda, quod non repetat mutuum ante conſtitutum tempus: ſi vero nullum conſtitutum ſit, prudenter expectare debet, conſideratis circumſtantiis rei, & finis mutui accepti, niſi tamen ipſe mutuator conſtituatur in pari neceſſitate: hæc enim eſt conditio in ſimilibus contractibus imbibita. Tertia, quod teneatur accipere reſtitutionem quandocumque fiat a mutuatario; nam nolle eam admittere, gigneret ſuſpicionem intentionis uſurariæ, niſi aliter conventum jure fuerit, pro conditione rei mutuo datæ. Quarta, quod nil omnino exigat pretio æſtimabile, præter aut valorem, ſi pecunia; aut menſuram vel pondus ad æqualitatem, ſi in alia re mutuaverit.

Obligationes mutuatarii.

VI. Obligationes mutuatarii ſunt, prima ut reddat mutuum tempore conſtituto; & ſi nullum fuerit conſtitutum, quando mutuator prudenter petit. Secunda, ſi fuerit in mora culpabili, redintegrare mutuatorem de damnis, ſi quæ occurrerint. Tertia, reddere tantumdem ejuſdem qualitatis. Neque ſufficit reddere tantumdem in pecuniæ ſumma, ſi debitum fuerit reddendi res, niſi mutuator plena voluntarietate conſenſerit.

Quid in caſu æqualis periculi?

VII. Si tempore contractus ſit æquale periculum, quod aut valor pecuniæ, aut pretium rei augeatur, vel minuatur; tunc in hac æqualitate periculi licet paciſci de reddenda eadem pecunia in ſpecie: quia eſt quidam ludus, quo ſponte unanimiter ſe fortunæ committunt. Si autem certum ſit, aut magis probabile, quod valor monetæ, aut pretium rei augeatur tempore reſtitutionis, tunc non licet præfato modo paciſci, ſed duntaxat de æquali valore mone-

Digitized by Google

monetæ, & æquali pretio rei eſt contrahendum; aliter eſſet manifeſta uſura; nam quæreretur lucrum ex mutuo vi mutui: dico vi mutui; quia ſi alius titulus juſtus interveniat, puta quia v. g. mutuator frumentum; quod modo dat, ſervaturus erat tempore illius majoris valoris, tunc poteſt de illo augmento paciſci, & non eſſet lucrum vi mutui, ſed vi lucri ceſſantis. Eſſet tamen detrahendum quantum correſpondet expenſis, quas mutuator facere debuiſſet in conſervando frumento, nec non computanda pericula corruptionis, furti &c., quæ evenire potuiſſent.

Reſolvitur caſus incidens. VIII. Si mutuator poſt præteritum aut tempus præfinitum, aut conveniens, quo repetere poteſt mutuum datum in rebus, data opera differat petere, quouſque rei mutuo datæ augeatur pretium, graves auctores, quos inter Sotus lib. 6. de juſt. q. 11. a. 1., & Navarrus cap. 17. n. 225. docent mutuatorem ita ſe gerentem non peccare contra juſtitiam, eo quod nullum jus violet: ſupponitur enim, quod dum rem mutuo daret, nulla ſuſpicio extaret, pretium eſſe augendum, & quod promptus eſſet admittere redditionem rei, quandocunque mutuatarius illam obtuliſſet; alioquin & petit menſuram juſtam, & jus petendi habet; unde, ajunt ipſi, nullum jus violat, neque per conſequens peccat contra juſtitiam. An vero peccet contra charitatem? ſalvo meliori judicio, diſtinguendum putarem: ſi enim mutuator ſit revera indigens, & mutuatarius ſit in bonis, putarem, quod neque contra charitatem ageret, conſulendo ſuæ indigentiæ hac induſtrioſa dilatione: (animo alioquin parato ad recipiendam mutui reſtitutionem, quandocunque a mutuatario offeratur) id namque eſſet permittere indirecte damnum, quod ſi mutuatarius voluiſſet, poterat ſibi præcavere: neque lucrum percipit ex vi mutui, ſed ex moroſa oſcitantia mutuatarii. Caveat tamen mutuator, ne inexcrabilem ſe præbeat, ſi adhuc a mutuatario petatur aliqua non longa dilatio; aliter petitio mutui ſcandalum pareret, & redoleret uſuram mentalem. Si vero e contra mutuator ſit in bonis, & mutuatarius revera indigens, qui ſorte antea non reddidit mutuum, quia non potuit, non eſſet dicta induſtria excuſabilis a nota turpis avaritiæ, & a charitatis chriſtianæ violatione.

§. II. *De Titulis exigendi in mutuo aliquod ultra ſortem.*

Primus Titulus damnum emergens. I. NOmine Sortis, ut Theologi ſe juriſtis accommodent, intelligitur capitale, ſeu res mutuo data. Ex Angelico, 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 1. quem communiter Theologi ſequuntur. *Ille, qui mutuum dat, poteſt abſque peccato in pactum deducere .... compenſationem damni, per quod ſubtrahitur ſibi aliquid, quod debet habere: nam hoc non eſt vendere uſum pecuniæ, ſed damnum vitare.* Ratio enim naturalis dictat, quod nemo, regulariter loquendo, teneatur, ut beneficium faciat alteri, damnum pati. Propterea ſicut mutuator mutuum dando, conſulit mutuatarii utilitati, ita hic conſulere debet indemnitati illius.

Conditiones ad id requiſitæ. II. Ut autem mutuator licite poſſit aliquid ultra ſortem accipere ob mutuum datum ratione hujus damni ſibi emergentis; requiritur primo, ut mutuum revera ſit hujus damni cauſa; ſi enim mutuator aliis pecuniis, aut rebus poſſit damnum illud præcavere, & impedire, præcipue abſque ſuo notabili incommodo, non amplius ſubſiſteret motivum damni ex mutuo emergentis. Secundo, ut habeatur æqua ratio damni, & compenſationis a mutuatario præſtandæ: ſi enim damnum eſſet omnino certum v. g. tanti valoris, puta quia ex mutuo dato, vel dando cogitur mutuator ſubire damnum ſex aureorum, non alio modo reparabile, jam liquet, mutuatarium pro ſex aureis præſentis valoris teneri ſupra ſortem. Si vero damnum non ſit actu emergens, ſed prudenter emerſurum, tunc habenda eſt ratio hujus periculi & compenſationis ejuſdem; & tanti erit æſtimandum, quanti a prudente viro hujuſmodi negotiorum experto in conſcientia habebitur. Quod ſi mutuatarius pro hoc damno, quod prudenter timetur, de nulla ſumma paciſci velit, ſed dicat, totum damnum, quod occurrerit, redintegrabo, ſi nullum emergat, nihil; non poteſt tale pactum, quippe quod juſtiſſimum, a mutuatore recuſari; poteſt tamen fidejuſſionem petere pro ſorte, & pro damno. Et ſimiliter ſi mutuatarius paciſci vellet de aliqua ſumma eroganda judicio prudentis taxata, ſive damnum eveniat, ſive non, ut fieri ſolet, mutuator non tenetur admittere, ſed etiam ipſe prætendere poteſt, ut aut totum damnum

Digitized by Google

mnum, rentegret, ſi eveniat, aut nihil, ſi non eveniat. Si tamen illam acceptet, juſte illam retinet, etiam damno non emergente; quia tanti æſtimatur judicio prudenti illud periculum. Tertio, ut mutuator antequam mutuum det, mutuatarium admoneat, de dicto damno, aut periculo; injuſte enim peteretur compenſatio, ſi non fuiſſet admonitus, quia ſorte a mutuo accipiendo abſtinuiſſet, aut alium mutuatorem ab omni damno, & periculo immunem quæſiviſſet.

Alter Titulus ad Lucrum ceſſans.

III. Ex fere communi, & probabiliori alter titulus aliquid exigendi in mutuo ſupra ſortem eſt Lucrum ceſſans mutuatoris. Deducitur ex cap. *Pervenit* de fidejuſſoribus, ubi dicitur, *nec patitur æquitas, ut pro beneficio diſpendium patiatur, qui potius meretur præmium:* atqui ille, qui ex pecunia mutuo danda habet ſpem prudentem lucri reportandi ex pecunia, ſi illam non mutuaret, diſpendium pateretur ex beneficio facto; igitur &c. Quis enim dicet unquam, quod æqualem valorem habeat pecunia certo ſterilis, & pecunia probabili lucro deſtinata? Nonne probabile periculum damni ſubeundi juſtum reddit titulum, damni probabiliter emergentis? ergo & ſpes prudens lucri reportandi juſtum reddet titulum lucri ceſſantis; & ſicuti periculum illud eſt pretio æſtimabile, ita ſpes illa debet eſſe pretio æſtimabilis. Item ex Capite *Naviganti* de uſuris concedit Pontifex Gregorius IX. licite poſſe venditorem, qui merces ſuas venditurus erat eo tempore, quo pluris erant valituræ, aliquid plus exigere, ſi compellatur eas vendere tempore, quo minoris æſtimantur; *ſi tamen eas tempore contractus, non fuiſſet venditurus*. Quæ reſponſio Pontificis vera non eſſet, niſi motivum lucri ceſſantis prudenter ſperati jus illud præberet; cum & illa ſpes prudens pretio æſtimabilis ſit.

Objectio Ex D. Thoma reſolvitur.

IV. Obiicit Sotus, qui cum nonnullis aliis antiquis contrarium ſuſtinet, & verba S. Doctoris opponit ex loco ſupracitato n. 1. *Recompenſationem vero damni, quod conſideratur in hoc, quod de pecunia non lucretur, non poteſt in pactum deducere, quia non debet vendere id, quod nondum habet, & poteſt impediri multipliciter ab habendo*. Sed cum pace doctiſſimi viri, ex his Angelici verbis, ſi rite perpendantur quæ habet idem S. D. q. 62. a. 4., nil aliud elici poteſt, niſi quod mutuator non poſſit deducere in pactum ſummam æqualem lucro quod ſperat ſe reportaturum, ſicuti eam exigit æqualem damno, cui reapſe ſubjacet: at non negat, quod poſſit aliquam compenſationem exigere coæquantem ſpem lucri reportandi, attenta qualitate negotiorum, periculorum, aliarumque circumſtantiarum; niſi enim ita explicetur S. Doctor in loco objecto, ſibi manifeſte contradiceret; quod de tam eximio Doctore nefas eſt ſuſpicari. En ejus verba in cit. q. 62. ar. 4. *Aliquis damnificatur dupliciter, uno modo, quia aufertur ei id, quod actu habet; & tale damnum eſt ſemper reſtituendum ſecundum compenſationem æqualis .... Alio modo ſi damnificet aliquem impediendo, ne adipiſcatur, quod erat in via habendi, & tale damnum non oportet recompenſare ex æquo; quia minus eſt aliquid habere in virtute, quam habere actu: qui autem eſt in via adipiſcendi aliquid, habet illud ſolum ſecundum virtutem, vel poteſtatem; & ideo ſi redderetur ei ut haberet hoc in actu, reſtitueretur ei quod eſt ablatum, non ſimplum, ſed multiplicatum. Tenetur tamen* (nota bene) *aliquam compenſationem facere ſecundum conditionem perſonarum, & negotiorum.* Igitur ex Sancto Doctore, qui impeditur, ne acquirat, id quod erat in via habendi, & habet dumtaxat ſecundum virtutem, vel poteſtatem, eſt aliquo modo compenſandus ſecundum conditionem perſonarum, & negotiorum: atqui ille, qui pecuniam ſuam negotiationi exponit, eſt in virtute, vel poteſtate habendi aliquid; ergo ſi ab aliquo impediatur, ne acquirat, hic tenebitur eidem aliquam compenſationem facere juxta conditionem ſpei, & negotiorum: ſed mutuatarius rogans ſibi dari illam pecuniam, qua mutuator parat ſibi viam ad acquirendum, impedit, ne mutuator acquirat; igitur ſi mutuatarius de hoc moneatur, & conveniat cum mutuatore de aliqua juſta compenſatione facienda pro rata ſpei &c. operabuntur ſecundum doctrinam Sancti Thomæ modo adductam. Quid clarius & urgentius deſiderari poteſt? Cum igitur propoſitioni hic relatæ *tenetur aliquam compenſationem facere ſecundum conditionem perſonarum, & negotiorum*, nulla poſſit adhiberi explicatio; propoſitioni vero nobis objectæ: *recompenſationem damni, quod de pecunia non lucratur, non poteſt in pactum deducere*, poſſit adhiberi explicatio ſupra data de compenſatione æquali &c. efficitur, quod niſi contradictorie aſſeratur locutus Angeli-

Digitized by Google

gelicus, ipſius ſententia noſtram confirmet, & primus locus juxta ſenſum traditum explicandus ſit.

Conditiones ab hoc Titulo requiſitæ.

V. Quatuor conditiones requiruntur ad juſtitiam tituli modo explicati: prima, ut revera mutuum datum, ſit impedimentum lucri ceſſantis prudenter ſperati, ita ut mutuator jam eſſet pecuniam illam, vel rem illam negotiationi traditurus. Secunda, ut mutuator non habeat aliam pecuniam, vel rem, niſi illam; ſi enim aliam habeat, qua ſupplere poſſit, jam non eſt verum, quod mutuum impediat lucrum ſperatum. Id autem intelligas (ut monet doctus recentior, & quidem ſeverioris theologiæ, Henricus a S. Ignatio lib. 9. cap. 30. n. 365.) quod habeat aliam pecuniam, quæ reſervetur ad negotiandum, non autem ſi habeat aliam ad uſum familiæ, aut dotem filiarum, aut ad prudentem proviſionem caſuum fortuitorum; quilibet enim prudens aliquam ſummam reſervat proprio, & familiæ ſtatui convenientem pro dictis eventibus; quæ propterea non dicitur otioſa, ſed neceſſaria. Intelligas igitur de pecunia alia, aut re otioſa, quam ſi mutuator habeat, qua ſupplere poſſit, nil poteſt exigere titulo dictæ ſpei. Tertia, quod lucrum ex negotiatione non ſit mere poſſibile, ſed prudenter ſperatum, & probabiliter futurum. Quarta, quod mutuator ante contractum moneat mutuatarium, & paciſcatur ſecum, etiam ſi opus fuerit interventu probi, & prudentis viri, de æquivalenti correſpondente dictæ ſpei, perpenſis circumſtantiis &c., & hæc compenſatio non fiat tota ſimul ſtatim, ſed congruo tempore, puta duorum aureorum ſingulis annis &c.

Illatum notabile.

VI. Hinc inferas, injuſte compenſationem exigere illos, qui illam exigunt ex eo, quod pecuniam, quam tradunt, poterant negotiationi committere; quia nimis remote ſe habet illa pecunia a lucro ſperando, & hoc ipſo quod non inquiritur ſollicite occaſio opportuna eam tradendi negotiationi, ſignum eſt, quod efficaciter ad id non deſtinabatur. Pejus adhuc faciunt, qui dictitare non ceſſant, ſe velle tradere negotiationi ſuam pecuniam, cum revera non aliam occaſionem quærant, niſi ut illam dent mutuo, cum intentione lucrandi ſecure aliquid ſub dicto lucri ceſſantis titulo. Peſſime demum agunt qui pecuniam negotiationi plerumque de ſe periculoſæ ex induſtria ſubtrahunt, ut eam mutuo tradant, quamvis cum lucro certo longe minori, ſub dicto lucri ceſſantis titulo, & cum ſortis ſecuritate: hi, inquam, omnes ficto abutuntur lucri ceſſantis titulo, cum onere reſtituendi lucrata, quia injuſte acquiſita.

Titulus alter periculi extrinſeci ſortis.

VII. Circa titulum periculi ſortis, diſtinguas oportet duplex periculum, unum intrinſecum, ſeu generale, quod de omni mutuo verificatur, & eſt intraneum ipſi contractui mutui in ſua natura conſiderato, quatenus poteſt ſors data perire cuicunque tradatur: aliud extrinſecum, ſeu ſpeciale, quod a mutui natura ſeparari poteſt, proveniens videlicet vel a qualitate mutuatarii, vel negotiationis; puta ſi detur mutuatario prodigo, cavilloſo, perditæ conſcientiæ, exercenti negotia periculoſa, expoſita aliorum furtis &c., naviganti in periculoſa navigatione &c. Quod ratione periculi intrinſeci nil recipi poſſit ultra ſortem, eſt adeo certum, ſicuti eſt certum uſuram eſſe per ſe malam. Quod vero ratione periculi extrinſeci poſſit aliquid recipi, (poſito quod mutuatarius non dederit pignus) judicio proborum, & prudentum determinandum ultra ſortem, eſt communior, & rationabilior, immo certa ſententia. Et probatur auctoritate Sacræ Congregationis de Propaganda Fide; a qua cum a Miſſionariis Sinenſibus quæreretur, *In præfato regno lege ſtabilitum eſt, ut in mutuo, triginta pro centum accipiatur, abſque reſpectu aut lucri ceſſantis, aut damni emergentis: quæritur utrum .... prædictam lege regni taxatam quantitatem ſit licitum accipere? & cauſa dubitationis eſt, quia in recupereanda pecunia eſt aliquod periculum, ſcilicet quod qui accipit mutuum fugiat, vel quod tardet in ſolvendo, vel quod neceſſarium ſit coram judice repetere, vel propter alia hujuſmodi.* Cui quæſito reſponſum dederunt Theologi qualificatores Sancti Officii his verbis: *Cenſuerunt ratione mutui immediate, & preciſe nihil eſſe accipiendum; ſi vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminenti, prout in caſu, non eſſe inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis ejuſdem, ac ſervata proportione inter periculum; & id, quod accipitur:* Quod reſponſum una cum aliis datis ad alia dubia propoſita, confirmatum fuit a Sacra Congregatione, & approbatum a Pontifice his verbis: *Die 12. Septembris 1645. Referente Eminentiſſimo D. Cardinali Ginetto ſupra ſcripta quæſita una cum reſponſis, & ſolutionibus Congregationis Theologorum .... Sacra Con-*

gre-

gregatio D.D.Cardinalium de Propaganda Fide præfata reſponſa, & reſolutiones approbavit; & eadem Congregatione ſupplicante Sanctiſſimus Dominus noſter ... omnibus & ſingulis Miſſionariis ... pro tempore exiſtentibus, & extituris ſub excommunicatione latæ ſententiæ Sanctitati Suæ, & Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatæ, diſtricte præcipiendo mandavit, quatenus præfata reſponſa, & ſolutiones diligenter obſervent, & in praxi utantur &c. Ratio etiam eſt manifeſta; quia quando probabiliter timetur damnum ex mutuo emerſurum mutuatori, licitum eſt, ut vidimus, aliquid ſupra ſortem exigere, quod ſit hujus damni periculo proportionatum; ergo etiam quando eſt periculum ſortis amittendæ. Neque tibi vim faciat textus mendoſus Capitis *Naviganti* de uſuris, in quo dicitur: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quod ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid ultra ſortem, uſurarius eſt cenſendus.* Mendoſus eſt hic textus, in quo deeſt particula *non*, & ſcribendum erat: *uſurarius* non *eſt cenſendus*; quod evidenter conjicitur ex ſequentibus: *Ille quoque qui dat decem ſolidos, ut alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur, quæ licet plus valeant, utrum plus, vel minus tempore ſolutionis fuerint valituræ veroſimiliter dubitatur; non debet in hoc uſurarius reputari.* Quis amabo non animadvertat, illam particulam *quoque* ad ante dicta eſſe referendam? cum enim ſit particula copulativa, debet vel duas affirmationes, vel duas negationes denotare; quia ubi non poſſunt anterius dicta cum dictis ſequentibus copulari, & connecti, non eſt ponenda particula *quoque*, ſed particula adverſativa *tamen*, aut alia conſimilis: proinde ſi in prima parte Canonis non eſſet legendum *uſurarius non eſt cenſendus*, in ſecunda parte importune, & incongrue ſcriberet Pontifex: *ille quoque uſurarius non debet judicari &c.* ſed dicere debuiſſet: *ille tamen*, *aut ille e contra &c.* Fuit igitur male tranſcriptus ille Canon. Quæ reſponſio ſolidiſſima affertur a Barbatia, & aliis pluribus; rejecta altera ſatis levi.

Conditiones a mutuatore obſervandæ. VIII. Nonnullæ tamen ſunt a mutuatore circa id conditiones obſervandæ. Prima, ut periculum extrinſecum ſit verum, & non fictum. Secunda, ut de hoc paciſcatur, antequam mutuum tradat. Tertia, ne plus exigatur, quam a prudentibus, & callentibus judicari conſuevit. Quarta, ne mutuatarius cogatur ad potius aliquid pecuniæ erogandum, quam ad aliam præſtandam aſſecurationem puta pignoris, fidejuſſionis &c. Quinta, quod ſi petens mutuum ſit valde indigens, & ſortis periculum probabiliſſime appareat, jam patet, quod tribuendo illi mutuum cum penſione adnexa pro eodem periculo, loco illum ſublevandi, magis gravatur; & agitur contra charitatem; idcirco conſultius eſt negare mutuum, & tribuere eidem eam eleemoſinam, quam juxta vires elargiri poteſt ille, a quo mutuum petitur.

§.III. *De Uſuræ natura & diviſione.*

I. Uſura communiter definiri ſolet, Lucrum ex mutuo, ex vi mutui. Nomine lucri intelligitur quodlibet pretio æſtimabile; nam juxta S. Thomam 2. 2. q. 78. a.2. *Omne id pro pecunia habetur, cujus pretium poteſt pecunia menſurari.* Hinc dare mutuum ad captandam amicitiam, & benevolentiam mutuatarii, non eſt lucrum uſurarium, cum hujuſmodi non ſint pretio æſtimabilia: Ita expreſſe S. Doctor loc.cit. *Recompenſationem eorum, quæ pecunia non menſurantur, licet pro mutuo exigere: puta benevolentiam, & amorem ejus qui mutuatus fuit.* Nihilominus quædam alia, quamvis pretio non æſtimabilia, exigere pro mutuo, eſſet Sacrilegium, puta Beneficium, etiam præſcindendo a proventibus; puta Sacras reliquias &c.; exigeretur enim quid longe majus pecunia, atque cum injuria gravi earumdem Sacrarum rerum, quæ pacto temporali ſubderentur. Dicitur ex vi mutui; ſi enim alio titulo vero, & reali ex ſupradictis in §. antecedenti, non eſt ex vi mutui, ut patet ibidem. Uſuræ notio exponitur.

II. Hinc notanda occurrit theſis ab Innoc. XI. confixa n. 42. *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum*: Ut igitur uſuræ crimen incurratur, ſufficit, ut quidpiam pretio æſtimabile, quocunque titulo exigatur, exceptis ſupra explicatis: aliud namque eſt, exigere benevolentiam, & gratitudinem in affectu, & amicitiam mutuatarii; & aliud, exigere aliquid pretio æſtimabile ob amicitiam &c.; Propterea Urbanus III. lib. 3. Decret. tit.29. cap. *Conſuluit* de uſuris, ait: *Conſuluit tua nos devotio, an ille in judi-* Obſervatio habenda.

cio animarum quaſi uſurarius debeat judicari, qui non alias mutuo traditurus, eo p. oppoſito mutuam pecuniam credit, ut, licet omni conventione ceſſante, plus ſorte recipiat. Verum, quia quid ... tenendum ſit, ex Evangelio Lucæ manifeſte cognoſcitur, in quo dicitur: date mutuum, nihil inde ſperantes, hujuſmodi homo pro intentione lucri, quam habet,... judicandus eſt male agere, & ad ea, quæ taliter ſunt accepta, reſtituenda in animarum judicio efficaciter inducendus: Et Gloſſa ibidem: *peccant ſperantes cauſa mutui in ſpe lucri principaliter poſita, ſecundario autem aliquid ſperare, non puto malum.* At interrogabis: quando cenſebitur mutuator ſperare principaliter, vel ſecundario? Reſpondet S. Antoninus p.2.tit. 1. cap. 7. §. 1. *Tunc minus principaliter, ſeu ſecundario lucrum intendi, cum etſi ſperet aliquid ſibi dari ab eo qui mutuavit* (ideſt mutuum accepit) *ex ſua liberalitate; non tamen illud* (lucrum) *eum movet; ſed magis* (illum movet) *benevolentia; ita quod etiamſi non crederet ſibi aliquid dari ultra ſortem, adhuc tamen mutuum daret.* Monet opportune S.Th. q.13. de malo art. 4. ad 15. *Si quis concedat alteri pecuniam ſuam ad alium uſum, quo pecunia non conſumitur, erit eadem ratio, quæ eſt de rebus illis, quæ ipſo uſu non conſumuntur, quæ licite locantur, & conducuntur. Unde ſi quis pecuniam in ſacculo ſignatam concedat alicui, ad hoc, quod ponat eum in pignore, & exinde pretium accipiat, non eſt uſura; quia non eſt ibi contractus mutui, ſed magis locatio, & conductio: & eadem eſt ratio, ſi quis concedat alteri pecuniam ad uſum oſtentationis.*

* In caſu expoſito in verbis D. Thomæ, pecunia manet ſub dominio dantis, atque adeo ſi periret, illi ut vero Domino periret.

Notabile alterum. III. Notandum præterea, uſuram committi etiam quando lucrum, quod intenditur, non profluit ex ipſo mutuo immediate, ſed etiam mediate tantum: puta cum quis mutuum dat, ut immediate acquirat amicitiam, & benevolentiam mutuatarii, ut deinde utatur hac benevolentia, ut lucrum aliquod eliciat, vel ſaltem ad lucrum acquirendum ſibi viam paret: etiam illa eſt intentio uſuraria, eo quod non velit benevolentiam, & amicitiam propter ſeipſas, ſed propter lucrum a mutuo dato mediate intentum, & a mutuo originative profectum; ita ut non daret, niſi ſperaret, ſe mediate hujuſmodi lucrum tandem conſecuturum. Idque confirmatur exemplo Simoniæ, cujus eſt cum uſura æqualis ratio: Qui enim intendit muneribus datis aſſequi Beneficium etiam dumtaxat mediate, ideſt intendendo immediate benevolentiam diſpenſatoris, qua mediante ſibi viam paret ad aſſequendum beneficium, ab omnibus ſimoniacus habetur: cur non habendus erit uſurarius ſimili modo lucrum intendens ex mutuo?

Quando lucrum recipi queat? IV. Quod ſi mutuatarius, reddendo mutuum, ex mera ſua liberalitate, & gratitudine, certo cognita tali, donet mutuatori quidpiam pretio æſtimabile, quod abſque nota offenſæ donatori irrogatæ reſpuere non poſſit, peccare non videtur mutuator donum accipiendo; ita S. Thomas 2. 2. q. 78 art. 2. *Si vero accipiat aliquid hujuſmodi non quaſi exigens, nec quaſi ex aliqua obligatione tacita, vel expreſſa, ſed ſicut gratuitum donum, non peccat; quia etiam antequam pecuniam mutuaſſet, licite poterat aliquod donum gratis accipere, nec pejoris conditionis efficitur per hoc, quod mutuavit.* Conſulto dixi ex mera liberalitate, & gratitudine certo cognita in mutuatario; Si enim prudens ſuſpicio oriatur, quod munus oblatum ex aliquo alio motivo proficiſcatur, nempe vel ex timore, ne in poſterum non detur mutuum; aut quia donum dans ſit modicæ facultatis in bonis, aut ſcandalum aliquod id ſcientibus gignendum prævideatur, omnino abſtinendum eſt a recipiendo munere. Et propterea S. Raymundus cum lib. 2. Sum. titulo de Uſuris §. 1. dixiſſet: *Non enim puto uſuram committi, ſi gratis oblatum accipiatur.* Deinde §. 3. ſubjungit: *Alii dicunt, quibus aſſentio, quod ſola ſpes, ſive intentio facit hominem uſurarium: unde qui ſub tali ſpe mutuavit pecuniam, quidquid poſtea etiam gratis, ideſt ſine ſua exactione oblatum ultra ſortem acceperit, uſura eſt.* Idcirco, quando mutuum datum fuit hac ſpe, ſaltem ut motivo principali, juxta Raymundum, etiamſi gratis offeratur, & non exigatur, retineri non poteſt. In quo concordat etiam S. Antoninus ſupra relatus. Si autem ſine hac ſpe mutuum datum fuerit, & deinde ſponte offeratur, & certo moraliter præſumatur dari ex mera liberalitate; ſine ulla ſuſpicione alicujus involuntarii, poterit recipi, ſemoto ſemper periculo ſcandali. Et ita concordatur apparens contradictio hujus eximii Doctoris, & celeberrimi Canoniſtæ.

V.Uſu-

Digitized by Google

Uſuræ Diviſiones. Lucratoria, Compenſatoria, Punitoria, Realis, & Mentalis.

V. Uſura primo dividitur a Juriſtis in Lucratoriam, Compenſatoriam, & Punitoriam: prima eſt, qua percipitur lucrum ex mutuo vi mutui: ſecunda, qua compenſantur damna mutuatori ex mutuo reſultantia, de qua egimus in §. 2.: tertia, qua imponitur pœna mutuatario culpabiliter moroſo in reddenda ſorte. Nos hic agimus de prima graviter peccaminoſa Et hæc dividitur in Realem, & Mentalem: Reali, deducitur expreſſe lucrum ſupra ſortem in pactum; nomine autem lucri, ut monui, intelligitur quodlibet pretio æſtimabile. Mentali, datur mutuum ea principali intentione aliquid recipiendi ſupra ſortem, quamvis expreſſe nulla pactio intervenerit, neque directa, neque indirecta. Dividitur præterea in Formalem, & Virtualem; formalis, qua ex mero mutuo accipitur lucrum, nullo alio titulo antecedente: virtualis exercetur ſub ſpecie, & pallio alterius contractus; quæ dicitur etiam palliata. Tandem dividitur in Pactionalem, & meram Exactionalem: Pactionalis, qua pactum fit de lucro, quod tunc non accipitur: Exactionalis, qua, licet nullo præeunte pacto, neque lucro prius intento, reapſe tamen lucrum poſtea exigitur, & accipitur.

Formalis, & Virtualis. Pactionalis, & Exactionalis.

Uſura omni jure prohibita.

VI. Uſuram omni jure, nempe naturali, divino, & poſitivo prohibitam, indubitabile eſt apud omnes catholicos; quod a Theologia dogmatum inconcuſſe probatur contra Calvinum, Molinæum, Silmaſium, Broederſenium; nedum reſpectu pauperum mutuum accipientium, quod etiam ab his hæreticis concedebatur, verum etiam reſpectu divitum, & mercatorum, quod ab illis reſpective negatur; quippe quæ ſit ab intrinſeco, & per ſe mala. Quod ita expreſſe docet S. Thomas, & invicte probat 2. 2. q. 78. art. 1. *Dicendum, quod accipere uſuram pro pecunia mutuata eſt ſecundum ſe injuſtum; quia venditur id, quod non eſt, per quod manifeſte inæqualitas conſtituitur, quod juſtitiæ contrariatur. Ad cujus evidentiam ſciendum eſt, quod quædam res ſunt, quarum uſus eſt ipſarum rerum conſumptio; ſicut vinum conſumimus utendo ad potum .... unde in talibus non debet ſeorſim computari uſus a re ipſa, ſed cuicunque conceditur uſus, ex hoc ipſo conceditur res: & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis autem vellet ſeorſum vendere vinum, & vellet ſeorſum vendere uſum vini venderet eamdem rem bis, vel venderet, id, quod non eſt: unde manifeſte per injuſtitiam peccaret. Et ſimili ratione injuſtitiam committit, qui mutuat vinum, aut triticum, petens ſibi dari duas recompenſationes; unam quidem reſtitutionis rei; aliam vero pretium uſus, quod uſura dicitur .... Pecunia autem principaliter eſt inventa ad commutationes faciendas; & ita proprius, & principalis pecuniæ uſus eſt ipſius conſumptio, ſive diſtractio, ſecundum quod in commutationes expenditur, & propter hoc ſecundum ſe eſt illicitum pro uſu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur uſura.* Cum igitur uſura ſit de ſe mala, & injuſta, ut evidenter oſtendit hæc Angelici ratio, eſt illicita nedum reſpectu pauperum, quæ eſt crudelior, ſed reſpectu cujuſcumque, cum reſpectu cujuſcumque aut bis vendatur idem, aut vendatur, quod non eſt. Eademque confirmantur tum ex Scripturis, tum ex Patribus, tum ex jure Canonico, & Civili; quæ omnia videri poſſunt luculenter pertractata a nuperis doctiſque Scriptoribus, qui libellum italice inſcriptum *Dell' impiego del Danaro* ſapienter impugnaverunt. Hinc inferas, quam juſte Innocentius XI. hanc theſim n. 41. confixerit: *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram; poteſt creditor aliquid ſupra ſortem exigere a mutuatario, & eo titulo ab uſura excuſari.* Eo quod falſum omnino ſit, pecuniam præſentem, & numeratam pretioſiorem eſſe futura; & numeranda, quoties futura, & numeranda ſit moraliter certa, vel per pignus, vel per fidejuſſionem, vel per moraliter certam fidelitatem mutuatarii.

§. IV. *De Uſura reali manifeſta.*

I. CUm de uſura mentali ſatis dictum ſit in §. antecedente, diſſerendum ſuſcipimus de uſura reali; & primo expediendi ſunt caſus, in quibus hoc vitium manifeſte invenitur. Cum igitur uſura realis manifeſta contingat, quando aliquid pretio æſtimabile in pactum expreſſum, & formale deducitur ſupra ſortem erogandum; patens uſura erit, ſi mutuator paciſcatur, quod etiam mutuatarius ſibi mutuet, ſi opus ipſi fuerit: ita expreſſe S. Thomas loc. cit. a. 2. ad 4. *Non licet mutuatarium obligare ad mutuum in poſterum faciendum:* quia etiam hæc obligatio eſt pretio æſtimabilis. Licet autem ſimul mutuanti mutuum aliquid aliud mutuum recipere: ideſt

Caſus uſuræ Realis.

eodem tempore, quo Petrus mutuum petit pecuniæ a Paulo, Paulus petat a Petro mutuum vini; quia in hoc modo ſe gerendi nulla invenitur inæqualitas: hæc enim reciproca mutui petitio, aut cum nullo, aut cum utriuſque æquali incommodo peragitur: immo revera non eſt contractus mutui; ſed unus ex illis innominatis, qui dicitur, do, ut des. Uſura vero eſt, obligare mutuatarium, ut in officina mutuatoris emat; ad ſuum molendinum veniat pro molendis frugibus: ut ſua prædia colat, etiam tradito juſto pretio: item *ſi exigat recompenſationem muneris ab obſequio, vel lingua*, ait S. Thomas loc. cit. ad 3., atque alia ſimilia: puta ſi imponatur mutuatario, ut ſolvat debita diſputabilia, & incerta; ut remittat obligationem reſtituendi famam; vel ut deſiſtat a petenda in judicio recompenſatione famæ; ut ſibi deferat honorem, obſequium &c., ut fidejubeat pro mutuatore; ut recipiat mutuum partim in pecunia, partim in mercibus, quamvis mutuatario utilibus; ut recipiat ducenta pro credito, quod mutuator habet cum Petro, ut ipſe mutuatarius deinde ſibi illa ducenta procuret a Petro; ut reſtituat in alia materia; ut reddat in alio loco mutuatario incommodo; ut det pro pignore ſortis rem fructiferam, & fructus mutuator retineat, quin computentur pro extinctione ſortis. Excipe, quando Socer tradit Genero rem fructiferam in pignus pro dote filiæ, quam nondum tradidit; quia cum dos detur ut fructificet, pignus illud juſte fructificat Genero loco dotis: Si autem fructus pignoris hujuſmodi eſſent excedentes illos, quos Gener ex dote perciperet; tunc exceſſus ille vel eſſet Socero relinquendus, vel computandus in ſortem dotis. Quod ſi Gener moriatur, fructus pignoris cedent in uſum viduæ ſuperſtitis, ad onera ad ſe & filios alendos ſuſtinenda, nec in ſortem dotis computandi: Excipe exceſſum, ut dixi: ita Sotus lib. 6. q. 1. a 2. cum aliis pluribus. Ratio cur ante dicta ſint uſuraria, ex eo patet quia involvunt onus pretio æſtimabile, ut conſideranti facile conſtabit.

Caſus incidens. II. Si mutuator exigeret a mutuatario actionem, quam ex debito legis chriſtianæ præſtare debet, eſſet ne uſura? Varie reſpondent auctores: mihi probabilius dicendum videtur, quod ſi omiſſio actionis, quæ imponitur, non afferat ex adjuncto pacto obligationem refarciendi aliquod damnum, non ſit uſura; puta do mutuum cum pacto, ne adultereris; ut recites Roſarium, ad quod ex voto teneris &c., quia non imponitur onus inducens obligationem reſarciendi damnum, ſi actio impoſita omittatur; ſicuti eſſet: do mutuum cum pacto, ut ſi videris prope fœnile meum ignem accendi, tu qui prope commoraris, voces vicinos, ad facilius impediendum incendium, eſſet uſura: quia quamvis mutuatarius ad id ſit alioquin obligatus ex charitate, non tamen ex juſtitia, ita ut ſi nil clamet, ad nil tenetur; quamvis graviter peccet contra charitatem; at poſito pacto, tenetur clamare etiam ex juſtitia; ita ut ſi omittat, evadat ille *mutus*, qui eſt concauſa damnificationis, & proinde reſtitutioni obnoxius; quæ obligatio, ut vides, pretio æſtimabilis eſt.

* Licet tamen, ut docet P. Antoine *tract. de contract. cap. 3. in reſp. ad quæſt. 11.* mutuum dare ea lege, ut alter tibi ſolvat ſummam aliunde tibi ex juſtitia certo debitam, vel ut deſiſtat a vexatione injuſta; quia hoc non eſt lucrum, ſed debitum jam ex juſtitia; nec imponitur ei obligatio nova, ad quam antea non teneretur: lucrum enim dicitur, cum quis acquirit id quod alias ad ſe ex juſtitia non pertinebat. Item licet exigere pignus, vel hypothecam pro ſecuritate mutui; nam hæc aſſecuratio debita eſt.

§. V. *De Uſura Palliata.*

I. Quid ſit uſura palliata, jam diximus in §. 3. n. 5. Palliatur primo uſura ait S. Doctor loc. cit. a 2. ad 7. *Si aliquis carius velit vendere res ſuas, quam ſit juſtum pretium, ut de pecunia ſolvenda emptorem expectet: quia hujuſmodi expectatio pretii ſolvendi habet rationem virtualis mutui. Unde quidquid ultra juſtum pretium pro hujuſmodi expectatione exigitur, eſt quaſi pretium mutui, quod pertinet ad rationem uſuræ*. Et eſt communis: niſi accedat titulus juſtus ex memoratis in §. 2. aliquid accipiendi. Secundo, ait Angelicus ibidem: *Siquis emptor rem emere vilius velit, quam ſit juſtum pretium; eo quod pecuniam anticipate ſolvit: quia etiam iſta anticipata ſolutio habet mutui rationem, cujus quoddam pretium eſt, quod diminuitur de juſto pretio rei emptæ*: & eſt communis, & etiam hic, excepto juſto titulo &c. Tertio, quando quis vendit aliquam mercem ſummo pretio juſto, eo pacto, ut eamdem ſtatim redimat pretio juſto Caſus Uſuræ Palliatæ ſeu Virtualis.

Digitized by Google

ſto infimo, qui contractus ab Hiſpanis vocatur *Mobatra*, ab Italis *Stocco*, eſt uſura, propter onus impoſitum emptori, revendendi ſtatim rem eamdem ipſi venditori pretio minori: Unde Innocentius XI. hanc theſim n. 40. damnavit. *Contractus mobatra licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri*: & eſt communis. Quarto, ſi Paulus apud Titium deponat ad quinquennium v. g. mille aureos, concedendo illi facultatem, ut interea illis utatur, ſi velit, ſecum paciſcendo, ut ipſi Paulo contribuat duo pro ſingulis centum, uſque ad petitionem depoſiti; eſt uſura ſub pallio Depoſiti, in quo dominium rei depoſitæ manet deponenti, nec tranſit ad depoſitarium, ſicut reapſe tranſit in hoc caſu, cum pecunia concedatur Titio diſtrahenda, & conſumenda, ſicuti conceditur in mutuo; & nihilominus lucrum duorum pro centum percipiatur: ita Navarrus lib. 3. Conſil. 1. cap. 4. de Depoſito: & aperte lex *certi* ff. de rebus creditis hunc contractum mutuo accenſet.

Alii caſus Uſuræ palliatæ.

II. Si Titius petat mutuum triginta aureorum a Petro, & Petrus dicat, dabo tibi triginta aureos, non ad mutuum, ſed ad emendos duos boves, quos tibi locabo, ut illis utaris ad ſexennium; & interea mihi correſpondeas pro hac locatione duos aureos ſingulis annis, & completo ſexennio, reſtitues mihi duos boves circiter ejuſdem valoris; eſt putida uſura; nam in locatione vera, rei locatæ dominium directum remanet locatori, ut ſi pereat, aut deterior evadat, ipſi pereat, aut deterioretur. Hic autem non ita; ſed vult periculum bovum, & eorum deteriorationem locatario remanere, & interea lucrum ex locatis bobus reportare; quod patet eſſe injuſtum; ea enim de cauſa pro re locata annua ſolvitur penſio, quia locatori deterioratur uſu. Quando mutuatarius tradit mutuatori pignus pro ſecuritate ſortis, non poteſt mutuator paciſci, ut elapſo termino mutui reſtituendi, pignus cadat in poteſtatem mutuatoris; hoc enim prohibetur utroque jure, civili quidem leg. ultim. Codicis de pactis pignorum: Canonico vero cap. *ſignificante* 7., de pignoribus: & ratio eſt, quia plerumque pignus pluris valet, quam mutuum datum. Aliud eſſet, ſi mutuatario in mora culpabili exiſtente, mutuator vere, & non ficte, indigeret mutuo dato, quia tunc, præmiſſis de jure præmittendis, poſſet vendi pignus juſto pretio, & ſibi retenta ſumma, aut valore mutui, reliquum eſſet mutuatario tradendum.

Alii caſus.

III. Non poteſt pro labore in pecunia numeranda aliquid ultra ſortem recipi, quia hic labor eſt intrinſecus, & neceſſarius, ut mutuum detur; aliter ſequeretur, quod pro longe minori ſumma in minutis monetis tradita plus poſſet recipi, quam pro longe majori paucis monetis aureis contenta: ſed ſunt neniæ vetularum. Neque pro ſola obligatione ad non repetendum mutuum ad certum tempus, poteſt quidquam recipi; quia etiam hæc ſola obligatio, ſemotis aliis juſtis titulis, eſt intrinſeca mutuo: unde Alexander VII. reprobavit hanc theſim n. 42. *Licitum eſt mutuanti aliquid ſupra ſortem recipere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus*: Si tamen mutuator hanc obligationem contraheret ad longum tempus, & ſimul prudenter & probabiliter timeret, attento ſtatu negotiorum ſuorum, ſibi eventuram neceſſitatem utendi re, vel ſumma mutuo data, & nihilominus expreſſe contraheret, & ſe obligaret ad non repetendam ſortem in quocunque eventu ad longum tempus, puta ad biennium, jam nemo non videt, hanc obligationem in his circumſtantiis eſſe pretio æſtimabilem; unde prius monito mutuatario de hoc neceſſitatis periculo, poſſet aliquid ultra ſortem exigere judicio prudentum taxandum, ut ſe dictæ obligationi faciat obnoxium.

* Obligatio non repetendi ſortem ante certum tempus, etſi longe eſt intrinſeca mutuo poſtulato, ut animadvertit P. Antoine *tract. de contract. part. 2. cap. 3. q. 8.* eſt enim de ratione mutui in communi, ut res mutuata repeti nequeat, niſi poſt certum tempus, varium pro varietate & exigentia cauſæ petendi mutui, cum hoc ſit neceſſarium ad finem mutui, qui eſt gratis impendere ſubſidium utile proximo; alioqui inane eſſet mutuum, nec beneficium. Igitur obligatio non repetendi ſortem ante hoc tempus præfinitum eſt intrinſeca huic mutuo in individuo; & ſi terminus ſit ad longum tempus; tunc trahitur ad longum tempus obligatio intrinſeca mutuo, & tunc eſt mutuum longum, ſeu in longum tempus, ſicut mutuatio ſummæ magnæ eſt mutuum magnum. Nullus itaque poteſt aliquid exigere vel percipere præciſe ob obligationem non repetendi ſortem ad certum tempus etſi longum; ſed duntaxat qui dat mutuum valet pa-

ctum inire, quod ſi aliquod ſibi aut lucrum ceſſans, aut damnum emergens acciderit, teneatur qui mutuum recipit, illud compenſare. Et in hoc ſenſu intelligenda ſunt, quæ docet Auctor *num. præced.*

Caſus incidens.

IV. Dictorum occaſione, ſciſcitaberis: Quid dicendum de pœna conventionali mutuatario impoſita in contrahendo, ſolvendi tantam ſummam ultra ſortem, in caſu, quo ſit in mora ſolvendi poſt conſtitutum tempus: Hanc pœnam licitam laudat utrumque jus, Civile quidem in lege *ſi pacta* Cod. de pactis; Canonicum autem Capite *Dilectus* de arbitris: dummodo tamen ſequentes interveniant conditiones; Prima, quod acceſſerit utriuſque partis conſenſus: Secunda, ut pœna ſit culpæ, quæ committi poteſt proportionata: Tertia, quod ſi pars tantum ſortis non reſtituatur, pœna minuatur proportionaliter. Quarta, quod non exigatur niſi propter moram culpabilem; ſi enim mutuatarius ſine ſua culpa fiat impotens, non eſt luenda pœna ſine culpa. Quinta, ut mora ſit aliquo modo notabilis, ſpectata conditione negotii, & conſuetudinis; eſſet enim ſeveritas a charitate aliena, ſi ob moram unius, vel paucorum dierum, & nullo interveniente mutuatori incommodo, exigeretur. Sexta, quod recta ſit intentio mutuatoris, nempe recipiendi conſtituto tempore ſortem ſuam: ſi enim tminiſceretur occultiſſima avaritiæ intentio, ut mutuatarius caderet in pœnam ad auctarium illud acquirendum, non vacaret ab uſura mentali.

§. VI. *De Montibus Pietatis.*

Quid ſit Mons Pietatis?

I. MOns Pietatis ſignificat cumulum quemdam pecuniæ, vel alterius rei mutuabilis, collectum ad ſubveniendum indigentibus, ne uſuris avarorum, & maxime Judæorum, ubi vigent, nimium graventur. Tribus modis montes pietatis eriguntur, nempe aut ex eleemoſinis collectis; aut ex pecuniis ad cenſum acceptis; aut ex utriſque. Ab his montibus datur mutuum ſub determinatis conditionibus: Prima, ut mutuum ſolis indigentibus detur illius loci, in quo mons eſt conſtitutus: Secunda, ut detur in tali quantitate, ut major dari nequeat: Tertia, ut detur dumtaxat ad determinatum tempus, v. g. ad annum: Quarta, ut mutuatarius det pignus ſaltem ſufficiens pro ſecuritate ſortis, ne cumulus montis, ſortium defectu, paulatim corruat. Quinta, ut mutuatarii ſolvant aliquid pro expenſis neceſſariis ad miniſterium montis: Sexta, ut ſi ſors conſtituto tempore non reſtituatur, pignus vendatur, & retentis his, quæ pro annuo cenſu, & pro ſorte monti debentur, reliquum, ſi ſuperſit, tradatur mutuatario.

Montium juſtitia.

II. His poſitis conditionibus, montes iſti ſunt liciti, ita definiente Leone X. cum Concilio Generali Lateranenſi quinto, in quo ſub excommunicatione vetatur, ne quis montes iſtos impugnet. Propterea Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. de Reformat. cap. 9. hos montes locis piis accenſet.

Illatum notabile.

III. Hinc deducendum, quod ſi cumulus montis, vel legatis, vel donationibus, vel alio modo ita augeatur, ut in conſcientia minui poſſit cenſus a mutuatariis ſolvendus, id procul dubio fieri debeat, ut ab uſuræ vitio immunis ſervetur: immo ſi ita augeretur, ut etiam omnis cenſus tolli poſſet, totus tollendus eſſet, & mutuatarii indigentes omni onere levandi forent. Ratio de ſe patet. Propterea vigilandum Principibus, & Epiſcopis eſt valde, ne in luxum privatorum cedant augmenta montis, & non in levamen indigentium.

Illatum alterum.

IV. Inferendum præterea, quam injuſte agant Montes hujuſmodi, ſi accipiant pecuniam ad cenſum, dum non habent fundos, & bona ſtabilia, ex quibus trahant cenſum ſolvendum dantibus ad cenſum ſeu cenſualiſtis, & cogantur exinde attgere cenſum annuum pauperibus, ut ipſi montes cenſus ſuos ſolvere queant. Caveant igitur Chriſtiani omnes a faciendis hujuſmodi contractibus cum montibus pietatis, carentibus fundis ſtabilibus, niſi velint cooperari gravamini injuſto pauperum, & ſe obnoxios conſtituere reſtitutioni cenſuum receptorum.

§. VII. *De petendo mutuum ab uſurario, & de aliis modis cooperandi eidem.*

Quando liceat petere mutuum ab uſurario?

I. S. Thomas loco ſæpe cit. in art. 4. docet: *Nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum ſub uſura; licet tamen ab eo, qui paratus eſt hoc facere, & uſuram exercere, mutuum accipere ſub uſuris, propter aliquod bonum, quod eſt ſubventio ſuæ neceſſitatis, vel alterius.* Ex quibus verbis recte perpenſis inferas ex communi, nunquam licere accedere ad uſurarium ad petendum ab eo mutuum, niſi quando alium

alium moraliter habere non poſſis, qui mutuet ſine uſura. Quando autem alium habere non potes, non debes ei offerre uſuram, ſed dumtaxat mutuum petere; & ſi ipſe uſuras requirat, eidem ſolvere licite potes; quia id non eſt inducere ad peccatum, ſicut in primo caſu, ſed petere ex neceſſitate id, quod poteſt licite dare. Unde ſi illicite dat, & tu ob neceſſitatem uſuras ſolvas, non peccas, *ſed uteris peccato alterius ad bonum* ait S. Doctor. Quando autem alium habere poſſis, qui mutuet ſine uſura, teneris illum adire, ne uſurario occaſionem præbeas novi peccati perpetrandi.

Quænam neceſſitas excuſet petere ab uſurario?

II. Quænam eſſe debeat neceſſitas, innocentem reddens petitionem mutui ab uſurario, dum alius mutuator inveniri non poteſt; Reſpondet Sylvius ſuper locum ſupracitatum S. Thomæ: Plerique exiſtimant, non requiri extremam, aut gravem neceſſitatem, ſed ſufficere notabilem, quæ ad decentiam ſtatus, vel perſonæ multum pertineat: Hæc ille ſapiens. Et Henricus a S. Ignatio, ſeveræ theologiæ profeſſor, lib. 9. cap. 34. n. n. 403., & 404. bis repetit, ſufficere, ut petens ducatur notabili utilitate, & magna utilitate. Aliter eſſet reſpondendum, juxta opuſculum 67., inter ea quæ S. Thomæ nomen præferunt, in quo dicitur: *quod mercatores peccant, tamquam occaſionem peccandi præbentes, cum neceſſitas, quæ ponitur, ut ſcilicet honorabiliter vivant, & majores mercationes faciant, non ſit talis neceſſitas, quæ ſufficiat ad excuſandum peccatum prædictum*; quamvis autem non ſit D. Th. hoc opuſculum; gravi tamen gaudet auctoritate.

Cooperantes Uſurario quinam ſint?

III. Graviter peccant proxime cooperantes uſurario. Hujuſmodi ſunt, juxta omnes, Conſulentes; eidem conferentes pecuniam fœnori dandam; Judices compellentes ad ſolvendas uſuras, vel impedientes ne reſtituantur; qui etiam, juxta Clement. unic. de uſuris, ipſo facto excommunicantur; item domini temporales non eliminantes a ditionibus ſuis fœneratores, niſi forte pro aliquo neceſſitatis caſu, ad tempus illos permittant, ad majora mala evitanda. Circa Notarios, conficientes inſtrumenta fœneratitia ita docet S. Antoninus p. 2., tit. 1. cap. 9., §. 6. *Si ſcienter faciunt inſtrumenta, vel chartas de debito uſurarum, ac ſi eſſet legitimum debitum, puta, quia Notarius facit Inſtrumentum, quod Martinus mutuaverit Petro centum, hic ad annum reſtituendos, cum ſciat non mutuaſſe niſi nonaginta; nunc tenetur in ſolidum, ſi ipſi* (uſurarii) *uſuram non reſtituant*: unde ita agendo lethaliter peccant. *Si tamen inſtrumentum non fecerit, niſi in favorem receptoris mutui, puta quia illi alter non volebat mutuare, & Petrus multum indigebat, nec poterat aliter ſibi providere; tunc non tenetur Notarius* (ad reſtituendum;) *peccaret tamen mortaliter hoc faciens; quia perjurium incurreret, faciens inſtrumentum falſum, & in fraudem uſurarum*; Nam juraret Petrum recepiſſe centum, cum acceperit tantum nonaginta; vel quia violaret juramentum emiſſum, dum conſtituitur in officio, hujuſmodi inſtrumenta non conficiendi. An autem peccet graviter, ſi nullum juramentum violet? Adhuc lethaliter peccat, quia illud inſtrumentum ſemper eſt medium efficax, ut cogatur a Judice Petrus ſolvere centum, cum acceperit dumtaxat nonaginta; & proinde Notarius ſemper cooperatur proxime uſurario. Item Proxenetæ ducentes perſonas indigentes ad uſurarios, ſi ad alterum ducere poſſint. Id Factores, ſeu geſtores negotiorum uſurarii, aliique miniſtri, qui aut compellunt mutuatarios ad ſolvendas uſuras, aut contractus uſurarios nomine principalis ineunt. Qui omnes, in defectu principalis, ad reſtitutionem tenentur juxta tradita in tract. 9. cap. 5., §. §. 13. 14.

Concurrentes remote.

IV. Alii ſunt miniſtri uſurarii, qui remote dumtaxat cenſentur cooperari, & mere materialiter, dummodo ſincerum coram Deo animum habeant, nullum influxum præbendi. Hujuſmodi ſunt famuli pignora recipientes, aut cuſtodientes, pecuniam mere numerantes, in librum rationum referentes, & ſcribentes. De his enim non habet motivum querelæ mutuatarius, neque eſt circa illorum operam invitus: Ita communior, & probabilior; pro qua citantur etiam Habert, Tournely, & Antoine, laxæ Theologiæ minime ſequaces. Conſulendum eſt autem his famulis, ut ſibi alterum herum procurent, ne periculo exponantur incidendi in aliquam cooperationem proximam.

§. VIII. *De reſtitutione Uſurarum facienda.*

Obligatio uſurarii.

I. OMnia jura contra fœneratores conclamant, eoſque ad reſtitutionem uſurarum obligant. De uſurario mentali, jam ita vidimus definitum ab Urbano III. in §. 3. n. 2., idque a fortiori evincitur

de fœneratore expreſſo. Neque a reſtituendo excuſari poteſt ab ignorantia, qua iniit contractum uſurarium, putans eſſe licitum, ut tenet communior, & probabilior. Si enim lucrum retinere licite poſſet poſt agnitam malitiam uſuræ, id proveniret vel ex titulo contractus, vel titulo bonæ fidei habitæ: atqui non titulo contractus, qui ipſo jure nullus eſt, qui propterea in nullo alio valet contineri; cum id, quod non eſt, contineri nequeat: neque titulo bonæ fidei, quæ ex ſe obligat ad id reſtituendum, in quo quis ditior factus eſt; & hoc adamuſſim eſt lucrum uſurarium.

Obligatio hæredum uſurarii qualis?

II. Si injuſtus fœnerator moriatur, antequam fœneratitiam pecuniam reſtituat, obligatio tranſit ad hæredes; cum hæc obligatio ſit ſimul perſonalis, & realis. At quid, ſi hæredes ſint puta tres, Petrus, Paulus, Carolus, & in tres portiones hæreditas dividatur, tenebuntur ne ſinguli in ſolidum in defectu aliorum? Probabilior videtur opinio Cajetani tom. 2. opuſ. tr. 8. de Uſuris, quem ſequuntur Bannez, Medina, Azorius, Toletus, Bonacina, Pontas, Habert, & Tournely, prædictos afferens tr. 2. de Contract. cap. 2. de Uſura, art. 5. Concluſ. 5; quibus addo Sotum, Sylveſtrum, Panormitanum, citatos a Molina diſp. 332. & eſt, quod hæredes non teneantur ad debita ſolvenda uſurarii, niſi pro rata hæreditatis, quam ſinguli percipiunt, & non in ſolidum, aliis deficientibus. Ratio eſt, quia ſicuti actiones, & credita defuncti dividuntur inter hæredes dumtaxat pro rata hæreditatis, ita etiam pro rata erunt dividenda debita: ut colligitur ex leg. 2. Codic. de hæreditar. action. & lege *pacto ſucceſſorum*, Codic. de pactis. Hujuſce rationis vis modo, quo hæredes repræſentant defunctum, innititur. Non enim verum eſt, quod ſinguli eorum ipſum repræſentent totaliter, ſed (cum ſint ab invicem diviſi) partialiter tantum, quem totaliter repræſentant ſimul ſumpti, & collective: unde v. gr. Petrus hæres non niſi ex parte repræſentat defunctum, ſi adhuc extent Paulus, & Carolus cohæredes; illum autem repræſentant totaliter, ſimul accepti, & ad modum unius perſonæ; & propterea ſinguli neque quoad omnia onera, neque quoad omnia credita ſuccedunt, ſicut ad hæc omnia ſuccedunt ſimul ſumpti. Sicut ergo, facta bonorum defuncti diviſione, & deinde moriente Petro, ejus portio non accreſcit Paulo, & Carolo, ſed tranſit ad hæredes Petri cum ſuis juribus, & oneribus, ita ut ſi ea non ſolverit, illius hæredes teneantur; ita etiam de aliis duobus dicendum eſt. Conſulto dixi, facta hæreditatis diviſione; ſi enim hæredes eſſent v. g. filii defuncti nondum inter ſe diviſi, ſed communi penu viventes, tunc cum omnes moraliter unum ſint, ſinguli tenerentur in ſolidum.

Obligatio Cooperatorum?

III. Cooperatores proxime ad uſuras, jam patet ex dictis, cum communi, loco ſupra citato, quod teneantur reſtituere, in defectu principalis, omnia damna ex uſuris, quibus proxime cooperati fuere, profluentia, & unuſquiſque in ſolidum, ſi alii deſint; quia in ſolidum, & ad modum unius cauſæ influxerunt in totum damnum pro illis vicibus, quibus operam dederunt; & in hypotheſi, quod pro omni tempore fœnorum, & ſingulis vicibus operam dediſſent, eorum obligatio ad omnem fœneratitiam pecuniam ſe extenderet.

§. IX. *De pœnis Uſurariorum.*

Quis dicatur notorius fœnerator?

I. Duplex eſt fœneratorum genus: alii ſunt Notorii, alii Occulti. Notorii, aut ſunt tales notorietate facti, quia uſuras palam exercent ſive expreſſas, ſive palliatas, plerſque tamen compertas, ut docent Sylveſter, Navarrus, & alii; aut ſunt tales notorietate juris, quia per judicis ſententiam fuerunt tales declarati, & condemnati; immo etiam qui fuerint a judice de tali crimine convicti, ut tenet probabilior, & communior: immo inſuper probabilius ſi ipſe fœnerator extrajudicialiter ſe talem fuiſſe frequenter publicet, ideſt coram multis confiteatur, quæ confeſſio in notitiam plurimorum venerit.

Uſurariorum notoriorum pœnæ.

II. Pœnæ notorii fœneratoris ſunt: Prima, infamia: Secunda, quod inhabilis reddatur ad Sacros Ordines: Tertia, ſi ſit Clericus, eſt ſuſpendendus ab Ordine, & Beneficio: Quarta, ut non admittatur ad Communionem altaris: Quinta, ut ejus oblationes in Eccleſia non recipiantur: poſſunt tamen recipi decimæ, & eleemoſinæ ipſius, dummodo ex ipſis non reddatur impotens ad reſtituendas uſuras; & in dubio erunt rejiciendæ: Sexta, ſi in eo crimine obierit, carent Eccleſiaſtica ſepultura; & qui eum ſepelierit, ſit ipſo facto ſuſpenſus, donec arbitrio Epiſcopi ſatisfecerit: immo ſepelientes excommuni-

nicantur ipſo facto, nempe tam Parochus, quam Clerici comitantes, & id ſcientes. Quod ſi in teſtamento præceperit reſtitutionem uſurarum, non debet cadaver in locum ſacrum transferri, niſi poſt redditas uſuras: Septima, ne admittatur ad Confeſſionem, neque aliquis ejus teſtamento interſit, niſi aut reſtituat, aut ſufficientem cautionem de reſtituendo præſtet: Octava, ut teſtamentum ejus irritum ſit, nec non codicilli, & donationes mortis cauſa; a qua pœna immunis evadit, ſi debitam cautionem dederit: Nona, ut domus ei non locetur, vel permittatur habere conductam: Decima, ut ſi ipſe mutuum recipiat ſub uſura, non poſſit repetere uſuras, niſi ipſe prius reſtituerit acceptas. Quæ omnia, & ſingula ex variis juribus videri poſſunt apud Auctores, præcipue apud Doctiſſimum Molinam.

Regulæ pro Confeſſariis.

III. Ex his inferas, quid agendum ſit Confeſſario, qui incidit in uſurarium notorium, extra mortis articulum? non debet iſte abſolutionem impertiri, niſi conſtet de emendatione, habito experimenti intervallo; & niſi ſatisfecerit damnis illatis, ſaltem pro ea parte, qua poteſt; & ſi omni redintegrare nequeat, cautionem exigat juramento firmatam. Si vero uſurarius ſit occultus, nihilominus, ait Auctor opuſc 78. de uſuris cap. 16., quod circumfertur ſub nomine S. Thomæ, *compellendus eſt ad reſtitutionem: ut beneficium abſolutionis ei denegetur; niſi reſtitutionem faciat plenam, quantum potuerit, aut dilationem petierit ab his, quibus tenetur reſtituere*. Item Confeſſarius uſurarium conſtringere debet ad reſcindendos contractus fæneratorios nondum conſummatos, antequam eum abſolvat, niſi talia argumenta propoſiti firmi dederit, ut illi credendum eſſe judicetur: ſi tamen in Confeſſione anteriori non impleverit, quod ſpoponderat, eſt ei differenda abſolutio, quouſque impleat quod poteſt.

* Animadvertit Petrus Collet *tom. 2. tract. de contract. part. 2. cap. 3. art. 6. pag. 399. E. V. 1755.* debere etiam Confeſſarium publico uſurario pro modo culpæ publicam pœnitentiam injungere, ut ſcandalum reparetur.

S. P. Benedictus XIV. die 1. Novembris 1745. Epiſtolam Encyclicam incipientem *Vix pervenit ad aures* ad Epiſcopos Italiæ direxit, *de uſuris aliiſque injuſtis quæſtibus*. Et in primis quidem refert nonnullas ſententias circa doctrinam de uſuris in duabus Congregationibus coram ſe hoc fine habitis approbatas unanimi conſenſu plurium Cardinalium, qui ſacræ Theologiæ ſcientia, & canonicæ diſciplinæ ſtudio, ac peritia plurimum commendabantur, pluriumque etiam Regularium in utraque facultate præſtantium, quos ad eaſdem Congregationes accivit. *Hæc*, inquit, *unanimi conſenſu probaverunt*.

I. „ Peccati genus illud, quod uſura vocatur, quodque in contractu mutui propriam ſuam ſedem, & locum habet, in eo eſt repoſitum, quod quis ex ipſomet mutuo, quod ſuapte natura tantumdem dumtaxat reddi poſtulat, quantum receptum eſt, plus ſibi reddi velit, quam eſt receptum; ideoque ultra ſortem, lucrum aliquod, ipſius ratione mutui, ſibi deberi contendat. Omne propterea hujuſmodi lucrum, quod ſortem ſuperet, illicitum, & uſurarium eſt.

II. „ Neque vero ad iſtam labem purgandam ullum accerſiri ſubſidium poterit, vel ex eo, quod illud lucrum non excedens, & nimium; ſed moderatum; non magnum, ſed exiguum ſit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum ſolius cauſa mutui depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat, nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandis negotiis utiliſſime ſit impenſurus. Contra mutui ſiquidem legem, quæ neceſſario in dati, atque redditi æqualitate verſatur, agere ille convincitur, quiſquis eadem æqualitate ſemel poſita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipſius, cui per æquale jam ſatis eſt factum, exigere adhuc non veretur; proinde ſi acceperit, reſtituendo erit obnoxius ex ejus obligatione juſtitiæ, quam commutativam appellant, & cujus eſt in humanis contractibus æqualitatem cujuſque propriam, & ſancte ſervare, & non ſervatam exacte reparare.

III. „ Per hæc autem nequaquam negatur, poſſe quandoque una cum mutui contractu quoſdam alios, ut ajunt, titulos, eoſque ipſimet univerſim naturæ mutui minime innatos, & intrinſecos forte concurrere, ex quibus juſta omnino, legitimaque cauſa conſurgat quiddam amplius ſupra ſortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item

„ tem negatur poſſe multoties pecuniam
„ ab unoquoque ſuam, per alios diverſæ
„ prorſus naturæ a mutui natura contra-
„ ctus, recte collocari, & impendi, ſi-
„ ve ad proventus ſibi annuos conquiren-
„ dos, ſive etiam ad licitam mercatu-
„ ram, & negotiationem exercendam,
„ honeſtaque inde lucra percipienda.

IV. „ Quemadmodum vero in tot ejuſ-
„ modi diverſis contractuum generibus,
„ ſi ſua cujuſque non ſervatur æqualitas,
„ quidquid plus juſto recipitur, ſi minus
„ ad uſuram, (eo quod omne mutuum
„ tam apertum quam palliatum abſit) at
„ certe ad aliam veram injuſtitiam, re-
„ ſtituendi onus pariter afferentem, ſpe-
„ ctare compertum eſt; ita ſi rite om-
„ nia peragantur, & ad juſtitiæ libram
„ exigantur, dubitandum non eſt, quin
„ multiplex in iiſdem contractibus lici-
„ tus modus, & ratio ſuppetat humana
„ commercia, & fructuoſam ipſam ne-
„ gotiationem ad publicum commodum
„ conſervandi, ac frequentandi. Abſit e-
„ nim a Chriſtianorum animis, ut per
„ uſuras, aut ſimiles alienas injurias flo-
„ rere poſſe lucroſa commercia exiſti-
„ ment; cum contra ex ipſo oraculo Di-
„ vino diſcamus quod Juſtitia *elevat gen-
„ tem, miſeros autem facit populos pecca-
„ tum. Prov.* 14. 34.

V. „ Sed illud diligenter animadverten-
„ dum eſt, falſo ſibi quempiam, & non-
„ niſi temere perſuaſurum, reperiri ſem-
„ per, ac præſto ubique eſſe, vel una
„ cum mutuo titulos alios legitimos, vel
„ ſecluſo etiam mutuo, contractus alios
„ juſtos, quorum vel titulorum, vel con-
„ tractuum præſidio, quotieſcumque pe-
„ cunia, frumentum, aliudve id generis
„ alteri cuicunque creditur, toties ſem-
„ per liceat auctarium moderatum ultra
„ ſortem integram, ſalvamque recipere.
„ Ita ſi quis ſenſerit, non modo Divinis
„ documentis, & Catholicæ Eccleſiæ de
„ uſura judicio, ſed ipſi etiam humano
„ communi ſenſui, ac naturali rationi
„ proculdubio adverſabitur. Neminem
„ enim id ſaltem latere poteſt, quod
„ multis in caſibus tenetur homo ſimpli-
„ ci, ac nudo mutuo alteri ſuccurrere,
„ ipſo præſertim Chriſto Domino docen-
„ te: *Volenti mutuari a te, ne avertaris,*
„ *Matth.* 5. 42. & quod ſimiliter multis in
„ circumſtantiis, præter unum mutuum,
„ alteri nulli vero, juſtoque contractui
„ locus eſſe poſſit. Quiſquis igitur ſuæ
„ conſcientiæ conſultum velit, inquirat
„ prius diligenter oportet, verene cum
„ mutuo contractus occurrant, quo-
„ rum beneficio, quod quærit lucrum,
„ omni labe expers & immune redda-
„ tur.

Deinde Summus Pontifex approbat & confirmat quæcumque in ſententiis expoſitis continentur; cum Scriptores plane omnes, inquit, Theologiæ, & Canonum Profeſſores plura Sacrarum Literarum teſtimonia, Pontificum Deceſſorum Noſtrorum Decreta, Conciliorum & Patrum auctoritas ad eaſdem ſententias comprobandas pene conſpirare videantur. Quare has litteras encyclicas dedit univerſis Italiæ Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Ordinariis, ut hæc omnibus innoteſcerent, nihilque omnino a recenſitis ſententiis alienum proferatur ſive in Synodis celebrandis, ſive in populis inſtituendis. Eoſdemque Ordinarios admonet etiam vehementer omnem ſollicitudinem impendere, ne quis in ſuis Diœceſibus audeat litteris aut ſermonibus contrarium docere. Si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium, & ſubjectum declarat pœnis per ſacros canones in eos propoſitis, qui mandata Apoſtolica contempſerint atque violaverint.

Declarat inſuper ſe nihil in præſentia ſtatuere de contractu, qui has novas controverſias excitavit, nihil etiam decernere modo de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in diverſas abeunt ſententias. Eorumdem tamen Ordinariorum pietatis ſtudium ac religionem inflammandam exiſtimat, ut hæc, quæ illico ſubjicit, executioni demandent.

1. Ut graviſſimis verbis populis ſuis oſtendant, uſuræ labem ac vitium a divinis litteris vehementer improbari; illud quidem varias formas atque ſpeciem induere, ut Fideles Chriſti ſanguine reſtitutos in libertatem, & gratiam, rurſus in extremam ruinam præcipites impellat; quocirca ſi pecuniam ſuam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, ſed potius ab illis, qui doctrinæ ac virtutis gloria ſuper ceteros efferuntur, conſilium expoſcant.

2. Ut qui viribus ſuis ac ſapientiæ ita confidunt, ut reſponſum ferre de iis quæſtionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ, & Ca-

no-

monum ſcientiam requirunt) ab extremis, quæ ſemper vitioſa ſunt, longe ſe abſtineant: aut ne ſuis privatis opinionibus nimium adhæreant, ſed priuſquam reſponſum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter ceteros prædicantur, deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent; & ut, ſi diſputatio inſurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos conſignentur, qui contrariam ſententiam ſequuntur; neque illam gravibus cenſuris notandam aſſerant, ſi præſertim ratione, & præſtantium virorum teſtimoniis minime careat.

3. Ut qui ab omni uſuræ labe ſe immunes, & integros præſtare volunt, ſuamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum ſolummodo percipiant, admoneantur, ut contractum inſtituendum ante declarent, & conditiones inſerendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia poſtulent; cum hæc magnopere conferant non modo ad animi ſollicitudines, & ſcrupulos evitandos; ſed ad ipſum contractum in foro externo comprobandum.

4. Demum eos hortatur, ne aditum relinquant ineptis illorum ſermonibus qui dictitant, de uſuris hoc tempore ſermonem inſtitui, quæ ſolo nomine continentur, cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam fallum id ſit, & a veritate alienum, plane deprehenditur, ſi perpendatur, naturam unius contractus diverſam prorſus eſſe & ſejunctam a natura alterius; & ea pariter diſcrepare magnopere inter ſe, quæ a diverſis inter ſe contractibus conſequuntur. Revera diſcrimen apertiſſimum intercedit fructum inter qui jure licito ex pecunia deſumitur; ideoque poteſt in utroque foro retineri; ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur; ideoque fori utriuſque judicio reſtituendus decernitur. Conſtat igitur haud inanem de uſuris quæſtionem hoc tempore proponi ob eam cauſam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur. Extat hæc Epiſtola *Tom.* 1. *Bullarii. num.* 143.

Idem S. P. Benedictus XIV. in ſuo eximio, cedroque digno Opere *de Synodo Diœceſana tom.* 2. *lib.* 10. *cap.* 4. *pag.* 16. *Edit. Fer.* 1760., ea innuens, *quæ de uſuris & contractibus ab Epiſcopis in Synodis decerni poſſunt*, plura de uſuris, & mutuo ſcitu neceſſaria exponit, atque declarat.

Plura etiam circa eandem materiam volumina edidit latine, & italice exarata P. F. Daniel Concina O. P., ac inſuper relatam Epiſtolam Encyclicam Benedicti XIV. præclaro commentario illuſtravit.

CAPUT V.

DE CONTRACTU SOCIETATIS.

§. I. *De Natura, & Obligationibus Societatis.*

I. Societas eſt Conventio plurium, ſaltem duorum, de conferendo aliquid prætio æſtimabile in commune lucrum, & damnum pro rata. Hæc definitio ex ſe patet. Moneo, conſultiſſimum eſſe, ut conditiones Societatis ſcribantur, & a ſociis ſubſcribantur, ad omnes præcavendas ex oblivione diſcordias. Notio Societatis.

II. Conditiones ſocietatis ſunt ſex. Prima, ut res collata in ſocietatem, vere conferatur ad negotiationem: ſi enim petens v. g. pecuniam, cognoſcatur petere ut ſuis neceſſitatibus occurrat, & dumtaxat obtendat titulum merum ſocietatis, erit fictitia ſocietas, & verum fœnus palliatum: Secunda, quod ſocii conferant revera quid utile negotiationi, pecuniam, merces, labores, induſtriam &c. Tertia, ut lucrum dividatur pro æqua rata, proportionabiliter ad id quod confertur, judicio peritorum: Quarta, ut impenſæ, damna, & pericula ſint communia eadem proportione: Quinta, ut ſi res collata perierit, illi pereat, qui illam contulit, utpote vero domino, dummodo non pereat ex culpa lata, aut levi ſociorum: tunc enim tenetur ſocius culpæ reus ſatisfacere, niſi forte lex aliqua municipalis obliget reum dumtaxat pro culpa lata, & non pro levi tantum: Sexta, ut ſocietas ineatur uſque ad tempus determinatum, ante quod nemini ſociorum liceat recedere. Conditiones Societatis.

III. Cir-

Digitized by Google

Monitum Cajetani.

III. Circa tertiam, & quartam conditionem audiendus eſt Eminentiſſimus Cajetanus in 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5., hæc proferens. Adde tertium obſervandum tanquam canonem ad juſtitiam ſemper ſervandam in hujuſmodi: ſcilicet: quod a principio æſtimentur ſingulæ ſociorum portiones, & his fiat quaſi una ſumma pecuniæ communis illis proportionabiliter, ideſt ſecundum ſuas ratas; & deinceps tam in lucro, quam in damno in diviſione totius remanentis ſervetur diviſio, ac ſi talem pecuniæ ſummam poſuiſſent proportionabiliter: v. g. ſunt tres ſocii, unus ponit mille ducatos, alter ponit operas æſtimatas mille, alter ponit induſtriam æſtimatam quingentis. Stabilienda eſt ſocietas, ac ſi hi tres poſuiſſent duo millia & quingentos ducatos: ita tamen, ut tertius ſemper pro medietate ſtet; & ſic lucrum dividendum eſt, ut ſi fuerint quinque; tertius habeat unum, uterque autem aliorum duo; & tandem quidquid ſupereſt, eodem modo dividendum eſt; ita ut ſi ſuperſint duo millia, & quingenti, mille dentur uni, & mille alteri, & quingenti tertio: alioquin iſte damnificaretur in perdita induſtria, & ille in opera, & qui appoſuit pecuniam lucraretur: & ſimile eſt in ſoccidis animalium. Hæc Sapiens ille.

* Quæres, an, ſi finita ſocietate nullum ſit lucrum, tantumque remaneat pecunia ab uno ſociorum collata, ea dividi debeat ipſum inter, & alium, qui operas pecuniæ æquivalentes contulit?

Reſp. Difficultatem hanc proponit Petrus Collet *tract. de contract. part. 2. cap. 4. de contract. ſocietatis*; & negative reſpondet ob plures rationes. 1. quia tantum perdit qui negotiationi vulgo proficuæ ſubjecit pecuniam ſuam, eamque ſterilem recipit, quam qui nihil ex induſtria ſua percepit emolumenti. 2. quia qui pecuniam confert in ſocietatem, majori ſemper obnoxius eſt periculo, quam qui ſolam confert induſtriam; prior enim duplici ſemper ſubjacet periculo, amittendi nempe pecuniam & lucrum; poſterior vero nonniſi lucri amittendi periculo obnoxius eſt. 3. quia, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 78. art. 2. ad 5. qui committit pecuniam ſuam vel mercatori, vel artifici per modum ſocietatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ ſuæ in illum; ſed remanet ejus; ita quod periculo ipſius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur.* Ergo ſi pecunia pereat, perire illi debet qui pecuniam contulit, & ſi ſuperſit, eidem reddenda eſt, ut qui ſentit onus, ſentiat & commodum.

Sicubi tamen, *ſubdit præcit. Theologus*, vigeret conſuetudo, aut inter partes conveniſſet, ut capitale una cum lucro, vel ſine lucro divideretur inter ſocios, iis etiam in diviſione comprehenſis qui ſolam operam contuliſſent, illa diviſio ſortis licita eſſet. Atque hoc ſæpiſſime uſu venit in ſocietate de animalibus inita, qua finita, dividuntur plerumque animalia, quæ ſocietatis capitale conſtituebant.

§. II. *De Contractu trium Contractuum.*

I. Contractus iſte hoc modo celebratur: Petrus confert Paulo mille aureos ad negotiationem, & Paulus impendit ſuum laborem, ſuamque induſtriam: & perpenſis omnibus circumſtantiis judicio peritorum, conveniunt de dividendo lucro in partes æquales; puta ſi fuerint centum, ut dividantur quinquaginta aurei pro ſingulis. Huic contractui, qui eſt ſocietatis, additur alter; videlicet, quod Paulus aſſecuret dictum capitale Petro; pro qua aſſecuratione, computatis computandis, Petrus cedit Paulo dimidium lucri ſperati, nempe vigintiquinque aureos. Huic contractui, qui eſt aſſecurationis, ſuperadditur tertius, qui eſt venditionis lucri incerti majoris pro certo minori; & propterea Petrus cedit Paulo aureos quindecim, ut Paulus det Petro certo & ſecure, quovis caſu interveniente proſpero, vel adverſo, decem aureos ſingulis annis: unde Paulus remaneat cum lucro nonaginta incertorum; & Petrus cum lucro certo decem aureorum & aſſecuratione capitalis. An hic contractus ſit licitus, ſive celebrentur tres illi contractus ſimul, ſive ſucceſſive, & ſucceſſu temporis cum ſocio? Exponitur caſus trium contractuum.

II. Hic contractus cum ſocio, aut ſociis initus ſive ſimul, ſive ſucceſſive, eſt illicitus, & uſura palliata ſub pallio dictorum contractuum. Ita definivit Sixtus V. in Bulla *Deteſtabilis* anni 1586., qui requiſitus a Navarro, ut hanc quæſtionem, quam cum Dominico Soto exagitabat, dirimeret: *optabat enim Navarrus*, verba ſunt Doctiſſimi Azorii p. 3. lib. 19. c. 3. *ut Pontifex declararet, pactum tale in ſocietate licitum eſſe; at contrarium Pontifex declaravit, & definivit*: en verba Reſolvitur & probatur auctoritate S. Sedis.

ba Bullæ. *Damnamus, & reprobamus omnes quoſcunque contractus, & conventiones, & pactiones poſthac ineundos, ſive ineundas, per quos, ſeu per quas cavebitur perſonis, pecunias, animalia, aut quaslibet alias res Societatis nomine tradentibus, ut etiam ſi fortuito caſu quamlibet jacturam, damnum, aut amiſſionem ſequi contingat, ſors ipſa, ſeu capitale ſemper ſalvum ſit, & integrum a ſocio recipiente reſtituatur; ſive ut de certa quantitate, vel ſumma in ſingulos annos aut menſes, durante ſocietate reſpondeatur: ſtatuimuſque hujuſmodi contractus, conventiones, pactiones uſurarias, & illicitas poſthac cenſeri debere, atque in poſterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in ſocietatem tradent, de certo lucro, ut refertur, percipiendo inter ſe paciſci, & concordare: neque etiam ſive ad certum, ſive ad incertum lucrum convenerint, ſocios, qui ea recipient, ad ſortem, ſeu capitale ſalvam, & integrum, ubi illud caſu fortuito perierit, vel amiſſum erit, reddendum, quovis pacto, aut promiſſione ſe obligare: ac ne de cætero ſocietates ineantur ſub hujuſmodi pactis, & conditionibus, quæ uſurariam pravitatem ſapiunt, diſtricte interdicimus, & prohibemus.* Quid ad hæc reſponderi poteſt? numquid illud, quod ab aliquibus dicitur, nempe reprobaſſe Pontificem ſocietatem, cui ex vi ſolius ſocietatis alia pacta accedunt; non autem quando accedunt per modum duorum novorum contractuum? At id eſt ludere; quandoquidem reprobavit, quod aſſerebatur a Navarro; ab iſto autem aſſerebatur ſocietas adjuncta illis pactis, ceu novis contractibus, ut videri poteſt in ſuo Commentario de uſuris addito Manuali, ubi de hoc diffuſe diſſerit; nec non in Manuali cap. 17. n. 253. Neque melior eſt reſponſio aliorum dicentium, Sixtum reprobaſſe pro foro exteriori, & non pro foro conſcientiæ: ſufficit enim legere tenorem verborum Bullæ relatorum, atque in primis, quæ præcedunt relata, dicens, quod hic contrahendi modus ſit *chriſtianæ charitati* repugnans; & ideo, *ut gregem Domini ab omni offenſione, & vitæ æternæ diſcrimine tutum dirigere nitatur* &c. Et hæc non ſignificant obligationem in conſcientia?

Probatur auctoritatibus S. Thomæ.

III. Idem docet S. Thomas 2. 2. q. 78., a. 2., ad 5. *Ille, qui committit pecuniam ſuam vel mercatori, vel artifici per modum ſocietatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ in illum, ſed remanet ejus, ita ut cum periculo ipſius, mercator de ea negotietur, vel artifex operetur. Et ideo ſic licite poteſt partem lucri inde provenientis expetere, tanquam de re ſua:* Quæ verba protulit S. Doctor, ut ſolveret objectum ſibi factum de mutuo, ex quo nil recipi poteſt: *quia ille, qui mutuat pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum, cui mutuat; unde ille, cui pecunia mutuatur,* (nota bene) *ſub ſuo periculo tenet eam, & tenetur eam reſtituere integre: unde non debet amplius exigere ille, qui mutuavit.* En igitur quomodo S. Doctor totam rationem, cur in mutuo nil recipi debet ſupra ſortem, bene vero in ſocietate, in eo conſtituit, quod in ſocietate periculum ſortis remanet ponenti illam, non vero in mutuo; in quo illius periculum remanet mutuatario. Igitur quoties in ſocietate accedat aſſecuratio ſortis, ſtatim ceſſabit juſtus titulus aliquid recipiendi ſupra ſortem.

Probatur aliorum Sanctorum Doctorum auctoritate.

IV. Probatur auctoritate S. Bonaventuræ tom. 2. Opuſc. cap. 2. opuſculi, quod inſcribitur opuſculum animæ: *Item uſura eſt, cum quis aliquid commune habet cum aliquo,* (en ſocietas) *quidquid ſit illud, & periculum, & damnum non eſt commune:* atqui aſſecurata ſorte, damnum non eſt commune, ut patet; igitur &c. Idem docet S. Antoninus part. 2., tit. 1., cap. 7. §. 37. *Quæritur an dans pecuniam mercatori ad mercandum, ... cum pacto, vel etiam ſine pacto, ſed cum hac intentione principali, quod Capitale ſit ſalvum, & partem lucri habeat, numquid talis eſt uſurarius?* Reſpondet: *in aliis contractibus valet pactum appoſitum, præter naturam contractus, ut damnum ſpectet ad ſuſcipientem, ut in commodato, & ſimilibus. Contrarium tamen dicendum in ſocietate, cum ſit contra ejus naturam: .... unde ſequitur, quod tale pactum non ſit præter, ſed contra naturam contractus ſocietatis: unde non valet.* Similiter S. Bernardinus Senenſis par. 2., ſerm. 39. a. 1., cap. 1. *Primus caſus eſt, ſi quis mercatori navigaturo per mare tradat centum ducatos ſic, quod ſi navis cum capitali periclitet, non teneatur ſibi reddere capitale; ſi tamen in mercando amiſerit, ſemper ſibi totum capitale reddat; & ſi lucratus fuerit habeat partem lucri; hæc eſt uſura.* Si igitur S. Doctor inter uſuras rejicit pactum aſſecurationis ſortis non pro omni caſu etiam fortuito, ſed pro ſolo mercaturæ tempore; quanto magis eam condemnabit, ſi pro omni ca-

fit aſſecuratio cum lucro expectaretur? Immo ipſe Sanctus reputat uſuram, percipere lucrum cum tali aſſecuratione, etiam in caſu, quo mercator lucretur; quanto magis eam reprobaſſet, ſi lucrum reciperetur, etiam mercatore non lucrante? Similiter cenſuit S. Carolus Borromæus cum ſuo Concilio I. Mediolanen. anni 1565. capite de uſuris: *Nec in ſocietate, in qua alter pecuniam, alter operas confert, lucri diſtributio conſtituitur, niſi per quotas, nec ultra eas certa pecuniarum ſumma, vel quid aliud perſolventi ſummam perſolvatur: neque fiat pactio, ut ſors ſalva ſit, fructus vero communiter dividantur. In ſocietate animalium, quæ inæſtimata alicui dantur ad cuſtodiam, ſive ut operas præſtet; omnes caſus etiam fortuiti ſemper ſint periculo ejus, qui dederit; niſi id alterius ſocii dolo, vel magna negligentia accidiſſe conſtiterit; nec fiat pactum, ut ſors ſit ſemper ſalva; etiam ex primis fœtibus. Si autem animalia dentur æſtimata, ita ut ſors danti ſalva ſit, nihil omnino percipi poteſt.* Quid luculentius, & magis decretorium deſiderari poteſt contra aſſecurationem ſortis cum portione qualibet lucri? Demum, aliis auctoritatibus prætermiſſis, audiatur Univerſitas Pariſienſis cæterarum mater, & quamplurimis Doctoribus auctoritate æquivalens. Hæc anno 1664. theſim, quæ docebat: *Si contractui Societatis adjungatur contractus aſſecurationis capitalis; ac venditionis lucri incerti pro certo, virtute trium horum contractuum licitum eſt exigere lucrum certum cum aſſecuratione capitalis*: contra iſtam theſim his notis animadvertit: *Falſa eſt, ſcandaloſa, inducens ad uſuras committendas, variaque aperit artes eas palliandi, juſtitiam, & charitatem violandi, & a Sacra Facultate jam damnata.* Nil clarius.

Probatur ratione. V. Prima ratio a laudatis auctoritatibus indicata illa eſt, quod præfatis contrahendi modis deſtruitur contractus ſocietatis, & reſolvitur in merum lucrum fœneratitium. Nam ſocietas ex natura ſua eſt communio proportionalis quoad lucra, & incommoda; atqui dictus contrahendi modus omnino tollit hanc communionem, etenim v. g. Petro conferenti capitale mille, & aſſecuratio de ſuo capitali per ceſſionem portionis lucri, & deinde vendenti lucrum incertum majus pro certo minori, reſultant quinque pro centum; ideſt quinquaginta annuatim certa, & ſecura, etiamſi totum abſque ulla culpa ſociorum pereat: in hoc caſu ubi ſocietas? Qualis poteſt eſſe ſocietas, ubi unus ſociorum, nedum nullum patitur incommodum, ſed reportat lucrum certum; dum alter ſocius nedum nullum habet lucrum, ſed fit obnoxius toti damno?

Reſponſio diſſolvitur. VI. Ajunt, quod quamvis ex vi ſocietatis deberet ſocius ſentire partem incommodi, eximitur ex vi duorum contractuum accedentium. Verum ad quid ſocietatem inire, ſi aſtruatur, ſtatim deſtruenda, & inducantur duo alii contractus, qui eumdem effectum habent, quem habet uſura ab omnibus Catholicis reprobata? Quia in hujuſmodi ludo contractuum non animadvertas patentem Societatis abuſum, ut obtineatur lucrum fœneratitium? Concedo, quod totum incommodum in alterum ſocium devolvatur ex vi duorum contractuum ſuperadditorum; & propterea dico, quod illicite eos ſuperaddis primo contractui, quo dumtaxat uteris, ut pares tibi lucrum fœneratitium. Cur contractibus ſuperadditis deſtruis contractum illum, qui baſis eſſe debet lucri a te reportandi? Si igitur contractus ille jam evanuit, quo titulo juſte lucraberis ex inita ſocietate? lucraberis ex contractu, qui amplius non extat.

Explicatur magis ratio poſita. VII. Explicatur magis: in tantum ex mero mutuo nil lucrari licitum eſt, quia pecunia de ſe eſt infœcunda, & ſterilis, nec redditur fructifera, niſi ex adjuncta induſtria, & opera negotiatoris: proinde ut ei, qui illam ſua induſtria non negotiatur, juſtus titulus lucrandi aliquid accedat ex ipſa, non alius eſſe poteſt, ut audivimus ex S. Thoma, niſi periculum illam amittendi, cui ſe exponit, quod periculum eſt pretio æſtimabile: atqui, aſſecurato capitali, ſubmovetur omne periculum; igitur ceſſat ipſi conferenti omnis titulus juſti lucri: cum enim ipſe induſtria ſua non ſit illam negotiaturus, iniquum eſt, ut ipſe lucrum reportet ex induſtria aliena: ut ergo ex eadem lucrum juſte reportet, ipſe nil aliud conferre poteſt, niſi periculum pecuniæ ſuæ, ut conferat aliquid pretio æſtimabile: atqui, aſſecurata pecunia ſibi infallibiliter reſtituenda, nil pretio æſtimabile confert; igitur injuſte lucratur. Neque dicas, ipſum conferre pecuniam; nam pecunia modo data nil pluris valet, pecunia æquivalente poſt annum recipienda; ut igitur pluris valeat, debet illam conferens ex parte ſua conferre periculum amiſſionis;

quod.

quod niſi conferat, injuſte ex eadem lucratur.

Reſolvitur objectio. VIII. Objicies: ſi tres dicti contractus celebrentur cum tribus diſtinctis perſonis non ſociis, ſunt liciti; ergo etiam cum ſociis celebrati: nam utrobique ſervatur æqualitas inter datum, & acceptum. Etenim & aſſecuratio capitalis, & venditio lucri incerti pro certo compenſantur ceſſione proportionata fructuum ex ſocietate ſperatorum, ſicut fit, ſi celebretur cum non ſociis. Reſpondetur concedendo, quod dicti contractus celebrati cum non ſocio ſint liciti, quia revera ſervatur æqualitas; quæ nullo modo ſervatur, ſi celebrentur cum ſocio. Quænam enim æqualitas verificari unquam poterit, ſi alter contrahentium totum damnum ſubeat, nedum operarum & induſtriæ perditarum, verum etiam novo oneri obnoxius fiat, reponendi integrum capitale; & alter nullum damnum ſubeat, & inſuper etiam lucrum reportet, & quod horribilius eſt, quod reportet lucrum, & nullum ſubeat damnum titulo fundato in contractu, qui non extat, ſed eſt deſtructus a pactionibus adjectis? Propterea manifeſte apparet injuria ſocio illata, qui eſt ſocius ſolius nominis, & revera mutuatarius, uſura injuſta ſub ſpecioſo pallio occultata gravatus. Non ita, dum contractus illi celebrantur cum tribus non ſociis; quandoquidem nemini illorum irrogatur injuria, dum reapſe ſervatur æqualitas inter datum, & acceptum: & quamvis tandem contrahens cum illis reportet certum lucrum abſque ullo periculo, id eſt fructus ſolertiæ ſuæ, nemini injurioſæ, neque enim ex tali lucro ullus gravatur.

Quæſitum incidens. IX. Interrogabis, an conferens capitale, & eo relicto periculis expoſito, poſſit ſaltem paciſci de lucro determinato, & certo minori, pro incerto majori; ſi tamen capitale inculpate pereat, nihil recipere debeat? Salvo meliori judicio, putarem nil injuſtum inveniri in hoc contractu: Eſt enim veluti quædam ſponſio, cui uterque contrahens ſe committit, vel longe plus incerte lucrandi, ex una parte; vel ſi lucretur longe minus, tribuendi plus, quam teneretur, ex altera. Unde perpenſis circumſtantiis periculorum, difficultatum, itinerum &c., & ſumma, quæ certo obligatur, & facta judicio prudentum æqualitate, nil video juſtitiæ adverſari *

* S. P. Benedictus XIV, *de Synod. Diœc. lib. 10. cap. 7.* relatis duabus inter ſe oppoſitis Theologorum opinionibus circa contractum trium contractuum, atque ob oculos poſitis argumentis, queis unaquæque illarum nititur, ſic tandem concludit *num. 6.* Hæc ſunt præcipua rationum momenta, quæ in utramque partem adducuntur, neque Apoſtolica Sedes priori opinioni (quæ videlicet dictum trinum contractum ab omni uſuræ reatu abſolvit) etſi minus congruere videatur Sixtinæ Conſtitutioni, ullam hactenus cenſuram inuſſit, a qua proinde etiam infligenda debet Epiſcopus abſtinere: ad uſum vero quod attinet, tuto poterit contractum trinum, quem etiam ejuſdem patroni periculoſum fatentur, pro viribus impedire, atque ab eo ineundo ſuos ſubditos dehortari, quod a plerique Epiſcopis in ſuis Diœceſanis Synodis ſapientiſſime factum referunt Genettus *tom. 1. tract. 4. cap. 14.* & Natalis Alexander *epiſt. 94. in Appendic. ad tom. 2. ſuæ Theolog. moral.*

CAPUT VI.

DE CONTRACTU CAMBII.

§. I. *De Natura, Diviſione, & Juſtitia Cambii.*

1. Cambium eſt contractus, in quo pecunia pro pecunia commutatur, cum lucro moderato Campſoris: Campſor dicitur, qui dat pecuniam petitam; qui vero petitam recipit, Campſarius nuncupatur. Cambium duplex eſt, nempe Reale, ſeu verum; & Siccum, ſeu fictum. Reale, ſeu verum eſt vera & realis permutatio pecuniæ cum pecunia, æqualitate ſervata inter datum, & acceptum; puta monetarum aurearum cum argenteis, & infra; præſentium cum abſentibus; unde juſtus adeſt titulus lucri moderati, & taxati aut a lege, aut a conſuetudine approbata, aut peritorum judicio. Siccum, ſeu fictum eſt, quando datur quidem pecunia pro pecunia, ſed abſque ulla rei alteratione, loci, aut circumſtantiarum; eapropter deeſt juſtus titulus moderati illius lu- Cambii notio. Cambii diviſio in Reale, & Siccum.

Digitized by Google

lucri; & idcirco dicitur Siccum, quippe quod careat humore fructum afferendi; & in re eſt merum mutuum uſurarium ſub pallio cambii, reprobatum a S. Pio V. in Bulla edita Kalend. Februar. anno 1571.

Reprobatur Siccum.

Damnamus eo omnia cambia, quæ ſicca nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, ſeu ad alia loca cambia celebrare ſimulent, ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, literas quidem ſuas cambii tradunt, ſed non mittuntur; vel ita mittuntur, ut tranſacto tempore unde proceſſerant, inanes referantur: aut etiam nullis hujuſmodi literis traditis, pecunia ibi denique cum intereſſe recipitur, ubi contractus fuerat celebratus. Nam inter dantes, & recipientes uſque a principio ita convenerat, vel certe talis intentio erat; neque quiſquam eſt, qui in nundinis, aut locis ſupradictis, hujuſmodi literis receptis, ſolutionem faciat. Cui malo ſimile etiam illud eſt, cum pecuniæ, ſive depoſiti, ſive alio nomine ficti cambii traduntur, ut poſtea in eodem loco, vel alibi cum lucro reſtituantur. Sed & in ipſis cambiis, quæ realia appellantur, interdum (ut ad nos perfertur) emptores præſtitutum ſolutionis terminum, lucro ex tacita, vel expreſſa conditione recepto, ſeu etiam tantummodo promiſſo, differunt. Quæ omnia nos uſuraria eſſe declaramus, & ne fiant diſtrictius prohibemus.

Cambium Reale in Manuale, & Locale.

II. Cambium reale ſeu verum dividitur in manuale ſeu minutum, & in locale ſeu per literas: Manuale eſt, quando pecunia unius moduli permutatur cum alia alterius materiæ, ſeu moduli; puta aurea pro argentea; Veneta pro Auſtriaca &c., & ideo vocatur manuale, quia fit de manu ad manum, atque in eodem loco, & tempore conſummari ſolet: vocatur autem minutum, quia plerumque minutæ monetæ cum majoribus permutantur, aut e contra. Cambium Locale ſeu per literas illud eſt, in quo pecunia præſens cum abſente permutatur: & hoc duobus modis evenire poteſt: primo, ita ut campſor hic Venetiis pecunias recipiat, tantumdem erogaturus Campſario Romæ per ſuum correſpondentem, & negotiorum geſtorem: & hoc vocatur cambium ad locum: ſecundo modo, ut Campſor pecuniam hic Venetiis eroget, tantundem recepturus per correſpondentem Romæ; & hoc vocatur cambium in loco: utrumque autem merito dicitur cambium per literas, quia epiſtolarum interventu correſpondenti committitur, ut, illis viſis, pecuniam eroget, vel recipiat. His accedere poteſt cambium mixtum, quando & pecunia unius ſpeciei ſive moduli commutatur cum altera diverſa, & ſimul erogatur vel recipitur in uno loco, poſtea recipienda, vel eroganda in alio.

Ex cambio reali & vero recipitur lucrum.

III. Ex cambio reali & vero licitum eſt recipere lucrum ſive ex lege, ſive ex approbata conſuetudine, ſive peritorum judicio taxatum: quia qui Campſoris munus obire vult, multa pretio æſtimabilia ſubire debet; & primo quidem pro cambio tam manuali, quam locali conſervare debet multas diverſi generis, moduli, ſpeciei, & diverſarum regionum monetas; & hinc variis ſe periculis exponat neceſſe eſt, tum mutationis valoris monetarum, tum infidelitatis miniſtrorum, aut correſpondentium; tum ceſſationis lucrorum; tum eventus variorum damnorum. Præterea Campſores in gratiam Campſariorum ſe privant utilitate, & quantitate talium monetarum, quibus alioquin non ſe privarent: quamvis enim moneta, ut pretium eſt, habeat ſuum valorem indiviſibilem a lege taxatum; tamen ut quoddam metallum eſt, vel ut eſt res facilior, & commodior ad permutationes, alterationem valoris pati poteſt; ita ut, quæ purior eſt, quæ metalli ad medicamenta utilioris, quæ moduli pulchrioris, quæ antiquior, quæ per omnes ferme regiones currit, augmentum valoris admittit apud prudentes. Tandem Campſores ut publico commodo & privato Campſariorum præſto ſint, plures expenſas facere compelluntur, & præcipue in cambio locali, videlicet expenſas penſionum, & ſalariorum miniſtris erogandorum; trajectionis ſive formalis, ſive virtualis monetarum in varias regiones; penſionum locatitiarum domorum, quas inhabitant miniſtri; &c., quæ omnia Campſores ſubeunt in gratiam civilis, & publici commercii, & in commodum Campſariorum; ob quæ juſtum merentur lucrum propter munus publico bono adeo neceſſarium: grande enim commodum negotiationibus commerciiſque eſt, invenire ſecure pecuniam in variis regionibus, qua negotiatores uti poſſint, remoto omni periculo itinerum, furtorum &c., cui alioquin indiſpenſabiliter eſſent obnoxii, ut tenet communis & probabilior cum Cajetano, Sylveſtro, Prado, Salonio &c.

IV. Ut igitur Campſor juſte lucretur, caveat, ut abſit omnis fraus, & dolus, ne cambium ſit apparenter duntaxat reale, & revera ſit ſiccum. Caveat, ne lucrum

crum

Digitized by Google

crum reportetur ex mera temporis dilatione ad ſolvendum, ita ut pro hac dilatione quid amplius exigatur, quod eſſet manifeſte uſurarium, ut vidimus ex Bulla S. Pii. Excipe tamen, niſi ob talem dilationem revera lucrum ceſſaret, aut damnum emergeret campſori, de quo antea monendus eſſet campſarius, ut poſſet paciſci, aut recedere a cambio. Caveat denium, ne lucrum excedat limites a lege, aut conſuetudine, aut peritorum judicio præſcriptos.

§. II. *De Cambio Manuali, ſeu Minuto.*

Quando poſſit reportari lucrum ſolvendo moneta preſioſiori? I. IN caſu quo emptor ſeu debitor non teneatur ſolvere in determinata pecuniæ ſpecie, ſed poſſit ſolvere qua moneta libuerit; & a creditore flagitetur, ut ſibi ſolvat tali determinata ſpecie pecuniæ pretioſioris, puta aureæ; ſi id revera exequatur debitor, ut mere gratificetur creditori, & ſe privet ea moneta commodiori abſque ullo penitus ſui incommodo, omnique detrimento, non apparet motivum, unde poſſit lucrum aliquod reportare: e contra poſſet utique, ſi iter facturus, moneta commodiori ſe privaret, aut eo auctario, quod italice dici ſolet *aggio*; tunc namque adeſſet verum motivum aliquod utile inde habendi ex conventione cum creditore. Quando autem legalis valor monetæ minor eſt, quam valor ejuſdem intrinſecus in ratione metalli, & creditor obſtringat debitorem, ut in illa moneta, puta aurea ſibi ſatisfaciat, qua alioquin non ſatisfaceret, ſed altera; & creditor ſe ſubjiciat ad illam recipiendam in eſſe metalli, & ſecundum ſuum valorem intrinſecum legali majorem, non apparet unde accuſandus ſit debitor, ſi illud auctarium admittat ſupra valorem legalem, correſpondens entitati metalli aurei; quia tunc moneta illa non tam habet rationem monetæ, quam mercis, qua merce ſolvitur alia merx a venditore accepta, & evadit contractus permutationis unius mercis cum alia.

Solvitur Caſus. II. Quando moneta purior in eſſe metalli, & impurior habet eundem valorem legalem, probabilius videtur, cum Bannez, & Conrado, & Lugone, quod poſſit permutari una cum alia; eo quia ſunt æquales in valore legali: neque poteſt obligare debitor creditorem, ut ſolvendo moneta puriori, illam recipiat ſub majori valore, quam ſit valor legalis, nec proinde ut minorem monetarum numerum accipiat: ſicuti etiam ſolvendo moneta puriori, non poteſt exigere majorem tritici menſuram: ita ſimiliter ſi permutetur moneta impurior cum puriori, poterit licite una pro alia recipi juxta valorem legalem nullo auctario ſuperaddito. In uno duntaxat caſu probabiliorem putarem contrariam Soto opinionem, nempe quando fraudulentus animus accedat, dum aliquis data opera inquireret monetas impuras, & eas cum purioribus permutaret eo fine, ut conſervata purarum multitudine, illas funderet, & admixta deinde materia impurarum, maſſam illam in novas monetas impuras, & quidem in majori numero, obtenta facultate a publicis miniſtris, faceret ſibi cudere: hoc namque ſe gerendi modo illicito noceret ſtatui ſui Principis, & publicæ utilitati inſidiaretur, cui plurimum prodeſt habere monetas puras, ad varios uſus publico commodo deſervire valentes.

III. Si famulus, aut alius miniſter monetas aureas ſibi ab hero ſuo traditas creditori ſuo conſignandas, in alias minutiores permutet, (quæ nullum auctarium efficiunt, ſicut efficiunt illæ) ſi prudenter conjectet voluntatem ſui heri eſſe, ut illas in ſpecie creditori conſignet, procul dubio injuſte agit, privando creditorem auctario illo. E contra ſi argumentis non fallacibus, ſed moraliter certis agnoſcat, ſibi ab hero hanc permiſſionem concedi, injuſte non aget. Si demum dubitet de intentione heri, probabilius eſt, quod teneatur monetas illas in ſpecie creditori deferre. Cum enim herus debitor ſciat auctarium eſſe allaturas, & illas nihilominus creditori tranſmittat, eo ipſo implicite vult auctarium ad creditorem pertinere, quandoquidem ſtatim ac exierunt de ſua manu, ſtatim, inquam, ad creditorem pertinent, tamquam ad habentem jus ad illas. Quinimmo debitor forte mittit pecunias illas, ut ſe magis gratum reddat creditori; ut compenſet dilationem aliquam &c.. Cum igitur famulus faciliime poſſit ab hero licentiam petere, monetas illas permutandi, & non petat; eo ipſo vult ſe committere periculo injuſte agendi in præjudicium creditoris. Caſus alter.

IV. An lucrum reportare ex cambio conveniat ſolis campſoribus ex officio, an vero etiam particularibus perſonis; negat Cajetanus in ſuo de Cambiis opuſculo; Caſus alter.

concedit Sotus lib. 6. q. 9., a. unic. Ratio Cajetani, quia de ſolis campſoribus ex officio verificantur motiva ſuperius allata, quibus juſtum redditur lucrum ex cambio; hæc mihi probabilior.

§. III. *De Cambio Locali ſeu per Litteras.*

Explicatur lucrum a campſore reportandum in valore inæquali monetæ.

I. QUando pecunia pluris valet, ubi campſori datur, quam in loco, ubi ab ipſo reſtituitur campſario, tunc ſi lucrum, quod reportat campſor ob hunc diverſum valorem, coæquet lucrum, quod ſibi debetur titulo cambii & ex vi officii ſui, debet eſſe contentus hoc lucro, nec poteſt aliud lucrum recipere ex vi muneris ſui, ac ſi pecunia utrobique eumdem valorem haberet; quia jam habet lucrum ſuum; & ſi quid ultra expetit, exorbitat a juſtitia. Et hinc, ſi lucrum ex monetis eſſet majus; quam illud, quod ſibi deberetur ex titulo cambii, & muneris ſui; teneretur hunc exceſſum reſtituere, ne a juſta taxa recederet. Si autem lucrum illud eſſet inferius eo, quod ſibi ex officio deberetur, id ſupplendum eſſet; quia ſibi debetur uſque ad menſuram taxatam. Quod ſi pecunia pluris valeat, ubi a campſore reddenda eſt campſario, quam ubi ab ipſo campſore recipitur, tunc juxta Cajetanum, Bannez, Navarrum citatos a Lugo Diſp. 28., ſect. 5. n. 37., quibus ſubſcribit etiam Henricus a S. Ignatio Lib. 9., cap. 89. n. 948., præter lucrum, quod ſibi debetur titulo cambii taxatum, poterit aliquid amplius a campſario exigere: quia ſi jam lucrum taxatum ſibi debetur, quando utrobique idem eſt valor, cur amplius exigere non poterit, quando monetas erogare debet, ubi pluris valent, cum ipſe receperit, ubi valent minoris? Præterea campſor aſſecurat pecuniam, ubi pluris valet: quis autem ambigere poterit, quod aſſecuratio eo majori pretio digna ſit, quo majoris valoris eſt res aſſecurata, cum majori periculo aſſecurator ſe exponat?

Caſus frequens reſolvitur.

II. Dubitatur, an quando campſor indiget pecunia in eo loco, in quo eſt ipſi ſolvenda, poſſit lucrum taxatum recipere? Reſpondendum videtur aliquibus cum Soto lib. 6. q. 10. a. 1. circa medium, quod ſi v. g. campſor venetus pecunia indigens Romæ, præveniat alterum alioquin indigentem pecunia Venetiis, non poſſit lucrum accipere; quia cambium fit in ipſius gratiam, ipſoque cambium promovente: unde evadit potius campſarius, quam campſor. Secus dicendum ſi præveniatur ab altero ob eamdem rationem. Verum probabilior ea opinio mihi eſt, quod in hoc caſu neuter lucrari debeat; ſed cambium cambio reciproce compenſandum; aliter etiamſi alter præveniatur, reapſe caret titulo lucrandi, cum in eo loco pecunia careat.

Alter caſus frequens reſolvitur.

III. Si Petrus campſarius petat Venetiis a Paulo campſore, ut ſequenti menſe ſibi numerare faciat Pariſiis mille aureos, quos ipſe Petrus de more ſtatim numerat Paulo Venetiis, & Paulus reſpondeat, ſe non poſſe, niſi poſt tres menſes dictam ſummam Pariſiis numerandam habere: Petrus occaſionem nactus, petit a Paulo, (in cujus dedecus reſultaret publicatio hujus rei) ut propter tam longam temporis dilationem ſibi remittat lucrum, quod alioquin ipſi deberetur: Petrus uſuram committit, quia propter ſolam temporis dilationem exigit & conſequitur quid pretio æſtimabile, nempe erogationem penſionis Paulo juſte erogandæ titulo cambii ſui; quinimmo etiamſi Paulus, timens ne a Petro publicetur hoc factum, ſponte remitteret eidem erogationem dictæ penſionis hoc pacto, ut ſilentio celet illud, non poſſet Petrus retinere remiſſa; quia jam præcepto naturali ad ſilentium obſtringitur; & proinde non poteſt pretium accipere pro actione, quam in conſcientia præſtare tenetur; eo vel magis quia remiſſio illa eſt mixta involuntario, & idcirco a Petro injuſte retineretur.

Caſus alter.

IV. Si campſori, eo quod campſarius non ſolverit, quando tenebatur, ceſſet lucrum, quod certo reportaret, cambiendo certo eam pecuniam aliis campſariis, & moneat opportuno tempore campſarium moroſum in ſolvendo; poteſt recambium inſtituere, & pecuniam, quam campſarius non ſolvit, eidem relinquere, ac ſi ibidem de novo vel a ſe, vel a ſuo procuratore campſarius accepiſſet; & recipere pro ea novum lucrum cambiale. Ratio patet ex dictis in tract. 9. cap. 5., §., 9., circa debitorem moroſum in reſtituendo cum damno creditoris. Putarem tamen, melius eſſe, quod convenirent de pœna pecuniaria ſolvenda in caſu moræ culpabilis.

Quid Campſor prudenter dubitans de fidelitate campſarii?

V. Poteſt campſor, quando prudenter dubitat de fidelitate campſarii, exigere pro pecunia erogata fidejuſſionem, vel pignus ad ſe indemnem ſervandum. Immo ſi nec poſſit habere fidejuſſionem, nec pignus, poteſt proportionabiliter augere lucrum

cam-

Digitized by Google

cambiale, ſicuti diximus in cap. 4. §. 2., quod poſſit mutuans, ob periculum extrinſecum ſortis, aliquid exigere; cum hujuſmodi pericula ſint revera pretio æſtimabilia. Hæc autem poſſunt eſſe vera, ubi Bulla S. Pii non eſt acceptata, & attento jure naturali: ubi enim eſt acceptata, hujuſmodi pactiones interdicuntur ab eadem Bulla, in qua dicitur: *ne deinceps quiſquam audeat ſive a principio, ſive alias; certum & determinatum intereſſe etiam in caſu non ſolutionis paciſci.* Unde excepto dumtaxat emolumento cambiali taxato, de nullo alio lucro ex quavis cauſa paciſci licitum eſt; propterea neque de damno emergente, & lucro ceſſante campſoris. De quo tamen admonendus eſt campſarius, quod ſi eveniat, tenebitur; ceterum ſi nullum eveniat, nihil aliud expetendum; ſi modicum, modicum; ſi multum, multum: & ut brevius dicam, illud dumtaxat, quod reapſe eveniet. Lucrum tamen cambiale ex vi officii ſui ſemper ei debetur juxta ſuperius dicta.

Caſus alter.

VI. Quando æqualiter incertum eſt, monetas aut minuendas, aut augendas, (cum rariſſime eveniat imminutio, ſæpe vero augmentum) non videtur Soto lib. 6., q. 12., a. 4., cum quo plures alii, illicitum cambium ad incertam ſolutionem quantitatis: puta dum campſor Venetiis numerat campſario mille aureos, quorum ſinguli valent libras nummarias viginti, a campſario reddendas Romæ hoc pacto, quod totidem reddat in ſpecie ſive creverint in valore, ſive decreverint: quia in hypotheſi æqualis omnino incertitudinis, & probabilitatis, uterque ſe exponit æquali periculo, & eſt quædam ſpecies ludi.

Explicantur Bullæ verba reſpectu Nundinarum.

VII. Cum Bulla S. Pii dicat: *neque realia cambia aliter, quam pro primis nundinis, ubi illa celebrantur, pro primis terminis, juxta receptum locorum uſum exercere; abuſu illo prorſus rejecto, cambia pro ſecundis, & deinceps nundinis ſine termino exercendi.* Nota cum auctoribus, quod primarum nundinarum nomine illæ intelliguntur, ad quas literæ cambiales poſſint pervenire, & non illæ, quæ celebrantur, antequam literæ pervenire queant. Nota inſuper, Pontificiam juſſionem afficere ſolum campſorem, eo quod ipſi ſoli immineat periculum uſuræ; & propterea ſi campſarius det pecuniam Venetiis, eam recepturus Mediolani, & petat a campſore, ut pecunias numeret in ſecundis, aut tertiis nundinis, dummodo lucrum pro primis nundinis conſuetum campſor non augeat, nil illicitum invenitur. Advertere tamen debet campſarius, ut in hoc caſu ſolvat campſori totum, & integrum lucrum cambiale, quod ſolveret ad primas nundinas; quia ſi totum non ſolveret, ipſe campſarius uſuram committeret; eo quod ex dilatione temporis, pro ſolutione cambii ſibi a campſore concedenda, lucrum aliquod reportaret, nempe haberet translationem pecuniæ de loco ad locum cum remiſſione pretii legalis cambialis, quod alioquin campſori debetur. Niſi ergo campſor id omnino ſponte concederet ut donatum, a campſario injuſte exigeretur. Nota tertio, quod ſi pretium, ſeu lucrum primi cambii ſit a lege, vel conſuetudine taxatum, illudque non augeatur, nil mali apparet, ſi campſor, volente, & petente campſario, det ad ſecundas, & tertias nundinas; tunc enim ceſſat omne periculum fœnoris. Si vero pretium cambii pro primis nundinis non ſit taxatum a lege, vel conſuetudine, periculum ſubeſt ut augeatur ob dilationem ad ſecundas, vel tertias nundinas, & maxime ſi dilatio petatur a campſario; & proinde eſt Bullæ obtemperandum.

Explicantur verba Bullæ circa terminos ſolutionum.

VIII. Monet S. Pius: *Curandum autem erit in terminis, ut ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur, ne dum longiores præfiguntur, quam loca deſtinata deſiderent, fœnerandi detur occaſio.* His verbis juxta communiorem, & probabiliorem interpretationem; vult S. Pontifex, ut ratio habeatur ad terminos, qui præſcribi ſolent ad ſolvendum cambium, attenta longinquitate locorum, ita ut terminus præſcriptus talis ſit, qui ſufficiat, ut literæ perveniant, & cambium ſolvi poſſit; ne, dum longiores termini præfiguntur, quam æqua ratio poſtulet, & loca deſtinata deſiderent, ob diuturniorem ſolutionis expectationem plus lucri exigatur, & fœnus incurratur: Nam pretium cambiale plerumque non deſumitur ex diſtantia loci, ſed præcipue ex facilitate majori, vel minori trajiciendi pecuniam: unde quamvis locus ſit longinquior, ſi frequens ibi vigeat commercium, minus cambium ſolvitur, quam pro loco viciniori, in quo aut nulla aut rara eſt occaſio trajiciendi pecuniam; quia vel omni caret, vel tenuiſſimo gaudet cum aliis locis commercio.

Explican-

IX. Denique notanda ſunt verba Bullæ di-

ſtur verba Bullæ circa congregationem pecuniæ.

dicentis: *eos qui conſpirationes fecerint, vel congeſtam undique pecuniam iſta ad ſe redegerint, ut quaſi Monopolium facere videantur, pœnis, quæ a jure conſtitutæ ſunt teneri*. Quid ſit Monopolium, dicetur ſuo loco, dum de contractu emptionis, & venditionis ſermo inſtituetur, nempe cap.8., §. 5. Pro præſenti materia monopolium contingit, quando campſor, vel campſores aliqui ita conveniunt, ut ad ſe ſolos pecuniam campſariam trahant & colligant, ut omnes cogantur cambia petere ab ipſis ſolis. Dicitur autem quaſi monopolium, non quia malitia monopolii careat, ſed quia monopolium proprie exercetur circa emenda, & vendenda. Qui igitur monopolium in pecunia campſaria dicto modo coercervant, ut deinde quo pretio voluerint, cambia augeant, incidunt in pœnas contra exercentes monopolia conſtitutas, & tenentur ad reſtitutionem lucri injuſte aucti. Quod ſi nulla inteceſſerit conſpiratio campſorum, pœnæ non videntur incurri, quamvis ſi juſtum lucrum ſibi augeant, ad reſtitutionem teneantur. Quemadmodum injuſte ageret, & reſtitutioni obnoxius fieret, qui, fingens ſe magnam pecuniæ copiam in nundinis tenere, eſſet cauſa, ut alii campſores territi offerant ſua cambia pretio minori; & fraudulentus arripit occaſionem ex hoc ſuo dolo accipiendi cambia, quibus ille alioquin indiget, tali viliori pretio, cum damno aliorum campſorum: hic, inquam, injuſtus deceptor peccat contra juſtitiam, & tenetur de damnis ſua fraude illatis aliis campſoribus; non tamen incurrere videtur pęnas monopoliſtarum: quia nec cum aliquo conſpiravit, nec moraliter coegit alios ad accipiendum a ſe cambium, ſed ſolum ſibi injuſte providit, ut viliori pretio infra juſtum emeret cambia ſibi neceſſaria.

Fraus quædam campſoris detegitur.

CAPUT VII.

DE

CONTRACTU

CENSUS.

§. I. *De Natura, & Varietate Cenſuum.*

Notio Cenſus.

I. CEnſus nomen primo ſignificat jus quoddam exigendi certam penſionem; ſecundo penſionem ipſam; tertio contractum, quo venditur, & emitur præfatum jus. In præſenti ſumitur primo modo; & definiri ſolet, jus percipiendi annuam penſionem ex re alterius, quæ ſit utilis, vel fructifera: vendens jus percipiendi fructus ex re ſua, & qui penſiones ſolvere debet, vocatur Cenſuarius; emptor vero, qui emit cenſum ab altero, & cui penſio ſolvenda eſt, dicitur Cenſualiſta. Hinc habes materiam cenſus, (praeſcindendo nunc a legibus Pontificiis, de quibus nonnulla in fine) jure naturali eſſe rem quamcumque fructiferam ſive immobilem, ſive mobilem, immo ipſam cenſuarii perſonam, dummodo ſit fructifera operibus, & laboribus ſuis, miniſteriis, & officiis lucroſis. Et propterea, juxta omnes, illiciti, & uſurarii ſunt cenſus fundati ſuper rebus ſterilibus, infœcundis, & infructuoſis.

Diviſio Cenſus in Reſervativum, & Conſignativum.

II. Cenſus dividitur primo in Reſervativum, & Conſignativum: Reſervativus eſt, cum quis tranſlato in alterum rei ſuæ dominio tam directo, quam utili, reſervat ſibi jus recipiendi quotannis ex eadem re determinatam penſionem: puta dum Princeps, aut nobilis aliqua Familia dat alteri familiæ benemerenti fundos prædiales, eidem conferendo dominium tam directum, quam utile, reſervato ſibi dumtaxat canone annuo, ad ſummam e.g. centum ſcutorum in perpetuum erogandorum, tanquam in recognitionem accepti beneficii, & fundi acquiſiti. Conſignativus eſt, quo aliquis, retento ſibi rei ſuæ dominio tam directo, quam utili ſuper re, vel perſona ſua conſignat, & vendit alteri jus ad portionem ex re, vel perſona ſua quotannis recipiendam ab ipſo vendente, vel a quocumque alio, ad quem illa res pervenerit, affecta tali obligatione, donec redimatur. Uterque eſt licitus: ſermo noſter eſt de Conſignativo.

Diviſio Cenſus Conſignativi juxta quatuor reſpectus, quos habet.

III. Cenſus Conſignativus reſpectu fundi dividitur in mere realem, in mere perſonalem, & in mixtum ex utroque. Realis fundatur in re aliqua fructifera, puta agro, quem afficit apud quemcumque tranſeat, donec a venditore, ſeu cenſuario redimatur, vel ab alio, ad quem ager tranſierit. Perſonalis fundatur in perſona fructifera ſuo labore, induſtria, opificio &c., qui poteſt etiam tranſire ad hæredes, ſi ſint ſimiliter perſonæ fructiferæ, donec tandem redimatur. Mixtus fundatur tam ſupra res, quam ſupra perſonam, & utraſque æqualiter afficit. Conſiderato cenſu

reſpe-

Digitized by Google

reſpectu penſionis, dividitur in Pecuniarium, & Fructuarium. Pecuniarii penſio conſiſtit in pecunia ſtatuta annuatim ſolvenda: Fructuarii autem penſio conſiſtit in fructibus, puta vini, olei, frumenti &c. Conſideratus reſpectu temporis ſuæ durationis dividitur in Temporarium, & Perpetuum: Temporarius durat determinato tempore, puta viginti annis. Perpetuus inſtituitur, ut ſemper duret. Conſideratus demum ex parte modi, quo inſtituitur, alius eſt Redimibilis, qui redimi poteſt ſive arbitrio ſolius venditoris, ſeu cenſuarii; ſive arbitrio ſolius emptoris, ſeu cenſualiſtæ; ſive arbitrio utriuſque. Alius eſt Irredimibilis, qui redimi non poteſt; de cujus juſtitia aut injuſtitia diſſeretur ſuo loco ſtatim.

§. II. *De Juſtitia naturali Cenſuum Realium.*

Juſtitia naturalis Cenſus realis.

I. Cenſus realis, naturali jure ſpectatus, eſt licitus; quia in eo ſervatur æqualitas naturalis. Quamvis enim cenſualiſta decurſu temporis plus recipiat, quam dederit emendo jus ad v.g. ſex pro centum recipienda, & quamvis quando eſt redimibilis etiam tota ſumma erogata ei reſtituatur; nihilominus hæc judicio prudenti non violant æqualitatem: tum quia ſumma illa in tot portiones diviſa, & tot annorum decurſu eroganda tanti æſtimatur, quanti totum capitale ſimul datum, quamvis in ſumma longe minori: immo etiam pluris æſtimatur, eo quod abſque incommodis, periculis, aliiſque eventibus totum ſimul recipitur; cum alioquin in exigendis penſionibus ſingulis annis ſæpe varia ſint incommoda ſuperanda. Addo, quod ſi ex hoc capite cenſus realis eſſet illicitus, etiam emptio agri pro centum ducatis eſſet illicita, cum ager ille temporis decurſu longe majorem ſummam ſit collaturus emptori, quam emendo erogaverit; quod tamen eſt inane ſuſpicari. Quoad punctum vero redimibilitatis paulo inferius dicetur.

Juſtitia cenſus irredimibilis.

II. Cenſus irredimibilis jure naturali eſt licitus: quia ſicuti licita eſt venditio rei, irredimibilitati ejuſdem adnexa, ita venditio juris ad percipiendos fructus ex re, quæ eſt quædam partialis venditio rei, irredimibiliter celebrata, erit licita. Notandum, quod longe pluris emendus ſit cenſus irredimibilis, quam redimibilis, ut patet, ad hoc ut fiat juſta æqualitas,

Dixi jure naturali: nam de jure Eccleſiaſtico, vel Regionum, dicetur in fine hujus capitis.

Juſtitia cenſus redimibilis a cenſuario.

III. Cenſus redimibilis ad beneplacitum cenſuarii, ſeu venditoris eſt omni jure licitus. Ratio clara, quia in hoc cenſu ita celebrato omnis tollitur uſuræ ſuſpicio, cui proinde favet etiam jus Eccleſiaſticum, ut infra videbitur. Monent Auctores, cenſuarium teneri tempore congruo aliquorum menſium antequam redimat, cenſualiſtæ id notum facere, ut poſſit & ipſe ſuis conſulere negotiis. Conditio aliquando appoſita, ne redimatur v. g. ante quinquennium, vel niſi redimatur infra quinquennium, evadat cenſus irredimibilis, ſi apponatur ſponte a cenſuario, dummodo juſtum pretium interveniat, non eſt jure naturali injuſta, quia ſi poteſt ſecundum omnia jura redimere, quando voluerit, poteſt etiam, ſi ita velit, ſe obſtringere his conditionibus. Si vero conditiones præfatę apponantur a cenſualiſta, rationabilius videtur quod exigendo redimibilitatem tali tempore, illicite agat, & uſurarium animum palliet, ut in ſequenti numero dicetur: Si vero exigat, ut evadat irredimibilis, ſi poſt non breve, ſed longum tempus, puta viginti annorum, non redimat, putarem, quod hæc conditio non ſit injuſta, dummodo proportionabiliter minuatur penſio ſolvenda: cum enim probaverimus licitum cenſum a principio irredimibilem, non remanet motivum rationabile, cur reprobetur hæc adjecta irredimibilitas, imminuta, ut dixi, penſione.

De Injuſtitia cenſus redimibilis a cenſualiſta.

IV. Cenſus cum appoſita conditione, ut redimatur etiam ad nutum cenſualiſtæ, probabilius cum Soto, Prado, Tapia, Aragonio, Covaruvias, & aliis relatis a Curſu Salmant. tr. 11. c. 4. n.41. & approbatis eſt illicitus. Ratio eſt, quia evadit in merum mutuum fœneratitium ſub pallio cenſus. Quid enim aliud eſt fœnus, niſi mutuum datum cum obligatione reſtituendi tantumdem, & cum lucro quamvis ſe obliget mutuator non repetendi ſortem ad plures annos, dummodo lucrum reportetur ex vi mutui; atqui idem omnino evenit in cenſu redimibili ad nutum cenſualiſtæ; etenim eſt erogatio pecuniæ cum obligatione, ut reſtituatur, quando eroganti libuerit, præmiſſa aliquorum menſium præmonitione, & cum pacto, ut interea ſolvatur lucrum tot ducatorum: dic mihi amabo, in quo differt a mutuo fœneratitio? Te audio prompte re-

reſpondentem; in mutuo reportatur lucrum ex vi mutui; hic autem ex vi emptionis juris percipiendi tot fructus æquivalentes tot ducatis annuis: Reſpondeo & ego: ex vi emptionis verbalis, concedo; veræ & realis dicti juris, nego. Rogo, ut modicum patienter ſuſtineas, & attente audias: Emo a te agrum frugiferum pretio mille ducatorum, addito pacto, ut obligeris reſtituere mihi mille ducatos vel poſt determinatum tempus, vel quando mihi libuerit; & quod interea recipiam fructus agri illius: tranſacto ſexennio, te admoneo, ut tu mihi reſtituas mille ducatos, & ego tibi reddam agrum tuum: quid dicis de hoc emendi modo? excuſabis ne unquam hunc contractum a putida uſura palliata ſub ſpecie emptionis? Perpende modo, an invenias diſparitatem a caſu noſtro veram, & juſtam; & cum inveneris, mihi eam ſignifices, & magno me beneficio devinctum habebis.

Reſolvitur objectio. V. Dices, quod notabilis imminutio penſionis juſtum reddere valet hunc contractum. Reſpondeo; quantumvis modicum eſſet, quod ex agro illo reciperes in caſu emptionis propoſito, poſſes ne unquam excuſari a putido fœnore ſub pallio emptionis occultato? minime gentium: ita neque in caſu noſtro. Addo, quod nunquam poteſt tanta fieri imminutio penſionis, quæ æquivaleat gravamini redimibilitatis ad nutum cenſualiſtæ. Repones: quid ergo agendum, dum conſuetudo jam præcipue in his regionibus invaluit, celebrandi cenſus reales cum hoc pacto, ita ut neque Notarium quis invenire queat, qui alio modo inſtrumentum conficere velit? Reſpondeo tunc celebrandum eſſe contractum interiori ſincero animo coram Deo, faciendi duntaxat, quod juſtum eſt, & mente firma non imponendi cenſuario onus redimendi, quouſque penſiones ſolverit; idemque imponendi hæredibus tuis, ut perpetuo ita ſe gerant cum cenſuario.

Juſtitia Cenſus vitalitii. VI. Cenſus vitalitius, qui etiam vocitatur indeterminatus quoad tempus, duobus modis celebratur; primo ita, ut ſolvatur penſio, quouſque vixerit cenſuarius, ſecundo, quouſque vixerit cenſualiſta; unde poſt mortem illius, ad cujus vitam penſio fuit alligata, ceſſet obligatio quævis tum penſionum ſolvendarum, tum capitalis reſtituendi. Duas conditiones requirit: prima ut fundetur in re fructifera; ſecunda ut habeatur ratio ætatis, valetudinis &c. perſonæ, ad hoc ut juſta penſio ſtatuatur; & in eo nulla apparet injuſtitia; eſt enim quædam ſors, cui uterque contrahens ſe committit, æquali periculo amittendi, vel lucrandi.

§. III. *De Juſtitia naturali Cenſus Perſonalis.*

I. Cenſus Perſonalis, ſpectato naturæ jure, eſt licitus, ut docet communis, & etiam Henricus a S. Ignatio lib. 9., cap. 75. n. 830., & redimibilis ex parte cenſuarii. Ratio manifeſta: Quia quemadmodum perſona fructifera poteſt locare, vendere operam & induſtriam ſuam, & poteſt eidem imponi penſio pro tributo publico, & Decima Eccleſiaſtica; ita poteſt eaſdem operas, & induſtriam cenſui tradere: Conſulto dixi, redimibilis ex parte cenſuarii, ut indicarem, id nulli difficultati eſſe obnoxium, & poſſe eſſe licitum etiam cenſum irredimibilem ſeu durantem per totam vitam perſonæ cenſuariæ: idque eadem ratione; quia quemadmodum poteſt vendere, & locare operas ſuas ad tempus, ita etiam ad integrum vitæ ſuæ curſum, quo locari, & operari poterit. Si enim cenſus eſſet mere perſonalis, & non mixtus, & non eſſet amplius in ſtatu lucrandi, & operandi, injuſtum eſſet velle ab eo recipere fructum, qui abſque ſua culpa non amplius fructum affert. Si tamen cenſuarius pro hypotheca dediſſet etiam bona ſua immobilia, & fructifera, tunc ceſſante obligatione perſonali, ſubſtitueretur obligatio realis, & cenſus tranſiret de perſonali in realem. Juſtitia Cenſus Perſonalis.

II. Cenſus, qui plerumque celebrantur, juxta plurimos, & ipſum quoque Henricum loc. cit. n. 805. ſunt mixti; & proinde, ſpectato jure naturali, & animo celebrantium, qui eliciendus eſt ex conſuetudinibus locorum; cum quilibet celebrare intendat juxta morem ſuæ regionis; ſi conſuetudo ſit, ut etiam quando pereunt hypothecæ datæ pro cenſu inſtituendo, debitor compellatur ad ſolvendum ex aliis bonis, quæ poſſidet, judicandum eſt, quod hac mente contractum inierint: ſi vero id ex conſuetudine non conſtet, explorandum erit ex verbis: ſi enim uſi fuerint nomine hypothecæ, videtur hypotheca data ad ſecuritatem, & præſupponere obligationem perſonalem: ſi vero dicatur duntaxat inſtitutus cenſus ſuper tali agro, domo, aut fundo, tunc reputandus erit cenſus mere realis, & tali rei obligatus; Obſervatio notanda.

qua

Digitized by Google

qua per conſequens pereunte, pereat etiam jus percipiendi penſionem, & cenſus intereat.

Altera obſervatio. II. Hinc deducendum videtur, quod dum hypothecantur bona perſonæ, & perſona bonis; cum difficilius ſit, quod pereat fundus (quia quo amplior eſt, eo eſt durabilior) imminuenda ſit penſio ſolvenda, eo quod cenſus evadit remotior a periculo extinctionis. Si enim v. g. exhibens pro cenſu agrum dumtaxat, ſolvit quinque pro centum; qui præter agrum exhibet hypothecam cunctorum bonorum, & operarum ſuarum; profecto minus quinque æquum erit, ut ſolvat: quia facilius extingui poteſt obligatio ſuper ſolum agrum fundata, quam ſuper agrum, & cætera bona.

Subiicere oculis iuvat quæ de cenſu perſonali habet ſapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV. in ſuo doctiſſimo Opere *de Synodo Diœceſana tom. 2. Lib. 10. cap. 5. n. 4. Edit. Fer.* 1760. Poſteaquam ſtatuit cenſum realem, qui jus eſt percipiendi annuam penſionem ex prædio, aliove fundo fructifero, abſque ulla uſuræ labe conſtitui, vendi, & emi poſſe, modo ſerventur conditiones in Pontificiis Conſtitutionibus præſcriptæ, ſubdit, „ Controverſia
„ adhuc hodie remanet, an licitus, vel
„ potius fœneratitius ſit cenſus perſonalis.
„ Conſtituitur hic cenſus non ſuper re
„ aliqua fructiſera, ſed ſuper perſona ven-
„ ditoris, qui obligationem ſibi, vel ſuis
„ etiam hæredibus imponit certam pen-
„ ſionem ſolvendi emptori ex induſtria,
„ arte, & labore ſuo; qui quidem cen-
„ ſus non tranſit in realem, quamvis pro
„ ejus ſecuritate quandoque detur hypo-
„ theca, quoniam pereunte re hypothe-
„ cata, non perit cenſus, ſicuti contin-
„ git cum perit fundus, in quo eſt con-
„ ſtitutus cenſus realis, ſed adhuc rema-
„ net obligata perſona. Jam vero ejuſmo-
„ di cenſum, ſolo ſpectato jure naturæ,
„ ab uſuræ reatu abſolvunt Sotus *Lib.*
„ *6. de Juſtit. q. 5. a. 1. concl. 4.* . Co-
„ varruvias *Lib. 4. variar. cap. 7. n. 5.*
„ *verſ. Ego ſane*. Azorius *Inſtit. part. 3.*
„ *Lib. 10. cap. 5. q. 1.* Leſſius *Lib. 2. de*
„ *Juſt. cap. 22. n. 18.* Reiffenſtuel *ad tit.*
„ *de uſur. n. 157.* Continuator *Prælect.*
„ *Honorati Tournely part. 2. de Contracti-*
„ *bus c. 6.*, aliique non pauci. Illum ex
„ adverſo merum eſſe mutuum cenſus
„ veſte obtectum, ad occultandam uſuram
„ contendunt Navarrus *cit. comment. de*
„ *uſur. n. 81.* Molina *de Juſt. Tract. 2.*
„ *diſp. 387. n. 7.* Gutierez *lib. 2 practi-*
„ *car. q. 177. n. 7.* Cardinalis de Lugo
„ *de Juſt. & jur. diſp. 27. Sect. 2. n. 25.*
„ Facchin *Lib. 2. Controv. cap. 44.*, alii-
„ que magni nominis Doctores; quoniam,
„ inquiunt, ejuſmodi cenſu perſonali non
„ emitur jus ad percipiendam annuam pen-
„ ſionem, ſicuti in reali, ſed venditur
„ ipſa penſio; quemadmodum enim is,
„ qui accepto pretio, ſe obligat ad dan-
„ dum equum, reipſa vendit equum, ita
„ qui, accepta certa pecuniæ ſumma, ſe,
„ ſuamque perſonam obligat ad ſolvendam
„ quotannis certam penſionem, dicitur
„ vendere ipſam penſionem. Quamobrem
„ cenſum perſonalem ementi, aurum ex
„ auro per ſe, & immediate naſceretur, in
„ quo tota conſiſtit uſurarii contractus ne-
„ quitia, ſicuti dicitur *in can. Sicut. 8.*
„ *verſ. Interdum diſt. 47.* Magis autem
„ prædictis Auctoribus uſuræ labe fœda-
„ tus videtur cenſus perſonalis utrinque
„ redimibilis, qui, ablato verborum corti-
„ ce, aliud eſſe non deprehenditur, quam
„ purum putum mutuum. Et profecto,
„ ſi teſte Fagnano *in cap. In Civit. n. 16.*
„ *de Uſuris*, fere omnes Canoniſtæ melio-
„ ris notę periculoſam fatentur emptionem
„ cenſus realis ad certum tempus, & id-
„ circo Innocentius omnibus fidelibus con-
„ ſulendum ait, ut ab hujuſmodi contra-
„ ctu abſtineant, additque præterea Con-
„ radus hortandos eſſe Magiſtratus, ut il-
„ lum prohibeant; eo magis deterrendi e-
„ runt Fideles a contrahendis cenſibus per-
„ ſonalibus utrinque redimibilibus, qui cer-
„ te majorem præſeferunt uſuræ ſpeciem,
„ quam cenſus reales ad certum tempus. „

„ Sed ſuperfluum eſt, *ſubjungit n. 5.* cen-
„ ſum perſonalem novis argumentis inſe-
„ ctari quem jam proſcripſit S. Pius V. *in*
„ *laudata Conſtitut. Cum unius*, ubi ad
„ cenſus honeſtatem, inter cæteras condi-
„ tiones, hanc quoque requirit, ut cen-
„ ſus conſtituatur in re fructifera non qua-
„ licumque, ſed immobili, certa, ac no-
„ minatim deſignata. Quapropter etiam
„ Auctores, qui cenſum perſonalem, ejus
„ natura inſpecta, ab uſuræ ſuſpicione vin-
„ dicant, ingenue tamen fatentur, eum
„ licite fieri non poſſe, ubi præfata Pii
„ Conſtitutio eſt recepta; quod tamen in
„ Gallia, Belgio, & Germania non con-
„ tigiſſe affirmant Leſſius *cit. cap. 22. n.*
„ *20.* Haunoldus *de Juſt. tract. 10. n. 316.*
„ Pirhing *ad tit. de uſur. n. 85.* Wieſtner

„ *ibidem nu.* 81. Verum quanquam Nos
„ ſciamus, eundem Summum Pontificem,
„ ſupplicante Catholico Rege Philippo II.
„ indulſiſſe Hiſpanis, ne ad ſuæ Conſtitu-
„ tionis, quoad eas conditiones, quæ ju-
„ ris naturalis, aut Divini non ſunt, exa-
„ ctam obſervationem adſtringerentur, ſi-
„ cuti narrant Guttierez *cit. quæſt.* 177. *in*
„ *fin.* & Felicianus de Solis *Lib.* 1. *de*
„ *cenſib. c.* 7. *n.* 2., nec dubitemus, ab
„ eadem obligatione potuiſſe, contrario
„ uſu, ſeu legitime præſcripta conſuetudi-
„ ne, cæteras eximi nationes; vehemen-
„ ter tamen ſuſpicamur, in cenſu mere
„ perſonali, prætertim utrinque redimibi-
„ li, eas deſiderari conditiones, quas non
„ ſolum Pontificia Conſtitutio, verum et-
„ iam ipſum jus naturale, & divinum
„ expoſcunt, ne ſit larvatus contractus mu-
„ tui, & propterea coram Deo uſurarius. „
Hucuſque Sapientiſſimus Pontifex.

§. IV. *De nonnullis difficultatibus, quæ paſſim occurrunt circa Cenſus.*

Quæſitum primum.

I. QUando fundus, cui eſt obligatus cenſus, tranſit ad alios poſſeſſores, qui ſint plures, quorum quilibet portionem fundi cenſualis aſſequatur; contra quem iſtorum debet actionem inſtituere cenſualiſta? Primo certo videtur, quod quando ſinguli pro rata prompti ſunt ad ſolvendum, neminem ſeorſim impetere poſſit cenſualiſta; quia deeſt juſtum motivum impetendi. Secundo certum videtur, quod ſi unaquæque ſingulorum portio ſufficiat ad totam penſionem, & hæc ſolvatur ab aliquo illorum, alii teneantur eumdem compenſare pro eorum rata, ita poſtulante æquitate naturali. At difficultas eſt, quando ſinguli ſunt difficiles ad ſolvendum, & magnum tenetur ſubire incommodum cenſualiſta ad conſequendam a ſingulis penſionis ratam, an poſſit aliquem illorum, qui ſibi aptior videbitur, convenire, ut compellatur a judice ad totam penſionem ſolvendam, relinquendo eidem onus exigendi ratas ab aliis? an vero teneatur a ſingulis ratas exigere, quamvis magnæ difficultati ſubjiciatur?

Reſolvitur.

II. Pro utraque parte ſtant graves Doctores, quibus attente perlectis, mihi probabilius videtur ſub diſtinctione reſpondendum: vel cenſus ſuper fundum eſt diviſibiliter fundatus, ita ut totus toti, & pars parti correſpondeat; & ſi ita ſit, & quælibet portio diviſa inter poſſeſſores ſufficiat ad totam penſionem, poteſt quemlibet illorum convenire, & onus adeundi conſocios ſuper illum exonerare: Quæ reſponſio depromitur ex deciſione Romanæ Rotæ ſub Cardinali Merino die 30. Octobris 1602. decernentis, integros reditus ſolvendos eſſe etiam ex una parte prædii, aliis pereuntibus, ſi pars ad omnes reditus ſufficiat; ſecus autem ſi non ſufficiat. Si autem cenſus afficiat totum fundum indiviſibiliter, ut plerumque fieri ſolet, & deinde dividatur in quatuor poſſeſſores aut jure hæreditatis, aut emptionis; tunc Lugoni diſp. 27. ſect. 6., §. 4., num. 106. cum aliis a ſe relatis, rationabilius videtur, quod ſicuti cætera debita pro rata dividuntur, ita etiam hic cenſus pro rata portionum fundi dividendus ſit, & cenſualiſta debeat a ſingulis ſuas portiones exigere, neque unus toti erogationi ſuccumbat. Navarro autem in Comment. de uſuris n. 114. cui plures ſubſcribunt, rationabilius videtur, ut cenſualiſta poſſit a ſingulis ſeorſim totam penſionem exigere; quia conditio creditoris, ſeu cenſualiſtæ valde deterior evaderet, ſi obſtringeretur per ratas a ſingulis penſionem recipere, præcipue, ut ſupponitur, ad ſolvendum difficilibus, & duris: & affert paritatem de fundo vectigali in varias portiones diſciſſo, & a pluribus ſeorſim poſſeſſo; concedente lege, quam ipſe Navarrus affert, ut poſſit totum vectigal ab uno eorum poſſidentium exigi. Hæc apparet probabilior.

Quæſitum alterum.

III. Quando ex inſtrumento nequit exploratum haberi, an cenſus ſit redimibilis, vel irredimibilis, quid erit judicandum? Reſpondeo probabilius cum Covarruvias lib. 3. Var. cap. 10. n. 4. & cum Gomez de cenſib. c. 5. n. 1., cenſendum eſſe irredimibilem, tum quia magis elongatur a ſuſpicione fœnoris, tum quia pactum de retrovendendo, non præſumitur in venditione, niſi exprimatur. Si autem ex circumſtantiis aliter credendum compelleremur, nempe ex fixa regionis conſuetudine, ubi omnes cenſus celebrantur redimibiles, & præcipue ex pretio cenſus, quod ſolet eſſe majus, quando cenſus eſt irredimibilis; aliter reſolvendum eſſet.

Quæſitum alterum.

IV. Cenſus inter quæ bona recenſendi ſunt, an inter mobilia, an vero inter immobilia? Reſpondeo certum haberi, quod cenſus irredimibilis, ideſt jus irredimibile recipiendi penſiones accenſeatur bonis immobilibus; quandoquidem perpetuitas eidem

dem

Digitized by Google

dem adnexa, & ſuper re immobili fundata, bonis immobilibus connumerare compellit. Certum quoque eſt; penſiones ipſas quæ ex cenſu irredimibili recipiuntur, bonis mobilibus eſſe accenſendas, cum pecunia procul dubio mobile bonum ab omnibus reputetur. Unde quæſitum devolvitur ad jus redimibile. Conveniunt Auctores, cenſum redimibilem dumtaxat poſt longum tempus accenſeri bonis immobilibus, eo quod locatio rei immobilis ad longum tempus æquivaleat alienationi, & propterea in Clement. 1. verſus finem, quibus interdicitur alienatio bonorum Eccleſiaſticorum, interdicitur ſimul locatio ad longus tempus: emptio igitur juris ad longum tempus rationabiliter bonis immobilibus accenſetur. Circa vero cenſum redimibilem ad breve tempus probabilior videtur opinio affirmantium, accenſendum eſſe bonis mobilibus. Nam ſi ex laudata Clementina etiam ſola locatio ad longum tempus æquivalet alienationi, quomodo venditio ad breve tempus æquivalere poterit?

At interrogabis, quodnam dicendum erit longum tempus? Etiam in hoc diſcordant Auctores: æquior videtur opinio dicentium, decennium, & ſupra, præcipue reſpectu caſus noſtri, cenſendum eſſe longum tempus: Dixi præcipue &c. nam pro locatione eccleſiaſticorum a pleriſque quinquennium judicatur longum tempus.

Interrogabis tandem, quid de cenſu vitalitio, & præcipue ſi ſuper vitam junioris fuerit inſtitutus? Profecto quemadmodum ſenex certus eſt brevi ſe moriturum, ita juvenis incertus eſt ſe diu victurum: cum igitur incertiſſimum ſit mortis tempus, merito Sanchez lib. 7., Decal. c. 25. n. 40., putat inter mobilia eſſe recenſendum, e contra Lugo diſp. 27., ſect. 1. n. 9., cenſet, quod ſuper juvenis vitam inſtitutus immobilibus ſit connumerandus; & revera experientia compertum ſit, quod inter centum juvenes bonæ valetudinis, vix decem inveniantur, qui a decimoquinto uſque ad ſaltem quadrageſimum annum non pertingant.

§. V. *De Cenſu, ſpectato Jure Eccleſiaſtico.*

Quid de cenſu ſecundum jus Eccleſiaſti- I. JOannes XXII. l. 3. tit. de Emptione, & Venditione; Martinus V., & Callixtus III. in ſuis extravagantibus, relatis inter extravagantes communes, ſequentes præſcribunt conditiones, ut contractus cenſus juſtus habeatur. Prima ut cum Jo. XXII. Martini V. & Calixti III.? determinata bona aſſignentur, & obligentur a cenſuario pro fundo cenſus. Secunda, ut pretium pro cenſu conſtitutum perſolvatur a cenſualiſta totum, & integrum. Tertia, ut cenſuario relinquatur plena facultas redimendi ſive in toto, ſive pro parte, quando, & ubi ſibi placuerit. Quarta, ut cenſitarius non poſſit compelli a cenſualiſta ad redimendum. Quinta, ut pereuntibus bonis aſſignatis pro fundo cenſus, hic extinguatur.

II. Deinde S. Pius V. anno 1569. in Bulla incipiente *Cum onus*, non derogatis conditionibus a præfatis Pontificibus ſtatutis, ſequentes appoſuit, quibus non obſervatis, declarat cenſus uſurarios. Prima, ut cenſus inſtituatur ſuper re immobili, determinata, & fructifera ex natura ſua. Secunda, ut tali re pereunte, vel ſterili reddita; cenſus pereat. Tertia, ut pretium a cenſualiſta in pecunia numeretur in ipſo actu celebrationis contractus coram Notario, & Teſtibus; ita ut ſolutio fieri non poſſit pecunia antea data, neque credita. Quarta, ut non fiant pacta directe, vel indirecte obligantia ad caſus fortuitos illum, qui alias ex natura contractus non obligatur: Quinta, ut non fiant pacta tollentia, vel reſtringentia facultatem redimendi, aut alienandi rem cenſui ſubjectam. Sexta, ut neque fiant pacta obligantia debitorem moroſum ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad aliam pœnam. Septima, ne cenſus augeatur ex non ſolutis penſionibus jam decurſis. Octava, ne apponatur pactum, ut capitale a cenſuario invito repeti poſſit, in pœnam non ſolutarum penſionum, vel ob aliam cauſam. Quæ conditiones; quamvis omnino commendabiles ſint, & etiam obſervandæ in locis, in quibus indicatæ Bullæ ſunt receptæ; in locis tamen, in quibus non fuerunt promulgatæ, neque uſu receptæ, non obligant, niſi dumtaxat quoad conditiones a jure naturali poſtulatas. Eaſque non fuiſſe de facto receptas, & acceptatas in Gallia, Hiſpania, Germania, Belgio, Sicilia, refert Henricus in ſua Ethica Amoris lib. 9., c. 74., num. 287. ex Scriptoribus dictarum regionum.

C A-

CAPUT VIII.

DE CONTRACTU VENDITIONIS, ET EMPTIONIS.

*. I. *De Natura, & Perfectione hujus Contractus.*

Exponitur Notio hujus contractus.

I. VEnditio eſt pactio mercis pro pretio: Emptio autem eſt pactio pretii pro merce. Ex his duobus unus contractus completus aſſurgit. Communius, & probabilius dicitur, emptionem, & venditionem perfici quoad ſubſtantiam, quando celebratur pactum dandi mercem pro determinato pretio: Dominium tamen in re non transferri, niſi contractus conſummetur per traditionem rei, quæ traditio, eſt complementum integrans contractum, quamvis non ſit de eſſentia ejuſdem: proinde non ſufficit ſola traditio, neque ſola emptio, & venditio, ſed requiritur quod traditioni præceſſerit venditio, & emptio, quæ deinde compleantur per traditionem: ita lex *numquam* ff. de acquirend. dom. *nunquam nuda traditio dominium transfert; ſed ita, ſi venditio... præceſſerit propter quam traditio ſequatur:* & Lex *traditionibus*, Cod. de Pactis: *Traditionibus enim dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*. Quamvis autem venditor nondum rem tradiderit emptori, neuter tamen poteſt licite a contractu reſilire; cum contractus jam eſſentialiter fuerit perfectus, licet nondum conſummatus. Propterea ſi quis eorum reſiliret a contractu, (& multo magis ſi rem ita venditam, & emptam de facto traderet alteri) injuſte ageret, & teneretur de damnis, ſi quæ fuerint ſecuta: res tamen alteri de facto tradita remaneret in iſtius poſſeſſione, utpote, contractu jam conſummato. Quod ſi contractus aliquis pro ſui valore exigeret vel ſcripturam legalem per notarium, vel chryrographum ſubſcriptum a contrahentibus; tunc quamvis verbo partes convenerint, non perficitur eſſentialiter contractus, niſi poſt ſubſcriptionem, vel inſtrumentum notarii; unde poſſent reſilire innoxie.

Obſervatio notanda.

II. Hinc, ex communi, res empta, quamvis nondum tradita, ſi pereat, aut fructum faciat, perit, & fructum facit emptori, niſi aliter conventum fuerit, vel ferat regionum conſuetudo, & niſi culpa venditoris perierit, vel ipſe fuerit in mora culpabili illam tradendi: ita Inſtit. de emption. & vendit. §. *cum autem*, ubi dicitur: *Cum emptio, & venditio contracta ſit; ... periculum rei venditæ ſtatim ad emptorem pertinet, tametſi adhuc eadem res emptori tradita non ſit*, & leg. 1. Cod. de peric. & commod. rei venditæ: *Poſt perfectam venditionem, omne commodum, & incommodum, quod rei venditę contingit, ad emptorem pertinet*. Sed de his iterum ſuo loco.

III. Interrogabis: quid dicendum, ſi eadem res in ſolidum duobus ſucceſſive vendita fuerit? Reſpondeo ex dictis, quod, ſi nulli eorum adhuc tradita fuerit, pertineat ad primum emptorem, juxta regulam 54. juris: *Qui prior eſt tempore, prior eſt jure*. Si vero aliquis eorum, quamvis poſterior tempore, per ſolutionem pretii, & traditionem eam acquiſierit, remanet ipſi; cum habeat jus in re, alter vero dumtaxat jus ad rem: ita lex *Quoties* eodem titulo de rei vendit. At in utroque caſu tenetur venditor ad omnia damna reparanda, quæ inde decepto evenerunt. Dubii reſolutio.

IV. Excipiuntur ab hac regula aliqui caſus. Primus, quando primus emptor ſolvit jam pretium, & poſterior, cui res tradita fuit, non ſolvit. Secundus, ſi in contractu pactum fuerit, rem non tradendi alteri, aut interceſſerit clauſula *conſtituti*, id eſt quando ipſe venditor conſtituit, ſe poſſidere nomine emptoris. Tertius, quando res vendita fuit Eccleſiæ, vel civitati, quibus danda eſt, quamvis alteri privato tradita; niſi tamen fuerit emptori hypothecata; ita lex ult. Codic. de SS. Eccleſiis. Quartus, quando poſterior emptor, qui erogavit pretium, & cui tradita fuit, ſciebat eam fuiſſe ab alio emptam: unde primus emptor infra annum habet poteſtatem illam evincendi, qui annus computatur a die habitæ notitiæ hujus fraudis: & idem eſt dicendum, etiamſi alteri, quamvis ignoranti, fuiſſet donata; & niſi a primo emptore ſciente infra annum evincatur, juſte etiam in foro conſcientiæ tunc poſſidebitur a ſecundo. Si tamen emptor ſecundus, vel donatarius induxiſſet ſcienter venditorem ad rem ſibi dandam venditione, vel dono, tunc quocunque tempore poterit a primo emptore evinci: ita ex variis juribus apud Auctores. Exceptiones notandæ.

§. II.

§. II. *De Materia vendibili nec non de Perſona ad vendendum habili.*

Res vendibiles. I. Quæcunque prætio æſtimabilia ſunt, vendi, & emi poſſunt, dummodo lege non interdicantur. Nomine autem rerum pretio æſtimabilium ſignificantur nedum res temporales, verum etiam bona naturalia humana, puta libertas hominis; bona civilia, nempe jura, ſervitutes, credita, debita, actiones &c. Item res in ſpe tantum exiſtentes, puta partus fœminæ, quæ ſit mancipium; partus pecudum, piſces capiendi jactu retis, animalia capienda venatione hodierna, &c., & circa hoc notandum occurrit, quod quamvis piſcatione, aut venatione nihil capiatur, adhuc emens pactum pretium ſolvere tenetur, cum emerit operas illas piſcatorum, & venatorum; dummodo tamen iſti ſuas revera partes expleverint: ad differentiam partus ſervæ, aut pecudum, qui ſi non naſcantur, non poteſt erogatum pretium retineri, cum ſit quædam venditio conditionalis: ita lex *ſi jactum* ff. de actione emptorum: & lex *nec emptio* ff. de contrahenda emptione. Bona ſperata ex teſtamento jam condito a teſtatore vivente, illicite, & invalide venduntur; eo quod hæc venditio ſit contra bonos mores ad vitandas inſidias emptoris contra teſtatoris vitam, lex 1. ff. de hæredit. vel actione vendendi; immo ex leg. 2. in fin. ff. de his quibus &c., hujuſmodi venditor privatur hæreditate, quæ eſt fiſco applicanda. Si tamen teſtator aſſentiretur, tunc valeret contractus: lex ult. Cod. de pactis, & lex *ex eo* Codic. de inutilitate ſtipulat. ut etiam alibi indicatum fuit.

Venditio rei quæ putabatur exiſtens. II. Si vendatur res nòn exiſtens, ut exiſtens, venditio eſt invalida; & ſi venditor ſciebat, tenetur ad damna emptori ſecuta compenſanda: ſi vero non ſciebat, nullam ſubit obligationem reſpectu damnorum: ſi autem res ex parte perierat, poteſt emptor reſcindere contractum, ſi velit, & compenſationem exigere pro reliquo, vel pretium pro rata recuperare. Plura temporalia, quæ ſecundum leges Cæſareas vendi prohibentur, videas in Azorio tom. 3., lib. 8., cap. 3., nam de rebus ſpiritualibus, vel ſpiritualibus adnexis, quæ ſunt invendibiles jure divino, vel humano reſpective, ſatis dictum fuit tract. 9. cap. 13. §. 8. & ſequentibus de Simonia.

Res de ſe malæ vendi non poſſunt. III. Res de ſe malæ, & quæ dumtaxat ad malum uſum inſervire poſſunt, ſine peccato gravi vendi nequeunt: ita S. Th. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. *Si qua ars eſt ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non poſſunt abſque peccato; per conſequens artifices talia faciendo peccarent, utpote præbentes directe occaſionem peccandi.* Et conſequenter graviter peccant hujuſmodi res vendentes, & ementes. Qui igitur vendunt libros de ſe graviter turpes, cantilenas de ſe inhoneſtas, libellos famoſos, picturas de ſe obſcœnas, graviter peccant; ſicuti & ementes: quia poſito, quod hujuſmodi ſint ex ſe talia; ſunt occaſiones proximæ & graviter incitantes ad peccandum.

Res non de ſe malæ. IV. Res, quibus emptores poſſunt bene, vel male uti, licite vendi poſſunt, dummodo venditori prudenter non conſtet, emptorem eſſe male uſurum: ita S. Doctor loc. cit. *Si qua vero ars ſit, cujus operibus homines poſſunt bene, & male uti, ſicuti gladii, ſagittæ, & alia hujuſmodi, uſus talium artium non eſt peccatum: quia ergo mulieres licite ſe poſſunt ornare, vel ut conſervent decentiam ſui ſtatus, vel etiam aliquid ſuperaddere, ut placeant viris ſuis: conſequens eſt, quod artifices talium ornamentorum non peccant in uſu talis artis; niſi forte inveniendo aliqua ſuperflua, & curioſa.* Sciſcitaberis ſtatim: quid de vendentibus fucos mulieribus? Reſpondeo ex S. Thoma loc. cit. ad 2. *non ſemper tali fucatio eſt cum peccato mortali, ſed ſolum quando fit propter laſciviam, vel in Dei contemptum*: cum alioquin ſemper ſit peccatum veniale: S. Doctor ibidem: *Mulierum fucatio eſt quædam ſpecies fictionis, quæ non poteſt eſſe ſine peccato.* Debet igitur venditor rationem habere circumſtantiarum perſonæ, temporis, &c., ne vendat illicite, puta gladium homini irato, & actualiter contra inimicum furenti &c.: ſed de his actum fuit tract. 4. cap. 9. §. 6. de Scandalo.

V. Circa perſonas habiles ad vendendum, nil addendum dictis in cap. 1. hujus tractatus, §. 3., ubi recenſuimus perſonas ad contrahendum habiles.

§. III. *De perſonis, quibus vetitum eſt negotiari.*

Negotiatio quid? I. Negotiatio proprie accepta eſt, qua res aliqua eo animo emitur, ut eadem immutata, & integra, denuo vendatur cum lucro. Nota, quod emptio, & venditio in hac definitione ſumuntur etiam

pro

Digitized by Google

pro permutatione unius rei cum alia.

Quomodo licita?

Licitam eſſe negotiationem, ſi honeſto fine ſuſcipiatur, affirmant omnes cum S.Th. 2. 2. q. 77. a. 7. *Lucrum, quod eſt negotiationis finis, etſi in ſui ratione non importet aliquid honeſtum, vel neceſſarium, nihil tamen importat de ſui ratione vitioſum, vel virtuti contrarium. Unde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem neceſſarium, vel etiam honeſtum, & ſic negotiatio licita reddetur. Sicut cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quærit, ordinat ad domus ſuæ ſuſtentationem, vel etiam ad ſubveniendum indigentibus; vel etiam quando quis negotiari intendit propter publicam utilitatem; ne ſcilicet res neceſſariæ ad vitam patriæ deſint, & lucrum expetit non quaſi finem, ſed quaſi ſtipendium laboris.*

Clericis & Regularibus vetatur.

II. Negotiatio alioquin licita, ſub gravi interdicitur Clericis, & multo amplius Religioſis a jure Eccleſiaſtico, tum in cap. *ſed neque* 88., tum Clement. 1. de vita, & honeſt. Clerici, tum cap. *placuit* 21. q. 3., tum cap. *Canonum* 14. quæſt. 4., tum cap. *conſequens* 88., tum cap. *finali* de vita, & honeſt. Cleric. tum cap. *ſecundum* in *Clerici, vel Monachi*: & contra deobedientes infligitur pœna excommunicationis, ſuſpenſionis, & depoſitionis; quæ omnes ſunt ferendæ ſententiæ; confirmanturque a Tridentina Synodo ſeſſ. 22. de Reformat. cap. 1.

Quid de negotiatione ſemel, aut iterum?

III. Probabilius videtur; quod negotiatio a præfatis perſonis rariſſime, vel ſemel, aut iterum facta, non ſit inobedientia mortalis, dummodo non ſit de re turpi, nec alicujus magnæ ſummæ, neque cum ullo ſcandalo.

Quid de Clericis in Sacris non conſtitutis?

IV. Si Clericus in Sacris non conſtitutus mercationes exerceat, videtur non peccare lethaliter, cum Canones loqui credantur de Clericis ſtatui clericali immobiliter addictis. Nihilominus cum dedecens ſit, quemvis Clericum mercaturam agere, etiam non conſtitutum in Sacris, deberet Epiſcopus monere ut deſiſtat, & ſi nolit; a clericatu deponere. Si autem beneficiarius eſſet, quamvis in ſacris non conſtitutus, probabilius lethaliter peccaret; cum enim teneatur ad horas canonicas, ſitque proinde Beneficii titulo mancipatus cultui Divino, de ipſo verificantur motiva, propter quæ a Canonibus mercatura interdicitur. Immo notant Doctores ex Pontificum Bullis, quod ab hujuſmodi beneficiariis negotiantibus auferuntur ſpolia, nec dum correſpondentia beneficio eccleſiaſtico reddito, verum etiam acquiſita per negotiationem: Indicium eſt igitur, ea fuiſſe male parta, & illegitime congregata.

Quid de emente, & vendente rem ſine lucro?

V. Si Clericus emat, & vendat rem immutatam ſine lucro, puta dum quædam victualia, quæ vili pretio venduntur, procurat, & emit nedum pro ſe, verum etiam pro ſuis amicis, conventibus &c., ut eodem pretio eiſdem vendat, non agit illicite, neque mercaturam facit, ſed potius amicis & benemerentibus gratificari dicitur.

Quid de vendentibus propria opificia, ſeu arte facta? De ementibus animalia ſuis paſcuis ſaginanda? &c.

VI. Mercaturam exercere non dicitur Clericus, qui peritus in aliqua arte non vili, nec dedecente, emit materiam ſuis opificiis idoneam, puta colores, tela &c., ad pingendum; argentum, aurum, chalybem ad Horologia elaboranda &c., ut artefacta juſto pretio vendat vel ad ſui, vel familiæ ſuſtentationem, conſanguinearum virginum collocationem, eleemoſinarum erogationem. Similiter ſi animalia emat, paſcuis ſuorum prædiorum ſaginanda, & ſaginata vendenda; quia id eſt vendere paſcua propria, propriorum agrorum fructus. Non tamen licitum eſt agros ad locationem conducere, ut fructus eorumdem vendat, neque uvas emere, ut vinum per alios vendendum conficiat: neque conducere ſalinas alienas, ut ſal inde confectum vendat; neque greges alienos conducere, ut lac, lanam, caſeum &c. vendat; neque ex lana proprii gregis pannum per operarios texere ad vendendum; neque jumenta emere ad eadem lucroſe locanda; quia hujuſmodi agendi modi manifeſtam negotiationem referunt, & communem ſenſum hominum proborum offendunt; multo magis, quia nonnulla ex his ſunt ſpecialiter Clericis interdicta a Conciliis Carthaginenſibus primo, & quarto, relatis in Can. 21. q. 3., cauſa 1. & 2. Aliter vero eſt dicendum, ſi Clericus teneat greges, ut lac, fœtus, & lanam vendat; quia vendit fructus ſuorum fundorum: ſicuti etiam ſi emeret agrum cum fructibus aut jam maturis, aut matureſcentibus, quos deinde venderet; venderet enim fructus agri jam ſui. Itidem Clericus nil mali ageret, ſi id, quod antea emerat ad proprium uſum, illud experiens incommodum, aut minus utile, venderet etiam carius: quia in his deeſt animus negotiator. Quæ hactenus licita cum Doctoribus permiſimus neutiquam talia aſſeruntur

tur, ut Clericus diteſcat, ſed dumtaxat ob honeſta motiva ſupra indicata.

* Celebris Canoniſta Proſper Fagnanus *num. 38. & ſeq.* in cap. 1. *Multa* tit. 5. *Ne Cler. Monach.* lib. 3. *Decret.* ſequentes refert circa hanc materiem reſolutiones S. Congregationis Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum, ipſo Secretarii munus in eadem S. Congregatione gerente, editas. Itaque S. Congregatio cenſuit, ac declaravit 1. *Licere Clericis agros beneficiorum, & patrimoniorum ſuorum colere abſque reatu illicitæ negotiationis* 2. *Poſſe ſimiliter Clericos pro ejuſdem culturæ uſu boves & alia animalia neceſſaria coemere, illorum fœtus juſto pretio, atque honeſta ratione vendere, nec propterea eos prohibitæ negotiationis prætextu vexari poſſe aut debere.* 3. *Poſſe itidem pro ſua, & familiæ ſuſtentatione eos, qui in propriis terris habent quercus, & caſtaneas, ſues emere, eoſque alere & vendere, dummodo tamen in emendis, alendis, ſeu diſtrahendis ſuibus nihil ſordidum, aut indecens Ordini Clericali exerceant.* 4. *Licere Clerico arborum in propriis bonis exiſtentium folia alicui laico concedere eo pacto, ut lucrum quod ex bombicibus proveniet, inter utrumque dividatur, ac pariter eidem licere earumdem arborum foliis utendo per ſeipſum abſque officii ſui dumtaxat detrimento, ac pro ſua & familiæ ſuſtentatione, arti ſericæ operam dare, dum tamen in artificio hujuſmodi perſonas non ſuſpectas adhibeat, & quoad hoc Epiſcopi licentiam, quæ gratis detur, obtineat.* 5. *Clericos pauperes ob ſuam, ſuæque familiæ neceſſitatem poſſe terras Eccleſiaſticorum conducere abſque reatu illicitæ negotiationis; bona vero Laicorum non poſſe, niſi ex mera præciſe neceſſitate.* 6. *Poſſe retinere, & locare boves, oves, & alia animalia, quæ habent ex ſucceſſione, vel decimis; nec non fructus illorum vendere.* 7. *Poſſe Clericos in Caſalibus tamen propriis & non conductis artem agriculturæ per ſeſe, vel per alios exercere; nec eis vel eorum hæredibus per Cameræ Apoſtolicæ Miniſtros objici & imputari poſſe, quod illicitam negotiationem fecerint, aut ſpoliis ſubjaceant.* Hæc modo oculis ſubjicere placuit, ante noviſſimas Summorum Pontificum Conſtitutiones; quas in anteriori editione addidimus.

S. P. Benedictus XIV. *Kalendis Martii* 1741. Conſtitutionem, quæ incipit *Apoſtolicæ ſervitutis* evulgavit *contra Clericos ſæcularibus negotiis ſe immiſcentes*. In ea 1. confirmat, innovat & approbat omnes, & ſingulas Romanorum Pontificum Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutiones, illarumque quamlibet contra quoſcumque Clericos illicitos negotiatores cum omnibus & ſingulis pœnis, contra eoſdem Clericos illicite negotiantes in iis contentis, eaſdemque conſtitutiones ac earum quamlibet in hac de verbo ad verbum nihilo penitus omiſſo pro inſertis haberi vult, & earum cuilibet novum Apoſtolicæ firmitatis & inviolabilis obſervantiæ robur adjicit, illaſque ſic innovatas, confirmatas, & approbatas cum omnibus & ſingulis pœnis in eis, & earum qualibet adverſus Clericos illicitos negotiatores contentis perpetuo extendit & ampliat ad Clericos illicite ſub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac ſi per ſeipſos, ac proprio ſuo nomine negotia ipſa illicita exercerent; illorum omnia & ſingula bona ſic ab eis alieno nomine illicite acquiſita ſub inevitabili ſpolii pœna ad formam Conſtitutionis Pii IV., quæ incipit *Decens eſſe*, ſubjicit, & ſubjecta eſſe declarat.

2. Decernit ac pariter declarat Clericos teneri ſtatim dimittere negotium quodlibet eccleſiaſticis illicitum perſonis, licet ab eis minime inſtitutum, ſed a laica perſona inchoatum, & ad eoſdem Clericos ſive hæreditario jure communiter, ſive ſeparatim, ſive conjunctim cum aliis bonis, & aliis cohæredibus aut ſociis devolutum. Si vero nequeant illico illud dimittere ſine gravi temporali detrimento, mandat, ut tunc ſi intra Italiam, inſulaſque adjacentes exiſtant Clerici, a S. Congregatione Cardinalium Concilii Interpretum; ſi autem extra Italiam, ab eadem Congregatione, vel ab Ordinario licentiam illud ad aliquod tempus retinendi impetrare teneantur, proviſo interim, quod negotium a laico adminiſtretur. Congregationi vero, aut Ordinario præcipit, ut rite perpendant ſingulorum caſuum circumſtantias, tempuſque ad idem negotium dimittendum præſcribant. Quod ſi Clericus negotium, licet a laico inſtitutum abſque licentia hujuſmodi gratis ſibi ſemper impertienda, aut illud ultra tempus ſibi permiſſum retinuerit, vel etiam intra tempus prædictum negotium per ſeipſum adminiſtraverit, pro negotiatore illicito habendum eſſe, & omnes, ac ſingulas etiam ſpolii pœnas præfatas incurrere perpetuo definit.

3. Declarat ac ſtatuit neque Conſtitutionem Pii IV., quæ incipit *Romanus Ponti-*

fex

tifex, neque Conſtitutionem Pauli V. quæ incipit *In Eminenti* ſuffragari, quoad evitandum ſpolium Cameræ Apoſtolicæ bonorum illicita negotiatione acquiſitorum a Civibus & Curialibus, ſive incolis Clericis almæ Urbis cujuſcumque ordinis, dignitatis, quibuſcumque indultis ac privilegiis munitis, ſive in Urbe, ſive in ejus diſtrictu, ſive alibi bona illa exiſtant; ſed jure ſpolii deberi Cameræ Apoſtolicæ perinde ac ſi prædictæ Conſtitutiones emanatæ non fuiſſent; eas namque, quoad præmiſſorum effectum ſortiendum plenarie abrogat, & abolet.

4. Demum ſancit ſic in præmiſſis omnibus & ſingulis, per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes definiri & judicari debere. Et Camerario Pontificio jubet, ut ſpolia ipſa ex bonis illicita negotiatione acquiſitis provenientia, uti vere ſpolia prout alia ipſius cameræ jure exigi & recuperari, & hanc Conſtitutionem inviolabiliter obſervari faciat, nec permittat Cameræ ipſi, aut pro ea agentibus ullo modo moleſtiam inferri, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, ac pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis: Non obſtantibus prædictis Pii, & Pauli Prædeceſſorum, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſcumque facultatibus teſtandi, aliiſque privilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſvis conceſſis, approbatis, & innovatis, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis & expreſſa mentio facienda eſſet; *illis in reliquis in ſuo robore permanentibus, ceteris contrariis quibuſcumque, etiamſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem.* Habetur hæc Conſtitutio *Tom. 1. Bullarii n.* 13.

Etiam Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens XIII. feliciter regnans die 17. *Septembris* 1759. Epiſtolam dedit ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos *ſuper obſervantia Canonicarum Sanctionum adverſus Clericos negotiatores, & ſæcularibus negotiis ſe ſe immiſcentes editarum.* In ea 1. omnes & ſingulas canonicas leges, & Romanorum Pontificum Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutiones adverſus Clericos negotiatores, & ſæcularibus negotiis ſeſe immiſcentes cum omnibus & ſingulis pœnis, atque cenſuris per eas reſpective indictis perinde ac ſi omnes in his litteris de verbo ad verbum inſertæ forent approbat, confirmat, & innovat; & inſuper decernit, ac declarat, prædictis omnibus legibus, ac pœnis ſubjici, & ſubjectas cenſeri debere omnes, & ſingulas perſonas Eccleſiaſticas, non ſolum e ſæculari Clero, ſed etiam e Regulari, cujuſcumque ſint Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, ampliſſimis licet, & ſingularibus Indultis, Privilegiis, & Exemptionibus muniti, & cujus etiam expreſſam, & individuam mentionem fieri oporteret.

2. Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos hortatur, & in Domino obſecrat, ut pro Eccleſiarum diſciplinæ integritate, & animarum ſalute advigilantes, in Clericorum omnium, qui tam ordinario quam delegato jure ipſis ſubjiciuntur, agendi rationem ſedulo inquirant, ac ſi quos forte hujuſmodi avaritiæ labe infectos, adverſus Canones, & Apoſtolicas conſtitutiones peccaſſe comperiant, in eos ad formam eorundem Canonum & Conſtitutionum, cum omni ſeveritate etiam ex officio procedere non omittant.

3. Duo Ipſis magnopere cavenda eſſe advertit. Primum videlicet, ne ſubdolis delinquentium artibus diligentiam, quam adhibent, eludi patiantur. Alterum, ne pravas Canonicarum legum interpretationes, quibus earum rigor enervatur, aut indulgentia præter fas extenditur, præter mentem & ſpiritum Eccleſiæ, ac privatis opinionibus adinventas, & ſine legitimi Superioris aſſenſu ad proprii cujuſque caſus opportunitatem accomodatas apud ſe ullo modo valere ſinant, ubi Clericorum Sæcularium, aut Regularium negotiationem, ipſis Judicibus, ad trutinam revocari contingat.

4. Speciatim declarat, ac definit Cambium activum, natura ſua, eſſe actum veræ & propriæ negotiationis; ideoque Eccleſiaſticis omnibus vetitum cenſeri debere, tam proprio nomine, quam per interpoſitam perſonam illud contrahere; quicumque vero e Sæculari, vel Regulari Clero cambium activum contraxerit, omnibus obnoxium fieri pœnis, atque cenſuris, quæ in clericos negotiatores conſtitutæ noſcuntur.

5. Denique de Eccleſiaſtico agit, qui ad ſe excuſandum quod ſæcularibus negotiis

aliis ſe immiſceat, neceſſitatem præfert indigentiæ aut Parentum, aut Sororum, aliarumque Perſonarum, quibus ex naturali officii debito opem ferre tenetur. Et circa hoc primum vult, atque decernit hujuſmodi excuſationem a Superiore Eccleſiaſtico nequaquam admitti, eidemque Clerico minime ſuffragari poſſe, quominus ad canonicæ legis præſcriptum pro modo culpæ puniatur, niſi doceat ſe antea præfatas neceſſitates Apoſtolicæ Sedi, ſi intra Italiam, & Inſulas adjacentes exiſtat, ſi vero in remotioribus Regionibus verſetur, ſaltem Ordinario loci expoſuiſſe, earumque intuitu opportunam diſpenſationem, & facultatem prædictas Perſonas induſtria ſua juvandi, vel ab eadem Apoſtolica Sede, vel reſpective ab Ordinario impetraſſe. Deinde pro eo quod pertinet ad curiæ Romanæ officia, notum facit, ſuam mentem & voluntatem eſſe, ut hujuſmodi diſpenſationes, & facultates nunquam concedantur, niſi cum ea conditione, quatenus adductæ cauſæ veritati nitantur; & niſi ſimul conſtet prædictas indigentias nulla alia ratione levari poſſe; neque etiam caſu, ait, nunquam Eccleſiaſticis permittatur ejuſmodi negotiationis genus aſſumere, cujus adminiſtratio Clericalem ſtatum, & Characterem dedeceat; quinimmo in ipſis Indultorum Præſcriptis & Litteris indicentur, ac præſcribantur honeſtiores modi, quibus Clericus, juſta moderatione ſervata, & intra veram indigentiæ menſuram pauperibus conſanguineis operam præſtare valeat. Quæ omnia ſimiliter ab Ordinariis, ad quos pertinet, in hujuſmodi diſpenſationibus, & facultatibus concedendis obſervanda eſſe edicit. Facultates autem ipſas, ut ſupradictum eſt, obtentas, ſemper quoad tempus revocationi obnoxias cenſeri decernit, ita ut pro invitis, & revocatis ipſo jure habeantur, quoties allegatæ conjunctorum indigentiæ ceſſaverint, vel alia legitima ſeſe offerat ratio iiſdem opportune proſpiciendi. Et ſuper horum omnium tum executione, tum obſervantia, Ordinariorum localium vigilantiam, atque conſcientiam onerari vult, & re ipſa oneratam fore denunciat.

§. IV. *De juſto rerum Pretio.*

Quid, & quotuplex ſit pretium? I. PRetium eſt pecunia, aut quid æquivalens datum pro re empta, eidemque rei quantum fieri poteſt commenſuratum. Duplex eſt, Legitimum, ſeu legale; & Naturale, ſeu vulgare, aut commune. Legale illud eſt, quod a publica auctoritate taxatur; & hoc conſiſtit in indiviſibili; quodque abſque injuſtitia a privata perſona augeri non poteſt, aut minui. Naturale eſt illud, quod a viris rerum vendibilium valoris peritis, perpenſis omnibus circumſtantiis, ex rectæ conſcientiæ dictamine ſtatui conſuevit: & quia nemo hominum eſt, qui rei valorem infallibiliter attingere poſſit, ut omnino æquale pretium ſtatuere queat; proinde pretium naturale non conſiſtit in indiviſibili; ſed communi omnium aſſenſu ſubdividitur in Summum, ſeu rigoroſum; in Medium, ſeu moderatum; & in Infimum, ſeu pium.

II. Hæc pretia excedere eſt illicitum graviter, vel leviter pro ratione exceſſus. Excedere pretium quale peccatum? graviter peccatur cum onere reſtituendi, ſi exceſſus ſit notabilis tam ex parte vendentis ſupra rigoroſum, quam ex parte ementis infra infimum: leviter autem, ſi exceſſus ſit levis. Propterea S. Th. 2.2.q. 77.a.1. *Dicendum*, ait, *quod fraudem adhibere ad hoc, quod aliquid plus juſto pretio vendatur, omnino peccatum eſt, in quantum aliquis decipit proximum in damnum ipſius. . . Si autem fraus deficit, tunc de emptione & venditione dupliciter loqui poſſumus. Uno modo ſecundum ſe, & ſecundum hoc emptio, & venditio videtur eſſe introducta pro communi utilitate utriuſque. . . . . Quod autem pro communi utilitate inductum eſt, non debet eſſe magis in gravamen unius, quam alterius: Et ideo debet ſecundum æqualitatem rei inter eos contractus inſtitui: Quantitas autem rei, quæ uſum hominis venit, menſuratur ſecundum pretium datum, ad quod inventum eſt numiſma... Et ideo ſi pretium vel excedat quantitatem valoris rei, vel e converſo res excedat pretium, tolletur juſtitiæ æqualitas. Et ideo carius vendere, vel vilius emere rem, quam valeat, eſt ſecundum ſe injuſtum & illicitum &c.*

III. Pretium vulgare ſeu commune augeri ſolet ex rerum penuria, ex ementium copia, & ex pecuniæ abundantia. Alia motiva alterandi. Quemadmodum e contra rerum copia, ementium paucitas, & pecuniæ penuria rerum pretia minuere ſolent. Item emendi modus confert ad alterandum pretium; quando enim venditur minutatim, carius venditur, quam cum magna quantitate ſimul eadem ſpecies venditur; minutæ enim venditioni varia incommoda adjungun-

guntur tum in pondere, aut menſura; tum quoad laborem in ipſo venditionis exercitio &c.; tum quia vendens in magna quantitate, italice *vendere in digroſſo*, cum citius expediat merces, aditum capit iterum negotiandi pecuniam, iterumque lucrandi; unde mitius venditur in magna quantitate, quam minutatim.

Alia motiva alterandi.

IV. Merx oblata a venditore, & præcipue rogante ut ematur, minoris valet, quam ſi ematur ex officina mercatoris. Unde eſt axioma; merces ultroneæ vileſcunt; dummodo tamen tanta non ſit emptorum copia, ut æquali pretio emantur merces ultroneæ, & quæſitæ: tunc enim oblatio ultronea non habet vim detrahendi de pretio, maxime legitimo ſeu legali: unde v. g. frumentum etiam oblatum non eſt emendum minoris, pretio taxato. Dixi maxime legitimo, quia etiam quando pretium eſt vulgare, ſi conſtet, venditorem offerre mercem alioquin optimam ob ſuam neceſſitatem pretio infra infimum, injuſtum eſt illam emere infra infimum; ſicuti injuſtum eſt ob neceſſitatem, quam talis rei habet emptor, illam vendere ſupra rigoroſum; quia id eſt vendere, aut emere neceſſitatem alterius, & rem non ſuam, neque vendibilem, & eſt inhumanum: *Si aliquis multum juvetur*, ait S. Thomas 2. 2. q. 77. a. 1., *ex re alterius, quam accepit; ille vero, qui vendit non damnificatur carendo re illa, non debet eam ſupervendere; quia utilitas, quæ alteri accreſcit, non eſt ex venditione, ſed ex conditione ementis: Nullus autem debet vendere alteri, quod non eſt ſuum, licet poſſit ei vendere damnum, quod patitur.* Et q. 13. de malo a. 4. ad 7. *Non licet vendere alicui in neceſſitate conſtituto rem aliquam multo amplius, quam valeat; eſſet enim injuſta venditio.* Quicumque igitur non aliunde pretium vel auget ſupra ſummum, vel minuit infra infimum; niſi ob ſolam ementis, vel vendentis neceſſitatem, reſtituere, vel compenſare tenetur. Heu, quot injuſte vendentes!

Quouſque merces ultroneæ vileſcant.

V. Cajetanus, Leſſius, Bonacina, & alii docent, merces ultroneas vileſcere pro tertia parte juſti pretii currentis, ita ut ſi pretium ſit novem, emi poſſint pro ſex. Alii docent, vileſcere pro dimidio pretii communis: hanc opinionem nemini conſulerem; nam deſcenſus talis in pretio convincit emi neceſſitatem proximi. Prima ſententia eſt humanior, & æquior, & per ſe tenenda: per accidens tamen evenire poteſt caſus, quod etiam pro dimidio emi poſſit, quando venditores non vendunt ob neceſſitatem, ſed ut ſe expediant a cura, & cuſtodia mercis; v. g. in bellica juſta devaſtatione, in qua manubiæ quarumdam rerum a militibus victoribus dimidio pretii venduntur, ut ſe ab illis citius expediant, tunc, aliis ita ementibus, non reputarem illicitum ita emere: dummodo deprædatio fuerit juſta.

Quid de Pretio rerum carentium pretio?

VI. Sunt quædam res carentes pretio, tum legitimo, tum naturali, puta gemmæ extraordinarii ponderis, ſtatuæ, picturæ, numiſmata, feræ manſuefactæ; aves, &c., quas dicunt graves Theologi etiam noſtrates Canus, Sotus, Victoria, Bannez relati a Leſſio dub. 3. n. 15. cum multis aliis, poſſe vendi quanti plurimi placuerit venditori: eo quod volenti rem pretio carentem ita emere, non fiat injuria. Rationabilior apparet opinio Cajetani, Navarri, Arragonii, Tanneri, Sylvii, & aliorum, docentium, etiam hujuſmodi pretio convenienti eſſe vendenda, cum etiam iſta ſint pretio aliquo peritorum & prudentum judicio moraliter commenſuranda; ita ut illud notabiliter excedere injuſtitia non vacet: & quamvis ratione ſingularitatis, & raritatis debeat eſſe longe altius aliis appretiabilibus; confinia tamen ſua debet habere, & a commutativa juſtitia menſurari.

Quid de pretio rerum quæ venduntur ſub haſta?

VII. Quando res venduntur ſub haſta, probabilius, & communius dicitur, quod hic extraordinarius vendendi modus, publica authoritate permittente, concedat, ut res vendatur, quanti vendi poteſt, juxta pretia a licitantibus oblata. Cum enim hujuſmodi rerum pretia dependeant ex ſola volentium emere multitudine, vel paucitate; propterea res vendenda incertæ fortunæ committitur, ut ſi plures licitatores ſint, pretium augeatur; ſi pauci, minuatur; proinde ſicuti committitur periculo, ut vendatur etiam infra dimidium juſti pretii, ita etiam committitur ſorti, ut vendatur dimidio pluris ſummi pretii, aut etiam duplo: non enim alius ſupereſt modus vendendi res ſubhaſtatas, niſi quouſque aſcendit ultimum plus offerentis pretium.

Fraudes uſitatiores in hoc vendendi modo.

VIII. At valde cavendum a fraudibus quæ eveniunt in hoc vendendi modo: uſitatiores ſunt: ſi venditor ſtudioſe occultet defectus rei vendibilis; ſi fictos licitatores admittat, qui exterius oſtendant ſe velle emere tali pretio, ut hoc

mo-

Digitized by Google

modo pretium augeatur: ſi executor retrahat aliquos volentes vere offerre majus pretium, ut aliquis ejus amicus pretio minori emat: ſi conſulto eligat illud vendendi tempus, quo emptores ſunt in minori numero, ut res minori pretio ab aliquo ematur: ſi emptor aliquos impediat ab offerendo majori pretio, ut ipſe minori emat: ſi emere volentes inter ſe conſpirent, & monopolium faciant, conveniendo, ne ullus excedat talem ſummam circa tales res, ut viliori pretio emantur; qui modi ſunt omnes manifeſte injuſti, ut patet, & reſtitutioni obnoxii. Circa penultimum tamen plures dicunt, quod ſi volens emere, ſolum roget abſque ullo mendacio, ullaque fraude alios volentes emere, & plus offerre, ut deſiſtant, non peccet contra juſtitiam. At hoc reſpectu hujus contractus verum eſſe non poteſt; quia niſi injuſtitiam committeret avertendo ſolis etiam precibus unum dumtaxat plus offerre volentem, poſſet ſimiliter omnes alios plus offerre volentes precibus avertere abſque injuſtitia; quod nemo concedere audebit; quippe quod ageret contra naturam hujusmodi vendendi; ita ut res amplius dici non poſſet ſubhaſtata, ſed implicito monopolio illius rogantis ſubjecta: igitur ſi abſque injuſtitia non poteſt omnes alios rogare, neque unum tantum; quippe quod contra naturam ſubhaſtationis, quæ præbet jus domino rerum ſubhaſtatarum, ne quiſquam ullo modo avertatur ab offerendo eo pretio, quod ſibi libuerit.

Sola dilatio ſolutionis non ſufficit ad augendum juſtum pretium, neque mera ſolutionis anticipatio.

IX. Vendere rem credito cum dilatione temporis ad ſolvendum, non eſt ſufficiens motivum, ut, propter hunc ſolum titulum, pretium augeatur, ex communi: *Quia hujuſmodi expectatio pretii ſolvendi habet rationem mutui: unde quidquid ultra juſtum pretium pro hujuſmodi expectatione exigitur, eſt quaſi pretium mutui, quod pertinet ad rationem uſuræ*, ait S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 7. Neque opponas contrariam mercatorum praxim; quippe mercatores contrarium agentes, niſi habeant alium verum juſtum titulum aut lucri ceſſantis, aut damni emergentis, aut periculi extrinſeci ſuo loco explicati, uſuram committunt, cum reſtituendi onere. Similiter neque ſola anticipata ſolutio juſtam reddit pretii juſti imminutionem: *Quia etiam iſta anticipatio ſolutionis pecuniæ habet mutui rationem, cujus quoddam pretium eſt, quod diminuitur de juſto pretio rei emptæ*, ait S. Doctor ibidem cum communi: & tunc uſuram perpetrat emptor. *Cum aliquis multum indiget habere rem aliquam, & alius læditur, ſi ea careat, in tali caſu juſtum pretium erit, ut non ſolum reſpiciatur ad rem, quæ venditur, ſed ad damnum, quod venditor ex venditione incurrit, & ſic licite poterit aliquid vendi plus, quam valeat ſecundum ſe, quamvis non plus vendatur, quam valeat habenti*: Hæc S. Doctor. 2. 2. q. 77. ar. 1. Qui caſus tunc verificatur quando venditor vendit ob meras preces, & flagitationes volentis emere, alioquin non venditurus; quia ſi venditor ipſe rem, quamvis neceſſariam ſibi, proferat vendendam, tunc nil amplius exigere poterit pro damno, quod patitur; quia non compellitur vendere a flagitante amico, ſed a propria neceſſitate: unde S. Doctor q. 13. de malo a. 4. ad. 14. *Qui emit rem aliquam, tantum pro ea juſte dat, quantum valet, non autem quantum ille, qui vendit ejus carentia damnificatur.*

Bene vero ſi ex re vendita venditor damnum patiatur.

Quid, quoad pretium affectionis?

X. Qui ſpecialem affectionem ad rem, quæ vendenda petitur, fingit, quam revera & coram Deo non habet, injuſte acquirit auctarium valoris rei, & ad reſtitutionem tenetur; quia fraudem committit in alterius damnum; ita communis. Et circa id cavere debent, qui requiſiti ad aliquid vendendum, & compertentes neceſſitatem volentis emere, ſibi creant affectionem ad rem petitam, quam revera non habent. Qui igitur revera habet hujuſmodi affectionem rationabili motivo innixam, puta quia res ſibi ex dono perſonæ dilectæ provenit; quia ex legato Patris; quia ex legato defunctæ uxoris; quia ſibi valde commoda &c., poteſt ob diſplicentiam, quæ ſibi obventura eſt ex talis rei privatione, aliquid conveniens ſupra pretium naturale rei exigere: dummodo affectio ſit rationabilis, & honeſta, ut notant omnes; ſi enim eſſet fundata in motivo indigno, puta quia donum ſui ſcorti, injuſta eſſet exactio; cum & ipſa quoque affectio reiicienda ſit divino jure. Hoc autem pretium affectionis confinia habere debet peritorum judicio, penſatis gradu affectionis, & motivo ejuſdem. Non enim licet petere quantum ſuggeſſerit indiſcretio affectionis, ſed quantum prudens judicium præſcribet. Monent demum Doctores Theologiæ non ſeveræ, nempe Molina diſp. 351., & Lugo diſp. 26. ſect. 7. §. 1. n. 50., hanc opinionem de aliquo

ultra pretium naturale exigendo ob affectionem *non eſse de facili conſulendam*, ob periculum, quod affectio vel de novo creetur, vel ab avaritia augeatur, vel honeſto motivo non innitatur, vel nimium exigatur.

Quid de merce longe meliori, quæ habet pretium legale?

XI. Quando merx, quæ habet pretium a lege taxatum, eſt cæteris ejuſdem ſpeciei, quæ communiter venduntur, melior, conveniunt omnes, quod niſi exceſſus bonitatis ſit valde notabilis, non liceat augere pretium, ſine injuſtitia: ſi vero reapſe exceſſus ſit valde notabilis, putant nonnulli quod poſſet vendens, debita proportione ſervata, pretium augere. Etenim taxatio legalis fit in commune bonum, comprehendendo plura individua talis mercis, quatenus plus minuſve conveniunt in eodem circiter bonitatis gradu; unde ſi per accidens eveniat, quod quædam individua illius ſpeciei ſint notabiliter, & longe perfectiora aliis communiter individuis, prudenter præſumi poteſt, legem hunc caſum comprehendere noluiſſe. Cum igitur taxatio pretii rerum fiat, prout ad humanos uſus deſerviunt, poteſt revera evenire, quod res aliqua illius ſpeciei notabiliter utilius, & abundantius, ob ſui perfectionem, ad humanos uſus deſerviat; unde non videatur injuſtum pro eadem quid amplius exigere. Hæc dicta velim, ne confeſſarius poſt factum revera tale pœnitentem perturbet; injungens tamen eidem, ut in poſterum abſtineat; & nemini ante factum conſulat, tum ob deceptiones avaritiæ, facillime ſuadentis dictum exceſſum, tum ob perturbationes quietis civilis inter mercatores, qui & ſcandalizari, & commoveri poſſent contra hujuſmodi venditorem.

Solutio caſus correſpondentis.

XII. Data opera admiſcere merci prædictæ longe meliori quædam inferioris conditionis, quæ nullum detrimentum ſive quoad durationem, ſive quoad ſalubritatem, ſive quoad aliud caput afferat eidem, ſed dumtaxat, quæ illam coæquant aliis, quæ communiter venduntur; quidam concedunt non eſſe injuſtum; quia vendit rem æqualis perfectionis, ac ſint cæteræ ejuſdem ſpeciei, æqualiter utilem emptori, æqualiter durabilem; cum igitur nullius jus lædat, neque injuſte aget. Et hæc quoque opinio, verificatis conditionibus indicatis poterit deſervire confeſſario poſt factum; ante factum autem nemini ſuadendam putarem; tum ob maximam difficultatem, quæ extat, ne miſcibilia adjuncta deteriorem, & minus utilem efficiant mercem illam in aliquo capite, unde lædatur juſtitia: tum etiam quia bonitas excedens mercis efficiet, ut citius illam vendat, & expeditius valeat lucrifactam pecuniam novæ negotiationi committere.

Quid de titulo vedendi pretio alterius loci?

XIII. Aliquando evenit, quod quis emat merces v. g. Venetiis, transferendas ver. gr. Corcyram, poteritne venditor eas vendere pretio quod Corcyræ ſolvetur, & eſt duplo majus pretio, quo venduntur, & emuntur Venetiis? Reſpondent Auctores cum diſtinctione, quod ſi vendens ſe obliget transferre ſuis expenſis merces illas Corcyram, & earumdem mercium ſuſcipiat in ſe periculum; poſſit pretio Concyræ illas vendere; tum quia omnia hæc ſunt pretio æſtimabilia, tum quia reapſe contractus Venetiis duntaxat inchoatur, perficitur autem, atque conſummatur Corcyræ: ſi vero & translatio mercium, & earumdem periculum relinquatur emptori, injuſte venduntur pretio Corcyræ; cum revera contractus perficiatur, & conſummetur Venetiis; unde non niſi pretio Veneto vendi poſſunt; & ſi aliter fiat, reſtituendus eſt exceſſus pretii Veneti.

Caſus incidens reſolvitur

XIV. Quando aliqua merx taxatur publica auctoritate, permittendo exteris, ut ſi in civitatem advehant merces illas, poſſint vendere ſupra taxam, (ut fieri conſuevit tempore ſterilitatis, magnæque rerum penuriæ) Petrus indigena ſi emat ab extero ſupra taxam, juxta mihi probabiliorem, poterit ſupra taxam eodem pretio quo emit vendere; quia cum exterus ille gaudeat hoc privilegio ob factas expenſas in advehendis mercibus, Petrus emens ab illo, & emptam mercem vendere volens, fungitur vicibus exteri illius, & transfert in ſe actionem ejuſdem, vendendo eo pretio, quo emit. Unde quamvis Petrus nec mercem conduxerit, nec expenſas fecerit immediate, attulit, & expendit mediate, geritque illius perſonam.

Caſus alter reſolvitur.

XV. Quid dicendum de vendentibus frumenta, aut farinam Piſtoribus, Artocopis, & Spiropopolis ſupra taxam; qui jam carius vendendo, vel minus dando, ſe indemnes ſervant? Reſpondetur cum communi, vendentes injuſte agere, & teneri ad compenſationem, non dictis ementibus farinam, ſed pauperibus, qui vel carius emendo, vel minus recipiendo, damnum reportant,

XVI.

Quid dicendum de pretioſit chyrographorum maturandorum &c.

XVI. Emens credita, cenſus, chyrographa, nondum maturata, minoris, quam ſit ſumma ſuo tempore exigenda, & recipienda, ſi exactio immunis ſit ab omni incommodo, difficultate, aut labore pretio æſtimabili, & non aliunde minoris emat, niſi quia ſtatim ipſe erogat totum ſimul, quod ipſe recepturus eſt v. gr. in tribus ratis poſt annum, longe probabilius eſt cum Soto, Medina, Sylveſtro, Molina, Gabriele, & aliis quamplurimis, quod illicite agat contra juſtitiam. Probatur primo ex damnatione theſis 41. ab Innocent. XI. etiam alibi relatæ: *Cum pecunia numerata pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.*

Probatur reſolutio.

XVII. Ex quibus ita argumentor: Falſum igitur eſt, quod pecunia numerata, & præſens ſemper pluris facienda ſit, quam numeranda, & abſens; & propterea aliquando æſtimanda erit æquali valore: at quando id eveniet? profecto quando pecunia numeranda, & abſens, & futura, omni prorſus periculo vacat in ſui exactione, & eſt moraliter certum, quod ſuo tempore erogabitur: ne igitur affirmetur juſtum, quod fuit ab Innocentio reprobatum ut uſurarium, dicendum erit; quod pro credito certo, nulli periculo obnoxio, nullaque moleſtia exigendo, non poſſit licite erogari minus, quam ſuo tempore recipiendum ſit. Confirmo hoc diſcurſu: ille contractus eſt iniuſtus, in quo non ſervatur æqualitas; atqui contractus, in quo emuntur credita immatura, alioquin immunia ab omni periculo, & incommodo, minoris, quam contineant, non obſervat æqualitatem pretii cum re empta; quandoquidem mille argentei ſecure poſt annum recipiendi abſque ullo incommodo; non valent minus mille argenteis præſentibus; quia mille argentei poſt annum abſque ullo incommodo recipiendi, non alia ratione minoris emi poſſent, niſi quia recipiendi poſt annum; atqui, juxta omnes, ſola temporis dilatio non poteſt eſſe ratio, ut pluris vendantur, aut minoris emantur, cum hoc ſit uſurarium, ut millies dictum fuit; ergo mille argentei luituri immunes ab omni incommodo non minoris valent mille argenteis præſentibus.

Obſervatio notanda.

XVIII. Conſulto repetivi pluries, immunes ab omni incommodo &c. Nam ſi exactio crediti emendi revera incommodis, difficultatibus, periculis eſſet obnoxia, cum hujuſmodi ſint pretio æſtimabilia, nulli dubitandum eſt, quod pecunia præſens ſtatim eroganda, & a venditore crediti abſque ulla difficultate, ullove incommodo tota ſimul ſtatim recipienda, merito pluris facienda eſſet, quam futura, tot moleſtiis ſuperandis ſociata; ut proinde quid minoris, prudentum judicio, perpenſis difficultatibus, erogandum eſſet.

Obſervatio altera.

XIX. Non eſt ſilentio prætereundum tempus, quo ab Innocentio XI. proſcripta fuit relata theſis, nempe anno 1679. die 2. Maji, ut tior innoteſcat, quomodo præcipui Doctores, qui oppoſitum ſuſtinuerunt circa caſum præſentem, ſcripſerunt ante damnationem dictæ theſis; fortaſſe noſtram propugnaturi, ſi poſtea ſcripſiſſent.

§. V. *De pretio taxato ex Monopolio.*

Notio Monopolii.

I. MOnopolium proprie eſt, quando unus, vel pauci procurant, ut venditio, vel emptio quarundam mercium ad ipſos ſolos reducatur; quando id fit auctoritate privata, eſt ſemper illicitum contra juſtitiam; eo quod violet juſtam venditorum, quam emptorum, ut patebit referendo modos, quibus committitur.

Modi quibus committitur auctoritate privata.

Nempe primo, quando unus, vel pauci conveniunt emere omnes merces alicujus ſpeciei, aut maximam earumdem partem vili pretio, ut conſumpto reſiduo penes alios exiſtente ejuſdem mercis, inducatur penuria, & carius vendatur ab ipſis pretio eorum libito conſtituto. Secundo, quando conſpirant ad vendendam mercem pretio dumtaxat rigoroſo, & ſummo. Tertio, quando conſpirant ad impediendum, ne merces talis generis advehantur ad locum, in quo ipſi mercem habent, ut carius illam vendere poſſint; aut quando magnam copiam ejuſdem abſcondunt, ut ex penuria pretium augeatur, & carius vendant. Quarto, quando falſis expeditionibus rapiunt a Principe privilegium Monopolii, ad pretium vel augendum, vel non minuendum. Quinto, quando, prævidendo pretium talis mercis imminutum iri, quia v. g. naves jam onuſtæ proſpere navigant portum verſus, ipſi ſpargunt falſas voces, naves aut a pyratis fuiſſe prædatas, aut ab undis ſubmerſas: aut oliveta fuiſſe gelu decocta, vineas exſiccatas, &c. Sexto, quando inter artifices fit conventio, ne opificium ab uno cœptum ab altero perficiatur. Cum igi-

igitur in omnibus præfatis conveniendi modis manifeſta appareat reſpective falſitas, fraus, violentia, eo pravo fine, ut pretia rerum augeantur, aut non minuantur, & avaritia quorumdam privatorum ſaginetur; propterea etiam jus civile in lege *jubemus* 4. Cod. tit. 59. de Monopoliis hæc habet: *Jubemus, ne quis .... cujuslibet ad victum, vel ad quemcumque uſum pertinentis ſpeciei ... pro ſua auctoritate ... Monopolium audeat exercere; neve quis illicitis habitis conventionibus conjuret, aut paciſcatur, ut ſpecies diverſorum corporum negotiationis, non minoris, quam inter ſe convenerunt, venundentur. Ædificiorum quoque artifices ... aliorumque diverſorum operum profeſſores penitus arceantur, pacta inter ſe componere, ut ne quis, quod alteri commiſſum ſit, opus impleat, aut injunctam alteri neceſſitudinem alter intercipere ... Si quis autem monopolium auſus fuerit exercere, bonis propriis expoliatus, perpetuitate damnetur exilii.*

* Tertius inter modos, quibus monopolium committitur duas habet partes. Circa primam aliquid inferius notabimus poſt ſolutionem obiectionis. Circa ſecundam vero hic breviter obſervandum occurrit, non eſſe injuſtitiæ accuſandos qui merces ſuas in illud ſervant tempus, quo eas cariores fore præſumitur; modo caritatem hac arte non inducant; quia tunc nulli injuriam inferunt.

Solvuntur objecta contra nunc ſtatuta. II. Obiici ſolet a quibuſdam, ut probent, non omnia monopolia privata ſemper eſſe contraria juſtitiæ, dicendo, quod ſicut licet privatæ perſonæ emere v. gr. frumentum tempore, quo venditur vili pretio, ut illud ſervet vendendum tempore majoris pretii; ita poterunt etiam aliqui ſimul convenire, ut idem faciant. Sed reſpondetur neque privatam perſonam, quævis illa ſit, poſſe ita agere licite, ſi ex ſua emptione, penuria inducatur illius mercis; quia violatur publicum jus civium: cum autem ex conventione plurium ita agere conſtituentium penuria ſequatur, propterea &c.. Neque dicas, quod dum merces reducuntur ad pretium ſummum, reducantur ad pretium juſtum. Nam pretium ſummum remanet inter gradus pretii juſti, quuuſque viget libertas vendendi, & emendi etiam aliis duobus, mediocri ſcilicet, & infimo: quando autem eſt facta conſpiratio ſolius ſummi, en ſtatim manifeſta violentia, & injuſtitia.

Altera III. Objiciunt ſecundo, & quidem ſubtilitate non modice ſagaci: Cives nullum jus habent, ut ab extraneis advehantur merces; ergo qui impediret abſque ulla fraude, ſed ſolis precibus, ne advehantur, non violaret juſtitiam, neque jus cujuſquam; & alioquin qui rogavit, habet jus vendendi ſuas merces pretio ſummo, ut fieri ſolet penuriæ tempore. Quod autem qui rogavit non peccet contra juſtitiam, patet ex communi, & obvio exemplo, quod non teneatur reſtituere Petro ille, qui ſolis precibus impedit Paulum, ne eidem donet aliquid, quod donare volebat. objectio ſolvitur. Reſpondetur, verum eſſe, quod qui ſolis precibus avertit aliquem, ne donet Petro, peccando contra charitatem, non peccat contra juſtitiam; quia Petrus nullum jus habet ad donationem illam: at Cives, quamvis non habeant jus, ut ipſis advehantur merces ab extraneis, habent tamen jus, ne ab aliquo cogantur emere carius, quam emerent, ſi merces adveherentur. Unde fit, quod impediens advectionem mercium, indirecte privat cives illos aliqua pecuniæ ſuæ portione, quia carius emunt, quam emerent, ſi merces adveherentur; ad differentiam illius, qui avertit volentem donare Petro: eo quod Petrus nil aliud amittat, niſi id, quod ipſi ex dono adveniret, & nulla alia re ſua privetur; cum alioquim impediens advectionem mercium efficiat, ut cives priventur majori illa pecunia quam erogare coguntur ob altitudinem pretii ex mercis penuria procedentem. Adde, quod impedientes advectionem mercis, id faciunt ut merces ſuas carius vendant; quod manifeſte dolum redolet contra publicum civitatis bonum, cui de jure gentium competit, ne ab ulla privata auctoritate inſidiæ tendantur contra honeſtas ſuas utilitates. Et proinde monopolium hoc, ſicut & cætera, nedum charitati graviter opponitur, ut fatentur omnes, verum etiam juſtitiæ, cum reſtitutionis onere, ut fert longe communior, & probabilior cum noſtris S. Raymundo, Cajetano, Bartholomeo Medina, Sylveſtro, Soto, Conrado, Ledeſma, Armilla; cum quibus graviſſimi quoque Major, Navarrus, Corduba, Toletus, Valentia, & alii.

* Animadvertendum cum Petro Collet *tom. 2. tract. de contractib. part. 2. cap. 1. art. 6. ſect. 5. concl. 2.* quod ſi alienarum mercium adventus cauſa foret, cur cives, aut vicini merces ſuas legitimo pretio vendere non poſſent, liceret extraneos merca-

ca-

Digitized by Google

catores excludere: tum quia poſtulat commune bonum, ut loci incolæ extraneis præferantur; tum quia Reipublicæ intereſt, ut pecunia ſua extra Provinciam non aſportetur. Pariter ſi quis, *ſubdit*, precibus ſolum efficeret, ne mercium copia in Civitatem inveheretur, ut ipſe ſuas commodius venderet, poſſet nequidem contra charitatem peccare, ſi nempe juſta ex cauſa lucrum ſuum intra pretii latitudinem intenderet.

Monopolium publica conceſſione factum.

IV. Ut Monopolium, publica conceſſione factum, ſit immune a peccato, nonnullas neceſſario poſtulat conditiones: prima, ut merx ſit communitati neceſſaria, & alioquin ſit periculoſæ, & difficilis advectionis; ita ut, niſi concedatur uni, aut aliquibus proviſio ejuſdem, deficere poſſit Communitati, aut non haberi in quantitate ſufficienti publico uſui: Cum enim magni ſumptus requirantur, & mercatores ab illa procuranda deterreantur, niſi aliquibus locupletibus privilegium concedatur, ut ipſis ſolis incumbat ejuſdem proviſio, evidenti periculo exponitur neceſſitas communis, ut vel ea careat, vel non niſi excedenti pretio habere illam queat. Secunda conditio eſt, ut concedatur privilegium, cum pretio a Principe taxato, poſt mature perpenſas circumſtantias periculorum, diſpendiorum &c., ut & Privilegiati ſuum conveniens lucrum habeant, & Communitas beneficio mercis gaudere poſſit. In alia item circumſtantia concedi ſolet a Principibus privilegium Monopolii, nempe ad ſublevandas urgentes neceſſitates publicas ad bonum commune: & tunc evadit quoddam tributi genus ſubditis impoſitum; ex eo enim quod qui monopolium exercent, magnam pecuniæ copiam Principi erogent, ſequitur, quod facultas ipſis ſolis conceſſa vendendi, augeat pretium mercis; & ſubditi cogantur majori pretio emere, quod pretii auctarium redolet quoddam tributi genus. Ut igitur hoc monopolium conceſſum vacet ab omni reatu contra charitatem, & juſtitiam, requiruntur illæ conditiones, quæ poſtulantur a juſta impoſitione aliorum tributorum, gabellarum &c., & proinde, quod revera adſit neceſſitas talis lucri, quod non alio meliori modo procurari queat; & quod revera publica utilitas illud exigat. Si enim miniſter illud proponens videat, quod alio modo poſſet ſubveniri publicæ neceſſitati, ſed illectus a propria utilitate, illud ut unicum, & neceſſarium medium ſuccurrendæ neceſſitati proponat; immenſo ſe gravat onere reſtituendi ſubditis vexatis, & omnia compenſandi damna, ex monopolio illis eventura. Et propterea etiam Princeps examinare tenetur, an utilitas boni communis præponderet gravamini, cui ſubjicienda eſt Communitas; & an publicum bonum alio modo minus oneroſo promoveri queat; & in hoc quoque caſu, taxandum erit pretium, ne ſi illud taxent Publicani monopoliſtæ, nimis excedant.

Non poteſt alius innocens vendere pretio monopolii.

V. Innocens, qui in monopolium privatum, & injuſtum non confluxit, juxta probabiliorem, contra nonnullos, non poteſt vendere pretio per monopolium conſtituto, & jam facto communi in illo loco. Ratio eſt, quia cum pretium per monopolium privatum conſtitutum ſit illicitum contra charitatem, & etiam contra juſtitiam, ut probavimus; propterea neque huic innocenti id licitum erit. Quod ſi velit vendere pretio ſummo, dummodo qualitas mercis correſpondeat, vendat eo pretio; at non quia per monopolium conſtituto, ſed quia ita ſibi jus competit: immo conſultum erit, ut aliquando vendat pretio medio.

* Si merces ob monopolium raræ factæ eſſent, poſſet is qui monopolii particeps non foret, eas pluris vendere, quia merces raræ pluris in rei veritate valent, quam communes.

Monopolium monopolio retundere, an liceat?

VI. Monopolium illicitum alio monopolio repellere, non ut actio illicita altera actione illicita repellatur, (quod nunquam licet) ſed ut tentetur via juſtæ compenſationis, deficiente alio medio, in rigore loquendo, & mere ſpeculative, non eſſet peccatum: puta repellendo monopolium vendendi ſolo pretio ſummo, aut ſupra, altero monopolio emendi duntaxat pretio infimo; dummodo tamen hæ ſervarentur conditiones, quod damnum venditorum non excederet damnum ab ipſis illatum emptoribus; & quod nulla alia via moraliter pateret emptoribus ſe eximendi a tyrannide monopolii venditorum. Verum quia eſt moraliter impoſſibile, ut præfata obſervetur æqualitas inter damna illata, & recepta; & quod non pateat recurſus ad Judicem, qui aut monopolium coerceat, ſi injuſtum, aut approbet, ſi juſtum; proinde in praxi hujuſmodi defenſio vacare non poteſt culpa. Si tamen neque a judice æquitas obtineri poſſet, & procuraretur pro poſſe obſervantia indicatarum conditionum, non auderem reprobare prædictum ſe compenſandi modum.

* Præcitatus Petrus Collet *ibidem concluſ. 2. in reſp. ad inſtant.* 2. poſtcaquam ſtatuit teneri Monopolas ad reſtitutionem propter injuſte ablatam Civibus libertatem emendi infra ſummum, aut vendendi ſupra infimum; regulam aſſignat ſervandam in hujuſmodi reſtitutione facienda. Hæc autem, *ait*, reſtitutio ex prudentis viri arbitrio facienda eſt, attendendo præſertim ſpem majorem, aut minorem, quam habere poterant Cives emendi viliori pretio, aut vendendi majori. Cenſent aliqui, *ſubdit*, contractum reduci debere ad pretium medium, & id ſatis juſtum videtur, quia ſic reponitur æqualitas.

§. VI. *De obligationibus Venditoris.*

Præmittitur regula S. Thomæ.

I. PRæmitto S. Thomæ Doctrinam ex 2. 2. q. 77., a. 2. & omnibus communem: *Circa rem, quæ venditur, triplex defectus conſiderari poteſt: unus quidem ſecundum ſpeciem rei; & hunc defectum ſi venditor cognoſcat in re, quam vendit, fraudem committit in venditione, unde venditio illicita redditur ... Alius autem defectus eſt ſecundum quantitatem, quæ per menſuram cognoſcitur; & ideo ſi quis ſcienter utatur menſura deficienti in vendendo, fraudem committit, & eſt illicita venditio ... Tertius defectus eſt ex parte qualitatis; puta ſi aliquod animal infirmum vendat quaſi ſanum: quod ſi quis ſcienter fecerit, fraudem committit in venditione, unde eſt illicita venditio & in omnibus caſibus non ſolum aliquis peccat injuſtam venditionem faciendo, ſed etiam ad reſtitutionem tenetur. Si vero, eo ignorante, aliquis prædictorum defectuum in re vendita fuerit, venditor quidem non peccat, quia facit injuſtum materialiter, nec ejus operatio eſt injuſta ... tenetur tamen, cum ad ejus notitiam pervenerit, damnum recompenſare emptori.*

Deductiones communes ex tradita doctrina.

II. Peccant ergo graviter pro ratione materiæ venditores, vendentes rem defectuoſam in ſua ſubſtantia; & ignorato defectu ab emptore, contractus eſt nullus; quia aſſenſus emptoris non habet quo ſe ferat; deficiente enim ſubſtantia rei, non eſt aſſenſus in illam rem, ſed in alteram, quæ non eſt. Quando autem admixtio alterius rei talis eſt, ut ſubſtantiam non corrumpat, puta aquæ vino admixtæ; farinæ ſiliginis, triticeæ commixtæ &c., quæ ſpeciem vini, & tritici non tranſmutet; contractus quidem validus eſt; at venditor tenetur imminuere de pretio pro rata meræ mercis, & item reparare damna, ſi quæ ex deceptione oriantur: & peccat graviter ita decipiendo.

Quid de vendente unam rem loco alterius.

III. Vendens unam rem loco alterius, quæ, ſecluſa omni dubitatione, ſit æque utilis ad finem ab emptore intentum, quamvis infideliter agat, ad reſtitutionem non tenetur, dummodo pretium recipiat correſpondens rei datæ, ut docent multi cum Soto, Banez, Lopez Valentia, Lugone &c., quia quamvis res non ſit eadem phyſice, eſt eadem moraliter. Quæ doctrina ad ſummum deſervire poteſt poſt factum, nemini tamen ante factum conſulenda; & pœnitenti ne illa utatur deinceps inculcandum; quia valde difficile eſt, ut res ſit omnino æqualis virtutis ad intentum emptoris, & præcipue in medicamentis, & in rebus, quæ ſervandæ emuntur: tum quia ſemper intervenit deceptio in re momentoſa, quæ ſi emptori innoteſceret, a contrahendo forte abſtineret. Hic addendum cenſeo ex S. Antonino part. 2., tit. 1., cap. 17., §. 4. *Dum aliqui ſophiſticant* (ideſt alterant) *ea, quæ vendunt, ut ſe ſervent indemnes, & cum aliquo lucro congruo; quia ſi venderent puras res, emptores non vellent dare juſtum pretium, quia alii vendunt alia ſic ſophiſticata, & mixta minori pretio; videntur poſſe excuſari; dummodo non fiant tales mixturæ, quæ noceant humanis corporibus, quod accidere poteſt in his, quæ venduntur in cibum, & potum hominum, & præcipue in medicinalibus.*

* Relege quæ docet Auctor ſupra §. 4. *num.* 12.

Vitia quoad quantitatem.

IV. Jam patet ex dictis cum S. Doctore, quod fraus circa quantitatem, pondus, menſuram, ſit, ut injuſta, reſarcienda. Hinc quando venditor artificioſe procurat, ut merx creſcat in mole, aut quantitate ſibi non naturali, puta madefaciendo frumentum, aut in loco humido illud tenendo, ut turgeſcat, & in minori copia menſuram impleat; qui lanam humectant, ut magis ponderet; qui pannos in tractorio ſupra exigentiam trahunt, ut facilius ulnam adæquent &c., fraudem committunt reſtitutioni obnoxiam. Unde S. Antoninus loc. cit. §. 5., *qui faciunt trahere pannos ad tractorium ultra debitum, unde poſtea madefactus, & tonſus, ut moris eſt, retrahitur ad minorem menſuram: & iſti fraudem faciunt.*

Vitia quoad qualitates mercis.

V. Vendere mercem defectuoſam quoad qualitatem eſt illicitum, & pro ratione defectus, grave eſt, aut leve peccatum; quia deceptio proximi, cum onere re-

ſarciendi: & proinde ait S. Antoninus loc. cit. §. 6. *Si venduntur carnes infectæ pro ſanis, aromata antiquata, & ſic virtute debilitata, pro recentibus; liber corruptus & falſus pro fideli; corium fragile, pro durabili; vinum corruptum, pro ſano; domus ruitura, pro ſtabili, & firma, pannus defectuoſus pro indefectuoſo, & hujuſmodi*, ut patet, agitur contra juſtitiam; hi enim omnes ſunt defectus occulti, qui ab emptore animadverti aut non, aut vix poſſunt. Propterea Angelicus loc. ſupracit. a. 3. hanc tradit regulam: *Si vitia ſint occulta, & ipſe venditor non detegat, erit illicita, & doloſa venditio, & tenetur ad damni recompenſationem. Si vero vitium ſit manifeſtum, puta ſi equus ſit monoculus, ... poteſt licite venditor indemnitati ſuæ conſulere, vitium reticendo*; coæquato tamen pretio cum merito mercis: ſed de hoc iterum n. 7. Quando vero venditor ſcit vitium occultum mercis, unde grave damnum evenire poteſt emptori, vel aliis ea utentibus, tenetur illud manifeſtare; aliter ipſi incumbunt omnia damna: *Quia*, ait S. Doctor loc. cit. *dare alicui occaſionem periculi, vel damni, ſemper eſt illicitum .... venditor autem, qui rem vendendam proponit, ex hoc ipſo dat emptori damni, vel periculi occaſionem, quia rem vitioſam ei offert; ſi ex ejus vitio damnum, vel periculum incurrere poſſit: Damnum quidem, ſi propter hujuſmodi vitium, res, quæ vendenda proponitur, minoris ſit pretii, ipſe vero propter hujuſmodi vitium nihil de pretio ſubtrahit; periculum autem, ſi propter hujuſmodi vitium uſus rei reddatur impeditus, vel noxius, puta ſi quis alicui vendat equum claudicantem pro veloci, vel ruinoſam domum pro firma &c.* Si igitur vendat oves morbidas, quæ inficiant alias ſanas emptoris, tenetur tam pro damno mercis, quam pro infectione aliarum: ſimiliter ſi vendat equum furioſum, qui emptorem præcipitet, & lecto adigat; tenetur & pro deceptione in merce, & pro damno ſecuto, & pro lucro forte ceſſato &c., & ſic de ſimilibus; quia horum omnium fuit cauſa doloſa.

VI. Idem dicendum, quando venditor dat mercem de præſenti bonam, quæ tamen inutilis eſt ad finem emptoris, qui interrogavit venditorem, an ad talem finem vel uſum deſerviat; puta vinum ſervandum tempore æſtivo, quod venditor ſcit plerumque in æſtate corrumpi, quamvis alio anni tempore tantum perſiſtat; quia decipit graviter emptorem, & inde ad damna tenetur. Similiter ſi emptor venditorem interroget, an illa merx ſit ab omni vitio immunis, vel an aliquo vitio laboret; tunc non poteſt ullum defectum celare, quamvis patens, & manifeſtum: quod ſi aliquid celet, vel non dicat, etiamſi patens, decipit in re gravi interrogantem. Si vero de vitio tantum dubitet, debet interroganti hanc ſuſpicionem aut dubium declarare; immo etiamſi emptor non interroget, tenetur hoc dubium aperire, & præcipue ſi ſit de vitio, reddente mercem inutilem fini ac uſui emptoris. Neque ſufficit illam vendere pretio diminuto, & correſpondente merci ſuſpectæ, quia emptor ſemper illam emit ut bonam, & non vitiatam: Unde niſi declaret ſuſpicionem, decipit emptorem cum onere reſarciendi damna. Inſuper ſi vendat rem litigio obnoxiam, debet hoc vitium manifeſtare emptori: neque ſufficit, quod venditor ſit animo paratus reſarcire emptorem in caſu, quo res illa evincatur; id namque non ſufficit ad reddendum emptorem, quantum ſufficit, ſecurum; cum evenire poſſit, ut venditor aut bonis omnibus a fiſco expolietur, aut aliquo alio caſu incendii, latronum &c. depauperetur. Hujuſmodi ergo vitium eſt procul dubio aperiendum.

VII. Si vitium ſit patens, neque venditor interrogetur ut ſupra, nihilominus ſi venditor animadvertat emptorem ob ſui hebetudinem, aut viſum deficientem, aut aliunde, non obſervaſſe vitium illud manifeſtum, tenetur illum admonere de vitio; quia in eo caſu, quamvis ſit abſolute manifeſtum, reſpective ad talem emptorem eſt occultum. Neque obſtat regula ſuperius allata ex S. Doctore: in qua loquitur de illo vitio manifeſto, de quo venditor non ſit certus, quod non fuerit ab emptore obſervatum; & ita docent nedum probabilioriſtæ, verum etiam probabiliſtæ, præſertim de Lugo diſp. 26., ſect. 8. n. 130. Quid ſi vitium ſit patens, nec venditor interrogetur?

VIII. Quando vitium rei occultum illam neque reddit noxiam, neque inutilem emptori ad finem intentum, neque ſit alteri revendendi cum periculo præjudicii novi emptoris, tunc venditor non peccat, emptori illi primo nil interroganti, ſi illam vendat, vitio non manifeſtato, pretio alioquin merito rei correſpondente: eſt D. Tho. loc. cit. *Cum uſus rei eſt conveniens emptori; ſi venditor propter hujuſmodi vitium ſubtrahat, quantum oportet de pretio,* Quomodo liceat vendere mercem defectuoſam occulte?

non tenetur ad manifeſtandum rei vitium; & Quodlib. 2. a. 2. *Si vitium non faciat rem minus valere* (emptori) *quam pretium impoſitum; tunc non peccat tacens vitium;* eo quod nulli faciat injuriam; non emptori, qua res illi deſervit ad uſum, ad quem eam petit, & alioquin diminutum fuit illius pretium; non aliis, cum ſit a ſolo emptore conſumenda. Ex alio autem capite, cum ipſi mercatores merces nedum optimas, ſed & mediocres, vitioſas, & inutiles emant, ſi ſemper optimas & nulli defectui obnoxias vendere tenerentur, renunciare negotiationi compellerentur; immo negotiatio redderetur impoſſibilis in conſcientia; cum alioquin ſit bono communi adeo neceſſaria. Si igitur vendant merces vitioſas, dummodo id agant abſque ullius notabili præjudicio, eis condonandum eſt.

Qualiter poſſit venditor uti ſcientia occulta mutationis pretii?

IX. Si Mercator ab amico certior fiat ſecreto per epiſtolam, brevi adventuram magnam copiam alicujus mercis, unde illius pretium ſit notabiliter minuendum; poteſt, ſi vult totam illam mercem, quam apud ſe habet in magna quantitate vendere pretio currenti, quod alioquin eſt altum, & ſe indemnem ſervare a brevi eventuro damno: Ita S. Doctor 2. 2. q. 77. a. 3., ubi quarto loco ſibi oppoſuit caſum noſtrum; & reſpondet: *Vitium rei facit rem in præſenti eſſe minoris valoris, quam videatur; ſed in caſu præmiſſo, in futurum res expectatur eſſe minoris valoris per ſuperventum negotiatorum, qui ab ementibus ignorantur. Unde venditor, qui vendit rem ſecundum pretium, quod invenit, non videtur contra juſtitiam facere, ſi quod futurum eſt non exponat. Si tamen exponeret, vel de pretio ſubtraheret, abundantioris eſſet virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex juſtitiæ debito.* Ratio deducitur ex verbis Angelici; quia vendit rem juſto pretio currente, juxta communem peritorum æſtimationem, quæ communis æſtimatio non tollitur ex privata, & ſecreta alicujus privati notitia: ſicuti privata notitia, valorem monetæ cras imminutum iri, non efficit, quod illam hodie expendere non poſſim pro valore hodierno. Propterea vendi poteſt domus pretio currenti alto ab eo, qui privata ſecreta notitia ſcit, Curiam regiam brevi alio transferendam, cum magno pretii domus decremento: dixi vendi, non locari; quia translata Curia, etiam locatio ſubſequens translationem eſſet minuenda. Similiter Senatores, qui ſcientia ſecreta ſciunt, menſe venturo monetæ valorem fore minuendum; cum non ſint deterioris conditionis aliis privatis, qui his notitiis privatis utuntur, poterunt tales monetas expendere pretio currenti; non tamen (nota bene) non tamen executionem legis data opera differre, quouſque ſe dicta monetæ ſpecie exonerent; quia id eſſet, non uti, ſed abuti & poteſtate, & ſcientia; & anteferre privatum commodum bono communi.

Limitatio chriſtiana datæ doctrinæ.

X. Fateor tamen, mihi multum arridere limitationem doctiſſimi Viguerii, quam etiam alii amplectuntur, nempe quod ſi venditor non indigens, dum contrahit, animadvertat lucrum a ſe reportandum, evaſurum eſſe exitiale ementi mediocris fortunæ, qui emit, ut eandem mercem revendat ad ſui, & familiæ ſuſtentationem; & propterea pretii imminutionem brevi eventuram, ipſi ementi & familiæ eſſe allaturam damnum valde grave; venditor, inquam, iſte graviter peccet contra charitatem, vendendo hujuſmodi homini; ſed teneatur ipſum ſecreto monere, ut emptionem adhuc differat modico tempore, & ſibi interim apud alios venditores provideat. Et ſi interea ipſe vendens velit jure ſuo uti, & ſuum agere negotium abſque charitatis læſione, vendat non indigentibus, ſed illis, quibus pretii imminutio ſuperventura exitium afferre non poſſit. Si enim lex charitatis non obliget in præfato caſu, quandonam ſub gravi erit obligatura? Quæ diximus de notitia privata venditoris reſpectu rei vendendæ; applicanda ſunt notitiæ privatæ emptoris reſpectu rei emendæ.

§. VII. *De Obligationibus Emptoris.*

Tenetur emptor monere venditorem ignarum.

I. TEnetur aliquando emptor in conſcientia monere venditorem ignarum de bonitate, & valore rei quam vendit; quæ ignorantia deducitur ex vili pretio, quod ipſe venditor exigit: quia hic error, cum ſit antecedens, cauſat involuntarium, & efficit contractum nullum, & ſolvitur pretium injuſtum: ita communis apud Molinam diſp. 353. Quod ſi emptor cognoſcens valorem rei erogat pretium intra lineam juſti pro eadem, ait Lugo diſp. 26., ſect. 8., n. 136., eum ſatisfacere ſuæ obligationi, quia erogat pretium juſtum. Cavere autem debet, ne aſpernetur mercem, aut aliis mendaciis, & fraudibus eidem de-

detrahat injuſte; quia quamvis det pretium juſtum, cum tamen ſit infimum, mendacia illa præcludunt venditori aditum animadvertendi valorem rei ex pretio ſibi exhibito; & veritate comperta, petiiſſet forte pretium medium, aut ſupremum. Multo autem magis tenetur emptor veritatem valoris mercis aperire venditori, ipſum interroganti de valore ſuæ mercis; quia etiam in hoc caſu, ſecluſo quocunque doloſo artificio aſpernandi mercem, imponendi eidem defectus, quibus caret &c., teneretur ſincere aperire, ſi ſciat, tria pretia; & deinde cum eodem tractare de merce emenda.

Caſus emergens reſolvitur. II. At dubium exurgit, num quando emptor, jam certus de præſtantia & æſtimatione mercis, dicit venditori ſe velle de eadem ſecum abſque ſcrupulo contrahere, vel quidpiam ſimile proferat, quo poſſit venditor reddi ſufficienter monitus, ut ſibi caute conſulat; num, inquam, emptor ſic conſcientiæ ſuæ ſatisfaciat? Negant Bannez, Ledeſma, Lugo, & Molina, qui contrariam vocat improbabilem, quam tamen a Cajetano ſuſtineri in ſumnula verbo Emptio n. 2., aliqui dicunt, ſed perperam, ut ſtatim oſtendam. Putant nonnulli, ſub diſtinctione eſſe reſpondendum; vel enim vendens, habito hoc nutu ab emptore, oſtendit ſe percepiſſe, & poteſt ſuſpendere venditionem, donec peritos conſulat de qualitate mercis; & in hoc caſu, ſi venditor velit omittere conſultationem cum peritis, quam commode habere poteſt antequam vendat. & nihilominus vendere velit, ſuæ inertiæ adſcribere debet, ſi majus pretium non accipiat. Et in hoc ſenſu videtur Cajetanus loquutus, dum ait. *Ex quo dominus rei monitus cum proteſtatione, non curat diſcutere rem ſuam, & emptor non tenetur et explicite affirmare, quantum valet, cum habeat alios, unde poſſit inquirere, & ſcire.* Et hæc moderatione adhibita, puto eam non poſſe dici improbabilem; quamvis a me non admittatur; quippe quod emptor ex una parte eſt omnino certus de præſtantia v. g. gemmæ, & alioquin ſemper ſibi apertus relinquitur aditus dubitandi, an, ſufficienter ad contrahendum, cognoſcatur a venditore, itaut contractum etiam ex ignorantia proceſſiſſe, ſuſpicari prudenter queat, cum notabili venditoris damno. Quid ſi venditor ex nutu habito ab emptore vel non perceperit, vel ſi etiam perceperit, ſit in morali neceſſitate vendendi, quin poſſit conſultationem præmittere; tunc communiter conveniunt, emptorem injuſte emere; nec præſumi poſſe, venditorem condonare emptori reſiduum valoris, & pretii; cum condonatio illa non ſit omnino ſpontanea, & liberalis, qualis eſſe deberet, utpote mera donatio.

Caſus alter. III. Quando tam venditor, quam emptor æqualiter ignorant valorem mercis, eusque perfectionem, & committendo ſe ſorti, conveniunt de determinato pretio; juxta Cajetanum ibidem celebratur licitus contractus, cum uterque æquali periculo, vel fortunæ ſe exponat: proinde tota ſolutio pendet ex omnino æquali gradu periculi, qui ſi deſit, contractus eſt injuſtus.

§. VIII. *De Fructibus, & Periculis rei venditæ.*

Quando fructus rei venditæ ſpectent ad emptorem? I. QUando res vendita tradita eſt emptori, quamvis pretium nondum fuerit ſolutum, & venditor in dilationem conſenſerit, fructus rei ſpectant ad emptorem: quia per traditionem rei, emptori a venditore factam, jam venditio ex parte ipſius conſummata eſt; & cum in dilationem ſolutionis conſenſerit, nullus ſupereſt titulus percipiendi fructus ex ea. Si vero rem venditam nondum tradiderit, neque habuerit animum transferendi dominium ejuſdem in emptorem, quouſque erogetur pretium, & nil circa fructus conventum fuerit, illi pertinebunt ad venditorem: quandoquidem nondum res ſub perfecto dominio, & quoad jus in re, ad emptorem pervenerit. Sermo autem eſt de fructibus adhuc pendentibus; ſi enim jam collecti fuerint, ex. g. uvæ collectæ ex vinea vendita, ligna cæſa ex nemore vendito, quamvis nondum fuerint aſportata in domum venditoris, nihilominus cenſentur eſſe ipſius, niſi aliter conventum fuerit.

Etiam quando eſt in mora ſolvendi. II. Etiam, quando poſt traditionem rei, pretium neque eſt ſolutum, neque pro ſoluto habitum conſenſu venditoris, ſed emptor eſt in mora ſolvendi, adhuc fructus eſſe emptoris, docent S. Antoninus, Sylveſter, Panormitanus relati a Sanchez lib. 1. Conſil. cap. 7. dub. 21., & alii plures: quia fructus ſequuntur ſubſtantiam rei; atqui ſubſtantia pertinet ad emptorem, eo quod, ut videbimus, etiam periculum rei ad ipſum ſpectet; igitur etiam fructus; aliter totum commodum

dum eſſet venditoris, & totum incommodum emptoris: Cum enim, ut dicemus, tam mercis corruptio, quam ejuſdem deterioratio, ſi abſque culpa venditoris eveniant, ſpectent ad emptorem; ſi venditor & pretium, & fructus perciperet uſque ad ſolutionem incluſive, jam patet, quod totum commodum eidem cederet. Tandem niſi alius titulus accedat venditori, percipiendi fructus, quam ſola ſolutionis dilatio, jam fœneratitia eſſet receptio fructuum, ut patet.

Etiam fructus immaturi.

III. Fructus pendentes, & nondum maturi, qui venduntur cum vinea, aut horto, quamvis nondum ſoluto pretio, neque facta tranſlatione fundi venditi in emptorem, etiam effecti maturi ad illum pertinent; quia juxta legem *fructus* 44. ff. de rei venditione, fructus pendentes tam maturi, quam immaturi cenſentur pars fundi, reique fructiferæ; empta igitur re fructifera, etiam fructus immaturi cenſentur empti, & propterea vinea cum uvis non vindemiatis, hortus cum fructibus non collectis, grex ovium fœtarum pluris æſtimari ſolent. Si enim, ut dixi, incommoda illius fundi ad emptorem pertinent, cur non & commoda? Idem dicas de fructibus naſcituris, & producendis ob eamdem rationem.

Damna rei emptę quando pertineant ad emptorem?

IV. Res determinata in individuo, puta hoc dolium vini, hæc domus &c., etiam antequam emptori tradatur, celebrato jam contractu, & habita fide de pretio erogando, ſi abſque culpa venditoris pereat, perit emptori, niſi aliter conventum fuerit; ad ipſum namque pertinet tanquam ad dominum realem, qui ſicuti ſentit commodum percipiendo ex ea fructus, ita & incommoda: Ita lex *quod ſæpe* §. *in iis*, ff. de contrahendis emption. & etiam cap. de commod. & peric. rei venditæ. Si vero perierit ex culpa venditoris, illam non cuſtodientis prout tenebatur, aut quia fuit in mora culpabili illam tradendi emptori parato ad eam recipiendam; tunc perit venditori; & ſi pretium erogatum fuiſſet, reſtituere tenetur illud: Videndum tamen eſt, an res illa, quæ apud venditorem periit ex mora, ſimili modo infallibiliter periiſſet apud emptorem; quia, ſi id verum eſſet, puta incendio fulmineo, ait Lugo poſt Molinam, nullum damnum pati deberet venditor.

Quando ad venditorem?

V. Si venditio ſit alicujus rei indeterminatæ in individuo, puta duorum doliorum vini ex duodecim, quæ habet venditor in cella vinaria; decem ovium ſui gregis, ex centum conſtantis, tunc res vendita periens, perit venditori; & quouſque habeat dolia vini, & gregem, tenetur dare duo dolia, & decem oves: quia habet, quo ſatisfacere poſſit obligationi contractæ. Si autem aliquo eventu puta incurſione hoſtili omnia ſua dolia, omneſque oves perirent, tunc, reſtituto pretio, ſi illud receperat, ad nil amplius tenetur: ratio prima eſt, quia cenſetur facta venditio ſub conditione menſurationis vini, & numerationis ſelectarum ovium; quibus non ſecutis, venditio non fuit perfecta. Ex quo patet ratio ſecundi: ita ex laudatis, & aliis juribus: nempe ex lege 1. in princip. & 2. ſi *quis vina* 4. §. 1. ff. de peric. & com. rei venditæ. Et hæc doctrina extenditur etiam quando venditur aliquid non ſolum ad menſuram, & numerationem, ſe etiam ad corpus, & in individuo, dummodo ſibi reſervet emptor ante complementum contractus, v. g. deguſtationem vini talis dolii, explorationem talis frumenti &c., quia etiam tunc periculum ſpectabit ad venditorem, donec hæ actiones præſtentur, quæ ſuſpenſum tenent aſſenſum. Debet tamen præfigi certus temporis terminus ad has explorationes faciendas; quem terminum ſi prætergrediatur emptor, periculum ad eumdem ſpectabit: ita citatæ leges. Quod ſi nullus terminus fuerit præſcriptus, poteſt venditor convenire emptorem, & coram teſtibus proteſtari, quod niſi infra tantum tempus exequatur explorationem, res pereat ipſi emptori: æquitas enim poſtulat, ut propoſito convenienti tempore, venditor ab hoc onere liberetur.

§. IX. *De pactis venditioni, & emptioni adjectis. nec non de debito pro Evictione.*

Quid de pacto retrovenditionis in favorem venditoris?

I. PRimum pactum aliquando venditioni adjectum, dicitur retrovenditionis aut redemptionis: & conſiſtit in eo, quo res vendatur cum pacto, ut quando venditori libuerit, teneatur emptor rem emptam ipſi revendere. Hic contractus, quando eſt in favorem venditoris, licitus aſſeritur, dummodo aſſocietur ſequentibus conditionibus: prima, ut tam vendens, quam emens veram habeat intentionem emendi, & vendendi; aliter eſſet uſura palliata; ſecunda, & conſequens primam,

ut

Digitized by Google

ut rei venditæ dominium, periculum, fructus &c. ſpectent ad emptorem: tertia, ut ſervetur identitas rei venditæ, ita ut ſi videatur vinea in hyeme, & fructibus ſpoliata, in tali ſtatu redimatur; ſi in Auguſto, in Auguſto redimatur: quarta; ut non vendatur pretio vili; debet tamen minui de alioquin juſto pretio pro tertia parte, ut volunt plures Doctores; quamvis conſultius ſit hujuſmodi diminutionem, omnibus perpenſis, eſſe judicio peritorum, & timoratorum relinquendam: quinta, ne addatur pactum, ut minori pretio redimatur, quam fuerit vendita, ſed redimatur eo pretio, quali pro tempore redemptionis a peritis æſtimabitur: non tamen quanti primo vendita fuit, ut male affirmant aliqui; eo quod tempore primæ venditionis pretium erat imminuendum ob onus pretio æſtimabile emptori impoſitum illam revendendi; quando vero revenditur, nullum onus imponitur. Hic contractus ita modificatus approbatur a legibus leg. 2. Cod. de pactis inter vendit & empt., & in lege Canonic. c. *ad noſtram* de emptione, & Cap. *illo* lib. 3. tit. 21. de pignoribus.

Quid de eodem pacto in favorem emptoris?

II. Pactum redimendi in favorem emptoris ſolius, probabilius uſuram ſapit. Ratio eſt, quia quamvis res vere ematur, & ſi perierit, pereat emptori, & proinde licitum videri poſſit pactum revendendi; nihilominus quodnam periculum ſubire poteſt emptor, quando emit res immobiles? Præterea ut hoc pactum licitum dici poſſit, requiritur, quod fructus percepti ab emptore computentur in partem pretii, quod recipi deberet tempore revenditionis, aut ſaltem requiritur, quod primus emptor emat rem pretio notabiliter majori ob onus impoſitum venditori, & venditor eam redimat pretio longe minori; quippe qui illam emendo nullum imponat onus: atqui hæ conditiones aut vix, aut nunquam ſervantur; idcirco Doctores apud Lugonem diſp. 26., ſect. 13., num. 200., & ſeq., conveniunt, hujuſmodi contractum nunquam permittendum. Confirmo: quia præfatum pactum in re nil aliud eſt, quam v. g. mille ducatos mutuo dare pro vinea empta, & ejus fructus ad beneplacitum percipere tanquam pretium pecuniæ datæ; ut deinde quando libuerit danti pecuniam, eadem reſtituatur. Quod eſt vera, & fœtens uſura. Verum equidem eſt, quod ſi res pereat, perit emptori; unde mille ducatos repetere non poſſit; per quod ab uſura diſtinguitur: At, ut dixi, cum rei emptæ jactura vix unquam verificetur, præcipue in immobilibus; vix unquam ab uſuræ labe pactum hujuſmodi purgari poteſt.

Quid de eodem pacto in favorem utriuſque?

III. Pactum revenditionis in favorem utriuſque, ſaltem periculoſum eſt pro conſcientia, neminique conſulendum: quamvis enim non ſit adeo proximum fœnori ac anterius, non vacat tamen a fœnoris periculo. Adde, quod vix ſervari poſſit æqualitas in contrahentibus; quandoquidem longe difficilius eſt venditori invenire pecuniam erogandam emptori illam petenti, quam ipſi emptori, poſt perceptos fructus, revendere rem primo venditori.

Quid de eodem pacto ſtatim poſt emptionem exequendo?

IV. Contractus ab Hiſpanis dictus Mohatra, in quo aliquis emit rem a venditore ſummo pretio, eidem ex pacto ſtatim retrovendendam pretio infimo, eſt injuſtus, & reprobatus, ut alibi dixi, ab Innocentio XI. in theſi 40. *Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri:* Si vero hic contractus fiat abſque ullo prævio pacto tam formali, quam virtuali; tam explicito, quam implicito, & abſque ullo ſcandalo, nullam omnino continet injuſtitiam. Ratio eſt, quia vendens pretio ſummo juſto bona fide vendidit, nil ſuſpicans de intentione retrovendendi in emptore. Si igitur emptor ſponte offerat ipſi venditori rem emptam, ab ipſo emendam pretio infimo, cur injuſte aget ſi illam emat? ſi illam poteſt emere quivis alius, cur non ipſe venditor, qui nullum indicium de hoc dedit ementi? Nonne ſi emptor ille redeat ad venditorem poſt quatuor dies, poteſt mercem illam emere pretio infimo? cur non ſtatim, ſi abſque ullo dolo actum fuerit, & nullum ſcandalum adſit?

* Contractus Mohatra, ut obſervat Petrus Collet *tract. de contract. part. 2. cap. 1. art. 6. ſect. 1. concl. 2. in reſp. ad q. 4.* præcipue invenitur in uſu penes aurifices, qui vaſa aurea vel argentea vendunt rigoroſo pretio, habita ratione operum, & artificii, & ea ſtatim emunt non habita ratione operis: unde vas quod centum valet ratione materiæ & operis, centum vendunt *credito*, & poſtea numerata pecunia emunt 80. non conſiderando niſi pondus auri & argenti. Hic ſane contractus ſi fiat ex pacto illicitus eſt & contra juſtitiam, ut *n. præced.* Auctor docet.

Quid de

V. Aliud pactum venditionibus addi ſolet;

Digitized by Google

Pacto legis commiſſoriæ?

let, quod dicitur legis Commiſſoriæ, quo vendens ita vendit, ut niſi emptor intra præfinitum tempus pretium ſolvat, merx non cenſeatur empta, & contractus irritus evadat; ſi tamen venditor, in cujus favorem eſt tale pactum, & cujus arbitrio ſtat illud imponere, velit eidem renunciare, & velit contractum nihilominus ſubſiſtere, ſubſiſtet. Hoc pactum eſt juſtum, a jure l. 18. digeſt. approbatum, nulli enim nocet.

Quid de pacto Adjectionis in diem?

VI. Aliud item addi ſolet pactum, quod vocatur Adjectionis in diem, quando venditur aliquid ea conditione, ut ſi alter intra certum, & definitum tempus aliquam meliorem conditionem offerat, ſive augendo pretium, ſive ſolvendo loco, & tempore commodiore, ſive alio modo utiliore ipſi venditori, res non cenſeatur vendita, & empta. Hoc pactum eſt licitum, dummodo ſincere eveniat, remota quacumque fraude, & dummodo pretium correſpondeat oneri impoſito emptori. Fructus autem rei hoc modo venditæ ad illum pertinebunt, de quo contrahentes convenerint: quod ſi non conveniant, videant coram Deo quo animo contraxerunt, & juxta eumdem decernant, vel pacifice conveniant.

* Poſtremum hoc clarius exponit Petrus Collet *loc. cit. poſt reſp. ad q.* 3. Aſſerit ipſe id pendere ex modo, quo venditio celebrata fuit. Si enim venditor uſus ſit verbis directis, diſerte exprimentibus contractum ipſo facto nullum fore, ac ſi venditio celebrata non eſſet, tunc fructus intermedio tempore percepti ad venditorem pertinere debent, prout ad eum pertinerent, ſi venditio nunquam celebrata fuiſſet. Ratio eſt, quia venditio hæc non fuit abſoluta, ſed ſub conditione ſi pretium ſolveretur, aut meliorem conditionem alius non offerret: unde contractus remanſit in ſuſpenſo, & ſic fructus domini eſſe debent pro illo tempore quo conditio perfecta non fuit. Si vero venditor uſus ſit verbis obliquis & indirectis, quibus exprimeret contractum eſſe reſcindendum in poſterum, vel rem rediturum eſſe ad venditorem; tunc fructus medii temporis ad emptorem pertinent; quia tunc contractus abſolutus fuit, & ſolum diſſolvitur ex tempore, quo conditio melior offertur, vel pretium non ſolvitur. Caute tamen monet Leſſius, in his non tam inſpiciendam eſſe formam verborum, quæ ſæpe ambigua eſt, quam mentem contrahentium, quando res in foro conſcientiæ agitur. Quod & Auctor ſcite animadvertit.

Quid de Retractu Gentilitio?

VII. Retractus Gentilitius, italice, *di Ricupera*, eſt jus, a legibus omnium fere regionum conceſſum proximo conſanguineo venditoris intra annum unum & unam diem, reſcindendi contractum venditionis factæ, & ad ſe revocandi rem immobilem, idem pretium reddendo, quo eadem res ab extraneo, vel altero conſanguineo minus conjuncto empta fuerat; & eſt licitus, quia ab omnibus fere gentibus approbatur ex motivo, ut res Familiæ ab ea poſſideri poſſint, & ab ea non divellantur. Dictus autem terminus temporis ad recuperandum conceſſus valet tam contra præſentes, quam contra abſentes, quo elapſo, non amplius venditio reſcindi poteſt. Et nota, quod res recuperabilis debet eſſe ſtabilis, & immobilis: proinde neque Cenſus conſignativi, neque officia, neque uſusfructus, nec multo minus mobilia quantumvis pretioſa recuperari poſſunt. Hinc peccat contra juſtitiam, qui fraudibus, mendaciis &c. impediret conſanguineum jus habentem ad recuperandum, illumque retraheret, aut impediret: quemadmodum peccaret ille extraneus, aut conjunctus remotior, poſſidens rem illam immobilem, ſi proximiori recuperare volenti, reſiſteret, aut timorem incuteret, ne recuperet.

Dubium incidens reſolvitur.

VIII. Si plures eſſent ejuſdem gradus proximiores, qui recuperare vellent, cui cedenda res eſſet? Reſpondent aliqui, diligentiori illorum. At quid, ſi recuperans eo fine recuperet, ut carius rem illam vendat, aut ut illam non pro ſe, vel familia recuperet, ſed ut donet amico, aut alteri vendat? Certum eſt, illum agere injuſte, quia abutitur legis privilegio conceſſo, ne familiæ ſuis bonis priventur. Videndæ ſunt conſuetudines approbatæ regionum, ſi aliquam exceptionem, aut variationem admittant.

Quid ſit Evictio & ejuſdem obligatio?

IX. Evictio eſt rei, quam quis ab alio emit, aut dono accepit, abductio ab eodem facta per ſententiam judicis: puta ſi domus, quam Petro vendidiſti, ab ipſo Petro abducatur per judicis ſententiam ab aliquo alio; proinde tu teneris Petro de evictione, ideſt reddere Petro pretium, quale domus illa tempore evictionis æſtimabatur, nec non & ipſum Petrum compenſare pro quanto idem intererat, quod domus illa non evinceretur: ita ex leg. 70. ff. de Evictione. Si tamen venditor ignorabat, rem eſſe alienam, tenebitur dumta-

Digitized by Google

taxat ad reſcindendum contractum, & ad reſtituendum pretium acceptum, quia cum egerit bona fide, non eſt puniendus ut reus.

Evictio in aliis contractibus onerosis.

X. Obligatio evictionis etiam in aliis contractibus oneroſis locum habet, puta in Permutatione, quando debitum ſolvitur creditori, tradendo eidem rem aliquam loco pecuniæ: item quando inter hæredes dividitur hæreditas: item quando res communis dividitur inter ſocios: item quando res aliqua datur genero in dotem filiæ: item quando datur alicui, ut a lite ſe removeat; non tamen ſi res litigioſa per tranſactionem applicetur uni ex contendentibus, & alteri detur res aliqua in compenſationem, ſi res illa litigioſa ab aliquo altero evincatur, non tenetur alius, qui per tranſactionem accepit compenſationem, de Evictione, neque ad reddendam rem, quam accepit; cum id non acceperit pro illa re litigioſa, ſed ut a lite abſtineret, neque ipſe cedere voluit, niſi ſolum illud jus incertum, & obſcurum, quod habebat, qualecunque illud eſſet: vide Legem, *ſi profundo* Codic. de Evictione.

Quid de Gratuitis?

XI. Circa contractus gratuitos Donationis, & Promiſſionis, quando donatio non incipit a promiſſione, ſed ab ipſa traditione rei, ſi res donata evincatur, donator ad nil tenetur, ſi donaverit, ignorans rem eſſe alienam, aut contentioſam: ſi vero donavit id ſciens, & non præmonuerit donatarium tenetur non pro evictione rei donatæ, ſed ad expenſas a donatario factas circa rem donatam, & ad damna ſubſecuta: ita lex *Ariſto* §. ultim. ff. de Donat. Si vero donatio incipiat a promiſſione, promittens tenetur de evictione, ſi promiſit rem determinatam, puta duos modios tritici, duas oves gregis &c. Unde ſi a promiſſore aliquis evincat ejus triticum, aut gregem, adhuc obligatio ſubſiſtit duorum modiorum, duarum ovium &c. ſi autem promiſerit rem aliquam in individuo, puta hunc vitulum, & illum tradiderit promiſſario, ſi evincatur ab aliquo, non tenetur promiſſor de evictione; quia cenſetur non ſe voluiſſe obligare ultra illud jus, quod habebat in vitulum, qualecumque illud erat: Unde etiamſi antequam vitulum traderet, vitulus evinceretur, puto, quod ad nil ultra teneretur, quia promittendo liberaliter, promiſit ſecundum jus, quod in vitulum habebat, & non aliter: videri poteſt laudata lex *Ariſto*.

Evictio circa uſuſfructus.

XII. Obligatio pro evictione comprehendit etiam uſusfructus evictos: unde venditor tenetur de evictione illorum; ſunt enim pars, & portio rei venditæ. Nota quod obligatio de evictione ligat etiam in foro conſcientiæ, ita ut ſi venditor vendat ſciens, vel dubitans rem eſſe alienam, & non præmonuerit, tenetur & pro evictione, & ad omnia damna, juxta tradita tract. 9. cap. 5. §. 6. Si autem ignoranter vel bona fide vendidit, tenetur pretium reddere emptori etiam ante evictionem, ſi cognoverit rem eſſe alienam: An autem in caſu evictionis teneatur etiam ad damna? Putarem, quod tanquam poſſeſſor bonæ fidei non teneatur ad aliud, niſi in quo factus eſt ditior.

Obligatio evictionis afficit conſcientiam.

Excipiuntur aliqui casus.

XIII. Excipiuntur aliqui caſus, in quibus venditor bonæ fidei non tenetur de evictione. Principaliores affero: primus, quando in contractu expreſſe declaravit, ſe nolle teneri de evictione rei, caſu quo forte evincatur; dummodo hujus periculi omnino ignorans fuerit: ita lex *Emptorem* §. ult. ff. de actione emptor. Secundus, quando ſententia judicis jubentis evictionem fuit manifeſte injuſta: lex *ſi prudentiam* ff. de evict. cap. ult. de empt. & vendit. & tunc perinde eſt, ac ſi emptor rem fortuito amiſiſſet. Tertius, quando emptor litem motam permiſit definiri per judicem arbitrum, ad quem non ſpectabat cauſæ cognitio: lex *dictum ſi promiſero* ff. de evictione. Quartus, quando emptor tempore emptionis ſciebat, rem eſſe alienam: ſi autem utroque ſciente rem eſſe alienam expreſſe conventum fuiſſet, venditorem teneri de evictione, tunc ad eam teneretur, non tamen ad intereſſe: lex *ſi fundum* Cod. de evict. Quintus, quando emptor potuit præſcribere rem emptam, & culpa, negligentiaque ſua non præſcripſit; tunc venditor bonæ fidei non tenetur de evictione: lex *ſi dictum* 88. *ſi cum poſſet* ff. de evictione. Alios caſus ſatis implexos videſis apud Covaruvias lib. 3. var. reſol. c. 17., & apud Molinam diſp. 380.

§. X. *De Commiſſario Venditoris, & Emptoris.*

Obligatio Commiſſarii circa utilitates rei geſtæ.

I. SI commiſſarius ſit aut famulus committentis, aut alter mercede conductus pro labore ſuo in vendendo, vel emendo; aut amicus committentis, qui amiciter ſuſcipiat vendere, aut emere pro amico, tenetur totum pretium rei vendi-

tæ,

tæ, aut totum, quod pepercit de pretio rei emptæ, tradere committenti; tum quia horum quilibet egit ejus nomine, & non proprio; tum etiam quia famulus jam ſuum ſtipendium habet, ut ſervitium heri ſui utiliter gerat: conductus etiam jam pro ſuo miniſterio mercedem recepit, vel eſt recepturus: unde tota utilitas rei geſtæ in committentem reſultare debet: Amicus demum ſuſcipiendo negotium ob amicitiam perficiendum, implicite ſe obſtrinxit, ex amicitia, & non ob proprium lucrum negotium tractare. Proinde quando committens ait, ſe eſſe contentum, etiamſi vendat rem tanti, aut emat tanti; niſi expreſſe addat, quod ſi vendat pluris, aut emat minoris, dono relinquit ipſi commiſſario, quod ſupra lucratus fuit, aut minus pepercit emendo, tota utilitas ad committentem pertinebit; quia illis verbis non intelligitur ceſſiſſe dictis utilitatibus in caſu quo commiſſarius ſua dexteritate illas reportet; ſed ſignificare voluit, quod niſi pluris vendi, aut minoris emi res poſſit, etiam de tali ſumma erit contentus.

Quando committens cedere cenſeatur commiſſario utilitatibus?

II. Interrogabis: quando cenſebitur committens cedere utilitates illas commiſſario? Reſpondet Lugo diſp. 16. ſect. 9. n.150., quod tunc cenſeantur cedi miniſtro commiſſario, quando neque eſt famulus, neque mercede conductus, neque eidem pro labore ſuo datur aut promittitur ullum præmium; tunc ait Lugo, taxato pretio, cenſetur, quod utilitates illas committens eidem relinquat. Præterea ſi commiſſarius iſte diligentiam, & induſtriam extraordinariam impendat, ad quam non tenebatur: puta ſi juſſus vendere in hoc loco, alio mercem transferat, ut pluris venderet, aut minoris emeret; poterit tanquam fructum ſuæ induſtriæ retinere lucrum, quod reportavit, ut docent aliqui ex Sylveſtro, & Navarro laudatis a Lugone loc. cit. monente, quod ſi lucrum reportatum revera excederet meritum ſuæ induſtriæ, non poſſet retinere totum, ſed retento eo, quod correſpondet merito induſtriæ adhibitæ, reliquus exceſſus eſſet tradendus domino rei, utpote fructus rei venditæ, neque ipſi commiſſario remanet titulus retinendi totum; cum non negotietur nomine proprio.

An poſſit emere nomine ſuo?

III. Quando, adhibita a miniſtro omni morali diligentia, non inveniat niſi pretium, quod a domino rei taxatum fuerat, poteſt ipſe emere nomine proprio; cum non ſit deterioris conditionis ac alii emptores. Et ſi deinde, expectata opportuna occaſione, rem jam emptam pluris vendat, manifeſtum eſt, lucrum eſſe ſuum; quippe quod ſit fructus rei jam ſuæ. Similiter, ſi poſt adhibitam omnem moralem diligentiam, & pretium a domino taxatum invenire non potuit, poterit ipſe rem emere pretio juſto infimo, reſervandam quando pluris, & pretio ſummo vendere poterit nomine ſuo. Vide infra in cap.14. §. 3., ubi ſpecialiter diſſeritur de Commiſſario.

*Hic animadvertere opportunum exiſtimamus cum Petro Collet *tract. de contract. part. 2. cap. 2. art. 6. ſect.4.* nonniſi caute & vix unquam permittendum eſſe, ut ſartores, architectoni, &c. aliquid a mercatoribus apud quos emunt, accipiant; quia quod iis cedit, a domino, pro quo fit emptio, ſolvi ſolet. Si tamen, *ſubjungit*, ſartores, & alii, jam completo contractu, aliquid accipiant a mercatoribus, qui hac gratitudine eos ad officinas ſuas pertrahere nituntur, id reprehendi non poteſt; immo nec eſſent culpandi, ſi quid ante perfectum contractum acciperent, modo aliunde eorum, pro quibus emunt, negotium fideliter peragant, quod quia vix unquam evenit in praxi, vix unquam tolerandum eſt. Utique conſtat venditores pleroſque mentiri cum dicunt ſartoribus, ſe in eorum dumtaxat gratiam diminuere pretium mercis; quandoquidem ſæpius ſic affectus eſt mercator, ut alteri cuilibet eodem venderet pretio, quo ſartori vendit. Quapropter hæc multum pendent a circumſtantiis, atque hic ſatius eſt ſtringi, quam laxari habenas.

CAPUT IX.

DE CONTRACTU LOCATIONIS, ET CONDUCTIONIS.

§. I. *De Natura hujus Contractus.*

Quid Locatio & conductio?

I. Locatio eſt Contractus, quo uſus, ſeu fructus rei, aut perſonæ ad ſint certum tempus traditur pro juſto pretio: & Conductio eſt contractus, quo accipitur

tur uſus rei, vel perſonæ, juſto pretio erogato, vel erogando. Ex quibus duobus actibus unus contractus completus aſſurgit, & cum ſit quædam ſpecies venditionis, & emptionis, nempe uſus rei; propterea, proportione ſervata, quæ dicta ſunt de emptione, & venditione, applicanda erunt etiam huic contractui.

Materia locabilis.

II. Hinc manifeſtatur materia hujus contractus, videlicet tam res immobiles, quam mobiles, nec non proventus, & reditus Beneficii, Decimarum, Commendæ &c., ſunt materiæ locabiles, & conducibiles. Bona autem Eccleſiaſtica ex variis juribus locari non poſſunt, niſi ad triennium. Jus eleemoſinas percipiendi obtentum ex conceſſione Pontificis, vel Epiſcopi, ut quis poſſit ſuis, vel familiæ neceſſitatibus ſubvenire, probabilius non poteſt licite locari; eo quod deeſt conſenſus eorum, qui eleemoſinas largiuntur; quia eo animo largiuntur, ut indigenti ſuccurrant, non ut augeant non indigentem, qualis eſt conductor; ita ut ſi ſcirent hunc prævium contractum, eleemoſinam non erogarent. Adde, quod Prælatus concedens facultatem eleemoſinam petendi, eam concedit tali perſonæ, & non ad negotiandum ſuper eamdem facultatem, ut ditetur, qui non indiget; nec ipſe illam concederet, ſi hæc negotiatio ſibi innoteſceret. Solum igitur licita erit hujuſmodi locatio, quando qui jus quæſtuandi habet, eſt revera impeditus, & non poteſt illo jure uti, niſi per alterum, qui ejus vices gerat; cui cum debeatur juſta merces pro ſuo labore, propterea poterit ipſi locari dicta facultas, ut ex eleemoſinis conquiſitis, & indigens levamen retrahat, & vices gerens ſuam mercedem habere poſſit.

III. Circa perſonas, quibus ſive immobilia, ſive mobilia licite locari queant, hæc regula generalis ſtatui poteſt: quod quando locatio cooperaretur proxime ad peccatum alterius, profecto a locando abſtinendum eſſet: & circa hujuſmodi, quæ hic deſiderari poſſent, ſufficienter deduces ex tractatu 4. c. 9. §. 6.

§. II. *De Diſſolutione Locationis, ejuſque Prorogatione.*

Prorogatio locationis tacita.

I. FInito locationis tempore, idque advertente locatore, ſi conductor ſequatur re conducta uti, cenſetur tacite prorogata locatio, juxta conditionem rei locatæ. Si enim res locata, eſſet prædium urbanum, nempe in civitate exiſtens, cenſetur prorogata locatio, quouſque alteri contrahentium libuerit: ſi vero eſſet prædium ruſticum, ideſt ruri exiſtens, cenſetur prorogata ad annum ſequentem: ita lex *Item quæritur* §. *qui impleto*: quæ prorogatio verificatur etiam reſpectu prædiorum Communitatis, & Eccleſiæ etiam reſpectu rerum mobilium juxta multos; quæ prorogatio mobilium ceſſat ad beneplacitum contrahentium. Quando contingit prorogatio hujuſmodi, ſubintelligitur quoad idem pretium, pignus, hypothecam; non tamen quoad eamdem fidejuſſionem, niſi fidejuſſor de novo aſſentiatur: ita lex *citra*, & lex *legem* Cod. ejuſdem tituli: Pro hac prorogatione aliqui cum Molina diſp. 498. num. 13. non requirunt novam ſcripturam, pro qua ſupplet tacitus ille conſenſus; e contra multi eam exigunt. Si prædium ruſticum eſſet talis conditionis, quod non niſi ſingulis bienniis fructum afferret, cenſeretur tacite prorogata locatio ad ſequens biennium: ſi autem ferret fructus bis in anno, adhuc cenſeretur prorogata ad annum integrum ſequentem. Circa alia multa videſis Molinam loc. cit.

Quibus in caſibus poſſit conductor expelli a locatore ante tempus.

II. Poteſt locator in quibuſdam caſibus expellere conductorem, ante finitum tempus locationis: primo, quando non ſolvit pactam penſionem ſaltem ad biennium, neque offerat promptam ſatisfactionem; idque utroque jure apud Leſſium cap. 24., dub. 6., ſecundo, ſi res locata evadat locatori neceſſaria, quæ neceſſitas locationis tempore prȩvideri non potuerit; puta ſi domus, in qua habitat locator corruat, neque aliam habeat, in qua ſe recipiat, niſi locatam, neque aliam conducere poſſit, reſtituendo pretium pro rata: tertio, quando res locata indiget refectione neceſſaria, quæ nequeat executioni mandari, niſi dimittatur a conductore: debet tamen, refectione expleta, reſtitui conductori: Quarto, quando conductor abutitur re locata in Dei offenſam, aut proximi nocumentum. Videas jura in Molina loc. cit.

Quando diſſolvatur, aut non locatio?

III. Contractus locationis non diſſolvitur, ſi mortuo locatore ſuccedat hæres univerſalis, qui tenetur ſtare locationi, ſicuti conductor conductioni, cum hæres univerſalis gerat perſonam defuncti. Si vero res locata perveniat ad legatarium particularem, vel a locatore alteri vendatur, vel donetur, neque hic tenetur ſtare locatio-

ni,

ni, neque conductor conductioni: ſi tamen hic legatarius, aut donatarius, aut emptor ſtare nolit locationi factæ a locatore primo, poſſet conductor inſtituere actionem contra eumdem locatorem viventem ad ſuum intereſſe recuperandum: ita plures leges citatæ a Lugone diſp. 29. ſect. 1. n. 16. Ratio eſt, quia celebratio hujus contractus afficit perſonas contrahentes, neque afficit alias perſonas, quæ non repræſentant ipſum locatorem, & conductorem.

Exceptiones aliquæ.

IV. Nonnullæ afferuntur exceptiones, impedientes diſſolutionem hujus contractus; prima, quando primus locator in translatione rei locatæ appoſuit obligationem ſtandi contractui facto: Si vero ex circumſtantiis appareat voluiſſe obligare emptorem, aut donatarium ad non expellendos v. g. habitantes in ea domo tam pro pretio, quam gratis, neutros ille expellere poterit; ſi autem id non conſtet, intelligitur obligatio de habitantibus dumtaxat pro pretio. Secunda, quando ſucceſſor locatoris primi convenit cum conductore, aut eidem conceſſit perſeverantiam in locatione. Tertia, ſi conductor deduxerat in pactum, ut res illa alteri traderetur, & res ipſa eſſet hypothecata pro firmitate contractus; & ſi fuerit ſpecialiter hypothecata, nullum efficit etiam contractum alienationis initum: ſi autem fuerit hypothecata hypotheca generali, quamvis irritam non reddat alienationem factam tradendo illam alteri, poteſt tamen conductor ſe defendere contra ſucceſſorem volentem illum expellere; qui ſucceſſor, juxta mihi probabiliorem, tenetur, conductorem non expellere; eo quod ratione hypothecæ generalis, quam habet in bonis locatoris, acquiſivit jus in re quoad rem, domum, vel poſſeſſionem illam, quouſque adveniat terminus locationi conſtitutus. Quarta, quando quis ſuccedit in Majoratu, vel acquirit Fideicommiſſum; hic enim non tenetur ſtare locationibus a prædeceſſore, aut ab illo qui reſtituere debebat hereditatem factis; quandoquidem neuter illorum facultatem habebat diſponendi de illis bonis, niſi pro tempore, quo illa poſſidebant, nec poterant præjudicare ſucceſſori, aut fidei commiſſario, qui non ſuccedit in ipſorum onera & obligationes circa bona illa: Nam ſucceſſor, ſive fideicommiſſarius non eſt hæres ſuorum prædeceſſorum, ſed illius, qui majoratum, vel fideicommiſſum inſtituit: completa igitur poteſtate locantis, finitur etiam jus conducentis: & propterea neque conductor tenetur amplius ſtare contractui, ſi ita ſibi placeat. Si autem conductor ſuam voluntatem expellatur a ſucceſſore, poterit inſtituere actionem contra hæredes locatoris pro ſuo intereſſe, ſi deceptus fuit a locatore, caſu quo aſſeruerit bona illa eſſe libera, cum eſſent gravata; non autem ſi conductor ipſe ſciebat eſſe gravata, & non in plena locatoris diſpoſitione. Ita plura jura apud Auctores.

Uxor non poteſt diſſolvere locationem factam a viro bonorum dotalium.

V. Uxor non poteſt diſſolvere locationem rei dotalis factam a marito, quia maritus non eſt merus uſufructuarius bonorum dotalium, ſed etiam adminiſtrator in ſui, & uxoris utilitatem: ſicut igitur pupilli, & minores, cum ad ætatem diſponendi provenerint, non poſſunt diſſolvere locationes factas a Tutoribus & Curatoribus, quia iſti ſunt bonorum ſuorum adminiſtratores; ita neque uxor &c.

Quid de marito circa locationem eorumdem bonorum antea factam?

VI. Maritus, ſi ignorabat aliquod bonum dotale ſibi datum fuiſſe locatum, poteſt diſſolvere locationem antea factam a conſanguineis uxoris; quia maritus eſt ſucceſſor particularis, & ſpecialis in bonis illis quoad dominium utile: unde, juxta ſuperius dicta, non tenetur ſtare locationibus antecedenter factis. Secus autem ſi id ſciebat; quia cum ſciens tacuerit, tamen conſenſiſſe cenſetur.

Quid Superiores Eccleſiaſtici circa bona a Prædeceſſoribus locata?

VI. Prælati, Abbates, Superiores, aliique Beneficiarii non poſſunt diſſolvere locationes factas ab eorum prædeceſſoribus rerum ad eorum Eccleſias & monaſteria pertinentium, & quarum ſunt legitimi adminiſtratores; neque conductores poſſunt dimittere rem conductam. Ratio eadem, quæ ſupra allata. Si autem bona ſint propria ſui beneficii, ſuæ Præbendæ, ac dignitatis, & ad eorum perſonas pertinentia, poſſunt, ſi velint, diſſolvere locationes prædeceſſorum; quia ſe habent tanquam ſuccedentes in Majoratu; & ideo etiam conductor, ſi velit, poteſt reſilire.

§. III. *De Remiſſione, Augmento, & Diminutione Penſionis pro re locata.*

Quid quoad ſolutionem penſionum?

I. SOlvenda eſt Penſio tempore conſtituto; & ſi nullum fuerit conſtitutum, tempore conſueto in illa regione. Si locator neget, ſe accepiſſe penſiones, & conductor oſtendat ſchedas, ſeu chyrographa de ſolutionibus factis tribus ultimis annis, præſumitur in foro, quod ſolverit etiam anteriores: ita lex *Quicunque*

Co-

Digitized by Google

Codic. de Apochis public. lib. 10. Fructus prædii locati probabilius ſunt conductoris ſtatim ac ſeparati ſunt a prædio: Ratio eſt quia in lege *in fructibus* ff. *in quibus cauſis* fructus naturales prædii ruſtici reputantur tacita hypotheca pro penſione ſolvenda, & ſe habent ut pignus ejuſdem: ergo non ſunt locatoris, cum nemo accipiat in pignus rem ſuam.

Quid, quoad remiſſionem penſionis?

II. Quando res locata redditur inutilis conductori, ita ut illa amplius uti nequeat abſque ulla ſua, & locatoris culpa, puta ſi pereat caſu fortuito, aut ſi diruat domus ex invaſione hoſtili, quæ a neutro potuit impediri; aut infeſtetur a dæmonibus, quin liberari poſſit; tunc locator non tenetur ad ſubſtituendum aliud loco rei illius locatæ; ſed dumtaxat debet remittere conductori penſionem pro rata temporis, quo inutilis evaſit. Id intelligas de inutilitate orta ex ipſa re; nam ſi evadit inutilis, quia conductor non poteſt illa uti, puta quia æger, non idcirco remittenda eſt penſio: ita lex *ſed addes* §. *cum quidam*, & lex *qui operas*, ff. Locati.

Quid, quoad quædam impedimenta?

III. Si conductor dimittat v. g. domum ob peſtilentiam ibidem graſſantem, multi cum Molina dicunt, remittendam ei eſſe penſionem pro rata temporis; Alii cum Leſſio negant: Alii meo videri melius cum Lugone diſtinguunt: ſi domus inficiatur abſque conductoris culpa, (ut ſupponunt omnes) remittendam eſſe; ſi non inficiatur, non eſſe ei remittendam; quia cum adhuc habitabilis ſit, & reapſe multi alii indigenæ proprias domos non infectas habitent, & adhuc domus non infectæ locentur; non eſt rationabile, quod locator privetur ſua penſione. Si autem impedimentum ortum habeat ex parte conductoris, tenetur penſionem integram ſolvere: ita tamen ut ſi locator interea rem illam, puta domum, aliis locet; poterit conductor minus ſolvere, pro quanto correſpondet pretium novæ locationis a domino locatore factæ; nam pretium illud ſpectat ad primum conductorem, quia ſicut tenebatur totam penſionem ſolvere, etiam domo aliis non locata; ita ipſi detrahendum eſt de penſione ſolvenda correſpondenter ad pretium novæ locationis; cum enim & ipſe poſſet rem illam aliis locare, & penſionem lucrari, ita etiam in caſu: lex *ſi uno* §. *item cum quidam* ff. Locati. Unde etiam ſi dominus interea domum locaſſet pretio majori, quam primo conductori locavit, retento ſibi pretio locationis primæ, teneretur illud auctarium dare primo conductori; quia, toto tempore locationis durante, fructus uſus ejuſdem domus ſpectat ad primum conductorem. Ceſſato vero impedimento ſe tenente ex parte ipſius rei locatæ, propter quod ſuſpenſa fuit obligatio penſionis pro rata; ipſaque re integra remanente, ſi adhuc tempus ſuperſit, neque dominus illam alteri locaverit, regulariter loquendo, tenetur conductor conductionis contractum continuare; quia nullum habet juſtum titulum recedendi: dixi regulariter loquendo; quia ſi interea, v. gr. durante bello ad longum tempus, dominus locaſſet domum alteri, tunc neque primus conductor poſſet compellere locatorem ad ſibi reddendam domum, neque locator poſſet compellere conductorem illum ad continuandum; quia adhuc impedimentum ortum videtur non ex parte conductoris; ad differentiam caſus, quo impedimentum oriretur ex parte locatoris, qui debebat, vel illud tollere, vel præmonere conductorem; tunc enim teneretur locator non ſolum ad remittendam penſionem pro rata temporis, verum etiam ad totum intereſſe conductoris nedum intrinſecum, verum etiam extrinſecum, nempe pro quanto conductor ex hoc eventu lucraturus erat; quia locatoris fraus, & deceptio horum omnium damnorum cauſa fuit. Neque objicias paritatem venditoris fraudulenti, qui tenetur emptori decepto dumtaxat pro intereſſe intrinſeco. Reſpondetur enim, id eſſe peculiare contractus venditionis, ex lege *ſi ſterilis* §. *cum per venditionem*, ff. de actione emptoris; ob motivum vitandi lites interminabiles. Unde hæc exceptio non eſt trahenda ad alios contractus. Vide Molinam diſp. 491. n. 4. & ſeq. & Lugonem diſp. 29. ſect. 2. n. n. 31. 32.

Quid de locante rem alienam?

IV. Locans bona fide rem alienam, quam putat eſſe ſuam, ſi hæc a proprio domino evincatur, tenetur dumtaxat ad procurandum, ut dominus illam conductori ad locationem concedat; quod ſi nolit, tenetur ad offerendum conductori rem æqualem, ſi poſſit: ſin autem, tenetur remittere penſionem correſpondentem tempori ſequenti. Idemque dicendum ſi res locata abſque locatoris culpa a fiſco auferatur. Ratio horum eſt, quia ex vi contractus tenetur dumtaxat locator ad exequenda promiſſa, quantum poterit, & in ipſo ſteterit; quod ſi præſtare nequeat ab-

ſque ulla culpa, tenetur ad remittendam penſionem.

Quid circa diminutionem penſionis?

V. Si fructus rei locatæ, puta fructus agri, minuantur ob fortuitam ſterilitatem, ſi nulla adſit poſitiva lex aliquid decernens, non extat obligatio minuendæ penſionis: quia ſicut emptori incumbunt caſus fortuiti rei emptæ, ita conductori caſus fortuiti rei conductæ: & cum anni abundantiores non augeant penſionem, ita neque ſteriles minuere debent. Si tamen pacta juſta in inſtrumento poſita fuerint, illis ſtandum erit. Si penſio conſtituta fuerit tempore imminentis periculi, puta excurſionis hoſtilis, & hujus periculi in locatione non fuerit facta mentio, & adhuc periculum immineat, detrahendum eſt de ſolita penſione; quippe quod in hujuſmodi circumſtantiis res minori pretio locari ſoleant, ratione periculi pretio æſtimabilis: & tunc ſtandum erit locationi ita diminutæ, ſive deinde damnum eveniat, ſive non: quia tempore contractus ita juſte conventum fuit.

Quid quando nulli colliguntur fructus?

VI. Ex æquitate, & benignitate juris, quando ex re locata nulli omnino colliguntur fructus, abſque ulla conductoris culpa, ob infortunium inſolitum, (nam quoad infortunia ſolita tacite conductor acquieviſſe judicatur) puta ob vaſtationem locuſtarum, ob aggreſſionem hoſtium, ob diuturnam ſiccitatem, inundationem extraordinariam; liberandus eſt conductor a penſione; ita ex pluribus juribus a Molina allatis diſput. 495. *Ratio* patet. Et ita agendum pro rata in caſu notabilis, magnæque ſterilitatis, nempe, juxta probabiliorem, quando a conductore, deductis expenſis, & ſemine pro anno ſequenti, ſi ſolveret integram penſionem, læderetur ultra dimidium juſti pretii; v. g. ſi penſio juſta ſit viginti modiorum frumenti, neque decem reciperet, & ſimilia; in hoc, inquam, caſu imminuenda eſt penſio uſque ad eum gradum, qui ſufficiat, ne dicatur læſus ultra dimidium penſionis ſolvendæ. Et nota, quod nomine expenſarum deducendarum intelliguntur etiam operæ præſtitæ ab ipſo conductore, quæ ſunt pretio æſtimabiles, & quas ſi per alios feciſſet, pretium impendere debuiſſet. Nota ſecundo, quod probatio horum damnorum ſpectat ad conductorem: in dubio autem an proceſſerint ex deſidia ipſius, probare id incumbit locatori: Nota tertio, quod paucitas fructuum computanda eſt poſt collectionem in comum conductoris: unde etiamſi fuiſſent multi & in acervum redacti, ſed excurſione hoſtium auferantur, eadem eſt ratio, ac ſi non fuiſſent nati.

Quid circa penſionis augmentum?

VII. Quod penſio non ſit augenda conductori, jam habenti rem conductam, propter ubertatem extraordinariam terræ, vel a caſu accidentali provenientem; puta ſi omnes finitimi compellantur ad tuum molendinum concurrere, quia cætera alia inundatio rapuit, & comminuit; quod, inquam, propter hos, & ſimiles eventus penſionem primo conſtitutam augere non liceat, probabilius docent Theologi; & certe conſuetudo fere communis regionum ita fieri demonſtrat hac ratione, quia lucrum illud conductoris nemini nocet, non enim propterea locator aliquid amittit; cur igitur erit augenda penſio? Ad differentiam gravis infortunii conductori evenientis, ut ſupra indicavimus, quod cum eidem plurimum noceat, pietas naturalis dictat, ut penſio illi minuatur. His non obſtantibus, ſi quæ ſint Regionum leges aliter fieri diſponentes, quæ jam obtineant, eiſdem erit obtemperandum.

§. IV. *De nonnullis obligationibus Locatoris, & Conductoris.*

Quid quando conductor operarum non utitur operario?

I. Non pauca diximus in tract. 7. cap. 2. §. 4., quæ hic tradenda eſſent circa obligationes herorum, & famulorum viciſſim, ibidem legenda. Modo dicendum ſupereſt, quod quando perſona locat operam ſuam alteri, & conductor illa non utitur, quin a locante impediatur, tenebitur conductor ſolvere pactam mercedem locatori operæ ſuæ, poſito quod interea alteri operam ſuam non locaverit: Si enim eam alteri locaſſet modo licito (nempe intentione, & pacto recedendi ab ipſo; ſtatim ac vocetur a primo conductore) tunc detrahendum eſſet reſpective &c. ita communius, & rationabilius; quia ſi locator alium conductorem non inveniſſet, injuſte privaretur lucro, eo quod operam ſuam primo conductori obligaverit, quoad uſum tot dierum: Si autem invenerit alium conductorem, cum tempus non perdiderit, & lucrum operæ ſuæ acquiſierit, nec damnum paſſus fuerit, tenebitur duntaxat primus conductor ſupplere quod deeſt lucro tot dierum; quod ſi nihil deſit, nihil tribuet.

Quid de opere male elaborato?

II. Si opus inchoatum ab opifice, qui ſe peritiſſimum aſſeruit operi illi conſtruendo,

do, eſſet adeo male elaboratum, ut inutile reddatur conductori; cum conductorem deceperit, ſi opus illud nullius meriti a prudentibus judicetur, nullum pretium pro inchoato opere tenebitur, erogare, & juſte ab opere proſequendo dimitti poteſt. Secus autem ſi ſe peritiſſimum non aſſeruiſſet, ſed dixiſſet, ſe totam ſuam diligentiam impenſurum; & dimitti utique poterit a proſequendo, ſed erogato tamen pretio conveniente operi.

Quid ſi famulus infirmetur?

III. Famulus, qui ſe locavit hero ad biennium, ſi ſex menſibus caſu ægrotet, non tenetur, completo biennio, ad ſupplendum pro illis ſex menſibus; quia obligatio famuli eſt onus impoſitum obligatum tempori prædicto: unde, eveniente impedimento non poſito ab ipſo, non tenetur ſupplere. Id confirmatur a ſimili in locatione domus ad triennium, quæ ſi ob aliquam cauſam, non poſitam a locatore, puta propter obſidionem inimicorum, non habitetur pro trimeſtri a conductore, non tenetur conductor expleto triennio, ſupplere; idque ob eamdem rationem; quia eſt obligatio tempori alligata. Vide Azorium part. 2. lib. 2. cap. 35. q. 6. & Molinam diſp. 505.

Obligatio locatoris rerum.

IV. Tenetur locator rei alicujus manifeſtare vilia ejuſdem conductori; aliter tenetur ad damna inde conductori contingentia; quandoquidem difficillime probabit ignorantiam invincibilem, quæ illum excuſare poſſit: & propterea lib. 19. ff. locati: *Si quis dolia vitioſa ignarus locaverit, deinde vinum effluxerit, tenebitur in id, quod intereſt, nec ignorantia ejus erit excuſata.* Ratio patet a ſimili de venditore rei vitioſæ. Hinc inferas, Infectores, italico *tintori*, Fullones, italice *Lavandaj*, Sartores &c., res ſibi traditas ad tingendum, lavandum, ſuendum &c. ſi a muribus, ac tineis corrodantur ex eorum incuria, teneri ad damna; quia eo ipſo, quod ea miniſteria ſuſcipiunt in ſe, tenentur etiam de levi culpa juridica; quippe quod ſit contractus cedens in utilitatem utriuſque: Ita lex *item quæritur* §. ſi *fullo*, lex, *ſi quis fundus*, §. *celſus*. ff. Locati.

Locans operam imperitus vel infidelitèr agens.

V. Qui ſe ſufficienter peritum ajens locat operam ſuam ad gubernandam navem mercibus onuſtam, & vel illam ad ſcopulos allidat, vel alio modo ejuſdem naufragium eveniat ex ipſius inſcitia, aut negligentia, tenetur ad omnia damna, ut patet. Similiter ſi quis navem fortem, & bene inſtructam locet, deinde in alteram non ita bene inſtructam merces occulte transferat, vel etiam in aliam æqualem, reclamantibus tamen dominis mercium, ſi hæc mergatur, vel alio modo pereat, prima incolumi portum ingreſſa, tenetur ad damna omnia, quia eorumdem cauſa: Ita lex *item quæritur* §. §. 1. & 2. & lex ultima §. *ſi ea eruditione* ff. ad legem Rhodiam.

Locans operas ad ædificium.

VI. Qui locat operas ad ædificium vel ſuis expenſis, vel tanto tempore conſtruendum, & illud inveniatur notabiliter vitioſum, prudentum judicio, ſi conductor nollit ædificium, non poterit compelli. Si e contra ædificium, quamvis non placeat conductori, judicio peritorum debeat placere, locator non tenebitur ad aliquid: ſicuti etiam ſi antequam approbetur a conductore, fortuito, puta incendio caſuali pereat: Ita lex *opus*, lex *pluſquam*, lex *ea lege*, & lex *Maritus* ff. locati.

Locans operas ad aliquid cuſtodiendum.

VII. Qui locavit operas ad greges, vel quidpiam aliud cuſtodiendum, ſi coram Deo, & in rei veritate portio aliqua gregis vel rei, abſque ulla ſua culpa pereat, non tenetur ad aliquid in foro conſcientiæ, quod innititur veritati: At in foro fori, quod innititur præſumptioni, non admittitur excuſatio, niſi illam probet; unde ſi probet, conſimiles res ſolitas eſſe perire, ex quo veriſimile reddatur aſſertum cuſtodis, dato juramento de diligentia adhibita, etiam in foro civili dimittitur liber, ex leg. *ſi quis fundus* §. *Prætor ait* ff. de edendo, & leg. ult. de cuſtodibus rerum. Quando autem damnum procedit ex aliquo pacto non ſervato, v. g. ſi locator locavit ſtabulum, aut fœnile, aut aliud promptuarium eo pacto, ne ignis unquam, vel lumen inferatur; & idcirco quia illatum, locus igne conſumptus fuit, quamvis abſque ulla conductoris culpa, tenebitur ad damna: Lex *videamus* §. *ſi hoc* ff. locati.

Quid de expenſis factis in re locata?

VIII. Excerta omni conſuetudine aut legi municipali, & attenta præciſa ratione contractus, conductor non tenetur ad expenſas faciendas in utilitatem rei locatæ, quæ utilitas ſit aut perpetua, aut longo tempore duratura etiam poſt expletum tempus conductionis, & non ſit utilitas mere voluptuoſa, ſed in aliquo modo neceſſaria. Expenſæ vero, quæ fiunt tempore conductionis, ſi ſint neceſſariæ ad colligendos fructus ex re locata, puta terram arare, agrum ſeminare, vites potare &c. ſpectant

ad conductorem: ſi vero ſint neceſſariæ, ut poſſit haberi uſus rei locatæ, pertinent ad locatorem: Lex *ſed addes* §.*Inquilinus*, lex *ex conducto* ff. locati, lex *ædiles* §.*quicunque* ff. de via publica. Si autem expenſæ non ſint neceſſariæ, quamvis reddant rem meliorem, & locatori utiliorem, nihilominus ſi factæ fuerint abſque ullo nec ſaltem tacito conſenſu ejuſdem, rationabilius non tenetur eas ſolvere locator, qui juſte cogi non poteſt ad ſolvendum, quod ipſe omnino ignoravit, & ſolutio redundaret in grave ipſius incommodum. Conſulto dixi, abſque illius conſenſu vel tacito; quia ſi ſciviſſet conductorem tales expenſas facturum, vel facere, & non ſe declaraſſet, nolle ulli incommodo ſuccumbere, cenſeretur tacite conſenſiſſe; cum potuiſſet aut impedire, aut ſe declarare, & non fecerit; unde doloſe videretur ſiluiſſe, & maxime ſi expenſæ in ipſius etiam utilitatem ceſſuræ ſint.

Caſus incidens reſolvitur. IX. Si in contractu celebrando locator obliget conductorem ad meliorandam rem conductam tali, vel tali modo, & ob nimiam celebrantium oſcitantiam, non fuerit expreſſum, cujus expenſis id agendum ſit; neque id conjecturis poſſit exploratum haberi; quidam dicunt, expenſas pertinere ad locatorem; quidam veroſimilius ſtando verbis caſus propoſiti, expenſas dicunt ſpectare ad conductorem; qui enim obligat alterum ad aliquid faciendum, implicite obligat ad ſumptus neceſſarios pro executione commiſſi.

Caſus alter reſolvitur. X. Petrus uſufructuarius fundi viginti agrorum, eos locavit Paulo ad decennium: Paulus, ſpe fruendi re locata toto conductionis tempore, eam meliorem facit: anno tertio locationis Petrus moritur, & fundus locatus devolvitur ad dominum proprietarium, qui eſt Joannes, nolens continuare locationem: Poterit ne Paulus exigere a Joanne expenſas factas pro meliori conſtitutione, & ſtatu ejuſdem? Rationabilius dicendum videtur, quod ſi expenſæ factæ reddant rem utiliorem, & meliorem ſaltem ad aliquos ſequentes annos, puta tres vel quatuor, poſſit Paulus expenſas a Joanne proprietario exigere. Etenim Petrus locando rem illam Paulo, in hunc tranſtulit jus ſuum; & propterea poterit eodem modo Paulus exigere expenſas illas, ſicut exigere poſſet Petrus, ſi viveret. Addo, quod ſi Petrus uſufructuarius, poſtquam feciſſet eas expenſas, obiiſſet, non ne poſſent hæredes Petri illas exigere a Joanne proprietario, in cujus utilitatem cedere debent? cur idem non poterit Paulus fungens vicibus Petri? Objici ſolet textus juris ex lege, *Si quis domum* §.*idem quærit* ff. locati: *Idem quærit, ſi ſumptus fecit ad fundum quaſi in quinquennium fruturus, an recipiat? & ait non recepturum, quia hoc* (ideſt obitum uſufructuarii) *evenire poſſe proſpicere debuit.* Reſp. cum Molina diſp. 463. num. 4., quod ibi non agebatur, an poſset conductor exigere expenſas a proprietario, ſed ab hærede uſufructuarii: & Jureconſultus reſpondit, quod ſi locator locavit ac ſi eſset proprietarius, poſset illas exigere ab hærede, eo quod deceperit conductorem; ſi vero non deceperit, non poteſt, ſed conductor debet ſibi imputare, eo quod prævidere poterat uſufructuarium obire poſse. An vero poſſit exigere a proprietario, nihil de hoc ſtatuit illa lex, ſed reſolvendum reliquit, quod nos reſolvimus cum opinione, quæ rationabilior apparuit, nil detrahendo oppoſitæ, ſi cui probabilior videtur.

CAPUT X.

DE

CONTRACTIBUS

EMPHYTEUSIS, ET FEUDI.

§. I. *De natura, & obligationibus Emphyteuſis.*

Quid ſit Emphyteuſis, & quæ ſint ejus conditiones? I. Emphyteuſis eſt contractus, quo res immobilis alicui conceditur ad longum tempus, addita obligatione penſionis annuatim ſolvendæ domino proprietario. Diſtinguitur a ſimplici locatione, quæ fieri poteſt de re mobili, & ad breve tempus, cum emphyteuſis & rem immobilem, & ſaltem decennium requirat. Conditio ſervanda eſt, quod ſtatuatur penſio juſta; attenta qualitate rei, quæ datur, & duratione temporis, ad quod datur: ſi enim fundus ſit ſterilis, & detur ad breve tempus, gravatur emphyteuta, qui debet diu, & multum expendere ad illum reddendum fructiferum; & propterea ſolet emphyteuſis durare tota vita conductoris, vel etiam duabus, vel tribus generationibus.

II. Si

Quid ſi non ſolvatur penſio conſtituta?

II. Si non ſolvatur penſio conſtituta per triennium, niſi vera, & ſincera oblivio, vel verum, & reale impedimentum involuntarium excuſaverit, poteſt repeti res data in emphiteuſim, una cum melioramentis ab emphyteuta factis: immo ſi fundus ſit Eccleſiæ, dicunt Doctores, ſufficere defectum biennalem, niſi emphyteuta remedium afferat ſatisfactione ſolemni: ita ex capite *Potuit* de locato. Debet tamen debitor ſaltem ſemel admoneri ex charitate chriſtiana, ut ſibi conſulere poſſit.

Quid ſi res pereat?

III. Si res emphyteutica pereat fortuito ſine ulla emphyteutæ culpa, abſque ſpe recuperandi illam, ceſſat obligatio penſionis: lex 1. Codic. de jure Emphyteutico. Si tamen totus fundus non periret, jus Civile vult, totam adhuc ſolvendam penſionem; eo quod cenſeant Juriſtæ, quod penſio emphyteutica ſit valde modica. Ex quo inferas, quod ſi eſſet notabilis, ex jure naturali juſtitiæ, & charitatis, penſio minuenda eſſet proportione ſervata ad damnum ab emphyteuta paſſum. Si autem emphyteutæ malitia, inertia, negligentia fundus deterior evadat, poteſt ipſi auferri: Authent. *qui rem* Codic. de Sacroſ. Eccleſ.

An poſſit vendere melioramenta?

IV. Emphyteuta non poteſt vendere jus ſuum, ſeu meliorem ſtatum, in quo rem emphyteuticam poſuit, niſi prius interroget dominum proprietarium, an velit ipſe emere; cui conceduntur duo menſes ad deliberandum: quod ſi vendat, ignorante domino, omnia redeunt ad ipſum: ita lex 3. Cod. de jure emphyt. & cap. *potuit* de locato. Quod ſi emphyteuta vendidit quidem, ſed non tradidit emptori, antequam dominum interrogaret; aut ſi vendidit, & tradidit, vendidit tamen ſub conditione, quod dominus emere nolit; quod ſi velit, ſolvatur contractus; non incurrit præfatam pœnam; quemadmodum neque ſi donaverit, legaverit, oppignoraverit, permutaverit. Non poteſt tamen inveſtituram tradere, ſed debet eam petere a domino proprietario, ut hic examinare poſſit, an donatarius, legatarius &c. ſit perſona ſufficiens ad penſionem ſolvendam, & ab ipſo petere poſſit ſtipulationem penſionis. Ne igitur illicite agat, locando rem emphyteuticam, vel eam ad emphyteuſim dando, inquirat prius a domino, an velit ipſe accipere, cum ipſe ſit ſemper aliis præferendus.

Quid agendum illi, qui rem emphyteuticam dono accepit &c.?

V. Quando ab emphyteuta res alienatur, dum illam donat alteri, aut cum alterâ permutavit, novus poſſeſſor ejuſdem debet domino directo ſolvere Laudemium, quod eſt quinquageſimum valoris fundi: ita lex 3., Codic. de Jure Emphyteut. Conſuetudo tamen obtinuit, ait Sylveſter, verbo Emphyt. num. 28., ut ſolvatur trigeſima pars. Hoc laudemium non debetur, quando res illa recipitur titulo hæreditatis, vel datur titulo dotis; nec quando res illa inter hæredes dividitur, nec quando res ad venditorem revertitur, ſoluto contractu, ex pacto de redimendo. Plura legalia videſis in Molina diſp. 44., & 484. doctiſſime de hoc differente.

§. II. *De Feudo, quatenus ſpectat ad forum morale.*

Feudi notio.

I. Feudum eſt contractus, quo dominium utile alicujus rei immobilis conceditur alteri, pro fidelitate exhibenda per ſe, obſequioque perſonali præſtando, dominio directo rei apud infeudatorem remanente. Ex his, Feudum ab Emphyteuſi diſtinguitur; quia in hac penſio ſolvenda eſt in rebus; in Feudo autem puro nil reale ſolvendum, ſed dumtaxat obſequium, & ſervitium perſonale; cui ſi penſio aliqua realis addatur, evadet Feudum emphyteuſi mixtum. Ad infeudantem ſpectat jus cognoſcendi de cauſa inter eos, qui feudum poſſident, vel contendunt; quod jus non competit domino directo rei emphyteuticæ.

Quid poſſit Feudatarius?

II. Feudatarius non poteſt donare, oppignorare, aut alio modo transferre Feudum in aliam perſonam, aut familiam, ſicuti poteſt Emphyteuta. Fœmina, niſi expreſſe dicatur, non ſuccedit in Feudum, cum non poſſit ſervitium perſonale, præcipue militare, infeudanti præſtare; ſicuti ſuccedit in Emphyteuſi, cum penſionem æque, ac homo ſolvere poſſit fœmina. Feudatarius poteſt, quando ſibi libuerit feudum reſignare, & a ſe abdicare, eo quod ſit contractus in ipſius utilitatem; quod non poteſt facere emphyteuta, quia datur ipſi res ad illam meliorandam. Feudatarius non tenetur præſtare ſervitium infeudanti, niſi requiſitus; Emphyteuta vero tenetur penſionem ſolvere etiam non requiſitus.

Quomodo amittatur Feudum?

III. Feudum amittitur, & revertitur ad dominum directum, ſi non præſtetur a Feudatario obſequium præſtandum, quando illud requiritur: Item ſi audeat feuda-

ad conductorem: ſi vero ſint neceſſariæ, ut poſſit haberi uſus rei locatæ, pertinent ad locatorem: Lex *ſed addes* §. *Inquilinus*, lex *ex conducto* ff. locati, lex *ædiles* §. *quicunque* ff. de via publica. Si autem expenſæ non ſint neceſſariæ, quamvis reddant rem meliorem, & locatori utiliorem, nihilominus ſi factæ fuerint abſque ullo nec ſaltem tacito conſenſu ejuſdem, rationabilius non tenetur eas ſolvere locator, qui juſte cogi non poteſt ad ſolvendum, quod ipſe omnino ignoravit, & ſolutio redundaret in grave ipſius incommodum. Conſulto dixi, abſque illius conſenſu vel tacito; quia ſi ſciviſſet conductorem tales expenſas facturum, vel facere, & non ſe declaraſſet, nolle ulli incommodo ſuccumbere, cenſeretur tacite conſenſiſſe; cum potuiſſet aut impedire, aut ſe declarare, & non fecerit; unde doloſe videretur ſiluiſſe, & maxime ſi expenſæ in ipſius etiam utilitatem ceſſuræ ſint.

Caſus incidens reſolvitur. IX. Si in contractu celebrando locator obliget conductorem ad meliorandam rem conductam tali, vel tali modo, & ob nimiam celebrantium oſcitantiam, non fuerit expreſſum, cujus expenſis id agendum ſit; neque id conjecturis poſſit exploratum haberi; quidam dicunt, expenſas pertinere ad locatorem; quidam veroſimilius ſtando verbis caſus propoſiti, expenſas dicunt ſpectare ad conductorem; qui enim obligat alterum ad aliquid faciendum, implicite obligat ad ſumptus neceſſarios pro executione commiſſi.

Caſus alter reſolvitur. X. Petrus uſufructuarius fundi viginti agrorum, eos locavit Paulo ad decennium: Paulus, ſpe fruendi re locata toto conductionis tempore, eam meliorem facit: anno tertio locationis Petrus moritur, & fundus locatus devolvitur ad dominum proprietarium, qui eſt Joannes, nolens continuare locationem: Poterit ne Paulus exigere a Joanne expenſas factas pro meliori conſtitutione, & ſtatu ejuſdem? Rationabilius dicendum videtur, quod ſi expenſæ factæ reddant rem utiliorem, & meliorem ſaltem ad aliquos ſequentes annos, puta tres vel quatuor, poſſit Paulus expenſas a Joanne proprietario exigere. Etenim Petrus locando rem illam Paulo, in hunc tranſtulit jus ſuum; & propterea poterit eodem modo Paulus exigere expenſas illas, ſicut exigere poſſet Petrus, ſi viveret. Addo, quod ſi Petrus uſufructuarius, poſtquam feciſſet eas expenſas, obiiſſet, non ne poſſent hæredes Petri illas exigere a Joanne proprietario, in cujus utilitatem cedere debent? cur idem non poterit Paulus fungens vicibus Petri? Objici ſolet textus juris ex lege, *Si quis domum* §. *idem quærit* ff. locati: *Idem quærit, ſi ſumptus fecit ad fundum quaſi in quinquennium fruiturus, an recipiat? & ait non recepturum, quia hoc* (ideſt obitum uſufructuarii) *evenire poſſe proſpicere debuit.* Reſp. cum Molina diſp. 463. num. 4., quod ibi non agebatur, an poſſet conductor exigere expenſas a proprietario, ſed ab hærede uſufructuarii: & Jureconſultus reſpondit, quod ſi locator locavit ac ſi eſſet proprietarius, poſſet illas exigere ab hærede, eo quod deceperit conductorem; ſi vero non deceperit, non poteſt, ſed conductor debet ſibi imputare, eo quod prævidere poterat uſufructuarium obire poſſe. An vero poſſit exigere a proprietario, nihil de hoc ſtatuit illa lex, ſed reſolvendum reliquit, quod nos reſolvimus cum opinione, quæ rationabilior apparuit, niſi detrahendo oppoſitæ, ſi cui probabilior videtur.

CAPUT X.

DE

CONTRACTIBUS

EMPHYTEUSIS, ET FEUDI.

§. I. *De natura, & obligationibus Emphyteuſis.*

I. Emphyteuſis eſt contractus, quo res immobilis alicui conceditur ad longum tempus, addita obligatione penſionis annuatim ſolvendæ domino proprietario. Diſtinguitur a ſimplici locatione, quæ fieri poteſt de re mobili, & ad breve tempus, cum emphyteuſis & rem immobilem, & ſaltem decennium requirat. Conditio ſervanda eſt, quod ſtatuatur penſio juſta; attenta qualitate rei, quæ datur, & duratione temporis, ad quod datur: ſi enim fundus ſit ſterilis, & detur ad breve tempus, gravatur emphyteuta, qui debet diu, & multum expendere ad illum reddendum fructiferum; & propterea ſolet emphyteuſis durare tota vita conductoris, vel etiam duabus, vel tribus generationibus. Quid ſit Emphyteuſis, & quæ ſint ejus conditiones?

II. Si

Quid ſi non ſolvatur penſio conſtituta?

II. Si non ſolvatur penſio conſtituta per triennium, niſi vera, & ſincera oblivio, vel verum, & reale impedimentum involuntarium excuſaverit, poteſt repeti res data in emphiteuſim, una cum meliora-mentis ab emphyteuta factis: immo ſi fundus ſit Eccleſiæ, dicunt Doctores, ſufficere defectum biennalem, niſi emphyteuta remedium afferat ſatisfactione ſolemni: ita ex capite *Potuit* de locato. Debet tamen debitor ſaltem ſemel admoneri ex charitate chriſtiana, ut ſibi conſulere poſſit.

Quid ſi res pereat?

III. Si res emphyteutica pereat fortuito ſine ulla emphyteutæ culpa, abſque ſpe recuperandi illam, ceſſat obligatio penſionis: lex 1. Codic. de jure Emphyteutico. Si tamen totus fundus non periret, jus Civile vult, totam adhuc ſolvendam penſionem; eo quod cenſeant Juriſtæ, quod penſio emphyteutica ſit valde modica. Ex quo inferas, quod ſi eſſet notabilis, ex jure naturali juſtitiæ, & charitatis, penſio minuenda eſſet proportione ſervata ad damnum ab emphyteuta paſſum. Si autem emphyteutæ malitia, inertia, negligentia fundus deterior evadat, poteſt ipſi auferri: Authent. *qui rem* Codic. de Sacroſ. Eccleſ.

An poſſit vendere meliora-menta?

IV. Emphyteuta non poteſt vendere jus ſuum, ſeu meliorem ſtatum, in quo rem emphyteuticam poſuit, niſi prius interroget dominum proprietarium, an velit ipſe emere; cui conceduntur duo menſes ad deliberandum: quod ſi vendat, ignorante domino, omnia redeunt ad ipſum: ita lex 3. Cod. de jure emphyt. & cap. *potuit* de locato. Quod ſi emphyteuta vendidit quidem, ſed non tradidit emptori, antequam dominum interrogaret; aut ſi vendidit, & tradidit, vendidit tamen ſub conditione, quod dominus emere nolit; quod ſi velit, ſolvatur contractus; non incurrit præfatam pœnam; quemadmodum neque ſi donaverit, legaverit, oppignoraverit, permutaverit. Non poteſt tamen inveſtituram tradere, ſed debet eam petere a domino proprietario, ut hic examinare poſſit, an donatarius, legatarius &c. ſit perſona ſufficiens ad penſionem ſolvendam, & ab ipſo petere poſſit ſtipulationem penſionis. Ne igitur illicite agat, locando rem emphyteuticam, vel eam ad emphyteuſim dando, inquirat prius a domino, an velit ipſe accipere, cum ipſe ſit ſemper aliis præferendus.

Quid agendum

V. Quando ab emphyteuta res alienatur, dum illam donat alteri, aut cum alterà permutavit, novus poſſeſſor ejuſdem debet domino directo ſolvere Laudemium, quod eſt quinquageſimum valoris fundi: ita lex 3., Codic. de Jure Emphyteut. Conſuetudo tamen obtinuit, ait Sylveſter, verbo Emphyt. num. 28., ut ſolvatur trigeſima pars. Hoc laudemium non debetur, quando res illa recipitur titulo hæreditatis, vel datur titulo dotis; nec quando res illa inter hæredes dividitur, nec quando res ad venditorem revertitur, ſoluto contractu, ex pacto de redimendo. Plura legalia videſis in Molina diſp. 44., & 484. doctiſſime de hoc differente.

Quid illi, qui rem emphyteuticam dono accepit &c.?

§. II. *De Feudo, quatenus ſpectat ad forum morale.*

Feudi notio.

I. Feudum eſt contractus, quo dominium utile alicujus rei immobilis conceditur alteri, pro fidelitate exhibenda per ſe, obſequioque perſonali præſtando, dominio directo rei apud infeudatorem remanente. Ex his, Feudum ab Emphyteuſi diſtinguitur; quia in hac penſio ſolvenda eſt in rebus; in Feudo autem puro nil reale ſolvendum, ſed dumtaxat obſequium, & ſervitium perſonale; cui ſi penſio aliqua realis addatur, evadet Feudum emphyteuſi mixtum. Ad infeudantem ſpectat jus cognoſcendi de cauſa inter eos, qui feudum poſſident, vel contendunt; quod jus non competit domino directo rei emphyteuticæ.

Quid poſſit Feudatarius?

II. Feudatarius non poteſt donare, oppignorare, aut alio modo transferre Feudum in aliam perſonam, aut familiam, ſicuti poteſt Emphyteuta. Fœmina, niſi expreſſe dicatur, non ſuccedit in Feudum, eum non poſſit ſervitium perſonale, præcipue militare, infeudanti præſtare; ſicuti ſuccedit in Emphyteuſi, cum penſionem æque, ac homo ſolvere poſſit fœmina. Feudatarius poteſt, quando ſibi libuerit feudum reſignare, & a ſe abdicare, eo quod ſit contractus in ipſius utilitatem; quod non poteſt facere emphyteuta, quia datur ipſi res ad illam meliorandam. Feudatarius non tenetur præſtare ſervitium infeudanti, niſi requiſitus; Emphyteuta vero tenetur penſionem ſolvere etiam non requiſitus.

Quomodo amittatur Feudum?

III. Feudum amittitur, & revertitur ad dominum directum, ſi non præſtetur a Feudatario obſequium præſtandum, quando illud requiritur: Item ſi audeat feuda-

tarius illud alienare, abſque voluntate, & conſenſu domini. Item ſi ſucceſſor in Feudo non petat inveſtiri, vel renovationem inveſtituræ: Item ſi Feudatarius ſit domino ingratus, illumque graviter offendat. Plura alia videſis apud Juriſtas.

CAPUT XI.

DE

CONTRACTIBUS

LUDI, ET SORTIS.

§. I. *De notione Ludi liciti, & de Ludi materia.*

Ludi notio & diverſitas.

I. LUdus eſt contractus, quo ludentes conveniunt, ut victori præmium aliquod cedat ab ipſis depoſitum. Ludus dividitur in Induſtrioſum, in quo majorem partem habet ars, induſtria, dexteritas, robur &c., & in Fortuitum, in quo exitus ſoli fortunæ, & caſui, vel ſaltem pro majori parte committitur. *Ludi*, ait S. Thomas in 4. diſt. 16. qu. 4. art. 2. qu. 1., *nullam turpitudinem habentes ..... ſunt materia virtutis Eutrapeliæ, & ideo, ſervatis debitis circumſtantiis, poſſunt laudabiliter fieri ad quietem propriam, & ad aliis delectabiliter convivendum. Sed contingit in eis eſſe peccatum, eo quod debitæ circumſtantiæ non ſervantur: unde in talibus ludis aliquid decet unum, quod non decet alium.*

Quando, & quale peccatum?

II. S. Doctor. 2. 2. q. 168. art. 3. docet, quod *quandoque ludus poteſt eſſe peccatum mortale propter vehementiam affectus ad ludum, cujus delectationem præponit aliquis dilectioni Dei; ita quod contra præceptum Dei, vel Eccleſiæ talibus ludis uti non refugiat. Quandoque eſt peccatum veniale, puta ſi aliquis non tantum afficitur ad ludum, quod propter hoc velit aliquod contra Deum committere.* Hinc ludens cum periculo proximo blaſphemandi, pejerandi, graviter rixandi, peccat lethaliter: item ludens cum damno notabili familiæ ſuæ, aut familiæ colludentis: aut cum quibus dubitat prudenter, an de proprio ludant, quales ſunt filii familias; aut cum quibus ſcit non habere de proprio, quod exponant, quales ſunt Religioſi profeſſi, ſi quantitatem reſpective notabilem exponant, lethaliter peccat, quia cooperatur alieno peccato mortali, & reſtituere tenetur. Sed de his iterum: Item ait S. Doctor loc. proxime citato a. 3. *Quando utitur quis, cauſa ludi, turpibus verbis, vel factis, vel etiam his, quæ vergunt in proximi nocumentum, quæ de ſe ſunt peccata mortalia.*

Intendere principaliter lucrum.

III. Qui ludit ex intentione primaria lucrandi, cum communiori Cajetani, & Soti non peccat lethaliter, quia revera non deſideratur damnum proximi, ſed deſideratur res proximi, ita ut ad ludentem perveniat modo juſto; & quemadmodum non eſt lethale, deſiderare rem etiam pretioſiſſimam, ita ut ſibi perveniat modo juſto, puta aut donatione, aut alio juſto titulo; ita in præſenti. Secus dicendum, ſi lucrum intentum prævideretur allaturum familiæ colludentis grave detrimentum, ut dixi; tunc enim ſicut illicitum eſſet, ludum continuare lucrando, ita illicitum quoque eſt, tale lucrum intendere. Si quis autem moderate ludendo intenderet lucrum, non propter ipſum lucrum, ſed puta, ut filiæ dotem convenientiorem conſtituat &c., tunc nec veniale forte videretur.

Materia Ludi.

IV. Si ludentium unus exponat rem pretio æſtimabilem, & alter preces, aut aliud ſpirituale; cum ludus ſit contractus oneroſus, vix a Simoniæ labe excuſari poſſent, niſi ob ignorantiam, aut totalem inadvertentiam. Hoc crimen incurrere non videntur, ſi ambo preces, aut aliud ſpirituale exponant; quia ſpiritualia ſpiritualibus commutare, niſi jure poſitivo prohibeatur, ſicut in beneficiis, de ſe non eſt vetitum, nullaque irrogatur rei ſpirituali injuria; dummodo non intendant ſubjicere rem ſpiritualem pacto humano.

§. II. *De Locis ludo dicatis, & de Perſonis Ludo operam dantibus.*

Quid de tenentibus Loca alearum Ludo deſtinata?

I. DUcentes, & tenentes domos Ludo deſtinatas, quo luſores convenire poſſint, omniaque parata inveniant, ut ludo alearum ad beneplacitum vacent, juxta Doctores Theologiæ non ſeveræ, peccant mortaliter, Sanchez lib. 1. Conſil. cap. 8., dubit. 21., afferens alios graves Doctores, & Diana tom. 1., part. 2. tract. 1., Miſcellan. reſolut. 65., alios adducens, Ratio duplex; prima, legum auctoritas hujuſmodi loca ſtrictiſſime prohibentium

reddi-

Digitized by Google

additis etiam pœnis in eos, qui eadem loca tenent: ſecunda, quia in hujuſmodi conventiculis plurima gravia peccata foventur, & præcipue plurium familiarum extrema excidia. Immo Lugo diſp. 31. de Ludo n. 6. teſtatur, ſe Romæ vidiſſe hujuſmodi locorum conductores ad triremes damnatos. Audi S. Bernardinum Senenſem ſerm. 33. in Domin. 5. Quadrageſ. *Abſolvendi non ſunt, donec removerint domum a tali peſſimo uſu ludendi.*

Quid Aleatum nomine denotetur? II. Priuſquam de perſonis ludentibus dicamus, ſtatuendum puto, & declarandum, quod Alearum vocabulo, non quilibet ludus, qui chartis luſoriis perficitur, deſignetur, in quo magnam partem ſibi vendicat ingenium, ars, induſtria &c.; ſed intelligitur dumtaxat ludus ille, qui ſive chartis, ſive taxilliis, ſive quovis alio inſtrumento exercetur, & mero caſu fortuito victoria obtinetur: Ita enim communi ſenſu ſemper intellecta fuit vox Aleæ, & contra hos ludos conſtitutæ fuerunt leges tam civiles, quam Eccleſiaſticæ; & contra aleatores ſevere animadvertunt; quippe quod maxime irritent humanam imbecillitatem ad prorumpendum in blaſphemias contra divinam Providentiam, cujus nutu etiam nobis fortuita juſto conſilio diſponuntur. Hinc graves Doctores,

Etiam laicis interdicitur ſaltem frequens. quos inter S. Raymundus lib. 2. Summæ tit. 2., ſcribit: *Peccatum eorum, qui aleæ deſerviunt, eſt mortale, cum tales pœnæ non ſint imponendæ pro levi crimine.* Quicunque igitur, etiam laicus, qui aleis deſervit, nempe frequens admodum eſt in alearum ludo, judicio Raymundi non eſt immunis a mortali; quod evincit ex gravitate pœnarum a jure aleatoribus inflictarum, & ex periculo, cui ſe aleatores exponunt, iraſcendi contra Deum.

Clericis multo magis. III. Clericis interdictum alearum ludum omnia fere Concilia tam Generalia, quam Provincialia, quam Diœceſana manifeſtant; in quibus de reformatione ſermo habetur. Sufficiat textus Tridentini ſeſſ. 22., ar. 1. de reformatione, qui ab omnibus Synodis citari ſolet: *Statuit ... ut quæ alias a Summis Pontificibus, & a Sacris Conciliis de Clericorum vita, & honeſtate ... retinenda, ac ſimul de luxu, commeſſationibus, choreis, aleis, luſibus ... ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum iiſdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, obſerventur; ..., non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque.* Et obſerva, quomodo Concilium aleis addit etiam *luſibus*, ut declaret, quod nedum alearum ludus clericis prohibeatur, verum etiam alii luſus, qui indecentiam aliquam immixtam habent, quos inter, omnes chartarum ludi merito recenſentur; quippe ſi horum frequentia nimia etiam laicos dedecet, multo magis clericos, & præcipue in officinis, aliiſque locis, quæ laicorum obſervationi patent. Neque dicas, Tridentinam legem in deſuetudinem abiiſſe; cum, ut dicebam, in omnibus Conciliis diœceſanis citetur: eo vel magis, quod lex naturalis, nulli deſuetudini obnoxia, de bono exemplo ab Eccleſiaſticis viris laicis dando, nec non de ſcandalo vitando, eoſdem urgeat. Quod autem diximus de Clericis, a fortiori urget pro Regularibus, quos afficit ſpecialis obligatio & voti paupertatis, & laici populi ſuis moribus ædificandi.

IV. Ludentes ludo alioquin permiſſo dominium habere debent eorum, quæ ludo exponunt, ut patet. Hinc, juxta communem, Pupilli abſque Tutoris; & Minores abſque Curatoris; & Religioſi abſque Superioris licentia, nil exponere poſſunt; & qui lucratur, tenetur lucrata reſtituere reſpective Tutoribus, Curatoribus, Religioni: *eo quod lucretur ab his, qui rem ſuam alienare non poſſunt*, ait S. Thomas 2. 2. q. 32., a. 7., ad 2. Et idem dicas de filiis familias, qui cum moderate ludere poſſint, & ludo exponere de bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus; non poſſunt quidquam de bonis adventitiis, & profectitiis exponere contra voluntatem Patris, ſaltem expreſſam: dixi ſaltem expreſſam; quia ſi Pater ſciat filium de prædictis bonis aliquid moderatum exponere, & taceat; videtur jam aſſentiri. Qui igitur cum hujuſmodi Perſonis ludit, caveat, quomodo ludat, ne lucrando ab eo, qui non ſua exponit, reſtituendi obligatione afficiatur. Quid de exponentibus non ſua?

V. Si filius habens a patre licentiam exponendi determinatam ſummam infra annum, & illa ſumma lucretur v. g. centum; poteſt in eodem ludo, eademque vice continuante, exponere & illa centum, & etiam ſummam illam ſibi a genitore permiſſam; ita exigente urbanitate cum colludente, ne hic offendatur, ſi a ludo intempeſtive ſe removeat. Si autem, finito jam ludo, victor centum recedat, & poſt paucos dies iterum ludum reaſſumat Navarrus, & Sylveſter citati a Sanchez dubit. 8., n. 2. dicunt, quod ſi ludat cum co- Specialia de Filio familias.

eodem, poteſt licite ludere de interpretato conſenſu patris; ſi vero ludat cum altero, requiratur conſenſus patris, antequam exponat centum lucrata. Bannez vero in 2. 2. q. 32. a. 7., concedit poſſe ludere ſive cum eodem, ſive cum altero. Armilla vero abſolute negat cum ullo, cui alii ſubſcribunt apud laudatum Sanchez. Mihi probabilius apparet, quod aſſeritur ab hoc Auctore. Ratio eſt, quia illa centum lucrata recenſentur procul dubio in ſerie bonorum profectitiorum, & proinde ſub patris dominio cadentium; ea propter ſi ludum abrumpat, & poſt intervallum ſufficiens, ludum reaſſumat ſive cum eodem, ſive cum altero, non poteſt uti illis centum, ſine novo patris conſenſu, quem poteſt obtinere a Patre, ſi vicinum illum habeat: Si vero ab eodem longe diſtet, puta quia degit in Collegio a patria longinquo, tunc ſincere, & coram Deo examinanda eſt indoles Patris, an liberalis, & ad filium benevola; an reſtricta, & œconomiæ domeſticæ non modice addicta; & inde reſolvendum, num prudenter Patris conſenſus præſumi poſſit nec ne.

§. III. *De modis ludendi illicitis.*

De exponente ludum rem alienam. I. QUi ludens exponit rem alienam, aut furto ſublatam, aut commodato, vel depoſito ſibi commiſſam, uſu non conſumptibilem, illamque perdit, & a colludente id ignorante, illam evincat verus dominus ejuſdem rei, tunc tenetur injuſtus perdens redintegrare victorem, ut patet; &, niſi ludus ſit a lege vetitus, poterit victor perdentem compellere per judicem: ſi vero ludus ſit vetitus, unde non pateat acceſſus ad judicem, recuperet quod ſibi debetur, meliori modo quo poterit. Si vero injuſtus ludens vicerit, tunc vel habebat alia bona, quibus ſi perdidiſſet, poterat victori ſatisfacere, vel non habebat: ſi habebat, videtur poſſe retinere, quod vicit: ſi autem non habebat, aut habendo animus deerat ſolvendi, non poteſt retinere, quod vicit; quia deeſt æqualitas ab hoc contractu exacta; & quia per injuſtam deceptionem illud obtinuit. Et idem dicas de ludente pecunia aliena, aut moneta falſa. Hæc dicta habeantur, ſalvo ſapientiori judicio.

Juxta doctrinam, quam tradit Angelicus Doctor 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *ad* 2. quamque Auctor ob oculos ponit §. *ſeq. n.* 2., ille, qui ludo vetito lucratus eſt in iis locis, in quibus jus civile vim habet, nec contrario uſu abrogatum eſt, reſtitutioni redditur obnoxius etiam ante ſententiam judicis. Quocirca propoſitio, quam *n. præced.* ſic abſque ulla limitatione exprimit Auctor: *Si vero ludus ſit vetitus, unde non pateat acceſſus ad judicem, recuperet quod ſibi debetur meliori modo, non poterit,* temperanda videtur. Nam quemadmodum ubi viget jus civile, nec contraria prævalet conſuetudo, vincens nequit retinere quæ ludo vetito acquiſivit, ſed etiam ante ſententiam judicis tenetur reſtituere ei, qui perdidit; ita poſito, quod res, quam ludo vetito lucriſecit ad alium pertineat, & ab iſto evincatur, nullo modo poterit, ubi jus civile permanet in ſuo robore, quidquam repetere, vel recuperare, cum nihil ſibi in tali caſu debeatur.

II. Qui alium ad ludendum compellit, & moraliter cogit; ſi vincat, reſtituere tenetur paſſo coactionem, quod lucratus eſt: ſi perdat, repetere non poteſt: Ita S. Doctor in 4. diſt. 15. q. 2. a. 4. q. 3. ad 2. *Qui alium traxerit, ſi amiſit; non competit ei repetitio: ſi autem lucratus eſt, tenetur ad reſtituendum illi, a quo lucratus eſt.* Ratio communis pro quolibet contractu per vim celebrato; qui quamvis quoad ſubſtantiam validus ſit; quia tamen cum læſione juris alterius partis vim paſſæ, efficitur, ut injuſte acquiratur, quod ex vi talis contractus obtinetur. Idem dicas in caſu, quo ludens victor velit recedere a ludo, & alter compellat ad proſequendum, proteſtans, ſe non ſoluturum deperdita, niſi ille proſequatur, aut aliis modis utatur, moralem vim inferentibus, ut docent Sylveſter, & Navarrus. Compellens alterum ad ludendum.

III. Fraudes in ludo præcipue chartarum quædam a ludi legibus dicuntur permiſſæ, quædam ſunt aperte injuſtæ. Inter permiſſa hæ recenſentur: prima, habere chartas meliores, unde certa ſit victoria; & nihilominus augere ſponſionem, provocando ſocium ſi velit tenere. Secunda, habere chartas inferiores, & nihilominus ſimulare, & provocare ſponſionem, ac ſi meliores haberet, & alter timens recuſet. Tertia, habere chartas meliores, & ſimulare formidinem, ut alter animoſius provocet, & ita magis perdat. Quarta, videre adverſarium ſumentem plures chartas, quam debeat, & ſilere, ut propter talem exceſſum perdat. Iis Henricus a S. Ignatio lib. 9. cap. 55. n. 613. addit quintam, nempe aſpicere chartas minus cullo- Fraudes in ludo quot, & quæ?

ditas

Digitized by Google

ditas ab adverſario, (addo, non tamen id fraudulenter procurare, ſed utendo oſcitantia adverſarii) & ſextam, non monere ſocium, dum errat in numeratione punctorum: (addo, dummodo hæc conſuetudo ibidem obtineat). Hæ fraudes dicuntur permiſſæ, quibus qui ludo ſe exponit, implicite aſſentiri cenſetur. Fraudes illicitæ ſunt: Prima, ſignare chartas aliquibus notis ſoli fraudatori agnoſcendis: Secunda, numerare pro ſe plura puncta, & minora pro adverſario. Tertia, præoccupare primum locum, quando non eſt præoccupandus, ſi hic alioquin plurimum conferat ad victoriam. Quarta, defraudare, numerando pecuniam deperditam, tantam eſſe aſſerendo, cum tanta non ſit. Quinta, componere artificioſe chartas; ita, ut ſibi meliores obveniant. Sexta, mentiri, dicendo ſe habere chartas, quas non habet. Septima, habere occultum correſpondentem, qui adverſarii chartas certis ſignis indicet. Hæ & aliæ conſimiles ſunt fraudes injuſtæ, & victorem his utentem conſtituunt, reſtitutioni obnoxium.

Quid de æqualitate peritiæ in ludentibus?

IV. Quando ludus non eſt meræ fortunæ, ſed requirit etiam peritiam in ludentibus, ſi illi, qui ludere ſuſcipiunt, ignorent viciſſim gradum ſuæ peritiæ, cum uterque ſe periculo committat, licite ludunt, & peritior juſte lucratur. Proſequendo tamen ludum, & cognita clare alterius colluſoris longe minori peritia, tenetur peritior a ludo deſiſtere. Ita Sanchez cum pluribus doctoribus loc. cit. dubit. 13., n. 2., eo quod clare cognita inæqualitate contractus, evadit injuſtus ſi celebretur, ludus autem eſt contractus &c. Unde niſi addantur aliquæ conditiones faventes minus perito, quæque prudentum judicio compenſent imperitiam colluſoris, injuſte luditur, & peritior injuſte lucratur. Si autem exceſſus peritiæ non ſit notabilis, non videtur injuſtus ludus, quia ex aliqua majori peritia non violatur æqualitas ludo neceſſaria, in quo magnam partem victoriæ fortuna ſibi vendicat. Si demum parum fortuna in ludum illum influeret, & eventus pro maxima parte a peritia penderet, peritior abſtinere deberet, niſi forte colluſor ſua omnino ſponte proſequi vellet, quia ſicuti donare poteſt, ita & ſponte amittere, quod exponit.

Quid ſi peritior invitetur a minus perito?

V. Quando longe peritior, qui ſe talem cognoſcit, invitatur a minus perito ignorante invitati peritiam, tenetur ille modeſte recuſare, ut probabilius, & communius docet Lugo cum plurimis diſp. 31., ſect. 2. §. 4. n. 44. contra alios; neque, ſi ludat, poteſt retinere quod lucratur; Et multo minus lucrata retinere poteſt, qui ſe fingit minus peritum, ut alteri fucum faciat, illumque decipiat, ludo expoſita ſibi lucrando. Ratio eſt etiam ſuperius indicata: quia in colluſoribus requiritur æqualitas inter ſpem vincendi, & periculum amittendi, ut hic contractus ſit licitus, juxta omnes; atqui ubi intervenit dictus exceſſus peritiæ, ludenti invitato notus, perit præfata æqualitas inter ſpem, & periculum reſpectu ignorantis peritiam colluſoris; igitur &c. Confirmo exemplis validiſſimis. Nemo ambigit, quod in contractu Aſſecurationis, de quo in capite ſequenti, debeat intervenire moralis æqualitas inter pretium aſſecurationis, & periculum mercis; ita ut injuſte pro modico periculo magnum pretium exigeretur, ſicuti pro magno modicum daretur: & ſimiliter in contractu Societatis injuſte emeretur magna ſpes multi lucri, conferendo in ſocietatem partem modicam, ſicuti e contra modica ſpes parvi lucri injuſte emeretur, erogata & collata magna parte; ita in caſu noſtro modica, vel quaſi nulla ſpes lucri injuſte emitur certo quaſi periculo jacturæ ſummæ expoſitæ. „ „ Quando autem, ait Molina *diſput.* 587. *n.* „ 2. is qui alterum longe ſuperat peritia & „ dexteritate ludendi, id detegit illi alte„ ri, aut ille alter id optime novit, quia „ ſæpe eſt expertus, quanta polleat peri„ tia, & dexteritate; tum ſi qui minori „ peritia, & dexteritate pollet, ſua ſpon„ te velit nihilominus cum eo ludere, non „ tenebitur ille alius, ſi lucretur, quid„ quam ei reſtituere. Quoniam cum hic „ optime cognoſcat ſuam, & alterius pe„ ritiam, ac dexteritatem, nullaque ne„ ceſſitate adducatur ad ludendum cum eo, „ cenſetur illi condonare, ut lucrari poſ„ ſit, nihil impediente eo exceſſu. „ Alia ſubdit idem Auctor ad hanc rem ſcitu digna, & præſertim caute monet, id verum eſſe, dummodo quod exponitur, non ſit quidpiam notabile, & afferens grave damnum colluſori; quia tunc ludere non deberet, ſaltem ex charitate; vel reſtituere, quod lucratur.

Quid de exponentibus reliquum capitalis?

VI. Quando ludentes conveniunt verſus finem ludi de exponendo id quod remanet, italice *vada il reſto*, ille, qui certus eſt minus ſibi capitale remanere, acceptare con-

contra illum, quem ſcit majori capitali potiri, ut docet rationabilior, non poteſt; quia prudenter cenſendi ſunt luſores velle etiam quoad hoc ſervare æqualitatem, ludi contractui eſſentialem. Si tamen uterque ignoret, quid ſibi remaneat, & ſorti ſe committere eligant, ut plus, vel minus lucrentur, quam exponunt; tunc volentibus injuria non fit: hoc itaque conſenſu expreſſe non poſito, qui vincit, non poterit lucrari, niſi quantum amittere poterat de capitalis reſiduo.

§. IV. *De reſtitutione facienda ab injuſte ludente.*

Ad quid tenetur fraudator? I. QUi in eodem ludo perdidit v. gr. centum, quæ per fraudem antea lucratus fuerat, tenetur & illa centum, quæ perdidit ſolvere, & etiam illa centum, quæ per fraudes acquiſierat. Ratio patet, quia quæ per fraudes acquiſivit, ſunt injuſte accepta, & tamquam furtiva reſtituenda: alia autem centum quæ amiſit, tenetur ſolvere ex contractu ludi, ſtricte obligante ad ſolvendum perdita. Idem quando fraudator, niſi fraudes adhibuiſſet, certo perdidiſſet; tenetur & lucrum reſtituere, & etiam dare id, quod perdidiſſet. Ratio eadem & patens. Si certus eſſet, ipſum, etiam fraude non adhibita, non victum iri, dubitet vero an victoriam eſſet reportaturus; poterit retinere id, quod expoſuerat, debebit tamen reſtituere rem, quam vicit pro rata dubii, vel pro dimidio, ſi dubium ſit æquale, plus autem, vel minus prout dubium majus, vel minus eſt pro una parte, quam pro altera. Præterea ſi, etiam fraude non adhibita, certus ſit, ſe victoriam non fuiſſe aſſecuturum, dubitet autem, an fuiſſet vincendus, tenebitur reſtituere rem alienam quam lucratus fuit ob fraudes adhibitas, & tantum rei a ſe expoſitæ portionem, quæ coæquare valet ſpem victoriæ alterius colluſoris. Rationes patent ex regulis traditis pro reſtitutione debitorum. Demum ſi, etiam fraude non adhibita, victoria fuiſſet æqualiter dubia, & æqualiter probabilis utrinque; tenebitur reſtituere, quod per fraudes lucratus eſt; non tamen rem quam expoſuit; quod ſi ſpes innocentis revera fuiſſet major, tenebitur compenſare juxta gradum hujuſce majoris ſpei pro rata rei expoſitæ.

Quid de vincente in ludo vetito. II. Ludens ludo vetito, & vincens juxta Bannez, Sotum, & Medinam, & alios plures, non tenetur reſtituere lucrata, antequam petantur a victo: Quia jus commune Cæſareum in lege alearum Cod. de Aleatoribus, prout intelligitur a multis, non obligat victorem ad reſtituendum, niſi poſt ſententiam judicis. Si autem alicubi eſſent leges municipales, jubentes reſtitutionem etiam ante ſententiam judicis, quæ non ſint deſuetudine abrogatæ, obſervandæ ibidem erunt. Opportune S. Doctor 2. 2. q. 32., art. 7. ad 2. monet: *In ludo aliquid videtur ulterius eſſe illicitum ex jure poſitivo civili, quod prohibet univerſaliter tale lucrum: ſed quia jus civile non obligat omnes, ſed eos ſolos, qui ſunt his legibus ſubjecti, & iterum per deſuetudinem abrogari poteſt; ideo apud illos, qui ſunt hujuſmodi legibus obſtricti, tenentur univerſaliter ad reſtitutionem, qui lucrantur; niſi forte contraria conſuetudo prævaleat.*

An poſſit declinare ſententiam Judicis? III. Si victor in ludo vetito abſque ulla vi, ſed fraude impediat, ne judex eum reſtituere compellat, non tenebitur reſtituere, quia non extat ſententia judicis. Si vero a judice interrogetur, tenetur ingenue veritatem fateri ſe luſiſſe, & viciſſe; & ſi condemnetur tenetur in conſcientia reſtituere: quia hæc lex eſt proviſionalis, inſtituta ad commune bonum, ne cives hujuſmodi ludis depauperentur; & proinde obligat in conſcientia. Quod ſi victus promiſerit ſe non petiturum reſtitutionem, adhuc illam petere poterit; eo quod ceſſio proprii juris facta a victo caret valore; quia contra bonum commune. Si enim hæ promiſſiones valerent, quis non videt, quam facile eludi poſſet intentio legis? Proinde nullus privatus ſua ceſſione habet vim labefactandi vigorem legis, quæ omnibus abſque ulla exceptione concedit jus repetendi. Excipe dumtaxat caſum, nempe ſi juramento ſuam promiſſionem non repetendi firmaſſet; tunc enim cum non teneatur repetere, & propterea poſſit abſque peccato ſervare juramentum, in ejuſdem reverentiam petere non amplius poſſet: immo, juxta Sotum cum aliis, neque petere poſſet ab Epiſcopo relaxationem juramenti, ſine expreſſa victoris licentia; quippe quod relaxatio cederet in præjudicium tertii.

§. V. *De ſpectantibus ad contractum Sortis.*

Notio, & diviſio ſortis. I. HIC contractus prout ad rem præſentem pertinet, duobus modis perficitur; primo, quando ex plurium conſenſu,

ſu, res aliqua diviſa in varias partes, eſt inter eos dividenda; & dici poteſt ſors diviſoria, quæ jure naturæ non eſt illicita, dummodo nulla fraus interveniat. Secundo, quando res non dividitur, ſed interventu ſortis integra ad unum inter multos debet pervenire, & hic eſt ludus ille, qui italice nuncupatur *Lotto*, dum multi aliquid contribuunt, ut deſcribantur inter illos, ex quibus unus, vel aliqui duntaxat debeant ſortis favore rei vel rerum ſorti commiſſarum fieri poſſeſſor, ſeu poſſeſſores.

Conditiones requiſitæ ut ſors iſta ſit licita.

II. Ut hæc ſors ſit licita nonnullas poſtulat conditiones: prima, ut omnis fraus amoveatur, ne ita diſponantur res, ut ſors potius ſuper unum determinate cadat. Secunda, debent contributiones taxari proportione ſervata ad præmium quod emitur, tam quoad numerum contribuentium, quam quoad quantitatem ſummæ contribuendæ. Tertia, ut ſi requirantur miniſtri, ſtipendium eorumdem deductum vel ex pretio rerum, vel ex ſummis contribuentium debet eſſe ſtricte labori eorum proportionatum, & non amplius. Quarta, antequam contractus ineatur, debent publicari leges ejuſdem, ut unuſquiſque videat, an ſibi expediat ſummam requiſitam contribuere; & cum non raro aliqua portio extrahi ſoleat ad pias cauſas, id quoque ſignificandum eſt. Quinta, ut hæ ſortes inſtituantur publica auctoritate, aut publico aſſenſu, qui taxet, prudentum judicio, quid contribuendum ſit; ut, quantum fieri poteſt, ſervetur æqualitas inter datum, & recipiendum, quando extractio facienda erit; quæ nonniſi aſſiſtente publica auctoritate facienda eſt. Aliæ conditiones minoris calculi videri poſſunt in Molina diſp. 509., & in Delrio tom. 2., Diſquiſ. Magicar. lib. 4. c. 4. q. 2.

Animadvertendum eſt, etiam ſortitiones, ſeu, ut ajunt, loterias quæ a privatis perſonis inſtituuntur, licitas eſſe, ſi abſint fraudes, omniaque, quæ juſtitia exigit, obſerventur, adeo ut, ſecluſis fraudibus, omnibuſque bene ſervatis quæ juſtitiæ conſona ſunt, unuſquiſque in iſtis non ſecus ac in illis, quæ publica auctoritate fiunt, præmium ſibi obveniens etiam per unicam ſortem licite accipiat, quantumvis magnum, & altera pars licite retineat ſortes eorum, quibus nihil obtingit. Quippe tale eſt pactum inter ſortientes, & eos qui præmia proponunt, ut unuſquiſque auferat quod ei per ſortem obtigerit, & ſit contentus nihil pro ſua pecunia auferre, ſi ſors nihil dederit. Præterea ludus iſte neque juſtitiæ adverſatur, neque caritati. Non quidem juſtitiæ; ſiquidem, ut jam diximus, pactum mutuum continet, idque omnino ſpontaneum: Scienti autem & volenti non fit injuria. Non etiam caritati; etenim nemo cogitur pecuniam conferre, & contribuere ad ſortitionem, ſeu loteriam, & ſi quos ad peccatum induci contingat, ut avaritiæ, cupiditatis &c. hoc fit per accidens. Demum per nullam legem prohibetur, omnique caret ſuperſtitionis labe hic ſortis diviſoriæ uſus.

Præſcriptæ tamen a juſtitia conditiones, ut jam præmonuimus, ad amuſſim obſervandæ ſunt, omneſque fraudes eliminandæ in iſtius luſus executione tam ex parte eorum, qui ſortes conferunt, quam ex parte illorum qui præmia proponunt. Præcipue ſedulo animadvertendum occurrit diſcrimen quod intercedit inter ſortitionem, ſeu loteriam, quæ in privatum commodum inſtituitur, & inter illam, quæ inſtituitur in publicam utilitatem. Nam in ſortitione, ſeu loteria, quæ in privatum commodum inſtituitur, ille qui præmia proponit non debet plus notabiliter ea via lucrari, quam lucraretur, ſi alio quovis contractu licito ſuas merces diſtraheret. In ſortitione autem, ſeu loteria, quæ in publicam ſeu communem utilitatem inſtituitur, Civitas, vel Communitas, quæ proponit præmia, prout arbitrio prudentum ad publicam neceſſitatem ſublevandam, vel ad cauſam publice piam promovendam viſum fuerit, poteſt decernere quantum quiſque ſortientium inferre debeat.

Ex eo autem quod in his ſortitionibus ſeu loteriis contractus quidam interveniat emptionis, & venditionis, optime infert Molina *loco ab Auctore citato n. 2.* injuſtitiam committi cum onere reſtituendi exceſſum ex parte venditoris iis ipſis, qui contribuerunt, ſi fieri poſſit; aut pauperibus pro Animabus illorum, ſi contingat res illas, quæ in præmium proponuntur majori pretio vendi quam valeant, juxta tamen paulo ante a nobis dicta. „ Quod ſi Miniſter aliquis, *ſubdit idem*, „ injuſte res iſtas ita taxavit, aut quacumque alia ratione concauſa fuit illius injuſti contractus, is etiam reſtituere incrementum tenetur, ſed in defectum venditoris, ejuſve qui id injuſtum incrementum accepit. „ Lege Sylvium *in 2. 2. q. 95. art. 8. concl. 4.*, Pontas *v. Loteria caſ. 1, & 2.* & Petrum

trum Collet *in Inſtit. Theologicis*, quas ad uſum Seminariorum contraxit *Tract. de Contract. in ſpecie Part. 2. cap. 9.*, in quibus plura ad hanc materiam ſpectantia ſcitu digna reperies.

CAPUT XII.

DE CONTRACTIBUS

SPONSIONIS, ET ASSECURATIONIS.

§. I. *De ſpectantibus ad Sponſionem.*

Sponſio quid, & quotuplex?

I. Sponſio, Italice *ſcommeſſa*, eſt contractus quidam, in quo duo, vel plures de veritate alicujus rei, vel eventus contendentes, ſibi viciſſim aliquid ſpondent, ut ejus fiat, qui fuerit veritatem aſſecutus. A Jure ſponſiones quædam ſunt prohibitæ, nempe quæ verſantur circa certamina corporis ſuſcepta odii, vel æmulationis cauſa; quæ fiunt circa libidines exercendas; hiſque ſimiles. Item a jure prohibentur illæ, quæ fierent ſuper electionem Pontificis, aut Cardinalium, quas Gregorius XIV. in Bulla, quæ incipit *Cogit nos*, prohibuit ſub excommunicatione latæ ſententiæ Papæ reſervata, eaſdemque ſponſiones irritas declaravit; ita ut etiam lucrum ſit reſtituendum; & per dictam Bullam extenditur prohibitio facta a Pio IV., quæ illas vetabat dumtaxat tempore ſedis vacantis reſpectu ſolius Pontificis, & abſque excommunicatione: Gregorius autem illas vetat pro quocunque tempore, & etiam reſpectu Cardinalium, & ſub dicta excommunicatione; & irritando contractum. Item jure naturali prohibentur omnes illæ, quæ fiunt ſuper actiones peccaminoſas, puta qui plus biberit, manducaverit &c. Aliæ autem ſponſiones circa actiones, aut res honeſtas, aut indifferentes non ſunt prohibitæ, dummodo ſerventur juſtæ conditiones, quas circa ludum obſervandas tradidimus.

Sponſionem facere ſuper peccato alterius.

II. Quidam illicitis ſponſionibus accenſent illas, quæ fiunt ſuper peccato alterius, puta quod redibit ad ſcortum, quod ad ebrietatem, quod occidet &c., quia præbetur occaſio tenenti partem affirmativam, deſiderandi peccatum alterius. Soto tamen, & aliis id non videtur illicitum; quia ſponſio hujuſmodi ex meritis objecti nullam continet deformitatem; & alioquin eſt in arbitrio affirmantis, Dei gratia adjuvante, abſtinere ab omni deſiderio malo: prima opinio magis placet.

* Cardinalis de Lugo *de Juſtit. & Jur. tom. 2. diſp. 31. ſect. 6. num. 75.* ſtatuit non eſſe de jure naturæ illicitum ſponſionem facere ſuper peccato committendo, vel non committendo ab aliquo tertio. Peccaret tamen, *ſubdit*, qui ob illud lucrum optaret fieri peccatum, vel ad hoc opem vel conſilium præberet. Sed non ideo teneretur ad reſtitutionem lucri.

Quando vero, *addit*, ſponſio fieret circa peccatum committendum ab ipſo ſpondente, certum videtur, quod ſi ego dicam te commiſſurum, tu vero dicas oppoſitum, ſponſio erit licita, quia lucrum ſperatum magis te impediet a peccato committendo. E contra vero quando tu affirmas, te peccaturum, & ego nego, periculoſa eſt, & fugienda talis ſponſio, quæ te magis confirmat in propoſito peccandi. Et quamvis Alcozer dicat me non peccare, melius tamen Sanchez contra illum ſentit, ipſam acceptationem fore illicitam. Qui tamen n. 9. bene notat, non eſſe obligationem reſtituendi lucrum, etiamſi peccatum, quod eſt materia ſponſionis, ſit contra juſtitiam; quia ego non do pretium pro peccato committendo, ſed committo futuri eventui fortuito. Sicut non eſt Simonia ſponſionem facere circa beneficium eccleſiaſticum obtinendum, vel non obtinendum a Petro propter eamdem rationem. Cavendum tamen, ne prætextu ſponſionis pallietur promiſſio, qua aliquis alliciatur ad procurandum beneficium Petro, vel ad aliud ſimile peccatum: qui eſt ſpecioſus quidam titulus ſubornandi electores; vel Judices, quo uſus fuit aliquis ad Cathedram cum aliis concurrens Salmanticæ, & ſponſiones faciens cum Scholaſticis, qui ſuffragiis electuri erant, affirmans ſe non fore eligendum, ut lucri deſiderio ipſum eligerent. Sic quidem ille.

Inæqualitas ſponſionis ob motiva inæqualia.

III. Sponſio aliquando poteſt, immoderbet eſſe inæqualis, ita ut unus perdat v. g. quinquaginta, alter centum, ita poſtulante inæqualitate probabilitatis. At difficultas eſt, quando quis certus omnino eſt de

de veritate rei præteritæ, vel præſentis, aut de eventu futuro, & alteri ipſum provocanti proteſtatur, ſe certum, & ſecurum eſſe; & nihilominus alter inſiſtit provocando ad ſponſionem; an poſſit, qui certus eſt, acceptare poſt factas proteſtationes ſuæ ſecuritatis, & ſcientiæ? Navarrus, quem aliqui ſequuntur, affirmat: quia qui perdit, vult perdere, & debet ſuæ obſtinationi ſuum damnum adſcribere. Alii communius negant, dicentes non debere ſpondere, & ſi vincat, ad reſtitutionem teneri; qua in hoc contractu oneroſo non ſervatur æqualitas, quæ in eo conſiſtit, quod uterque ſpondens viciſſim dat ſibi jus ad lucrum rei expoſitæ, ſi vera ſit pars, quam alteruter defendit: at certus de eventu, præbet alteri jus apparens, & falſum, nullius veræ ſpei ad lucrum, igitur non ſervatur æqualitas. Sicuti enim qui certus eſt gemmam, quam habet, eſſe falſam, quantumvis alter volens emere obſtinate affirmet, eam eſſe bonam, & tanquam talem prætio convenienti emere vult; vendens tamen nullo pacto poteſt pretium bonæ accipere; ita neque in caſu noſtro poteſt certo ſciens, rem ita ſe habere, acceptare ſponſionem alterius obſtinate contendentis, rem ita non eſſe.

Deductio inferenda. IV. Hinc deducas, quod ſi quis putans, ſe omnino certum de parte, quam ſuſtinet, ſpondeat, & deinde ob ſupervenientia motiva in dubium inducatur; ſi vincat, retinere poteſt, quod vicit; quia quamvis, ſpondendo dum exiſtimabat ſe certum, de parte, quam ſuſtinebat, peccaverit affectu injuſto; proceſſu tamen, exorto dubio, juſte vicit; quia tandem nulla injuſtitia realis interſuit, dummodo eodem circiter dubii gradu ac competitor hæſitarit.

Caſus exurgens ſolvitur. V. Si quis, dum plures ad officium aliquod concurrunt, cum unoquoque illorum ſeorſim ſpondeat, quod non aſſequetur officium, cum unius ſolus aſſequi poſſit, palam eſt, quod perdendo cum uno, certus eſt cum reliquis ſe victurum, & eo plus lucraturum, quo plures fuerint concurrentes; hic licite ne lucratur? quamvis a Ledeſma id negetur, longe rationabilius ab aliis affirmatur; qui nulla eſt ratio convincere valens injuſtam fuiſſe ſponſionem, cum nemini afferat injuriam, ſed ſuæ induſtriæ & ingenio lucrum illud certum eſt adſcribendum.

* Deciſio, quam poſt Thomam Sanchez *in Opuſc. tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub. 16. n. 2.* Cardinalem de Lugo *loco ſupra citato n. 87.* alioſque adoptavit Auctor *num. preced.* non leve pluribus negotium faceſſit, adeoque oppoſitam ut probabiliorem exiſtimant amplectendam ſententiam, quam non ſolum citatus Ledeſma *tom. 2. tract. 32. cap. 2. poſt. concluſ. 7. difficult. 2.* defendit, ſed & alii non pauci propugnant, prætertim Villalobos *tract. 28. difficul. 6. n. 3.* Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 27. dub. 6. n. 1.* & P. P. Salmanticenſes *tract. 14. de contract. cap. 4. punct. 3. n. 64.* Hanc probabiliorem eſſe aſſerit etiam P. Antonius Diana *in Sum. V. Sponſio*, eamque ut veriorem amplexatur *tom. 6. tract. 4. de ludo &c. reſolut. 77. §. 2.* licet utrobique de more contrariam etiam probabilem putet. Ratio, quam aſſerunt ipſi ad illam evincendam hæc eſt. Etenim, ajunt, quo plures ſunt concurrentes ad aliquod officium; eo plures, qui ſeorſim cum omnibus, ſeu adverſus omnes ſpondet habet pro ſe probabilitatis gradus certos, quod ſinguli eorum illud non aſſequentur: tum hoc ipſo ſinguli eorum habent eo minorem probabilitatem pro ſe. Idem dicas, ſervata proportione, ſi vel tres ſoli ſint concurrentes, ſletque pro ſingulis eadem fere probabilitas. Porro, ut Auctor innuit *n. 3.* & tradunt communiter Doctores illicitus eſt & contra juſtitiam hujuſmodi contractus, quando in illo non ſervatur æqualitas, prout in poſito caſu certe non ſervatur. *Et hic caſus valde notandus eſt*, ait Diana *loco poſterius memorato, quia poteſt frequenter accidere, cum officia tam ſecularia, quam eccleſiaſtica ſemper habeant plures prætenſores.* Et reaple olim Salmanticæ accidiſſe referunt plures, ſpeciatim Cardinalis de Lugo, & P. P. Salmanticenſes *locis citatis*.

VI. Si, commiſſa jam ſponſione inter duos, vel plures, quod v. gr. currendo, æquitando &c. unus alterum ſuperabit, poſt initum contractum aliquis eorum reſiliat; ſi reſiliat abſque juſta cauſa, ſolvere tenetur; eo quod jam contractus fuit mutuo eorum conſenſu celebratus; & alioquin in ipſo ſtat, ne alter vincat, aut vincere poſſit: Et ſicuti quando quis emit jactum retis piſcatoriæ, ſi piſcator nollet amplius rete jacere, teneretur ſolvere pro rata ſpei piſcium capiendorum, ſi rete jactum fuiſſet; ita ſimiliter in caſu noſtro. Si tamen fieret hic contractus ad modum ludi, italice *disfida*, puta ſe provocando Caſus alter.

ad

ad ludendum pila de tanta ſumma pecuniæ, & deinde alter nollet amplius ludere, tunc reſcinderetur contractus, neque quidquam eſſet reſtituendum: verum hæc non eſt ſponſio, ſed provocatio ad ludum, quo non poſito, non requiritur jus ad commiſſum.

§. II. *De ſpectantibus ad Aſſecurationem.*

Aſſecurationis Notio. I. Aſſecuratio eſt contractus, quo quis pro pretio, vel intereſſe ſuſcipit in ſe periculum alicujus rei. Hinc liquet, eſſe contractum oneroſum, quamvis etiam poſſit gratis fieri; & tunc reducitur ad contractum gratuitum donationis. Celebratur autem aſſecuratio per mutuum conſenſum inter aſſecuratorem, & aſſecuratum; & ut evitentur contentiones, ſatius eſt, ſcripto conſignare pretium aſſecurationis, & materiæ aſſecuratæ quantitatem, & qualitatem. Inferas igitur, quomodo, ad hujus contractus æquitatem, requiritur æqualitas inter pretium, & periculum rei aſſecuratæ, quod ſuſcipitur, conſiderata qualitate periculi, non rei eventu, ſed quando celebratur contractus: & ſicut in venditione datur pretium ſummum, medium, & infimum; ita in aſſecuratione, comparative ad tres periculorum gradus, ſtatuitur pretium aſſecurantis.

Prima conditio ad æquitatem contractus. II. Inferas iterum, quomodo ambo contrahentes debent eſse dubii de periculo; ſi enim alteruter illorum eſset moraliter certus, vel nullum extare periculum, vel rem jam periiſse, aut certo eſse perituram, injuſte contraheret. Propterea aſſecurator ſecurus, quamvis ſcientia privata, nullum extare periculum, non poteſt lucrum recipere; quemadmodum neque aſſecuratus certus, rem periiſſe, vel eſſe perituram, poſſet petere, aut retinere pretium aſſecurationis. Immo ille, qui deciperet, teneretur nedum reſtituere decepto id, quod ab ipſo accepit, verum etiam damna omnia ex contractu ſecuta, puta expenſas factas in celebratione contractus, lucra ceſſantia, ſi pecunia illa, vel re illa aliquid lucraturus fuiſſet deceptus, & non lucratus fuit, quia pecuniam, vel rem tradidit decipienti.

Altera conditio. III. Inferas præterea, quod in caſu quo aſſecurans ſciret, longe minus eſſe periculum, quam putatur; vel aſſecuratus conjiceret ex rumoribus, aut prudentibus nunciis, eſſe longe majus, quam communiter creditur; uterque tenetur hanc notitiam manifeſtare; aliter tanquam deceptores tenerentur reſtituere pro rata notitiæ habitæ majoris, vel minoris periculi, quantumvis privata eſſet notitia acquiſita; quia cum fundamentum æquitatis hujuſce contractus ſit gradus periculi, hoc occultato, corruit æquitas ejuſdem. Nec valet opponere id, quod aſſerimus in contractu venditionis; nempe, quod notitia privata non obſtaret, quin res vendi, vel emi poſſit pretio juſto currente; quia in contractu venditionis & emptionis extranee ſe habet ad materiam venditionis, nec eſt vitium occultum mercis; at in caſu noſtro periculum eſt tota materia contractus, quæ materia cum in caſu poſito laboret vitio occulto; ſicut vendens tenetur manifeſtare vitium occultum mercis; ita in hoc caſu vendens & emens periculum, tenentur manifeſtare vitium occultum ejuſdem periculi.

IV. Quando quis aſſecurat merces Petri ex Oriente Venetias advehendas in tali navi, quæ inſcribitur v. g. nomine Neptuni, quæ alioquin nullas Petri merces habet, ſi pereat, vel ſalva veniat, nullus eſt contractus; neque aſſecurator, aut aſſecuratus quidquam recipere poſſunt: nam aſſecuratio cadit ſupra merces, & non ſupra navim, quæ de materiali ſe habet. Caſus alter.

V. Qui aſſecuravit pro medietate mercium, & revera medietas naufragio abſorpta fuit, vel aſſecuravit medietatem deſignatam, puta quæ erat ſerici; & tunc ſi ſericum ſalvum pervenit, ad nihil tenetur, & recipit lucrum ſuum; vel periit etiam medietas ſerici, & tenetur ſolvere pro illa medietate ſerici, quæ periit: vel aſſecuravit, ita, quod ſignificaverit ſaltem medietatem mercis ſalvam perventuram; & tunc ſi medietas pervenit, ad nil tenetur, & lucrum recipit: vel demum aſſecuravit medietatem in confuſo; & tunc, ait Molina diſp. 507., tenetur pro dimidio illius medietatis, quæ periit, quia ita poſtulat ejus obligatio, quamvis Lugoni diſp. 31. ſect. 7. num. 103. hæc reſponſio non placeat, neque mihi; cum jam medietas ſalva ſit; Vide Lugonem. Hinc deducas, quanta claritate ſe explicare debeant celebrantes hunc contractum, & quanta diligentia pacta conſtituta ſcripto conſignare, ut lites, & contentiones charitati chriſtianæ ſatis infeſtæ prudenter præcaveantur. Caſus alter.

CA-

CAPUT XIII.

DE CONTRACTIBUS

FIDEJUSSIONIS, PIGNORIS, ET HYPOTHECÆ.

§. I. *De ſpectantibus ad Fidejuſſionem.*

Fidejuſſionis notio.

I. Fidejuſſio eſt alienæ obligationis in ſe ſuſceptio, ut fidejuſſor ſe ad illam implendam obſtringat, ſi debitor principalis ab ea defecerit. Hic contractus perficitur ſolo contrahentium conſenſu in foro conſcientiæ, relictis pluribus ſubtilitatibus a Juriſconſultis exactis pro foro exteriori, quæ minus probantur a Theologis.

Conditiones in Fidejuſſione requiſitæ. Prima.

II. Septem conditiones ad valorem hujus contractus requiruntur pro foro conſcientiæ. Prima, ut fidejuſſio ſit acceſſoria contractui debitoris principalis, etiamſi fidejuſſor fidejuſſerit, antequam ab altero celebretur contractus, puta emptionis: neque fidejuſſio incipit exiſtere, niſi celebrato contractu, & alter principalis contrahat obligationem ſolvendi. Proinde ſi quis pro alio ſe conſtituat debitorem principalem, tunc non eſt fidejuſſio, quæ debet eſſe acceſſoria debito alterius; & tunc poteſt primo loco impeti ille, qui ita ſe debitorem conſtituit, relicto v. gr. emptore; quod in fidejuſſione fieri nequit, neque enim fidejuſſor conveniri poteſt ad ſolvendum, niſi prius a principali debitore repetitum fuerit debitum. Hinc fidejuſſor contrahit cum duobus, nempe cum debitore principali, quem ſibi obligat ad compenſandum, id, quod ſui loco erogandum ſibi eſſet; & cum creditore, cui ſe obligat in defectu debitoris principalis.

Caſus incidens reſolvitur.

III. At ſi debitor principalis renueret fidejuſſorem acceptatum a creditore, teneretur ne ſolvere eidem pro ſe ſolventi? Reſpondeo affirmative: non tamen titulo fidejuſſionis, quæ non acceptata nulla eſt, ſed ratione ceſſionis, quam dicto fidejuſſori facit creditor actionis, quam habet contra debitorem. Nam hoc ipſo, quod creditor recipit a fidejubente ſolutionem debiti, transfert in ipſum actionem contra debitorem principalem.

Secunda conditio.

IV. Secunda conditio eſt, quod fidejuſſor ad plus non obligetur, quam ſit obligatus debitor principalis tam quoad ſummam, quam quoad qualitatem pecuniæ, aut rei, eo quod ſit in merum ſupplementum.

Tertia conditio.

V. Tertia conditio eſt, quod ſi obligatio principalis ſit irrita, irrita quoque ſit fidejuſſio, ob eamdem rationem: unde ſi fidejuſſio ſit v. g. pro debito feneratitio, cum debitum utroque jure ſit nullum, ita & fidejuſſio.

Quarta conditio.

VI. Quarta conditio eſt, ne compellatur fidejuſſor ſolvere, niſi facta exploratione an debitor principalis ſolvere queat aut in toto, aut in parte; & tenebitur fidejuſſor ſupplere, quod ille non poteſt. Hinc Authentica de Fidejuſſionibus, & Authentica *præſente* Cod. ejuſdem tituli correxit jus antiquum, quod concedebat creditori poſſe impetere etiam primo fidejuſſorem.

Quinta conditio.

VII. Quinta conditio eſt, quod fidejuſſor ſit habilis ad ſolvendum pro alio: ſi enim ſciens ſuam impotentiam fidejubeat, peccat mortaliter graviter decipiendo creditorem. Et in caſu, quo ex hac deceptione damna alia evenirent creditori, ad hæc omnia teneretur fidejuſſor, præter debiti ſolutionem. Sicuti autem fidejuſſor aut ſciens ſuam impotentiam, aut culpabiliter differens ſolutionem, poſt compertam impotentiam debitoris principalis, tenetur ad omnia damna creditoris; ita debitor principalis ſi culpabiliter non ſolvat, quia ex vitio ſe impotem rediderit, tenetur reſarcire fidejuſſorem in omnibus ab ipſo erogatis, cum ex vi contractus teneatur indemnem ſervare fidejuſſorem quoad omnia.

Sexta conditio.

VIII. Sexta conditio eſt, quod ſit perſona ad fidejubendum idonea. Hinc uxor prohibetur fidejubere pro marito, & nulla declaratur hæc fidejuſſio ab Authentica *ſi qua mulier.* Codic. ad Senatusconſultum Velejanum: unde creditor qui a tali muliere ſolutionem accepit, reſtituere tenetur: Obligatio tamen valorem habebit, ſi firmetur juramento; ita ex capite *quamvis pactum* de Pactis. Plures alias exceptiones, in quibus tenet fidejuſſio a muliere facta, videas in Molina, qui de hoc contractu doctiſſime diſſerit a diſp. 539. uſque ad 548. Minores, qui nondum 25. annos attigerint, poſſunt quandoque fidejuſſioni obligari; poſſunt tamen beneficio reſtitutionis uti, reſcindendo contractum, eo quod legali-

galiter ſemper cenſeantur læſi: Excipe niſi fidejubeant pro Patre carceribus mancipato; quia ſi tunc recuſarent fidejubere, poſſent exhæredari, ut diximus in c. de Teſtamentis. Milites, dum bello vacant, non poſſunt fidejubere ex lege *Milites* Cod. de locat. dummodo contrarius uſus id non abrogaverit.

Septima conditio. IX. Septima conditio eſt, quod fidejuſſio gratis fiat. Addunt aliqui, dummodo fidejuſſor nullum damnum prudenter prævideatur paſſurus: quia tunc, cum evaderet onus pretio æſtimabile, poſſet de aliquo præmio convenire. Hæc dicta ſunt ſecundum jus commune; abſque præjudicio legum, & conſuetudinum municipalium.

* Cenſent plures, licitum eſſe pro fidejuſſione exigere pretium a debitore pro ratione quantitatis debiti, & periculi. Quippe obligatio ſolvendi debitum alterius eſt onus pretio æſtimabile, nec fidejuſſor tenetur illud gratis aſſumere. Neque id exigitur pro ſolutione pecuniæ alterius loco datæ, vel dandæ; nam hoc eſſet uſurarium, ſed pro ſubeunda obligatione ſolvendi debitum alterius. Neque in mutuum virtuale pactio hæc degenerat; ſiquidem in mutuo etiam virtuali reperitur vera traditio, quæ non occurrit in fidejuſſione, cum hæc præciſe in ſuſceptione obligationis alienæ repoſita ſit. Id tamen, ait Habert, quod pro fidejuſſione exigitur, moderatum eſſe debet. Immo ſi fidejuſſio a periculo & moleſtia immunis ſit, juxta plures, quibus eſt aſſentiendum, nihil omnino exigi poteſt; quia tunc obligatio quæ ſuſcipitur, non eſt onus pretio æſtimabile.

Animadvertendum autem eſt, poſse mutuantem pretium alicui dare, ut ſe in ipſius gratiam fidejuſsorem conſtituat; ac inſuper poſse eumdem mutuantem aliquid accipere a fidejuſsore, ut eum liberet ab obligatione aſsumpta, ſi debitor ſolvendo impar futurus eſse judicaretur. Legantur P. Antoine *tract. de contract. part. 2. c. 10. q. 3.* & Petrus Collet pariter *tract. de contract. part. 2. ſect. 2. art. 2. cap. 8.*

§. II. *De notione, & diviſione Pignoris, & Hypothecæ.*

Notio Pignoris, & Hypothecæ. I. PIgnus eſt contractus, in quo creditori traditur a debitore res aliqua mobilis pretio æſtimabilis ad ſecuritatem ſui crediti: unde res tradita ita remanet eidem obligata, ut ex ipſa poſſit deducere ſolutionem, ſervatis ſervandis infra explicandis. Hypotheca eſt contractus, quo creditori obligatur a debitore res immobilis ad ſecuritatem ſui crediti, ut ſimiliter ex ea deducere poſſit ſolutionem, ſervatis ſimiliter ſervandis. Quamvis autem videatur, quod præcipua inter hos duos contractus differentia ſit, quod pignus ſit repoſitum in re mobili, & hypotheca in re immobili; id quamvis plerumque verum ſit, non tamen ſemper & univerſaliter; cum & mobilia poſſint hypothecari, & immobilia oppignerari. Differentia ergo præcipua in eo conſiſtit, quod pignus traditur in manus creditoris, hypotheca autem manet apud debitorem. Item quod pignus eſt ſemper res determinata, quia cum tradatur in manus creditoris, patet, quod nil indeterminatum tradi poſſit; hypotheca autem quamvis ſæpe ſit rei determinatæ, aliquando, immo plerumque etiam eſt rei confuſim datæ, ut fieri ſolet in hypotheca generali omnium bonorum debitoris; in quo caſu intelliguntur bona etiam futura, quamvis non explicentur.

II. Hypotheca duplex eſt, nempe Conventionalis, ſeu expreſſa, quæ fit expreſſo partium conſenſu & mutua conventione, vel etiam decreto judicis; alia eſt Tacita, ſeu Legalis, quam conſuetudo, vel lex attribuit, quamvis de ipſa in contractu nulla mentio fiat: Ita bona Tutoris, & Curatoris hoc modo hypothecata cenſentur pro pupillis, & minoribus: ita bona mariti hypothecata cenſentur pro dote uxoris. Hypotheca inſuper ex dictis alia eſt Generalis, afficiens omnia bona debitoris tam præſentia, quam adventura; alia Particularis afficiens rem, vel res determinatas, & tranſit ad quoſcumque res illæ pervenerint, quouſque debitum extinguatur. Quotuplex hypotheca?

§. III. *De Obligationibus Oppignerantis, & Hypothecantis.*

I. PRima debitoris oppignerantis, vel hypothecantis obligatio eſt, ut tradat creditori rem oppignerabilem, vel eidem obliget hypothecabilem. Res autem, quæ dari poſſunt in pignus vel hypothecam ſunt omnes illæ, quæ vendi poſſunt, habitæ etiam in ſpe; res incorporales, nempe jura, credita quæ quis habet, uſuſfructus alicujus capitalis, Emphyteuſis; Prima obligatio.

Digitized by Google

non tamen Feudum, niſi obtenta prius permiſſione a domino directo feudi: item juriſdictio temporalis. Quæ autem vendi nequeunt, neque oppignerari, aut hypothecari poſſunt: hujuſmodi ſunt res Eccleſiæ, juſpatronatus quoad præſentationem ad beneficia, mobilia pretioſa divino cultui dicata, puta paramenta pretioſa, calices, candelabra &c., niſi tantum ad redimendos captivos, vel ob aliquam cauſam neceſſariam, poſt obtentam facultatem requiſitam. Item homo liber oppignerari non poteſt; ſi tamen ſe in pignus tradat, ei, qui pecunia illum redemit, donec ipſi ſatisfaciat, licite fit. Nota, quod Tutores, & Curatores cum poſſint pro pupillis, & minoribus oppignerare bona mobilia non pretioſa; nequeunt oppignerare pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, ſine licentia judicis. Nota prætérea, quod ſi res oppignerata, vel hypothecata aliquam mutationem ſubeat ſive in bonum, ſive in detrimentum, tam quod ejuſdem reſiduum remanet, quam quod eidem accreſcit, remanet hypothecatum, aut oppigneratum: v. g. ſi domus hypothecata corruat, fundus ſeu ſolum, lapides, ligna &c. remanent hypothecata, ſicuti etiam ſi domui accedat nova fabrica, remanet hypothecata, ſi erecta fuerit a debitore: quod ſi fiat ab alio poſſeſſore, qui emit domum illam hypothecatam, tunc in hujus optione eſt, vel ut ſolvat debitum in ea ſumma, quæ æquavaleat domui illi nulla habita ratione ad illud incrementum; vel a creditore accipiat ſummam, quæ incremento facto æquivaleat.

Secunda & tertia obligatio.

II. Secunda obligatio eſt, ne oppignerans, vel hypothecans eamdem rem pluribus det, vel obliget, niſi revera ſufficiat pro eorumdem creditis aſſecurandis. Tertia obligatio eſt, quod oppignerans compenſet omnes expenſas a creditore factas, ne res oppignerata pereat, vel lædatur, & ut conſervetur; neque poteſt pignus repetere, niſi integre ſatisfecerit etiam pro hujuſmodi expenſis.

Quarta obligatio.

III. Quarta obligatio eſt, ne debitor vendat rem hypothecatam, niſi prius moneat de hoc volentem illam emere; nam graviter deciperet illum id occultando; quandoquidem putans emere rem liberam, emeret rem alteri obligatam. Verum tamen eſt, quod creditor non poſſet impetere hunc emptorem rei ſibi hypothecatæ niſi prius convenerit debitorem, ejuſdem fidejuſſores, & eorum hæredes: ita ex Authentica de fidejuſ. §. *ſed neque*: & poſtquam creditor probaverit in foro, rem illam fuiſſe ſui debitoris tempore debiti contracti, & fuiſſe ſibi hypothecatam, nec non impetita ab eo fuiſſe bona debitoris, fidejuſſorum, & hæredum eorumdem; tunc poſſeſſor rei hypothecatæ cogitur ſolvere; cui deinde creditor cedere tenetur actionem, & jus quod habebat contra debitorem, & fidejuſſores, & hæredes, a quibus compenſationem juridice exigere poterit pro re hypothecata, qua ſpoliatus fuit a creditore.

§. IV. *De Obligationibus creditoris, cui datum eſt Pignus, vel facta Hypotheca.*

Tres primæ creditoris oppignerati vel hypothecarii obligationes.

I. PRima obligatio creditoris oppigneratarii eſt conſervare pignus, ne pereat, aut deterius evadat; aliter teneretur de damno ſecuto ob ipſius culpam latam, vel levem juridicam, juxta regulas contractus cedentis in utilitatem utriuſque. Secunda, quod non poteſt uti re oppignerata, abſque debitoris conſenſu; aliter gravaretur de furto lex *56. de furtis*. Si tamen ea utatur in utilitatem debitoris, ne deterior evadat, puta ſi utatur moderate equo ad ipſum exercendum, ne infirmetur, bene agit. Si vero utatur re in propriam utilitatem de conſenſu debitoris, debet talis uſus computari in ſortem, aliter eſſet uſura; quia ob conceſſam dilationem ſolutionis reciperet ſupra ſortem uſum pretio æſtimabilem rei oppigneratæ. Tertia, tenetur fructus perceptos ex re oppignerata, vel hypothecata computare in ſortem, deductis tamen expenſis, ac laboribus ad eos percipiendos: aliter eſſet patens uſura, cum res fructificet domino ſuo, qui eſt debitor.

Quarta obligatio.

II. Quarta obligatio eſt, quod non poſſit ita contrahere, ut ſi debitor non ſolvat tempore conſtituto, pignus cenſeatur venditum creditori pro debito, vel pro tanto pretio; quia id lex prohibet, ut diximus in præcedentibus. Poteſt tamen ita contrahere, ut ſi debitor non ſolvat tempore conſtituto, poſſit creditor pignus vendere, ut ſibi ſatisfaciat, & ſi quid ſuperſit, reddat debitori, & in hoc caſu debet vendere quanti pluris poteſt, ſalva juſtitia, ne præjudicet domino pignoris. Juſtum tamen eſt, & debitum, ut antequam vendat, moneat debitorem, ſi forte velit ipſe rem illam vendere; quod ſi velit, tenetur illam eidem cedere vendendam;

ita tamen ut vel non exeat ex ipſius manu; vel ſi exire debeat, debitor det fidejuſſionem, vel aliud pignus æquale. Quod ſi nullus terminus pro ſolutione conſtitutus fuerit, tunc incipit debitoris mora, quando tranſacto convenienti tempore, creditor petit ſibi ſatisfieri; & poſtquam bis, vel ter petierit, præmiſſa admonitione, poterit exequi pactum vendendi pignoris modo nunc dicto. Si autem in conventione nullum interceſſerit pactum vendendi pignoris in caſu dilatæ ſolutionis, poſt conſtitutum, vel conveniens tempus, adhuc creditor, ſervatis ſervandis, illud vendere poteſt. Conditiones autem ſervandæ & collectæ ex variis juribus a doctoribus, ſunt: quod creditor præmittat debitori unam denunciationem, & poſt illam expectandum ſit biennium, antequam pignus vendat, a die denunciationis computandum: & caſu quo antea conveniſſent, ne creditor poſſit vendere pignus, hæc conventio valida non eſt, eo quod redderetur pignus inutile; in hoc autem caſu requireretur trina denunciatio intercepta per triduum inter unam, & alteram, poſt quas inciperet dictum biennium. Dictum biennium non requiritur in venditione pignoris judicialis, nempe quod capitur judicis ſententia ad ſolutionem debiti; quia tunc a die prolationis ſententiæ expectatur per menſes quatuor, antequam pignus capiatur; qui terminus juſto arbitrio judicis relinquitur protrahendus, vel contrahendus: deinde poſt captum pignus tranſcurrere debet ſemeſtre, antequam vendatur; qui temporis tractus regulandus eſt juxta leges municipales regionum. Supradictum biennium reduci poteſt ad ſemeſtre, vel quadrimeſtre ex judicis ſententia ad inſtantiam creditoris. In caſu autem, quod non inveniretur volens emere pignus quamvis infimo pretio juſto, neque hoc proveniret a fraude debitoris, tunc pignus eſſet retinendum a creditore, quouſque inveniatur, qui juſtum pretium offerat, niſi ipſe eligeret illud emere pretio juſto ſaltem infimo. In caſu autem, quod creditor pro eodem debito multa pignora habeat, debet vendere minus pretioſum, ſi ſufficiat; quia debet ſemper vendere cum minori detrimento debitoris.

Quinta conditio. III. Quinta conditio eſt, quod creditor, ſoluto toto debito, & non ante, reddat pignus debitori: dixi & non ante, eo quod jus in pignus ſit indiviſibile pro toto debito ex lege *quamdiu*, Cod. de diſtract. pignor., & lege Qui pignori ff. de pignor. propterea quamvis unus ex heredibus debitoris ſolveret, vel unus ex hæredibus creditoris ſolutionem reciperet pro rata ſua, non idcirco reſtituendum eſt pignus, neque quoad partem; eo quod totum pignus, & ſingulæ ipſius partes obligentur pro toto debito, & pro ſingulis debiti partibus, ſicuti etiam pro expenſis factis ad pignus conſervandum, aut forte pro lite.

IV. Si pignus a creditore legitime venditum v. gr. Petro, evincatur ab aliquo tertio tanquam ad ſe pertinens, creditor non tenetur Petro de evictione ſecuta; eo quia non vendiderit pignus illud tanquam dominus ejuſdem, ſed tanquam miniſter debitoris, qui illud vendere tenebatur, ut ſatisfaceret creditori: Unde tenetur debitor redintegrare Petrum emptorem pignoris: ita lex *periculum* ff. de pignor. Propterea ut vere vendat tanquam miniſter, commonefaciat emptorem, quod res illa ſibi fuerit oppignerata, & illam vendat, ut rem alterius ſibi debitoris. Teneretur autem ipſe vendens pro evictione in caſu, quo venderet non obſervantis conditionibus recenſitis. Caſus incidens.

CAPUT XIV.

DE CONTRACTIBUS

DEPOSITI, ET EXINDE SEQUESTRI, COMMODATI, PRECARII, ET MANDATI.

§. I. *De ſpectantibus ad contractus Depoſiti, & Sequeſtri.*

I. Depoſitum non ſignificat proprie ipſam rem depoſitam, ſed contractum, quo traditur res alicui cuſtodienda; unde non perficitur ſolo conſenſu, ſed rei traditione a depoſitario acceptæ ad cuſtodiam: quod contingit aliquando implicite fieri, puta ſi res tuas alicui tradas, ad quem ex officio, quod erga te gerit, ſpectet res tuas cuſtodire: v. g. dum iter habes, pervenis ad cauponam, caupo tibi cubiculum aſſignat, in quo res tuas reponas &c., hic ex vi officii ſui hoc ſe gerendi modo curam ſuſcipit rerum in cubiculo aſſignato cuſtodiendarum. Aliter autem Notio Depoſiti.

tem dicendum eſſet, ſi brevi ibidem moraturus, donec jentaculum ſumas, & interea res tuas relinquas vel currui alligatas, vel in veſtibulo diverſorii poſitas, quin illas cuſtodiendas aſſignaveris.

Depoſitum quoduplex? II. Depoſitum aliquando eſt Purum, aliquando Mixtum alteri contractui: Purum ſuſcipitur in gratiam ſolius deponentis: Mixtum reſultat etiam in utilitatem depoſitarii, puta ſi eidem pro cuſtodia aliquid tribuatur; & tunc immiſcetur alteri contractui aut locationis, aut mutui &c.

Varii modi tradendi depoſita. III. Variis modis depoſita traduntur: primo ſigillata, & obſignata; & tunc, quamvis eſſet pecunia, ea uti non poteſt depoſitarius, ſed intactam ſervare debet; & cum dominium maneat apud Deponentem ut dominum rei, ipſi perit, ſi abſque depoſitarii culpa pereat. Secundo datur res depoſita numerata, vel menſurata, ex. gr. tot modii tritici, tot capita pecorum &c. quæ ideo numerantur, non ut eorum uſus concedatur depoſitario, ſed ut liquido conſtet, quantum reddere debebit: & tunc ſimiliter dominium remanet deponenti. Tertio res numerata, vel menſurata traditur, concedendo facultatem depoſitario, ut illa utatur, & cum ſola obligatione reddendi tantumdem; & tunc ſi utatur re, tranſit hic contractus in mutuum pro ea parte, quam conſumit, aut pro toto, ſi totum conſumat; cum obligatione reddendi tantumdem, quando libuerit deponenti; quia ſequitur naturam depoſiti, & non mutui, quod mutuatarius non tenetur reddere ante præfixum, ſeu congruum tempus.

Non poteſt depoſitarius per ſe loquendo uti re depoſita. IV. Igitur per ſe loquendo, attenta natura hujus contractus, non poteſt depoſitarius uti re depoſita, cum eidem tradatur non ad uſum, ſed ad cuſtodiam. Si tamen opus eſſet, aliquando uti re depoſita, ne deterioraretur per non uſum, tunc prudenter & rationabiliter præſumitur conſenſus domini, ut debita moderatione depoſitarius ea utatur ob hoc ſolum motivum, ne deterior fiat: & excepto hoc motivo, probabilius peccare videtur depoſitarius, ſi re uſu conſumptibili depoſita in ſui commodum utatur; & in hoc omnes conveniunt, ſi incertus ſit, ſe habiturum tantumdem reſtituendum ejuſdem perfectionis, quando a deponente repetetur: probabilius etiam videtur, quod etiamſi habeat tantumdem reſtituendum, non poſſit abſque licentia uti; tum quia æqualitas perfectionis eſt valde difficilis; tum maxime quia plures occurrere poſſunt eventus, qui depoſitarium impediant, ne reſtituere valeat rem depoſitam abſumptam, ſaltem ea promptitudine, qua reſtitueret, ſi illam conſervaſſet: & propterea ſi bona fide egerit abſumendo, certus, ſe habiturum tantumdem, excuſari poterit a peccato gravi; ante factum vero nemini conſulendum eſt, ut abſque licentia abſumat rem conſumptibilem penes ſe depoſitam.

V. Tenetur itaque depoſitarius depoſitum reddere ſtatim ac a deponente petitur, quamvis dixiſſet, ſe non petiturum niſi poſt tantum tempus. Excipe, niſi prudenter prævideas, ab eodem repeti in damnum ſuum, vel proximi; puta ſi repetat equum, ut pergat ad occidendum inimicum &c. Item niſi bona ipſius deponentis ſint publicata, & fiſco addicta. Item niſi deponens fuiſſet furatus rem depoſitam, & multo minus ſi eam depoſuiſſet in manibus domini rei depoſitæ, qui, ſi ut ſuam probaverit, poteſt eam retinere: Item ſi non fuerit adhuc præſtita ſatisfactio pro expenſis circa rem depoſitam neceſſario factis: in his enim caſibus non tenetur ſtatim reſtituere &c. Secundo tenetur depoſitarius ad damna dumtaxat pro dolo, & culpa lata; quia eſt contractus cedens in utilitatem ſolius deponentis, ſi ſit merum gratuitum depoſitum: quod ſi cederet etiam in utilitatem depoſitarii, vel quia fuit eidem conceſſus uſus, vel quia alio titulo ſibi etiam utilitas provenit, teneretur de culpa etiam levi; & etiam de leviſſima, ſi ſe obtuliſſet ad cuſtodiendam rem maximi momenti, & ſpopondiſſet exquiſitam diligentiam, juxta dicta de contractibus in genere. Cavere autem debet depoſitarius, ne rem depoſitam tradat, niſi aut domino ejuſdem, aut tali perſonæ ab eo miſſæ. Obligationes depoſitarii.

* Quæres an poſſit quis depoſitum retinere titulo compenſationis?

Reſp. negat. eſt enim depoſitum res adeo ſacra, ut leges cum canonicis, tum civiles in eo noluerint eſſe locum compenſationi. Sunt tamen, qui rem depoſitam pro expenſis in ea factis retineri poſſe exiſtiment, niſi lex aliqua locorum obſtet, ut & Auctor docet.

VI. Munus depoſitarii poteſt exerceri a quovis rationis uſu pollente, etiam a fœmina, ex lege *Publica* ff. depoſiti. Non tamen a Religioſo profeſſo, niſi de licentia Superioris; aliter ageret contra paupertatis vo- Depoſitarius quo modo conſtituitur?

votum; in caſu enim, quod ex culpa lata teneretur ad redintegrationem, hæc ſubeunda eſſet a Religione, cui oneri illicite ſubjiceretur ſine ſuo conſenſu.

Neque Eccleſia, ex depoſito facto penes Clericum v. g. Canonicum ſeu Rectorem ejuſdem, neque Monaſterium ex depoſito facto apud Religioſum, oneri ſubjicitur reſarciendi damnum obveniens ei qui depoſuit, ſi ex dolo, aut culpa lata depoſitarii illud pereat, niſi depoſitum converſum fuerit in commodum, & utilitatem ipſius Eccleſiæ, vel Monaſterii. Hæc concors eſt Doctorum ſententia innixa textui expreſſo in *Cap. Gravi*; 1. *de* Depoſito his verbis concepto: *Gravis illa querimonia uſque ad nos ſuper depoſito tuo tibi hactenus denegato pervenit*: & inf. *Cum enim non conſtet, pecuniam tuam, quam ille vir Belial furatus eſt, in Eccleſiæ utilitatem converſam, non debemus de jure, contra Canonicos ejuſdem Eccleſiæ præciſe tentare juſſionis inſtantiam, ut tibi eandem reddant pecuniam, perſonæ non Eccleſiæ commendatam. Quo circa ſuademus, ut in illum furem tuam dirigas actionem, eo quod (ut audivimus) loculos habet, & ea quæ tibi ſuſcepta ſunt, aſportabit. Nam & judicibus dedimus in mandatis; ut illum iniquum ſub quæſtionibus ad rationem ponant, etiam (ſi oportuerit, vinculis alligatum, ut dictam pecuniam reddere compellatur*. Hoc idem confirmatur *ex Regul. 76. Juris in 6.* in qua ſtatutum deprehenditur quod *delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare*.

De induſtria autem additum fuit, *niſi depoſitum converſum fuerit in commodum, & utilitatem ipſius Eccleſiæ vel Monaſterii*; quia in tali Eccleſia, vel Monaſterium teneretur reddere id quod dolo, vel culpa Depoſitarii ad ipſam aut ad ipſum perveniſſet ex depoſito; quippe nemo debet locupletari cum alterius detrimento, ut conſtat *ex Regul. 48. Juris in 6.* Lege P. P. Salmanticenſes Tract. 12. cap. 2. p. 12. §. 6. & P. Lucium Ferraris in ſua Bibliotheca *V. Depoſitum n. 30., 31., & 32.*

Contractus Sequeſtri. VII. Contractus Sequeſtri in eo conſiſtit, quod res controverſa traditur alicui tertio cuſtodienda, ut deinde ad illum perveniat, cui juſte adjudicabitur.

§. II. *De ſpectantibus ad contractus Commodati, & Precarii.*

I. COmmodatum eſt contractus, quo res aliqua gratuito traditur alteri ad merum uſum, uſque ad tempus conſtitutum; ita ut antequam tempus finiatur, regulariter repeti non poſſit. Hinc patet materiam hujus contractus eſſe tam res mobiles, quam immobiles, quæ uſum ſui ſuſcipere poſſunt. Commodatum quid?

II. Obligationes commodantis ſunt: Prima ut manifeſtet vitia rei commodatæ, ne ulli noceat; & niſi manifeſtet, tenetur de damno inde ſecuto leg. 18. & 22. ff. commodatum. Secunda, ut faciat expenſas extraordinarias circa rem commodatam, quia quoad ordinarias tenetur commodatarius; puta ad alendum equum; ad veſtem ſuendam, ſi in aliqua ſui parte diſſuatur &c. Tertia, ne repetat ante conſtitutum tempus; aliter teneretur ad damnum inde contingens commodatario; niſi forte haberet juſtam cauſam repetendi, puta ſi ex carentia rei ſuæ damnum conſimile, vel majus inopinato immineret ſibi, ut docet probabilior. Ratio eſt, quia in contractibus gratuitis, ad differentiam oneroſorum, contrahens implicite ſaltem intendit velle quidem alteri favere, at abſque ſuo notabili damno non prævifo, cui non poſſit aliter providere. Dixi *inopinato*; nam ſi neceſſitatem ſibi eventuram prævideriт, & nihilominus commodaverit, cenſetur ceſſiſſe juri ſuo. Obligationes commodantis.

III. Obligationes Commodatarii, ex communi, ſunt: prima, ne utatur re commodata, niſi ad eum uſum, pro quo eam recipit, vel pro quo prudenter credat, dominum præſtiturum conſenſum: ita Inſtitut. de obligat. quæ ex delicto &c. *Si is, qui rem utendam accepit, in alium uſum eam transferat, quam cujus gratia data eſt, furtum committit, veluti ſi quis equum geſtandi cauſa commodatum ſibi, longius aliquo duxerit: Placuit tamen, eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quam utendas acceperint, ita furtum committere, ſi ſe intelligant id invito domino facere, eumque, ſi intellexiſſet, non permiſſurum: at ſi permiſſurum credant, extra crimen videri*. Secunda, ut, finito termino temporis conſtituti, rem commodatam reſtituat; ſi enim ſit in mora culpabili, & res quocumque caſu pereat, ipſi perit; & tenetur Obligationes commodatarii.

tur

Digitized by Google

tur ad omne damnum ex tali mora ſecutum: Tertia, ut faciat omnes expenſas ordinarias pro conſervatione rei commodatæ: lex 18. ff. commodati. Quarta, ut cuſtodiat rem commodatam ſumma diligentia; unde tenetur ad damna etiam ex leviſſima culpa juridica, utpote contractus cedens in ſui ſolius utilitatem: ita ex capite unico de commodato, ubi canon expreſſe dicit: *Cum gratia ſui tantum quis commodatum accepit, de leviſſima etiam culpa tenetur; licet caſus fortuitus (niſi accideret culpa ſua, vel intervenerit pactum, ſeu in mora fuiſſet) ſibi non debet imputari.*

Caſus incidens reſolvitur.

IV. Hinc dum quis rem ſibi commodatam miſit commodanti per internuncium, qui illam furatur, & fugit; ſi commodans ſignificaverat, ſe miſſurum internuncium ad illam recipiendam, tenetur commodatarius de damno, quamvis procuraſſet fideliſſimum eligere; quia ei expectandus erat internuncius commodantis: ſi autem de hoc nil ſignificatum fuerat, & alioquin commodatarius fideliſſimum eligere omni diligentia curavit; tunc in foro ſaltem conſcientiæ ad nil tenetur, quia explevit eam diligentiam, ad quam tenebatur; poſito quod eſſet res, quam ut commodanti perſonaliter deferret, indecens eſſet; quia ſi poterat perſonaliter reſtituere abſque ulla indecentia, videretur forte non adhibuiſſe omnem moraliter poſſibilem diligentiam ab hocce contractu poſtulatam. Si demum nuncium fideliſſimum, & cæteris meliorem habere non ſategerit, procul dubio, tanquam reus ſaltem leviſſimæ culpæ tenebitur de damno.

Caſus alter.

V. In caſu incendii, vel naufragii, in quo aut perire debent res tuæ, aut tibi commodatæ, ſi res commodatæ ſint pretioſiores, aut æque pretioſæ ac tuæ, teneberis præſervare commodatas, ut æquitas poſtulat. Si autem tuæ ſint pretioſiores, & eas ſalvare velis, juxta probabiliorem teneris compenſare dominum quoad valorem rerum tibi commodatarum, & pereuntium; quia tuas prætuliſti. Etenim lex 5. ff. commodati abſolvens commodatarium ab obligatione compenſandi damnum rei commodatæ ex incendio, vel ruina fortuito eveniente, addit: *niſi, cum poſſet res commodatas ſalvas facere, ſuas prætulit*; & quidem rationabiliter: non enim juſtum eſt, ut qui beneficium tibi contulit commodando, jacturam rerum ſuarum patiatur, ut tuas ſerves. Ex his apparet, quod commodatarius non teneatur de damno ex caſu mere fortuito, & abſque omni ſua culpa procedente; puta ſi res commodata pereat ex ictu fulminis, vel ex alia ſimili cauſa fortuita; quia ubi nulla culpa, nulla redintegratio.

VI. Precarium eſt contractus, quo res conceditur alicui ad uſum ſicut in commodato, cum hac diſtinctione, quod in precario nullum conſtituitur tempus, & poteſt repeti ad beneplacitum concedentis; cum in commodato repeti nequeat, antequam expiret tempus conſtitutum, ſeu congruum.

Quid ſit Precarium?

§. III. *De Contractu Mandati.*

I. **M**Andatum italice *Commiſſione*, *e non Comandamento*, eſt officium ſuſceptum in gratiam alterius, ſeu obligatio ab aliquo ſuſcepta aliquid agendi gratis in gratiam alterius, puta aliquid emendi, agendi &c.; additur ly *gratis*, quia ſi ſit pretio, erit locatio operæ, & non Mandatum.

Quid ſit Mandatum?

II. Obligatio mandantis in eo eſt poſita, ut ſubminiſtret mandatario requiſita ad mandati executionem, & ſolvat omnes expenſas ab eodem factas, id dictante lege naturali. Obligationes autem mandatarii ſunt, prima, ut omnem diligentiam adhibeat, ac ſi ageret in cauſa propria; hoc enim ipſo, quod acceptavit mandatum, ad id præſtandum tenetur, quod pro ſemetipſo gereret; aliter deciperet mandantem, qui negotium ipſi non commiſiſſet, niſi tali diligentia eum geſſurum putaſſet: Ita lex 21. Cod. mandati. *Aliena negotia exacto officio geruntur, nec quidquam in eorum adminiſtratione neglectum, culpa vacuum eſt.* Secunda, ut nitatur negotium ſuſceptum conſummare, & perficere meliori modo, quo poteſt: nam lex 17. ff. commodati: *voluntatis eſt enim ſuſcipere mandatum, neceſſitatis conſummare.* Tertia, ut compenſet damna, ſi dolo, aut culpa lata juridica peccet: ita lex 3. ff. de negot. geſtore: quia eſt contractus cedens in ſolius mandantis utilitatem: teneretur etiam de levi culpa, ſi ſe obtuliſſet, dum alius ipſo diligentior in promptu erat; immo etiam de leviſſima culpa, ſi maximam diligentiam ſpopondiſſet, aut ſi illam natura negotii poſtularet. Quarta, ut minime confinia mandati impoſiti prætereat: lex 5. ff. mandati *diligenter fines mandati cuſtodiendi ſunt.* Quinta,

ta, ut nihil petat pro mandato exequendo; aliter eſſet locatio operæ; unde non poteſt ſe compenſare occulte pro labore, & tempore impenſis in gerendo negotio: idcirco lex 1. ff. mandati: *Mandatum, niſi gratuitum, nullum eſt: nam originem ex officio, atque amicitia trahit: contrarium ergo eſt officio merces; interveniente enim pecunia, res ad locationem potius & conductionem reſpicit.*

TRACTATUS XI.

IN OCTAVUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

CAPUT UNICUM.

DE OBLIGATIONIBUS PERSONARUM AD LEGALE JUDICIUM REQUISITARUM.

§. I. *De ſpectantibus ad Perſonam Judicis.*

De ſcientia in judice requiſita.

I. TEnetur Judex, juxta communem, quoad intellectum, ea ſcientia pollere, quæ neceſſaria eſt ad recte judicandum; cum quilibet teneatur, ſub gravi, eas cognitiones habere, quæ ad proprium miniſterium rite obeundum ſunt neceſſariæ; quales in Judice ſunt, ſcientia Legum, ſcientia Conſuetudinum, & Regularum in materia juris, & juſtitiæ. Quando igitur ex imperitia errat judicando, quamvis exiſtimet, ſe recte judicare, tenetur omnia damna parti, ex ſuo judicio detrimentum paſſæ, reſarcire: ita ex lege Eccleſiaſtica cap. ult. de injuriis: *Si tua culpa datum eſt damnum; vel injuria irrogata, aut hæc imperitia, ſive negligentia tui evenerunt, jure ſuper iis ſatisfacere te oportet; nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam.* Hinc tenetur Judex certitudinem ſaltem moralem habere in cauſæ, quam audit, cognitione, ne errandi periculo ſe exponat cum onere reſtituendi.

Quænam voluntas requiritur in judice?

II. Tenetur Judex præterea juxta S. Thom. mam eſſe immunis ab illis criminibus, de quibus judicium profert; nam ait S. Doctor 2. 2. q. 60. a. 2. ad 3. *Illi, qui ſunt in gravibus peccatis, non debent judicare eos, qui ſunt in eiſdem peccatis, vel minoribus, ut Chryſoſtomus dicit ... Et præcipue hoc eſt intelligendum, quando illa peccata ſunt publica; quia ex hoc generatur ſcandalum in cordibus aliorum. Si autem non ſint publica, ſed occulta, & neceſſitas judicandi immineat propter officium, poteſt cum humilitate, & timore vel arguere, vel judicare.* Tenetur item judicare ſecundum leges tam quoad ſervandum ordinem procedendi in forma judicii, ita ut ſervetur ordo legalis in proceſſibus formandis &c., quam quoad ferendam ſententiam ſecundum ſtatuta a legibus: *Judicium nihil aliud eſt* ait S. Doctor loc. cit. art. 5. *quam quædam definitio, & determinatio ejus, quod juſtum eſt: Fit autem aliquod juſtum dupliciter, uno modo ex ipſa natura rei, quod dicitur jus naturale; alio modo ex quodam condicto inter homines, quod dicitur jus poſitivum: leges autem ſcribuntur ad utriuſque juris declarationem, aliter tamen, & aliter: Nam legis ſcriptura jus quidem naturale continet, ſed non inſtituit; non enim habet robur ex lege, ſed ex natura; jus autem poſitivum ſcripturam legis & continet, & conſtituit, dans ei auctoritatis robur; & ideo neceſſe eſt quod judicium fiat ſecundum legis ſcripturam; alioquin judicium deficeret vel a juſto naturali, vel a juſto poſitivo.*

Quid agendum quando non conſtat, cui jus competat?

III. Quando jus non eſt clarum, ideſt quando non conſtet clare, cuinam parti litigantium competat jus; tenetur judex judicare ſecundum probabiliorem; quia aliter eſſet acceptator perſonarum, nec judicium proferret ſecundum rationem, ſed ſecundum affectionem. Proinde Innocentius XI. reprobavit hanc theſim n. 2. *Probabiliter exiſtimo judicem poſſe judicare juxta opinionem minus probabilem.*

Quid quando, jura ſunt æqualia

IV. Quando argumenta partium ſunt æque probabilia, & res controverſa a nemine earum poſſidetur, debet res æqualiter inter eas dividi, ita exigente æquali jure earumdem. Hinc reprobavit Alexander VII. theſim num. 26. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.* Vah theologia ſordida! Dixi ſi a nulla partium poſſideatur,

Digitized by Google

tur, quia ut vidimus ſuo loco, *in dubiis, melior eſt conditio poſſidentis*.

Non poteſt munera recipere.

V. Ex communi ſententia, judex non poteſt licite munera a partibus, antequam ferat ſententiam, recipere: Nam pro ſententia juſta non poteſt quidquam recipere, cum teneatur ad illam proferendam: & multo minus pro injuſta; quia venderet injuſtitiam ſuam: unde in primo caſu tenetur remittere ſtatim dona ſibi miſſa, vel recuſare oblata; in ſecundo autem tenetur ad omnia damna ex ſua ſententia injuſta parti læſæ illata. Neque audiendi ſunt, qui permittunt, poſſe recipi eſculenta, & poculenta: quandoquidem etiam iſta emollire valent animum judicis: eapropter abſolute aſſerit Spiritus Sanctus Eccleſiaſtici 20. *Xenia, & dona excæcant oculos judicum*. Eo vel magis quia ſemper prudenter ſuſpicari poteſt, dona illa fieri aliquo modo præter voluntatem, utpote ex metu profluentia.

Tenetur providere de Advocato pauperibus.

VI. Tenetur judex ſub mortali providere de Advocato pauperibus, nedum extrema, ſed etiam gravi neceſſitate advocati laborantibus, qui illos defendat in cauſa juſta; quamvis non habeant, unde ſolvant, jubendo Advocato, ut ipſis gratuito patrocinetur, nedum quando ob inopiam non inveniunt patrocinatorem, verum etiam quando propter potentiam adverſarii, nemo audet illis patrocinari; quia in tali caſu gravis neceſſitatis hæc proviſio ſpectat ad judicem; & tenetur advocatus juſtæ juſſioni obtemperare ex præcepto gravi dilectionis proximi. Vide Sylveſtrum verbo Advocatus q. 16. & 18.

Qualiter tenetur expedire cauſas?

VII. Tenetur judex celeritate moraliter poſſibili expedire lites, cum litigantes jus habeant, ne ſine juſto motivo differatur judicium; propterea dilatio evadit magis, vel minus gravis pro ratione moræ: vel etiam damnorum inde manantium: neque, liber ullatenus erit judex ſine juſta cauſa differens, ab onere redintegrandi damna; & expenſas, quas compulſi fuere litigantes, præcipue advenæ, facere ob dilationem: ita in cap. de ſentent. & re judicat: *Jurgantium controverſias celeri ſententia terminare & æquitati convenit, & rigori*.

Quam auctoritatem poſſidere debet?

VIII. Judex debet habere juriſdictionem, & auctoritatem in perſonas, & cauſas judicandas; ratio patens, quia injuriam faceret tum litigantibus, ipſos ſibi ſubdendo, cum non poſſit; tum Judici, cujus ſunt legitime ſubditi: hinc judicium ſine juriſdictione prolatum eſt irritum, Quatuor autem modis habetur juriſdictio legitima; nempe ratione poteſtatis ordinariæ, vel delegatæ; ex partium litigantium conſenſu, & compromiſſio; ratione delicti in ſuo territorio commiſſi; & ratione rei in ſuo territorio exiſtentis, de qua excitatur lis contra poſſeſſorem.

Qualiter peccet judicando ex cognitione injuſte extorta?

IX. Judex judicans ex cognitione injuſte extorta, graviter peccat, & tenetur ad redintegrationem omnium damnorum ex tali judicio ſecutorum; quia injuſte egit, notitiam illam acquirendo mediis, quibus uti non poterat abſque læſione juſtitiæ: unde confeſſio, quæ injuſtis modis extorquetur a reo, eſt injuſta, & obſtruens aditum procedendi ad prolationem ſententiæ. Extorquetur autem injuſte confeſſio (relictis pluribus, ad Juriſtas ſpectantibus) primo, ſi judex interroget reum, nulla præcedente infamia, vel ſemiprobatione, aut ſine ſufficientibus indiciis. Secundo, ſi tormenta adhibuit, quando non debebat; & quamvis die ſequenti reus confeſſionem ratam habeat, nihilominus nullum robur addit; quia cum confeſſio fuerit injuſte habita, etiam ratihabitio ejuſdem eſt nulla. Tertio, ſi perſona torqueri non poterat, quia vel privilegiata ob dignitatem, aut ob aliud motivum, vel infirmitatis, vel ætatis incompetentis. Quarto, ſi doloſe actum fuerit, puta promittendo ficte impunitatem.

Quotuplex inquiſitio?

X. Inquiſitio, alia eſt Generalis, alia Specialis, alia Mixta. Generalis, quando Judex generaliter inquirit, an leges obſerventur: Specialis, quando de determinata perſona, determinatoque delicto inquirit: Mixta, quando inquirit generatim de aliqua perſona, & ſpecialiter de crimine determinato, vel e contra, quando generatim inquiritur de aliquo crimine, & ſpecialiter de perſona determinata.

Quomodo ſe gerere debeat circa accuſationem?

XI. Quando Judex procedit per viam accuſationis, & accuſatio eſt juridica, teſtem juridice interrogat, etiamſi ante accuſationem nulla infamia præceſſerit: quia Judex eſt boni publici cuſtos, & ideo debet procedere ſecundum jus commune; unde admittere debet accuſationem illam, quam jura admittunt, & juxta illam progredi ulterius. Accuſator enim jus habet accuſandi crimen, quod ſe probaturum ſpondet; unde judex debet ejuſdem accuſationem, & probationem admittere, ne deſit officio ſuo. Neque hoc diſcordat a doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 70. a. 1.; ubi requirit præcedentem infamiam; accuſatio

Ll 4 enim

enim ipſa ſufficienter infamat reum, ex qua procedi poſſit ad teſtium examen. Quando vero Judex procedit per viam denunciationis; tunc interrogat juridice teſtes quando agit ad inſtantiam denunciatoris rationabiliter petentis, ut cauſa examinetur; quia tunc hujuſmodi denunciatio tenet locum accuſationis, eidemque æquivalet.

An inquirere poſſit abſque ullo motivo?

XII. Judex, etiam abſque ullo motivo, poteſt licite facere inquiſitionem generalem; quia ex vi muneris ſui ad ipſum ſpectat invigilare ſuper legum obſervantia, removere delicta, eademque emendare, & punire. Neque hujuſmodi inquiſitionem faciendo ulli infert injuriam; quia ſi exinde aliquis criminoſus deferatur, tunc incipere poteſt inquiſitionem ſpecialem. Cavendum tamen eſt, juxta monitum Sylvii in art. 1. cit. quæſtionis, quæſito 2. cavendum eſt illis, qui interrogantur, etiamſi ſub juramento interrogentur, ne manifeſtent occultos criminoſos nulla criminum infamia laborantes; (niſi vel ad emendationem eorum neceſſarium ſit, ut manifeſtentur Superiori, non tanquam judici, ſed tanquam Patri; aut niſi aliquod grave damnum immineat, ſi non denuncientur; quia in hoc caſu nulla habenda eſt ratio famæ eorum: & ita docent Adrianus, Petro de Soto, Navarrus, Salonius, a Sylvio citati): neque juramentum datum quidquam obeſt, quod non poteſt eſſe vinculum iniquitatis: eſt autem contra charitatem occultum criminoſum manifeſtare, niſi in duobus indicatis caſibus. Unde ſi Viſitator, aut Inquiſitor circa illa interroget, quæ tu noſti, ſed occulta, debes tacere; aut etiam, ſi opus ſit, negare te illa ſcire, quia debes reſpondere juxtam mentem interrogantis rationalem, mens autem interrogantis eſt, ſeu eſſe debet, ne detegantur perſonæ in particulari, niſi præceſſerit infamia per rumorem, denunciationem, aut accuſationem; dummodo ſcilicet publicum bonum, aut proximi non periclitetur; non verò ut omnino, & nullis ſervatis conditionibus, quilibet peccator ſtatim manifeſtetur: Senſus ergo interrogantis eſt, an ſciat eo modo, quo poſſit revelare, & eo modo quo peccata legitime ſubjici queant poteſtati publicæ. Hæc Sylvius, afferens etiam Cajetanum, Leſſium, & Malderum.

Quomodo, quando crimen eſt publicum, & ignoratur delinquens?

XIII. Quando crimen eſt publicum, & ignoratur criminoſus, poteſt, & tenetur judex inquirere in genere, quiſnam illud perpetrarit: niſi enim id fieri poſſet, & deberet; quot crimina ſuboleſcerent ſpe immunitatis a pœna? Non poteſt autem licite Judex facere inquiſitionem ſpecialem contra aliquem, inquiſitione tendente ad punitionem, niſi præceſſerit ejuſdem perſonæ diffamatio, vel ſemiprobatio, vel aliud juſtum motivum, a quo aperiatur aditus inquiſitioni: ita ex cap. 21. & 22. de Accuſation. Quia ſpecialis inquiſitio ad puniendum, non modicum detrimentum affert famæ inquiſiti, qui redditur ſuſpectus de patrato delicto.

An poſſit abolere accuſationem?

XIV. Judex, qui eſt Princeps ſupremus, poteſt de jure abolere accuſationem, quamvis ordinatam ad commune bonum, quando ipſi in conſcientia, & coram Deo videtur ita expedire bono, & quieti Communitatis; Quia cum accuſationes juſtæ ordinentur ad commune bonum, quoties prudentiæ Principis apparet, melius dicto bono provideri, ſi accuſatio aboleatur, id ſibi licitum erit: Judex autem inferior Supremo id agere non poteſt, regulariter loquendo; quia ipſi de jure id non competit. Ait tamen Cajetanus Commentario ſuper a. 1. quæſt. 68., quod etiam judex inferior ex Epichia, & Gnome, ideſt ex æquitate, & altiori judicio poteſt aliquando non admittere accuſationem legitimam pro communi bono, ſi videat illam communi bono pernicioſam, utpote ſi cauſativam ſeditionis, propter conditiones accuſati, eſt, vel propter aliquid hujuſmodi: incoatam autem abolere, ſi aliter non poteſt ſuſtinere commune bonum; ſuſpendendo proſecutionem, vel diſſimulando, poteſt; quia lex arctatæ poteſtatis, pro communi bono ſalvando, prætermittenda eſt, & uſurpanda eſt quodammodo major poteſtas, quæ communi bono neceſſaria tunc eſt, & ſoli juris ordini nocet, ſi tamen nocet: Hæc Eminentiſſimus ille.

Quando poſſit uti tortura, & quomodo?

XV. Judex in inquirenda veritate non poteſt licite uti tortura, niſi poſt adhibita omnia alia media ad veritatem aſſequendam; quia aliter agere, eſſet inhumanum reſpectu judicis, & periculoſum reſpectu perſonæ judicatæ. Ad torquendum autem reum prærequiruntur indicia, aut probationes de commiſſo crimine gravi, & tali, quod mereatur pœnam mortis; quæ indicia ſint correſpondentia cruciatui dando per torturam; & ſint adeo vehementia, quod non deſit niſi confeſſio rei ad plenam probationem; & propterea judex compellatur ad illum torquendum, ut confiteatur. Qui autem ſemel tortus fuit,

& con-

Digitized by Google

& confeſſus non fuit reatum, non poteſt iterum torqueri, niſi adveniant nova indicia, eo quod priora indicia ab illo eliſa fuerint, ſuſtinendo torturam, & negando. Poteſt autem tortura repeti, quando confeſſus crimen in tortura, ab hac ſolutus, negavit coram judice, & revocavit confeſſionem factam; eo quod per hujuſmodi revocationem anteriora indicia non remanſerint eliſa; unde tortura redderetur ſemper inutilis. Quando vero tertio torquetur, & tertio in tortura confitetur, nec non tertio a tortura ſolutus revocat confeſſionem, abſolvendum eſſe dicunt; quia præſumitur, ſola tormentorum vi extortam fuiſſe confeſſionem falſam, eumque eſſe innocentem. Aliqui tamen excipiunt caſum, in quo indicia eſſent adeo vehementia, ut prudentem præſumptionem relinquant, delictum a reo malitioſe negari. Tortura tunc eſt injuſta, quando ſpectatis viribus, & complexione rei cenſetur moraliter impoſſibile, quod illam ſuſtinere poſſit, & tunc adimitur Judici jus procedendi ex confeſſione hoc modo extorta; quia injuſte. In jure eximuntur a tortura Viri Illuſtres, aut conſtituti in magna dignitate, Senes, Impuberes, Doctores, Milites, Prægnantes, & Mulieres nondum confirmatæ a partu. In quibuſdam tamen caſibus etiam prædictæ perſonæ torturæ ſubjiciuntur; circa quod plura apud Juriſtas.

Poteſtne relaxare pœnam? XVI. Circa relaxationem pœnæ delictis debitæ ita diſſerit S. Thomas 2. 2. qu. 67. a. 4. *Duo ſunt ..... circa judicem conſideranda; quorum unum eſt, quod ipſe habet judicare inter accuſatorem, & reum; aliud autem eſt, quod ipſe non fert judicii ſententiam quaſi ex propria, ſed quaſi ex publica poteſtate. Duplici ergo ratione impeditur judex, ne reum a pœna abſolvere poſſit: primo quidem ex parte accuſatoris, ad cujus jus quandoque pertinet, ut reus puniatur, puta propter aliquam injuriam in ipſum commiſſam, cujus relaxatio non eſt in arbitrio alicujus judicis: quia quilibet judex tenetur jus ſuum reddere unicuique. Alio modo impeditur ex parte Reipublicæ, cujus poteſtate fungitur, ad cujus bonum pertinet, quod malefactores puniantur. Sed tamen quantum ad hoc differt inter inferiores judices, & ſupremum judicem, ſcilicet Principem, cui eſt plenaria poteſtas publica commiſſa: judex enim inferior non habet poteſtatem abſolvendi reum a pena contra leges a Superiore ſibi impoſitas...Sed Princeps, qui plenariam habet poteſtatem in Republica, ſi ille, qui paſſus eſt injuriam, velit remittere, poterit reum licite abſolvere, ſi hoc viderit publicæ utilitati non eſſe nocumentum.* Et loc. cit. ad 1. ſubdit: *Miſericordia judicis habet locum in his, quæ arbitrio judicis relinquuntur, in quibus boni viri eſt, ut ſit diminutivus pœnarum. In his autem, quæ ſunt determinata ſecundum legem divinam, vel humanam, non eſt ſuum, miſericordiam facere.* Et in ſolutione ad 3. *Judex ſi inordinate pœnam remitteret, nocumentum inferret Communitati, cui expedit, ut maleficia puniantur ad hoc, ut peccata vitentur.* Difficultatem de innocente, juridice probato reo, diſcuſſimus in tract. 8. c. 1. §. 3. ubi de occiſione innocentis. Nonnulla alia ad Judicem pertinentia dicentur in §. 4. dum diſſeretur de teſtibus.

§. II. *De ſpectantibus ad Accuſatorem.*

Quid ſit Accuſatio, & quid Denunciatio? I. ANimadvertendum in primis eſt cum S. Thoma 2. 2. q. 68. a. 1. quid interſit Accuſationem inter, & Denunciationem. *Hæc eſt differentia inter denunciationem & accuſationem, quia in denunciatione attenditur emendatio fratris; in accuſatione autem attenditur punitio criminis. Pœnæ autem præſentis vitæ non per ſe expetuntur, quia non eſt hic ultimum retributionis tempus, ſed inquantum ſunt medicinales, conferentes vel ad emendationem perſonæ peccantis, vel ad bonum Reipublicæ, cujus quies procuratur per punitionem peccantium: quorum primum intenditur in denunciatione, ſecundum autem proprie pertinet ad accuſationem. Et ideo ſi crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum Reipublicæ, tenetur homo ad accuſationem, dummodo ſufficienter poſſit probare; quod pertinet ad officium accuſatoris; puta cum peccatum alicujus vergit in multitudinis corruptelam corporalem, ſeu ſpiritualem. Si autem non fuerit tale peccatum, quod in multitudinem redundet, vel etiam ſi ſufficientem probationem adhibere non poſſit, non tenetur ad intentandam accuſationem; quia ad hoc nullus tenetur, quod non poteſt debito modo perficere.*

Quis teneatur accuſare ex officio? II. Tenentur ſub mortali delinquentes accuſare, ſi ſufficienter probare poſſint, omnes illi, qui ex officio ſtipendium a Republica recipiunt: immo ſi etiam jubeantur, ut deferant crimina, quæ vident, aut audiunt a viris fide dignis, tenentur id exequi; & ſi quis omittat, reus efficitur omnium damnorum ex ſilentio ſuo

pro-

profeſſorum. Ratio patet; quia ideo ſtipendium accipit. Multo magis ad id tenentur, qui ex ſtipendio deputantur ad cuſtodiendos agros a furunculis, & vaſtatoribus; vias publicas ab aggreſſoribus &c.; & ſi a proprio munere deficiant, non deferendo, non accuſando &c., omnibus damnis ex defectu ſuo profectis fiunt obnoxii.

Quis teneatur licet non ex officio?

III. Perſonæ privatæ, quamvis non ductæ ſtipendio, tenentur ſub mortali denunciare, nota bene, non dico accuſare, ſed denunciare, quando crimen aliquod vergit in damnum Communitatis ſive ſpiritualem, ſive temporale, ne progrediatur: hujuſmodi crimina ſunt proditio patriæ, ſignatio falſæ monetæ, veneficia, Hæreſis, & alia ſimilia; etiamſi deferens, alicui incommodo ſubjici forte deberet: quia bonum commune anteferendum eſt privato. Circa hoc notanda eſt theſis 5. ab Alexandro VII. reprobata: *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis:* Quia ut notavi n. 1., ad ſimpliciter denunciantem non attinet probatio, ſed ad accuſantem. Etiam pro juſta defenſione innocentis a gravi malo imminente, quæ nulla alia via obtineri poteſt, tenetur quiſque ex charitate reum aut denunciare, aut accuſare; quia charitas chriſtiana compellit ſub gravi, ſuccurrere proximo gravi neceſſitate laboranti, quando id præſtari poteſt abſque notabili incommodo.

Quid quando crimen probari non poteſt?

IV. Quando crimen probari non poteſt, abſtinendum eſt ab accuſatione, ut vidimus ex S. Doctore: in eo autem caſu admonenda eſt perſona, cui malum imminet, ut ſibi caveat, quin eidem detegatur inſidiator, niſi forte neceſſe ſit. Abſtinendum item ab accuſatione, quando crimen incipit in dubium revocari, poſt diligentem adhibitam inquiſitionem, ne graviter lædatur ejus fama.

Quid quando crimen probari poteſt, ſed eſt occultum?

V. Quando crimen probari poteſt, ſed eſt occultum, ſi ſperetur privata correptione delinquentem emendatum iri, & pro damnis ſatisfacturum, videtur, quod non ſit procedendum ad accuſationem: quia & ſalvatur fama proximi, & habetur intentum correptionis. Neque, ut quidam putant, aliter docet S. Thomas in 4. d. 19. q. 2. a. 3. ad 4.: quia ibi nulla fit mentio criminis *occulti*; immo loquitur de crimine, quod non præſupponit occultum, cum dicat, *quod accuſationem præcedere debeat inquiſitio*: unde non loquitur de crimine occulto. Excipiuntur crimen hæreſis, & nonnulla alia de quibus actum fuit Tract. 4. cap. 8. §. 5. & 6., quæ denuncianda ſunt, nulla præmiſſa correptione.

Accuſatio judicialis facienda eſt in ſcripto.

VI. S. Thomas 2. 2. q. 68. a. 2. docet accuſationem judicialem faciendam eſſe in ſcripto; & affert textum legis jubentis: *Accuſatorum perſonæ ſine ſcripto nunquam recipiantur*: deinde ſic rationem promit. *Quando*, inquit, *in criminibus per modum accuſationis agitur, accuſator conſtituitur pars; ita quod judex, inter accuſatorem, & eum, qui accuſatur, medius conſtituitur ad examen juſtitiæ, in quo oportet, quantum poſſibile eſt, ſecundum certitudinem procedere: quia vero ea, quæ verbo tenus dicuntur, facile labuntur a memoria; non poſſet judici eſſe certum quid, & qualiter dictum ſit, cum debet proferre ſententiam, niſi eſſet in ſcriptis redactum: ideo rationabiliter inſtitutum eſt, ut accuſatio, ſicut & alia, quæ in judicio aguntur, redigatur in ſcriptis.*

Quando reddatur injuſta & tunc quomodo puniendus accuſator?

VII. S. Thomas ibidem a. 3. docet, Accuſationem reddi injuſtam, nedum quando eſt calumnioſa, & fraudulenta, *abſcondendo ea, de quibus accuſator accuſationem propoſuit, colludendo cum reo, proprias probationes diſſimulando, & falſas excuſationes admittendo*; ſed etiam *quando accuſator tergiverſatur, ſcilicet deſiſtendo ab eo, quod cœperat, quaſi tergum vertens inordinate*, nempe ſine juſta cauſa; quia in re gravi decipit juſtitiam. Propterea quando accuſator deficit in probatione, adjicitur pœnæ Talionis: ita S. Doctor in a. 4. ex reſcripto Adriani Papæ in cap. 2. q. 3. *Qui non probaverit, quod objecit, pœnam, quam intulit, ipſe patiatur*. Rationem affert S. Doctor: *Quia accuſator in cauſa accuſationis conſtituitur pars intendens ad pœnam accuſati; ad Judicem autem pertinet, ut inter eos juſtitiæ æqualitatem conſtituat; juſtitiæ autem æqualitas hoc requirit, ut nocumentum, quod quis alteri intendit, ipſe patiatur: juxta illud Exodi 12., oculum pro oculo, & dentem pro dente; & ideo juſtum eſt, ut ille, qui per accuſationem aliquem in periculum gravis pœnæ inducit, ipſe etiam ſimilem pœnam patiatur*. In reſponſione autem ad 1. monet: *Quando judex cognoverit aliquem de falſo accuſaſſe non voluntate nocendi, ſed involuntarie propter ignorantiam ex juſto errore, non imponit pœnam Talionis*. Ubi notandum Ly *ex juſto errore*, ideſt ex errore inculpabili, non ex errore orto ex defectu debitæ advertentiæ &

ma-

maturitatis in expiſcanda certitudine facti, vel ex alio capite reddente ignorantiam, & errorem culpabilem.

* Præſtat integrum D. Thomæ textum exhibere, ut clarius innoteſcat quandonam accuſatio reddatur injuſta propter calumniam, prævaricationem, & tergiverſationem. Itaque *in corp. cit.* ab Auctore *art.* 3. ſic docet S. D. *Dicendum*, ait, *quod ſicut dictum eſt, accuſatio ordinatur ad bonum commune, quod intenditur per cognitionem criminis. Nullus autem debet nocere alicui injuſte, ut bonum commune promoveat. Et ideo in accuſatione duplici ratione contingit eſſe peccatum: uno modo ex eo quod aliquis injuſte agit contra eum, qui accuſatur, crimina falſa ei imponendo, quod eſt calumniari: alio modo ex parte Reipublicæ, cujus bonum principaliter intenditur in accuſatione, dum aliquis impedit malitioſe punitionem peccati. Quod iterum dupliciter contingit. Uno modo fraudem in accuſatione adhibendo. Et hoc pertinet ad prævaricationem; nam prævaricator dicitur quaſi varicator, qui adverſam partem adjuvat, prodita cauſa ſua. Alio modo totaliter ab accuſatione deſiſtendo: quod eſt tergiverſari; in hoc enim quod deſiſtit ab hoc, quod cœperat, quaſi tergum vertere videtur.*

In reſp. autem ad objecta plura habet, quæ mirum in modum materiam eandem illuſtrant. *Ad* 1. aſſerit *quod homo non debet ad accuſationem procedere, niſi de re omnino ſibi certa; in qua ignorantia facti locum non habet. Nec tamen,* ſubdit, *qui falſum crimen alicui imponit, calumniatur, ſed ſolum qui ex malitia in falſam accuſationem prorumpit. Contingit enim quandoque ex animi levitate ad accuſationem procedere, quia ſcilicet aliquis nimis faciliter credit quod audivit: & hoc temeritatis eſt: Aliquando autem ex juſto errore movetur aliquis ad accuſandum, quæ omnia ſecundum prudentiam judicis debent diſcerni, ut non pronuntiet eum calumniatum fuiſſe, qui ex levitate animi, vel ex juſto errore in falſam accuſationem prorupit.* Ad 2. Animadvertit, *quod non quicunque abſcondit vera crimina, prævaricatur; ſed ſolum ſi fraudulenter abſcondat ea, de quibus accuſationem proponit, colludens cum reo, proprias probationes, diſſimulando, & falſas excuſationes admittendo.* Ad 3. tandem aſſerit, *quod tergiverſari eſt ab accuſatione deſiſtere omnino, animum accuſandi deponendo, non qualitercumque, ſed inordinate. Contingit autem aliquem ab accuſatione deſiſtere ordinate abſque vitio dupliciter. Uno modo in ipſo accuſationis proceſſu, ſi cognoverit eſſe falſum id, de quo accuſavit; & ſic pari conſenſu ſe abſolvunt accuſator & reus. Alio modo ſi princeps, ad quem pertinet cura boni communis, quod per accuſationem attenditur, accuſationem aboleverit.* Hęc S. D. quæ utpote perſpicua expoſitione non indigent.

§. III. *De Spectantibus ad Reum.*

Quando teneatur reus fateri veritatem?

I. S. Thomas 2. 2. q. 69. a. 1. hæc habet: *Quicumque facit contra debitum juſtitiæ, mortaliter peccat. Pertinet autem ad debitum juſtitiæ, quod aliquis obediat ſuo Superiori in his, ad quæ jus prælationis ſe extendit: judex autem ſuperior eſt reſpectu ejus, qui judicatur; & ideo ex debito tenetur accuſatus veritatem exponere, quam ab eo ſecundum formam juris exigit; & ideo ſi confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel ſi eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat. Si vero judex hoc exquirat, quod non poteſt ſecundum ordinem juris, non tenetur ei accuſatus reſpondere; ſed poteſt vel per appellationem, vel aliter licite ſubterfugere; mendacium tamen dicere non licet.*

Quid requiritur ut juridice interrogetur?

II. Ut autem fateri teneatur, debet, ut audiſti a S. Doctore, juridice interrogari: ut vero juridice interrogetur, requiritur, ut præceſſerit infamia, aut præceſſerint indicia competentia, aut ſemiplena probatio, ideſt aſſertio unius teſtis omni exceptione majoris, ut habetur in capitibus 21. & 24. de Accuſat. & docet S. Doctor in art. 2. Multi dicunt, quod ad interrogandos teſtes ab accuſatore allegatos, ſufficiat accuſatio; & proinde teneatur judex, antequam reum interroget, eidem manifeſtare ſtatum ſuæ cauſæ, nempe indicia, & probationes, & teſtes; tum ad hoc, quod ſi quid habeat in contrarium, opponere queat; quam ut ſciat, ſe legitime interrogari. Unde ſi revera illegitime, & contra hunc ordinem juris interrogetur, non tenetur ſuum crimen fateri, ſed poteſt eludere judicem illegitime interrogantem, tamen abſque mendacio.

Quid ſi nolit crimen fateri?

III. Hinc ſi reus legitime interroganti nolit reſpondere, verumque fateri, incapax eſt abſolutionis ſacramentalis, quia vult perſeverare in lethali peccato. Si autem a judice abſolvatur, & per ſententiam firmatur judicium; juxta plures, non tenetur revelare crimen ſuum, niſi confeſſario, & pœnitentiam agere de celata veritate, dum eam revelare tenebatur: ac

hoc

Digitized by Google

hoc quam difficile! ob neceſſarium propoſitum firmum non amplius ita ſe gerendi. Si autem proferatur in ipſum ſententia capitis, pariter non tenetur poſt prolatam ſententiam crimen confiteri, juxta multos, contra Navarum, & alios; quia, prolata a judice ſententia, eſt completum judicium, & ut loquitur lex 55. §. de re judiciaria: *Judex poſtquam ſemel dixit ſententiam, judex eſſe deſinit:* unde confeſſio, quæ fieret poſt ſententiam mortis, nil prodeſſet conſcientiæ judicis, quæ eſt ſecura, ſi jam judicavit juxta allegata, & probata: ſi vero non judicaverit juxta allegata, & probata, nil prodeſt ad minuendum peccatum a judice perpetratum. Reſpondet Navarrus,prodeſſe ad conſulendum famæ judicis: at hoc refellitur dicendo; ſatis jam eſſe notum, reos negare ſolitos delicta a ſe perpetrata, ſatiſque conſultum famæ judicis, poſito quod ipſe oſtendat ſe judicaſſe juxta allegata, & probata. Si tamen aut bonum commune, aut ſublatio ſcandali, aut periculum, quod aliquis innocens accuſaretur de eodem crimine poſtularet, ut reus ſuum crimen fateretur, tunc teneretur illud etiam poſt ſententiam fateri, non ex vi judicii, ſed ex præcepto naturali aut pietatis erga Patriam: aut charitatis erga proximum.

Debitum Rei circa complices.

IV. Tenetur præterea reus legitime interrogatus de complicibus quando nempe contra eos ſtant ſupradictæ conditiones ad juridicam interrogationem requiſitæ, ſub mortali reſpondere veritatem, ob rationem ſuperius dictam, obediendi Superiori legitime præcipienti in re gravi, publici intentione boni: immo ſufficit ſola conditio, quod crimen ab eo commiſſum ſine ſociis perpetrari nequiverit. Si vero crimen ſit de exceptis a ſupradictis conditionibus, tenetur complices manifeſtare, & ſaltem illos, de quibus ignorat, an ſint emendati, obligatione orta ex ſupra indicatis virtutibus, & etiam ex juſtitia legali. Immo tenetur complices manifeſtare, ſi legitima conſuetudo obtinuerit, ut reus interrogetur etiam de delictis privatis, quorum manifeſtatio Reipublicæ intereſt: proinde ſi in omnibus iſtis caſibus revelare nolit, non eſt capax abſolutionis ſacramentalis, quia contumax in inobedientia mortali.

Non poteſt ſibi imponere falſa crimen.

V. Tandem non poteſt ſibi imponere falſum crimen, ad evitanda tormenta, quantumvis gravia; tum quia directe concurreret ad ſui occiſionem injuſtam; tum quia deciperet judicem in re gravi, & eſſet perjurus, ſi juramentum præſtitiſſet de veritate dicenda: eapropter ſi crimen falſum ſibi impoſuiſſet, teneretur revocare impoſituram, quamvis graviſſima ſubiturus tormenta: & niſi hæc faciat, abſolvi non poteſt, quia contumax in peccato gravi.

Non licet ipſi juſte condemnato ſe defendere.

VI. Non licet reo, juſte ad mortem damnato, ſe defendere: quia ait S. D. l. c. a. 4. *Apoſtolus Rom. 13. dicit: qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & ipſe ſibi damnationem acquirit: ſed condemnatus, ſe defendendo, poteſtati reſiſtit, quantum ad hoc, in quo eſt divinitus conſtituta ad vindictam malefactorum, ad laudem vero bonorum; ergo peccat ſe defendendo... Licitum eſt enim judici reum reſiſtentem impugnare; unde relinquitur, quod ex parte ejus ſit bellum injuſtum: unde indubitanter peccat.*

An poſſit fugere damnatus ad mortem, vel aliam gravem pœnam corporalem?

VII. Reus captivus, ante condemnationem, licite fugere poteſt, cum nemo teneatur ſubire pœnam, antequam condemnetur. Immo poſt latam ſententiam mortis, aut alterius gravis mali corporalis, juxta communem, poteſt licite fugere (niſi ſe ſpeciali vinculo aut juramenti, aut voti, aut promiſſionis non fugiendi ſe obſtrinxerit) quia utitur jure ſuo naturali conſervandi propriam vitam, propria membra &c.: Neque tenetur facere id, cum quo mors eſt ex ſe conjuncta, ſicuti eſt remanere in carcere; non enim ipſi jubetur ut ſibi inferat mortem, ſed ut illam patiatur, & ut illas actiones faciat, quæ non ſunt mortis illativæ, ſed indifferentes, puta collum præparare, manus extendere, ſcalam aſcendere &c.; fugere igitur licite poteſt, ſi velit, non tamen tenetur. Si autem ſimul cum capitali ſententia jubeatur illi a judice, ne fugere audeat; multi ſuſtinent adhuc fugere poſſe, reputantes juſſionem iniquam, & contra naturalem inclinationem. Probabilior tamen ſuſtinet, tunc licite fugere non poſſe; quia ſicuti parere tenetur ſententiæ privanti ipſum vita, ita & ſententiæ privanti ipſum facultate fugiendi; ut docent Cajetanus, & Sylvius in commentario ſupra laudatum articulum S. Th. Hoc autem præceptum a judicibus fieri non conſuevit: quod ſi fugeret, bona fide putans ſibi licere, non peccaret. Neque dicas, quod fuga ejus reſultaret in detrimentum cuſtodis carcerum; quandoquidem ipſe uteretur jure ſuo, medio non malo in conſcientia ſua, & alioquin cuſtos invigilare debebat.

VIII.

An damnatus carceri non perpetuo fugere poſſit? Quid ſi carcer ſit perpetuus?

VIII. Suarez aſſerit, communem eſſe opinionem, reum juſte damnatum ad carcerem non perpetuum, non poſſe licite fugere; eo quod hujuſmodi pœna non ſit adeo gravis, ut illam reus & pati, & in ſe exequi non poſſit; ſicuti verum eſt de exilio, & pœna pecuniaria. Si autem carcer ſit perpetuus, videtur Bannez, Saldonio, Leſſio, quod fugere poſſit; quia juſſi judicis non eſt, ut ſponte maneat in carcere, ſed ut in eo detineatur; proinde ſi poſſit detentionem evitare fugiendo, non violat jus Principis; quia ex quo juſſerit, ut detineretur, juſſit quidem ſimul, ne offenderet, vulneraret, percuteret cuſtodes; non autem ne ſimpliciter fugeret. Si vero id expreſſe juberet, juxta dicta teneretur obedire; quod præceptum, ut dixi, fieri non ſolet.

An liceat carceres effringere?

IX. Communior, & forte probabilior docet, licere reo juſte condemnato etiam rumpere carceres, aliaque frangere impedimenta ad fugam arripiendam: Quia ſi eſt licitum fugere, ut probatum fuit, licitum quoque erit tollere impedimenta, quæ fugæ obſtant, inter quæ ſunt carcer, vincula, januæ &c., dummodo id fiat abſque detrimento tertii directe intento; quandoquidem utitur jure ſuo abſque injuria ullius; & quidem non Publicæ Poteſtatis, quæ neque in carcere, neque in clauſura januæ conſiſtit: non cuſtodum, quos non tangit, ſed ab ipſis fugit. Demum jubetur mortem pati, non autem ſponte deſerere, quæ juvare poſſunt ad illam evadendam, abſque attentato ullius damno, aut directe intento; quamvis per accidens indirecte ſequatur.

Solvuntur objecta contra hanc poſtremam aſſertionem.

X. Objicies, nemini licere conſulere fugam, nec præbere inſtrumenta ad frangendum carcerem. Reſpondeo, Cajetanum, Bannez, Silonium, Sylvium docere, non eſſe illicitum conſanguineis rei conſulere fugam, & miniſtrare inſtrumenta ad illam exequendam: nemini autem licere adjuvare reum ſuo facto, ſuaque opera ad effrigendum, aut ad fugiendum, puta funibus extrahendo, ſcalam ſuſtentando, &c., quia id, quod licet reo ex juris naturalis indulgentia, idem jus aliis vetat; nam perturbaretur nimis ordo juſtitiæ, & judicum jura nimis offenderentur: ſi enim non licet effringere fores domus privatæ ulli, qui non ſit in neceſſitate ſalvandi propriam vitam, multo minus licebit præſtare operam ad effringendas fores domus Publicæ Poteſtatis: quod idcirco a publica juſtitia diſſimulatur in condemnato ad mortem, ob vim urgentiſſimam inclinationis naturalis ad propriam vitam tuendam; quod motivum aliis deeſt. Repones: reum effringentem, aperire etiam aliis carceri mancipatis aditum, ut fugiant. Reſpondeo, id per accidens ſequi ex actione ſua quod ipſe intendere non debet; ipſe namque non eſt aliorum cuſtos ex officio: Quemadmodum ſi quis fugiens a furente volente ipſum occidere, conculcet ſegetes pauperis ruſtici, idque etiam alii tale periculum evadere volentes ſimiliter faciant cum magno ruſtici damno, non idcirco tenebitur ad damnum ab illis illatum, ſed dumtaxat ad illud a ſe illatum; cum ipſe neque conſpiraverit, neque, ut id agerent, conſuluerit. Inſtabis iterum: leges puniunt reos effringentes carcerem, ſi capiantur. Reſpondeo, prudenter a legibus effractores puniri, ne dilatetur libertas reorum ad effractiones procurandas; ex hoc tamen non infertur, effringentes mortaliter peccare, ob motiva ſuperius allata.

XI. Non poteſt licite reus juſte condemnatus petere a cuſtodibus & multo minus illos pecunia inducere, ut illum fugere permittant; quia cooperaretur peccato lethali eorumdem contra ſtrictam obligationem, qua tenentur ad cuſtodiam incluſorum. Quod diximus de carceri mancipato, dicendum ducimus de perpetuo triremibus condemnato, cum hæc pœna forte ſuperet pœna perpetui carceris. Non poteſt inducere cuſtodes ut fugam permittant.

Quando licita Appellatio?

XII. Circa Appellationem S. Thomas ſic diſſerit 2. 2., q. 69., a 3. *Duplici de cauſa contingit aliquem appellare: uno quidem modo confidentia juſtæ cauſæ; qui videlicet injuſte a judice gravatur; & ſic licitum eſt appellare; unde dicitur in jure; omnis oppreſſus libere Sacerdotum, ſi voluerit, appellet judicium, & a nullo prohibeatur. Alio modo quis appellat, cauſa afferendæ moræ, ne contra eum juſta ſententia proferatur: & hoc eſt calumnioſe ſe defendere, quod eſt illicitum; facit enim injuriam & judici, cujus officium impedit, & adverſario ſuo, cujus juſtitiam, quantum poteſt, perturbat: & ideo ſicut dicitur in jure; omnimodo puniendus eſt, cujus appellatio injuſta pronunciatur.* Et idem dicendum etiam in cauſis non criminalibus. Hinc qui illicite appellat, reus evadit omnium damnorum, quæ parti adverſæ ex dilatione judicii propter dilationem interjectam obveniunt. Addit Angelicus in reſponſione ad 1, *Licitum eſt* Et quomodo?

ei,

ei, qui contra juſtitiam gravatur, ad directionem ſuperioris poteſtatis recurrere, appellando vel ante ſententiam, vel poſt: & quia non præſumitur eſſe rectitudo, ubi vera fides non eſt, ideo non licet catholico ad infidelem judicem appellare, ſecundum illud 2.q.6., *Catholicus, qui cauſam ſuam ſive juſtam, ſive injuſtam ad judicium alterius fidei judicis provocaverit, excommunicetur; nam & Apoſtolus arguit eos, qui judicio contendebant apud infideles.* Nota ex Sylvio in Commentario ſuper hoc loco, quod appellare ex juſto motivo, etiam ante ſententiam prolatam, licitum ſit, loquendo de tribunali eccleſiaſtico, non de tribunali laico, a quo non licet appellare ante prolationem ſententiæ: ita in 2. q.6. capite *non ita*.

Quodnam tempus ad appellandum concedatur?

XIII. Angelicus pariter in reſponſione ad 3. docet: *Æquitas juris ita ſubvenit uni parti, quod altera non gravetur: & ideo tempus decem dierum conceſſit ad appellandum, quod ſufficiens æſtimavit ad deliberandum, an expediat appellare. Si vero non eſſet determinatum tempus, in quo appellare liceret, ſemper certitudo judicii remaneret in ſuſpenſo, & ita pars altera damnificaretur. Ideo autem non eſt conceſſum, ut tertio aliquis appellet ſuper eodem, quia non eſt probabile, toties judices a recto judicio declinare.* Notat idem Sylvius ibidem, quod in aliquibus regionibus conſuetudo obtinuit, ut appelletur etiam poſt ſecundum judicium. Appellationes Regularium a punitionibus regularibus ſuorum Superiorum, ut ſuſpendatur executio pœnitentiæ injunctæ, non admittuntur; ita ex Capite ad *Noſtram*, & ex capite *Reprehenſibilis* tit. de Appell. apparet. In cauſis autem gravioribus, aut dum exceditur modus regularis puniendi, appellare poterunt ad Superiores. Ab officiali Epiſcopi ad Epiſcopum non eſt Appellatio, cum idem ſit moraliter judex: ita in cap. *Romana* de Appell. in 6. A tribunali autem Archidiaconi ad Epiſcopum eſt Appellatio, quia eſt tribunal diverſum.

Appellatio a ſententia juſta quando liceat?

XIV. Appellare a ſententia juſta licet, quando inveniuntur nova documenta, quæ in anteriori judicio produci non potuerunt. Quando autem jus partium eſt æque probabile, & neutra earum poſſidet, tunc, juxta alibi dicta, dividenda eſt res inter eas, ita poſtulante æquitate naturali. Unde qui contra ſe habuit judicium, poteſt appellare ad id obtinendum, nempe dimidium rei, de qua eſt contentio; dixi ſi neutra pars poſſideat; quia jam ſatis liquet in materia juſtitiæ, dum res eſt in dubio, meliorem eſſe conditionem poſſidentis, bona fide ſemper continuata.

§. IV. *De ſpectantibus ad Teſtes.*

Quando extet obligatio teſtificandi?

I. Circa teſtificandi obligationem ita differit S. Thomas 2.2.q.70., a. 1. *Aliquando requiritur teſtimonium alicujus, aliquando non requiritur. Si requiritur teſtimonium alicujus ſubditi, auctoritate Superioris, cui in his, quæ ad juſtitiam pertinent obedire tenetur, non eſt dubium, quin teneatur teſtimonium ferre in iis, in quibus ſecundum ordinem juris teſtimonium ab eo exigitur ... Si autem teſtimonium exigatur ab eo in aliis, puta in occultis, de quibus infamia non præceſſit, non tenetur ad teſtificandum. Si vero requiratur ejus teſtimonium, non auctoritate Superioris, cui obedire tenetur; tunc diſtinguendum eſt: quia ſi teſtimonium requiratur ad liberandum hominem, vel ab injuſta morte, ſeu pœna quacumque, vel a falſa infamia, vel etiam ab iniquo damno, tunc tenetur homo ad teſtificandum: & ſi ejus teſtimonium non requiratur, tenetur facere, quod in ſe eſt, ut veritatem denunciet alicui, qui ad hoc poſſit prodeſſe... Super his autem, quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur aliquis facere teſtimonium, niſi cum a Superiore compellitur ſecundum ordinem juris; quia ſi circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc ſpeciale damnum naſcitur; vel ſi immineat periculum accuſatori, non eſt curandum, quia ipſe in hoc periculum ſponte ſe ingeſſit: alia autem ratio eſt de reo, cui periculum imminet, eo nolente.* Nota quod quando dicit, non requiſitum non teneri teſtimonium ferre, quando agitur de condemnatione, excipienda ſunt ab hac regula illa delicta, quæ vergunt in corruptionem multitudinis ſive ſpiritualem, ſive corporalem, & quæ in antecedentibus recenſuimus, quia tunc etiam non requiſitus denunciare tenetur.

Sequitur eadem Angelici doctrina circa obligationem reſpondendi.

II. In reſponſione ad 2. docet *De illis, quæ ſunt homini commiſſa in ſecreto per confeſſionem, nullo modo debet teſtimonium ferre; quia hujuſmodi non ſcit ut homo, ſed tanquam miniſter Dei; & majus eſt vinculum Sacramenti, quolibet hominis præcepto.* Et nota, quod hæc regula non afficit ſolum confeſſarium, ſed etiam quemcumque alium, qui relationem habuerit ad audita in confeſſione: puta ad Theologum conſiliarium, ad interpretem &c., requiſitos pro auditis

in

in confeſſione; ſed de his plurima in tract. 14. cap. 4. §. 8. *Circa ea vero, quæ aliter homini ſub ſecreto committuntur, diſtinguendum eſt; quandoque enim ſunt talia, quæ ſtatim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare tenetur; puta ſi pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus perſonæ, vel ſi quid aliud eſt hujuſmodi, quod quis propalare tenetur vel teſtificando, vel denunciando: & contra hoc debitum obligari non poteſt per ſecretum commiſſum: quia hoc frangeret fidem, quam alteri debet* nempe Communitati, & publico bono, (ut paulo ante indicavimus.) *Quandoque vero ſunt talia, quę quis prodere non tenetur; unde poteſt obligari ex hoc, quod ſibi ſub ſecreto committuntur: & tunc nulli tenetur ea prodere etiam ex precepto Superioris; quia ſervare fidem eſt de jure naturali; nihil autem poteſt præcipi homini contra id, quod eſt de jure naturali.* Ex his inferas, illos non debere teſtificari, qui crimen cognoſcunt ſub ſecreto naturali, ut Medicus, Chyrurgus, Obſtetrix, Conſiliarius &c.: item qui notitiam acquiſiverunt modo injuſto, puta aperiendo furtive litteras, cogendo hominem, vel illum inebriando, ut ſibi revelet: item qui ſcit illum, qui putatur reus, omnino alienum fuiſſe a crimine, puta ſi abſque omni culpa hominem pro fera occidiſſet: de his, inquam, non tenetur homo teſtimonium ferre, ſed poteſt licite ſubterfugere, & licitis modis veritatem diſſimulare, quamvis Superior jubeat. Ut autem quis teneatur Superiori interroganti reſpondere, & teſtari, ſufficit quod præceſſerit accuſatio, vel denunciatio, vel querela contra aliquem; quandoquidem bonum commune nimio damno ſubeſſet, ſi hæc non ſufficerent Superiori ad legitime interrogandum; criminaque plurimum ſobolefcerent, ſi contra occultum reum inquiri non poſſet poſt acceptam accuſationem, aut denunciationem, aut querelam.

Quid de eo, qui non vult ſponte eſſe teſtis?

III. Nolens ſe ſponte offerre ad teſtimonium ferendum, non tenetur ad reſtitutionem damnorum ex ſua omiſſione ſecutorum, imo neque tenetur ſi nolit teſtificari, quamvis compellatur a judice, ſi ſibi, aut ſuis grave malum immineat. Ratio primæ partis eſt, quia ex juſtitia nemo tenetur ſe offerre, quamvis ex charitate in aliquo caſu ex ſupra indicatis ſub gravi teneatur: obligatio autem reſtituendi non profluit niſi ex violata juſtitia. Ratio vero ſecundæ partis eſt, quia lex humana non obligat cum tanto onere; neque Superior, qui debet reddi conſcius periculi, poteſt licite urgere talem perſonam ad ferendum teſtimonium. Si tamen neceſſitas publici boni, aut longe gravioris damni innocenti imminentis obliget, tunc tenetur teſtificari; quia in his caſibus charitas graviter obſtringit; immo reſpectu damni publici obligat etiam juſtitia legalis. Reſpectu vero damni innocentis, debet haberi ratio damni, cui teſtis exponitur, & damni, quod innocenti privato evenit: Si enim æquale, aut gravius ſit damnum teſti reſultans, non tenetur teſtari, neque debet a judice compelli; ſi vero ſit notabiliter minus, tunc tenetur; quia ex lege charitatis chriſtianæ tenemur amovere longe gravius damnum a proximo innocente cum periculo noſtri damni longe minoris, maxime quando opera noſtra eſt requiſita, & eſt vel moraliter impoſſibile, vel admodum difficile, quod alius adſit, qui præſto ſit.

Teſtis falſum deponens.

IV. Teſtis vel ex malitia, vel ex culpabili inadvertentia falſum deponens, tenetur ad omnia damna ex falſa teſtificatione ſecuta, ut patet; quia eſt eorum culpabilis cauſa efficax: Idcirco tenetur quamprimum revocare teſtimonium, ſi extet ſpes, quod revocatio ſit profutura, & ad id tenetur etiam cum periculo æqualis damni, quod imminet illi, contra quem falſo teſtificatus fuit: ita ex communi regula in materia de reſtitutione malæ fidei.

Teſtis qui ſe ſubtrahit a teſtificando.

V. Qui ſcit, ſe vocandum eſſe a judice legitimo, ut teſtimonium ferat, & ſe ſubtrahit fuga, vel alio modo, peccat graviter contra charitatem; quia ſe ſubtrahit ab adjuvando vel proximum, vel bonum commune, dum graviter indigent ſua teſtificatione: non autem peccat contra juſtitiam; quia ex juſtitia neque tenetur judici, cujus mandatum nondum accepit, neque accuſato, qui, ut ſupponitur, nullum titulum commutativæ juſtitiæ habet. Si vero fugiat poſtquam mandatum accepit, probabilior videtur opinio Bannez, Molinæ, & Sylvii, quod non teneatur ad reſtitutionem; quia obligatio reſtitutionis juxta omnes, oritur ex violata juſtitia commutativa; atqui hic ſe ſubtrahens non violat hanc juſtitiam, quia ante mandatum non tenebatur teſtificari obligatione hujus juſtitiæ, ut patet: igitur neque poſt acceptum mandatum, quod ita

Opinio nobis probabilior.

pro-

probatur: quia mandatum, & citatio Superioris non affert obligationem juſtitiæ commutativæ, ſed duntaxat obedientiæ, & juſtitiæ legalis, ſi fiat ob bonum commune; atqui violatio obedientiæ, & juſtitiæ legalis non affert obligationem reſtituendi; igitur hic ſe ſubtrahens non tenetur ad reſtitutionem. Propterea vidimus ſuo loco cum communi, quod cauſæ negativæ damni proximi, quales ſunt Mutus, non Obſtans, non Manifeſtans, tunc ſolum teneantur ad reſtitutionem, quando tenentur ex obligatione juſtitiæ commutativæ; puta quia conducti pretio, ſtipendio, &c.; non vero ex mero ſilentio, ex mera non obſiſtentia, aut non manifeſtatione. Et confirmatur: Nam ſi Magiſtratus juberet, ut quicunque habet centum aureos annuos proventus, diſtribuat annuatim decem pauperibus civitatis; ſi Petrus non erogaret, quamvis peccaret contra obedientiam, & juſtitiam legalem, non tamen reſtituere teneretur; quia non peccaret contra juſtitiam commutativam, quæ ex terminis ſignificat obligationem erogandi pro re accepta. In caſu autem noſtro juſſus teſtificari, nihil recipit; ergo non violat juſtitiam commutativam, non reddendo teſtimonium.

Occurritur objectis.

VI. Objicies ex Navarro, Azorio, & Salonin, docentibus, teneri ad reſtitutionem. Juſſus teſtificari, deſtinatur ad hoc munus a Publica poteſtate: unde ſicut judex deſtinatus a publica poteſtate tenetur ad judicandum; ita teſtis ad teſtificandum. Reſpondeo nihil afferri contra nos; concedimus namque, & judicem, & teſtem vocatos & deſtinatos peccare contra juſtitiam legalem, non autem contra commutativam, ſi abſtineant, & ſe ſubtrahant; eadem enim eſt ratio de judice non conducto per ſtipendium, & de teſte ſimiliter non conducto ad teſtificandum. Inſtabis: lex, & præceptum juſtum tribuunt tam actori, quam reo jus, ut, qui citatur tanquam teſtis, teſtimonium reddat, ſicut ſententia juſta tribuit jus ad bona alterius. Reſpondeo: tribuit jus fundatum in juſtitia legali concedo, commutativa, nego. Nec quidquam roboris addit paritas de ſententia juſta; quia in tantum tribuit jus ad bona alterius, quia declarat violatam fuiſſe juſtitiam commutativam; quæ in caſu noſtro non violatur a nolente teſtificari, quamvis citato. Repones: fruſtra igitur præſidium peteretur a Judice pro aſſequenda veritate cauſæ. Reſpondeo fruſtra non peti præſidium, quia non deſunt judici alia media compellendi teſtes citatos, puta aut intimando pœnas, aut vi illos adigendo ad teſtificandum. Tandem urgebis: Si a judice imperetur alicui tertio, ut proferat ſcripturam quam habet, pertinentem ad cauſam partium litigantium, & ipſe illam occultet, tenetur ad reſtitutionem damnorum inde ſequentium; ita & qui ſe occultat ad teſtificandum. Reſpondet Sylvius, quæſito primo in commentario ſupra articulum ſupra laudatum S. Thomæ, quod ſcriptura eſt quid externum, de qua, ſicut & de aliis ſubditorum bonis, poteſt Reſpublica diſponere, quando opus fuerit; non autem poteſt ſimiliter diſponere de teſtimonio, quod nondum eſt, ſed quod deſideratur, & requiritur, ut ſit. Præterea ſcriptura eſt inſtrumentum publicum, in quod jus habent omnes illi, quibus poteſtas publica juſto motivo illud applicare voluerit; non habent autem ſimile jus in perſonam teſtis, vel in ejus teſtimonium.

Numerus teſtium requiſitus.

VII. Teſtes eſſe debent ſaltem duo, vel tres: idque probatur ab Angelico loc. cit. in art. 2. *In actibus humanis ſuper quibus conſtituuntur judicia, & exiguntur teſtimonia, non poteſt haberi certitudo demonſtrativa, eo quod ſunt circa contingentia, & variabilia, & ideo ſufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingit, etſi in paucioribus a veritate deficiat: eſt autem probabile, quod magis veritatem contineat dictum multorum, quam dictum unius; & ideo cum reus ſit unus, qui negat, & multi teſtes aſſerunt idem cum actore, rationabiliter dictum eſt de jure divino, & humano, quod dicto teſtium ſtetur: omnis autem multitudo in tribus comprehenditur, principio, medio, & fine. Unde ſecundum philoſophum in primo de cœlo: omne totum in tribus ponimus. Ternarius quidem conſtituitur aſſerentium, cum duo teſtes conveniunt cum actore; & ideo requiritur binarius teſtium, vel ad majorem certitudinem, ut ſit ternarius, qui eſt multitudo perfecta in ipſis teſtibus.* Nota, quod in quibuſdam caſibus, vix poſſibile eſt, inveniri poſſe duos teſtes; puta quando fur nocturnus vineam diripit; quia tunc ſolius cuſtodis teſtimonium admitti debet, & ſic in ſimilibus; aliter fere nunquam poſſent hujuſmodi delicta puniri, cum magna communis ſecuritatis deturbatione. Imo addit Sylvius in commentario, aliquando evenire poſſe, ut etiam ad unius teſtimonium aliquis poſſit ſecreto a Principe interfi-

ci,

Digitized by Google

ei, cui certo conſtet de mali machinatione per eumdem imminentis, & quæ alioquin ſine magna Reipublicæ perturbatione averti non poſſet; dummodo habeatur ratio qualitatis teſtis, nimirum probitatis, gravitatis, & certitudinis ſuæ aſſertionis. Idcirco teſtes debent ſemper eſſe omni exceptione majores, immunes ſcilicet ab omnibus notis, valentibus eorum teſtificationem ſuſpectam reddere, & quo major eſt cauſa, eo ſunt magis perpendendæ teſtium qualitates. Plures etiam teſtes notavimus requiri pro quibuſdam rebus, ut in Teſtamentis. Tandem nota, quod duplicitas teſtium in antiquo Teſtamento eſt de jure divino poſitivo, in novo autem de jure humano: unde ratio Sancti Doctoris eſt quidem urgentiſſima congruentia, & non ratio demonſtrativa, quæ pro hac materia nequit inveniri.

Quid in caſu diſcordiæ teſtium?

VIII. *Diſcordia teſtium*, ait S. D. in reſp. ad 2. *in aliquibus principalibus circumſtantiis, quæ variant ſubſtantiam facti, puta in tempore, vel in loco, vel in perſonis, de quibus principaliter agitur, auſert efficaciam teſtimonii; quia ſi diſcordant in talibus, videntur ſingulares eſſe in ſuis teſtimoniis, & de diverſis loqui; puta ſi unus dicat hoc factum eſſe tali tempore, vel loco; alius alio tempore, vel loco; non videntur de eodem facto loqui. Non tamen præjudicatur teſtimonio ſi unus dicat, ſe non recordari, & alius aſſerat determinatum tempus, vel locum: & ſi in talibus omnino diſconvenerint teſtes actoris & rei, ſi ſint æquales numero, & pares dignitate, ſtatur pro reo; quia facilior debet eſſe judex ad abſolvendum, quam ad condemnandum; niſi forte in cauſis favorabilibus, ſicut eſt cauſa libertatis, & hujuſmodi. Si vero teſtes ejuſdem partis diſſenſerint, debet judex ex motu ſui animi percipere cui parti ſit ſtandum, vel ex numero teſtium, vel ex dignitate eorum, vel ex favorabilitate cauſæ, vel ex conditione negotii, & dictorum. Multo autem magis teſtimonium unius repellitur, ſi ſibi ipſi aliquid diſſideat interrogatus de viſu, & ſcientia: non autem ſi diſſideat, interrogatus de opinione & fama, quia poteſt ſecundum diverſa viſa, & audita diverſimode motus eſſe ad reſpondendum. Si vero ſit diſcordia teſtimonii in aliquibus circumſtantiis non pertinentibus ad ſubſtantiam facti, puta ſi tempus fuerit nubiloſum, vel ſerenum, vel ſi domus fuerit picta, aut non, aut aliquid hujuſmodi, talis diſcordia non præjudicat teſtimonio; quia homines non conſueverunt circa talia multum ſollicitari, unde facile a memoria elabuntur: quin immo aliqua diſcordia in talibus facit teſtimonium credibilius, ut Chryſoſtomus dicit ſupra Matthæum; quia ſi in omnibus concordarent etiam in minimis, viderentur ex condicto eumdem ſermonem proferre: quod tamen prudentiæ judicis relinquitur diſcernendum.*

Caietani animadverſio notatu digna.

IX. Nota ex Caietano in Commentario, quod quamvis per ſingulares teſtes regulariter nullus damnetur; tamen multi ſingulares teſtes in factis iterabilibus violentam ſuſpicionem inducunt; ut ſi unus viderit aliquem committere unum furtum; & alius viderit eumdem committere aliud furtum, & ſint teſtes omni exceptione majores: inter Religioſos, quando quis exiſtimatur alias tali vitio involutus, aut numerus multus talium conteſtium concurrat; ſi arctatus non confitetur, inveniri videtur aliquando ſubſecuta condemnatio multorum Patrum conſilio fulta: & licet hoc non ſit ſecundum juris rigorem, ubi tamen abſque tormentis proceditur, non tam ad puniendum, quam ad ſalutem animæ, & regularis obſervantiæ favorem, tolerabile videtur, ut hæc probabilitas ſufficiat ad certitudinem inter eos, qui mortui ſunt mundo. Quia tamen reus non poteſt ad hujuſmodi ſententiam tolerandam cogi, deberet ex hujuſmodi indiciis per tormenta ſtatui tamen religioſo congruentia, veritas exquiri, ut ſententia non feratur niſi contra confeſſum, vel convictum, juxta ſacros Canones q. 1. *nos in quemquam*. Hæc Sapientiſſimus ille primo Magiſter Generalis, deinde Eminentiſſimus Cardinalis.

An falſum teſtimonium ſemper ſit lethale?

X. *Falſum teſtimonium* ait S. Doctor 2. 2. qu. 70. art. 4., *habet triplicem deformitatem: uno modo ex perjurio, quia teſtes non admittuntur niſi jurati, & ex hoc ſemper eſt peccatum mortale. Alio modo ex violatione juſtitiæ; & hoc modo eſt peccatum mortale in ſuo genere, ſicut & quælibet injuſtitia.... Tertio modo ex ipſa falſitate, ſecundum quod omne mendacium eſt peccatum; Et ex hoc non habet falſum teſtimonium, quod ſemper ſit peccatum mortale* Id autem ita explicat in reſponſione ad 2. *Injuſtum judicium non eſt judicium, & ideo ex vi judicii falſum teſtimonium in injuſto judicio prolatum ad injuſtitiam impediendam, non habet rationem peccati mortalis, ſed ſolum ex juramento violato.*

Deductiones utiles.

XI. Hinc inferas, grave peccatum eſſe, conficere falſa inſtrumenta, falſas ſcripturas, ſyngraphas, aut veras adulterare, ut judex

judex decipiatur. Immo illicite agere, & graviter peccare contra juſtitiam legalem illum, qui cum amiſerit veram ſcripturam, a qua pendet litis victoria, alteram ſimilem conficit, quamvis in cauſa juſta; eo quod hujuſmodi ſuppoſitio ſcripturarum ſit valde pernicioſa Reipublicæ, cujus multum intereſt, ne ſupponantur; quia periret fides actuum publicorum, ſi id liceret: & idcirco a legibus graviter prohibetur. Et cum materia ſit gravis, obligat ſub mortali. Non tamen qui aliam ſubſtituit ſimilem primæ amiſſæ, vel ſuffuratæ in cauſa juſta, tenetur ad reſtitutionem ſi vincat, quia revera jus habet ad rem illam, quamvis hac via acquiſitam. Et ſi ſubſtitueret abſque ullo conſcientiæ ſtimulo, & bona fide forte nec lethaliter peccaret contra juſtitiam legalem.

* Animadvertendum hic, quod neque Clericus, qui teſtimoniales vel dimiſſorias Epiſcopi ſui litteras, aut Parochi de Baptiſmo fidem facientes perdidit, poteſt alias ſupponere, ut ad ordines promoveatur. Idem eſt de Regulari, qui obedientiales litteras amiſit. Lege Petrum Collet *Tract. de Decalogo cap. VIII. art. II. Sect. II. prope finem.*

Qui vetentur teſtimonium ferre?

XII. A teſtimonio ferendo repelluntur nonnulli: & circa hoc ita diſſerit S. Doctor loco citato artic. 3. *Teſtimonium non habet infallibilem certitudinem, ſed probabilem; & ideo quidquid eſt, quod probabilitatem afferat in contrarium, reddit teſtimonium inefficax. Redditur autem probabile, quod aliquis in veritate teſtificanda non ſit firmus, quandoque quidem propter culpam, ſicut infideles, & infames: item illi, qui publico crimine rei ſunt; quandoque autem abſque culpa: & hoc eſt vel ex defectu rationis, ſicut patet in pueris, amentibus, & mulieribus: vel ex affectu, ſicut patet de inimicis, & perſonis conjunctis & domeſticis; vel etiam ex exteriori conditione, ſicut ſunt pauperes, ſervi, & illi, quibus imperari poteſt; de quibus probabile eſt, quod de facili poſſunt induci ad teſtimonium ferendum contra veritatem.*

Addenda huic doctrinæ.

XIII. Huic Angelici Doctoris doctrinæ addendum eſt Cajetani monitum in Commentario; quod a Juriſtis petenda ſint, quæ forte deeſſe poſſunt eidem doctrinæ. Interea cum Sylveſtro, & Navarro addendum, quod Mulieres, quamvis in cauſis criminalibus, & in Teſtamentis teſtificari vetentur, admittuntur in aliis cauſis civilibus ex lege *ex eo* ff. de teſtibus, & ex lege, *qui teſtamento* ff. qui teſtamenta &c. Secundo circa pueros, qui cum ad pubertatem pervenerint, admittuntur in cauſis civilibus. Tertio circa conſanguineos, qui admittuntur tam contra alios conſanguineos, quam pro conſanguineis in cauſis matrimonialibus, nec non circa crimina excepta, hæreſis, læſæ Majeſtatis, falſificationis monetæ, proditionis Patriæ; immo circa hæc admittuntur etiam ut accuſatores; cum teneantur accuſare. Quarto circa teſtes minus idoneos; qui admittuntur tanquam idonei, quando crimen eo loco, & tempore fuit perpetratum, dum aliorum teſtium copia haberi non poteſt; nec non quando cum minus idoneis conjungitur alius teſtis exceptionem ullam non admittens.

§. V. *De ſpectantibus ad Advocatum, atque ad alios miniſtros.*

Obligatio Advocati reſpectu pauperum.

I. Cum *præſtare patrocinium cauſæ pauperum ad opus miſericordiæ pertineat, idem eſt hic dicendum, quod ſupra de aliis operibus miſericordiæ dictum eſt*, ait S. Doctor 2. 2. quæſt. 71. art. 1. Idcirco vide tradita a nobis in tract. 4. cap. 8. §. 7. Ex doctrina igitur locis citatis tradita tenetur Advocatus patrocinium præſtare pauperi, nedum in extrema neceſſitate conſtituto, ſed etiam in gravi, ideſt quando nedum caſurus eſt cauſa, ob quem caſum redigendus ſit ad extremam neceſſitatem, aut quoad vitam periclitaturus; verum etiam quando eſt caſurus cauſa, ita ut niſi patrocinantem inveniat, gravem bonorum jacturam ſit paſſurus, aut ad triremes, dirumve carcerem condemnandus, aut perpetuo exilio ſubjiciendus: atque ad id tenetur advocatus etiam cum jactura aliqua propriorum bonorum ad ſtatus ſui decentiam pertinentium; puta ſi interea prætermittere compellatur alias cauſas lucroſas, non neceſſarias ad ſtatus ſui conſervationem, ut aſſiſtat pauperi in gravi præfata neceſſitate. Rationes vide loc. cit. & ita docent Sylveſter, Bannez, Solonius, Leſſius, Malderus, Sylvius, & alii. In eadem neceſſitate conſtituitur pauper juxta hos auctores, quando quamvis ſint alii advocati, qui ipſi patrocinari poſſent, nemo tamen patrocinatur, quaſi reciproce unus de altero confidens, quod ſit patrocinaturus: Quid enim prodeſt indigenti, quod omnes illius gravem neceſſitatem nove-

Digitized by Google

verint, ſi a nemine adjuvetur? unde ut advocatus ſciens eximatur ab obligatione, debet eſſe prudenter certus, quod aliquis ſit illi patrocinaturus: Et idcirco S. Thomas 2. 2. q. 72. art. 1. loquens de advocatorum obligatione dicit, quod teneantur ad patrocinium præſtandum, *Cum apparet urgens & evidens neceſſitas, nec apparet in promptu, qui ei ſubveniat.*

Obligatio Advocati reſpectu cauſæ defendendæ.

II. *Advocatus auxilium præſtat ei, & conſilium, cujus cauſæ patrocinatur; unde ſi ſcienter injuſtam cauſam defendit, abſque dubio graviter peccat, & ad reſtitutionem tenetur ejus damni, quod contra juſtitiam per ejus auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter injuſtam cauſam defendit, putans eſſe juſtam, excuſatur ſecundum modum, quo ignorantia excuſari poteſt*, ait S. Doctor 2. 2. q. 71. art. 3. nempe ſi ignorantia fuerit inculpabilis excuſatur; ſi autem vincibilis, & culpabilis, non excuſatur; puta ſi ex defectu debitæ ſcientiæ, examinationis inſtrumentorum, & rationum &c.

Quid reſpectu cauſæ dubiæ?

III. In cauſa criminali dubia non poteſt Advocatus licite tueri partes Actoris, eo quia ſecundum jura reus dubius non poteſt condemnari; ac proinde tuendo partes actoris tueretur injuſtum conatum. In cauſa vero civili dubia, quæ æqualibus circiter fundamentis munitur pro & contra, ſi advocatus defendat clientem jam poſſeſſorem rei, quæ eſt in controverſia, poteſt illum licite defendere: quia in dubio melior, ſecundum jura, cum ſit conditio poſſidentis, tuetur partem, cui jura ſuffragantur. Si vero cliens non ſit poſſidens, non poteſt licite illius patrocinium ſuſcipere: eo quod injuſte velit privare alterum re, quæ ipſi a jure adjudicatur propter majorem titulum poſſeſſionis, quo gaudet. Si demum res a nemine poſſideatur, tunc, expoſita clienti æquali probabilitate, & conſequenter periculo perdendi, poteſt illum tueri: conſultius tamen aget, ſi inducat clientem ad dividendam rem cum altera parte; quia cum jura ſint æqualia, æquitas poſtulat, ut in æquales portiones dividatur.

Quid reſpectu cauſæ minus probabilis?

IV. Quando cauſa clientis eſt dumtaxat probabilis; & illa adverſarii eſt notabiliter probabilior, non poteſt licite advocatus illam aſſumere tuendam, juxta dicta in tract. 1. cap. 1. §. 6. Ratio eſt urgentiſſima; quia indubitabile eſt, judicem teneri judicare juxta probabiliorem, ut definivit Innocentius XI., damnando theſim 2., qua aſſerebatur eſſe probabile, poſſe judicem judicare juxta minus probabilem: certum ſimiliter eſt, clientem illum ideo velle cauſam inſtituere, ut procuret judicem trahere ad judicandum in ſui favorem: certum tandem eſt, advocatum cauſæ illius patrocinantem cooperari efficaciter huic clientis intentioni, & conari, ut trahat judicem ad favendum clienti; atqui injuſta attentatio eſt procurare, ut judex judicet juxta minus probabilem, cum procuretur ut faciat, quod non debet; igitur non poteſt advocatus ſuſcipere patrocinium cauſæ minus probabilis contra notabiliter probabiliorem. Neque dicas clientem, & advocatum jus habere ad exponenda ſua fundamenta judici: nam quamquam habeant hoc jus ad id faciendum hiſtorice, & extra judicium, non tamen illud habent ad ipſum inclinandum, & in judicio. Nec mireris, plures Doctores contrarium docere; quippe qui ſcripſere ante reprobationem indicatæ theſis 2. Sed quidquid ſit de hoc, non bene docent, ut ratio allata convincit.

Ex hos caſuum in quibus Advocatus lethaliter peccat.

V. Advocatus igitur lethaliter peccat, juxta omnes: primo ſi officium aſſumat abſque ſufficienti peritia: ſecundo, ſi cauſam injuſtam defendat: tertio ſi in progreſſu cauſæ ejus injuſtitiam animadvertens, non deſiſtat: quarto, ſi ſecreta clientis revelet: quinto, ſi omittat diligentiam, quam diligentiores adhibere ſolent: ſexto, ſi ob culpabilem tarditatem augeantur expenſæ clientum: ſeptimo, ſi clienti non aperiat pericula cauſæ, qui forte a lite abſtinuiſſet: octavo, ſi utatur falſitatibus in cauſa tractanda: nono, ſi accipiat pretium juſto majus: decimo, ſi injuſtam tranſactionem ſuadeat: undecimo, ſi injuſtis cavillationibus vexet partem adverſam ut plures expenſas faciat: quibus adde duodecimum caſum, nempe ſi cauſam probabilem tueatur contra notabiliter probabiliorem.

Obligationes aliorum miniſtrorum.

VI. Referendarius, ad quem ſpectat fideliter referre collecta, graviter peccat, ſi aliquid ſubſtantiale omittat, aut jus unius partis ita exageret, ut deprimat, aut minuat jus alterius. Notarius ſive Cancellarius, aut quovis alio nomine vocetur ille, ad quem ſpectat conſtruere proceſſum, graviter peccat, ſi illum aut contra ordinem juris conficiat; aut ſi depoſitis a teſte, aut factis partium aliquid addat, vel detrahat; ſi juramentum de ſecreto ſervando violet; ſi alteri tranſcribendum committat cum errandi periculo; ſi non

Mm 2 cuſto-

Digitized by Google

cuſtodiat acta ſcripta cum debita diligentia; & multo magis, ſi illa alteret, aut, loco eorum, alia ſupponat &c. Procurator graviter peccat, cauſam injuſtam aut ſuſcipiendo, aut ſuadendo, ut dictum eſt de Advocato: ſi litem ſtudioſe protrahat; ſi notabiliter negligat illius terminationem; ſi ad injuſtam compoſitionem inducat: ſi cum adverſa parte colludat &c. Satelles, ſeu Apparitor graviter peccat, non obſervando juramentum; monendo ut ſibi caveat ille, quem capere debet; non exequendo, quæ ſibi imponuntur a Tribunali; durius agendo, ut pecuniam extundat, inferendo vim injuſtam, permittendo aſportationem in civitatem rerum vetitarum &c. Reliqua quoad hanc materiam ſunt a Juriſtis, necnon a Legibus Municipalibus petenda.

Poſt expletam tractationem in Præceptum Octavum, ſequi deberent illæ, quæ inſtituuntur in Nonum & Decimum: cum tamen de Nono diſſeruerimus in tr. 2. c. 1. §. 7., nec non in cap. 2. ejuſdem Tractatus §. 3.; & de Decimo diſſeruerimus in Tractatibus 9. & 10.; propterea hic nil addendum ſupereſt circa Decalogum.

Finis Partis Prioris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS
RERUM, ET VERBORUM.

A

ABortus fœtus animati quale peccatum, quandonam cenſendus voluntarius, & quibus pœnis ſubjaceant procurantes. Pag. 324. num. 5. & ſeq.

Abrogatio legis quid, quis valide, quando licite, & quot modis abrogare legem poteſt, p. 52. n. 3. & ſeq.

Accediæ notio, quando mortalis, ejuſdem ſoboles, p. 94. n. 1. & ſeq.

Acceſſio quid, & qualiter per eam acquiratur dominium, p. 354. n. 2.

Actus humanus quid, & quotuplex, p. 95. n. 1. & ſeq. Moralitas actuum humanorum. Vide Moralitas. Actus heroici, & actus interni qualiter eſſe poſſint materia Legis humanæ, p. 38. n. 1. & ſeq.

Actiones forenſes diebus feſtivis prohibentur, p. 296. n. 15.

Accuſatio quid, quis teneatur ex officio accuſare, dum crimen eſt occultum quomodo facienda. Accuſatoris obligationes, p. 537. n. 1. & ſeq.

Adjectio in diem an juſte addatur contractui, p. 508. n. 6.

Adjuratio quid, & quotuplex, conditiones ut adjuratio deprecativa ſit licita, p. 181. n. 12. & ſeq.

Adjurationis imperativæ qualitates, p. 183. n. 14.

Adoratio quid, quinam ejus actus, quæ ſpecies, p. 180. n. 6.

Adulterium quid. Varii modi illud perpetrandi, p. 84. n. 4.

Adulter ad quid teneatur in caſu certo, aut dubio ortus prolis, vel infamiæ mariti innocentis, p. 411. n. 1. & 2.

Adultera quomodo reſtituere, & an aliquando etiam delictum ſuum prodere teneatur, p. 412. n. 1. & ſeq.

Adultus quid ſcire teneatur neceſſitate medii, quid neceſſitate Præcepti, p. 111. n. 1. & ſeq. & p. 113. n. 2. & 3.

Advenæ quando teneantur ſervare feſta loci, ad quem accedunt, p. 291. num. 3. & ſeq.

Advertentia, quæ neceſſaria eſt ad mortale, p. 70. n. 6.

Advocati, Medici, Tutores, ceterique Officiales ex qua culpa juridica teneantur ad reſtitutionem, p. 367. n. 2. Eorundem obligatio tum reſpectu pauperum, tum reſpectu cauſæ tractandæ, p. 546. n. 1. & ſeq. Caſus in quibus lethaliter peccant officium exercendo, ibid. n. 5.

Æquivocationis uſus an licitus, p. 281. num. 7.

Alearnm nomine quid veniat, & quibus alearum ludus ſit interdictus, pag. 519. num. 2. & 3.

Alluvio quid, quot modis eveniat, & qualiter conferat dominium, pag. 353. n. 1. & ſeqq.

Ambitio quid, p. 83. n. 2.

Amentes an ſubdantur legibus, & poſſint induci ad agendum contra legem, p. 46. n. 5.

Amor inordinatus creaturarum qualiter Charitati erga Deum opponatur, pag. 135. num. 1.

Animalia qualiter occupare liceat, p. 346. n. 3. & ſeqq.

Apoſtaſia a Fide in quo conſiſtat, & quomodo Confeſſario exponenda, p. 124. n. 1. & ſeq.

Appellatio a ſententia judicis quando, & quomodo licita, tempus ad appellandum conceſſum, p. 541. n. 12. & ſeq.

Ars notoria quid, & quid ſanatoria, pag. 264. n. 2.

Arrha inter Sponſos quid, & an amittatur non ſecuto matrimonio, p. 445. n. 11.

Aſſecurationis notio, & conditiones ad ejus æquitatem requiſitæ, pag. 526. n. 1. & ſeq.

Aſſentiens damnificationi proximi ad quid teneatur, p. 395. n. 5.

Aſſenſus voluntatis, qui neceſſarius eſt ad

ad mortale, p. 71. n. 7. Aſſenſus voluntatis quotuplex, p. 76. n. 1. Quando extet ſuſpicio occulti aſſenſus circa motus deordinatos, p. 78. n. 6.
Aſpectus impudici quando mortales, pag. 91. n. 22.
Aſſumptio divini nominis in laudem quid, p. 183. n. 15. Vide de Horis Can.
Avaritia quale peccatum, modi illud perpetrandi, ejuſque ſoboles, p. 84. num. 1. & ſeq.
Audire turpia quale peccatum, pag. 91. num. 23.
Augurium quid, quot modis committatur, p. 244. n. 1.

B

BAnnitos ſub pœna capitis quando, & quibus occidere liceat, p. 321. n. 2.
Bellum, quid, & quotuplex, tres conditiones aſſignantur ex S. Thoma ut licitum ſit, p. 156. Recenſentur cauſæ juſtæ indicendi bellum, p. 157. num. 6. Quando a ſuſcepto bello ſit deſiſtendum. ibid. n. 7. & ſeqq. Principibus catholicis juſte contra alios Principes catholicos bellantibus, fœdus inire cum infidelibus aut hæreticis contra eoſdem in praxi illicitum, p. 158. n. 10. Non eſt licitum permittere deprædationem niſi in aliquo caſu, 160. n. 15. Inſidiis non proditoriis bellando uti licitum eſt, ibid. n. 17. Feſtivis diebus bellare licitum, pag. 161. num. 23. Clericis, & Monachis bellare num liceat, pag. 163. n. 29. & ſeq. Vide Principes. Milites. Duces.
Benedicti XIV. Conſt. Duæ contra ſacrilegos Confeſſarios excipere audentes confeſſionem perſonæ complicis in peccato turpi p. 85. n. 9. Propoſitiones quinque de duello ab eodem ſum. Pontif. damnatæ, pag. 165. n. 5. Ex Conſt. laud. Pont. duellantes ſepultura ſacra privantur, etiamſi obtenta prius abſolutione a peccatis, & cenſuris, obierint, pag. 167. num. 11.
Beneficiarius quis dicatur, & quo titulo teneatur ad horas canonicas, pag. 204. n. 1. & ſeq. Poſt poſſeſſionem beneficii ſtatim tenetur ad horas, non vero ante; quid ſi privetur fructibus beneficii temporum, vel hominum injuria; vel fructus ita tenues ſint, ut non ſufficiant congruæ ſuſtentationi, pag. 205. n. 3. & ſeq. Beneficiarius manualis quo tempore teneatur ad horas, p. 207. n. 13. Si reſideat Beneficiarius extra locum ſui beneficii, vel ſi plura habeat beneficia in diſtinctis Eccleſiis quomodo ſe gerere debeat in perſolutione horarum, p. 211. n. 2. Diſpenſatus ab horis ſine juſta cauſa invalide utitur tali diſpenſatione, p. 218. n. 9. Non recitans horas qualiter reſtituere teneatur, p. 219. n. 1. & 2. Reſtitutio eſt facienda ante omnem ſententiam judicis correſpondenter ad illud onus, quod omiſſum fuit, p. 220. n. 3. Recitans in Choro cum voluntaria diſtractione; vel non canens abſque juſta cauſa an peccet, & reſtitutioni teneatur, p. 221. num. 5. & 6. Quibus dandæ, vel retinendæ diſtributiones præcipue propter abſentiam, ibid. n. 7. & ſeqq. Beneficiariorum obligationes, p. 233. n. 1. & ſeqq. Beneficiarii duplici titulo charitatis & juſtitiæ erogare tenentur quod ſupereſt eorum congruæ ſuſtentationi in opera pietatis, p. 237. n. 5. & ſeqq. Congruæ ſuſtentationis nomine quid intelligatur pag. 241. num. 6.
Beneficii notio, & diviſio, p. 225. n. 1. & ſeq. Conditiones requiſitæ in eo, cui conferendum eſt beneficium, pag. 229. n. 1. & ſeq. Modi conſequendi beneficia, p. 226. n. 1. & ſeq. Quinam dicatur indignus, quiſve dignus ad beneficium, p. 230. num. 1. Dignior ſemper promovendus etiam ad beneficia ſimplicia: cui reſtituere teneantur, & qualiter peccent indignum promoventes, ib. n. 2. & ſeqq. Non poſſunt retineri plura beneficia reſidentiam poſtulantia, neque duo ſimplicia ſufficientia, p. 232. n. 1. Qua ratione amittantur beneficia, p. 242. num. 1.
Beſtialitas quid, & quomodo in Confeſſione exponenda, p. 89. n. 18.
Blaſphemia quid, & quotuplex, p. 249. n. 1. Quænam reducantur ad blaſphemiam ſimplicem, p. 250. n. 2. An admittat parvitatem materiæ, & quid de frequenti uſurpatione nominis Jeſu, ibid. n. 3. & ſeq.
Bona fides requiſita ad præſcribendum; qualis ejus effectus, p. 359. n. 1. & ſeq.
Bona derelicta, quando talia cenſenda, & cujus ſiant, p. 350. n. 5. & ſeq.
Bona ſpiritualia proximi quando præferenda bonis temporalibus noſtris, p. 137. n. 4. & ſeq.

Bona

Digitized by Google

Bona temporalia in triplici ſenſu dicuntur neceſſaria, p. 148. n. 2. Ex quibus bonis teneantur ſub præcepto eleemoſinam erogare. Vide Eleemoſina.

C

Cambium quid, & quotuplex, p. 479. n. 1. Lucrum ex Cambio quando licitum, p. 480. n. 3. & ſeq. Quid de cambio manuali ſeu minuto, & locali, ſeu per litteras, p. 481. n. 1. & ſeq. Affertur Bulla Pii V. & exponitur, p. 483. n. 7. & ſeq.

Calumniatorem falſa calumnia gravare, neque occidere licet, p. 328. n. 1. & ſeq.

Canonici ſub mortali tenentur in Choro alta voce canere, p. 208. n. 1. quando mortaliter peccent voluntarie abſentes, p. 209. n. 4. Recitantes cum voluntaria diſtractione num ſatisfaciant obligationi chorali, & reſtitutioni obnoxii fiant, ibid. n. 5.

Capellani collativarii tenentur ad horas, fiant, p. 207. n. 11.

Capitulum, ſede vacante, quid poſſit circa collationem beneficiorum, p. 226. n. 2.

Carnes comedere diebus vetitis in regionibus infidelium, an liceat? pag. 118. num. 9.

Caupones quæ ratione reſtitutioni teneantur ob receptionem quarumdam perſonarum ad potandum, ludendum ec. pag. 595. n. 8.

Cenſus notio, diviſio, & juſtitia naturalis, p. 484. n. 1. & ſeq. Injuſtitia cenſus redimibilis a Cenſualiſta, p. 485. n. 4. & 5. Cenſus vitalitius quid, & an licitus, 486. n. 6. Quid de juſtitia naturali cenſus perſonalis. Ibid. n. 1. & ſeq. Nonnullæ difficultates, quæ paſſim circa cenſus occurrunt, reſolvuntur, p. 488. n. 1. & ſeq. juſtitia cenſus, ſpectato jure Eccleſiaſtico, p. 489. n. 1. & ſeq.

Ceſſatio Legis quid, quando eveniat tum in communi, cum in particulari, pag. 51. n. 1. & ſeq.

Charitas erga Deum, eius objectum; an extet, & quando per ſe, vel per accidens obliget præceptum Charitatis, p. 131. n. 1. & ſeq. Ut opera ſint meritoria, requiritur aliquis actus charitatis, quo ſaltem virtualiter dirigantur ad gloriam Dei, p. 133. n. 1. & ſeq. Vitia charitati Dei oppoſita, p. 134. n. 1. & ſeq.

Charitas proximi ad quid obliget? p. 135. n. 1. & ſeq. Ordo diligendorum cadit ſub præcepto; quinam ordo ſervandus in dilectione proximi? p. 136. n. 1. & ſeq. Quid circa dilectionem inimicorum? p. 139. n. 1. & ſeq. Vitia charitati proximi oppoſita, p. 155. n. 1. & ſeq.

Chyrographa nondum maturata quomodo emenda? p. 499. n. 16. & ſeq.

Circumſtantiæ humanorum actuum quot, & quænam; quomodo transfundant novam ſpeciem in actus, p. 65. n. 7.

Ciborum decoctio, & alia hujuſmodi an vetita diebus feſtivis? p. 293. n. 6.

Clerici an & quando teneantur legibus civilibus, p. 55. n. 16. Eis interdicitur negotiatio, p. 492. n. 2. Alearum ludus, p. 519. n. 2. Abortum procurantes quibus ſubjiciantur pœnis? p. 324. num. 5.

Coactio qualiter differat a violentia, pag. 97. num. 2.

Codicillus quid, ejuſque conditiones, p. 455. n. 1. & 2.

Coadjutores Canonicorum non tenentur ad horas canonicas, bene vero ad Officium Beatæ Virginis, ſi penſionem percipiant, p. 207. n. 14.

Collatio libera beneficii quid, & quibus competat jus conferendi, p. 226. n. 2.

Columbaria tenere an licitum, & quomodo, 346. n. 4. & 5.

Commenda quid, quotuplex, p. 263. n. 6. Qualiter vendi poſſit, ibid. n. 7.

Commendatarius qualiter teneatur ad horas, p. 207. n. 12.

Commiſſarius teſtamenti quis, ejuſque obligationes, p. 459. n. 1. Commiſſarius venditoris, & emptoris ad quid teneatur, p. 509. n. 1. & ſeq.

Commiſſoriæ legis pactum venditioni additum an licitum, p. 507. n. 5.

Commixtio quid, & qualiter per eam acquiratur dominium: nonnulli reſolvuntur caſus, p. 354. n. 3. & ſeq.

Commodatum quid. Commodantis, & commodatarii obligationes, p. 532. n. 1. & ſeq.

Compenſatio occulta quibus poſitis conditionibus licita eſſe poſſit, p. 372. num. 1. & ſeq. Caſus nonnulli reſolvuntur, pag. 374. n. 4. & 5.

Commutatio in votis a quibus, & qualiter facienda, p. 199. n. 19. & ſeq.

Communicatio cum infidelibus quotuplex, & quo-

Digitized by Google

& quomodo licita, p. 119. n. 1. & ſeq. Quid de famulis chriſtianis Infidelium, vel Hebræorum, ibid. n. 2. & 3.

Compoſitio inter litigantes circa beneficia quando ſimoniaca, & quot modis eveniat, p. 267. n. 4. & ſeq.

Concauſæ damnorum quot, & qualiter cooperari debeant, ut reſtitutioni teneantur, p. 391. n. 1. & ſeq. Ex concauſæ poſitivæ quando teneantur ad totum, quando ad partem damni, p. 396. n. 10. Quid de cauſis negativis, ibid. n. 1. & ſeq. Quo ordine cauſæ tum poſitivæ, tum negativæ reſtituere teneantur, p. 397. n. 1. & ſeq.

Concupiſcentia quid, & quotuplex, quando augeat, vel minuat voluntarium, p. 100. n. 1. & ſeq. Motus concupiſcentiæ quando ſint peccata, p. 102. n. 3.

Conductio quid, p. 510. n. 1. Quando conductor expelli poſſit a locatore ante tempus, p. 511. n. 2. Conductoris obligationes, p. 514. n. 1. & ſeq.

Confeſſarius cum pœnitente turpiter peccans. Pœnæ & animadverſiones Benedicti XIV. contra Confeſſarios ſacrilegium hocce attentantes, vel complicis confeſſionem excipere audentes, p. 85. n. 9.

Confuſio quid, & quomodo per eam acquiratur dominium; nonnulli reſolvuntur caſus, p. 354. n. 3. & ſeq.

Confeſſio Fidei quando facienda, p. 115. n. 7. & ſeq.

Congruæ ſuſtentationis nomine pro beneficiario quid intelligatur, p. 241. n. 16.

Conjugatis qualiter competat poteſtas irritandi vota viciſſim, p. 194. num. 5. Conjugum donationes quandonam irritæ, p. 443. n. 4. & ſeq.

Conſcientiæ notio, multiplex diviſio, ejuſque obligatio, p. 1. n. 1. & ſeq. Operans ex conſcicientia malum dictante in confuſo lethaliter peccat, p. 2. n. 8.

Conſcientiæ erroneæ diviſio, ejuſque varius obligandi modus, p. 1. n. 1. & ſeq. Agens ex conſcientia erronea invincibili probabilius poteſt bene agere, &, ſi adſint requiſita, etiam meritorie, p. 4. n. 6. Conſcientia dubia: Vide dubium.

Conſilians damnum proximi ad quid teneatur, p. 394. n. 3. & ſeq.

Conſiliarius ex qua culpa juridica teneatur, p. 368. n. 4. Conſiliario Teſtatoris quid incumbat, p. 458. n. 1. & ſeq.

Conſuetudo quid; conditiones requiſitæ ad eandem inducendam, & quaſnam leges valeat abrogare, p. 56. n. 1. & ſe.q

Primi inducentes conſuetudinem an peccent, p. 57. n. 6. Conſuetudo peccandi non efficit peccatum minus voluntarium, p. 62. n. 9. & 10.

Contemptus legis quando adeſſe cenſeatur, p. 72. n. 10. Non obedire legibus ex contemptu eſt lethale, p. 36. n. 12.

Contentio quid, & quando mortalis, p. 155. n. 2.

Contractus natura, ac multiplex diviſio, p. 432. n. 2. & ſeq. Nonnulla obſervanda circa contractum, qui dicitur modificatus, p. 433. n. 8. & ſeq. Quænam voluntas, & aſſenſus requiratur in contrahente. Cauſæ invalidantes contractum, p. 434. n. 1 & ſeq. Contractus materia, obligatio, ac requiſita in ſubjecto ad contrahendum, p. 437. n. 1. & ſeq. Contractus quandonam invalidi defectu ſolemnitatum a jure præſcriptarum, p. 438. n. 1. & ſeq. Contractus trium contractuum quid; an licitus, p. 476. n. 1. & ſeq.

Contumelia quid, & quando mortalis, p. 413. n. 3.

Cooperatio peccato alterius. Conditiones requiſitæ, ut cooperatio remota, & materialis non ſit illicita, p. 173. n. 19. & 176. n. 25. Non licet ſuadere peccatum minus grave ad impediendum gravius; neque licet offendiculum ponere ad experiendam probitatem proximi, p. 174. n. 20. & ſeq. in caſu neceſſitatis quivis petere poteſt actionem honeſtam ab illo, qui, ſi velit, abſque peccato præſtare poteſt, p. 175. n. 23. Cooperari detractioni alterius quando grave, p. 424. n. 1. & ſeq. Cooperantes uſurario quinam dicantur p. 471. n. 3. & 4. Eorundem obligationes, p. 472. num. 3.

Correptio fraterna quid, & quotuplex, p. 142. n. 1. Eſt in præcepto; quos afficiat; requiſita ut obliget ſub mortali, ibid. n. 2. et ſeq. Quo tempore, et quibus circumſtantiis tum ex parte corripientis, tum perſonæ corripiendæ facienda ſit correptio, p. 144. n. 6. et ſeq. Ordo in correptione ſervandus, ibid. n. 1. Publica peccata publice corripienda; quandonam crimen occultum immediate denunciari poſſit Superiori tanquam Patri, ibid. n. 2. et ſeq. Quid de e. Regularibus circa crimina redundantia in dedecus propriæ Religionis, p. 146. n. 6. et ſeq.

Crimen falſum, communiter tamen creditum

Digitized by Google

ditum verum, revelare, vel nondum a judice publicatum manifeſtare an liceat, p. 420. n. 5. et ſeq. Ejus, qui famam recuperavit præterita crimina referre, aut oblivioni tradita commemorare an liceat, p. 421. n. 8. et ſeq. Crimen quot modis fiat notorium, p. 419. n. 1.

Culpa juridica quid et quotuplex, quomodo a culpa theologica diſtinguatur, p. 365. n. 1. Ubi nulla culpa theologica, ibi nulla reſtitutionis obligatio extra contractum, p. 366. n. 2. Ubi culpa venialis, et damnum ſit grave, quid agendum, ibid. n. 3. Obligatio reſtituendi ex culpa juridica, p. 367. num. 1. et ſeq.

Curatoris obligationes quoad perſonam, et bona Minoris, p. 317. n. 1. et ſeq. De bonis Minoris decentes eleemoſinas facere poteſt, p. 154. n. 21.

D

DAmnum emergens quando et qualiter ſit juſtus titulus aliquid exigendi ſupra ſortem, p. 462. n. 1. et 2. Damna ab offenſore illata an teneamur remittere, p. 140. n. 5. Dubitans de damno illato, vel qui ponit actionem non ex ſe damnum inferentem, ex qua damnum alteri ſequutum fuit, an teneatur reſtituere, p. 382. n. 8. et ſeq. Damna bello illata contra præſcriptum Principis ab inferentibus reſarcienda p. 159. num. 13.

Debitorum varia ſunt genera, et quo ordine ſolvenda, p. 403. n. 1. et ſeq. Debitorum ſolutio neceſſaria ad ſalutem, et qualiter peccet debita non ſolvens, cum poſſit, p. 364. n. 2. et ſeq.

Decalogi nomine quid veniat, et quot ſint ejuſdem præcepta, p. 108.

Decima quid, p. 181. n. 9.

Deflorator virginis quando, quomodo, et quibus reſtituere teneatur, p. 408. n. 1. et ſeq. Quid de eo, qui defloravit ſub promiſſione matrimonii, p. 409. n. 5. et ſeq. Si voto caſtitatis ſit obſtrictus, quando fama puellæ eſt periclitatura, ad quid teneatur, p. 411. n. 11.

Delectatio peccaminoſa, p. 76. n. 1. et ſeq. Quid ſit delectari de objecto, quid de cogitatione objecti, p. 78. n. 7. Delectatio ſuam ſpeciem ſumit nedum ab objecto, verum etiam a circumſtantiis p. 79. n. 8. Delectatio de malo ob bonum effectum, ita etiam de malo jure naturæ vetitio abſque malitia formali patrato illicita eſt, ibid. n. 9. & ſeq. Delectari de malo, & triſtari de bono proximi, quando peccatum, p. 80. n. 11. & ſeq.

Delirantes, qui non ſunt perpetuo amentes, tenentur legibus, p. 47. n. 6.

Dæmonum invocatio quotuplex, p. 244. num. 2.

Denunciatio quid, et quando facienda, p. 537. n. 1. et 2.

Depoſitum quid, et quotuplex, varii modi tradendi depoſita, ac depoſitarii obligationes, p. 530. n. 1. et ſeq.

Derogatio legis quid, p. 52. n. 3.

Deſiderium peccaminoſum quid, p. 76. n. 1. Deſiderare malum ſub conditione ſi malum non eſſet quando illicitum; deſiderare ſibi mortem quando peccatum, p. 81. et ſeq.

Deſperatio quale peccatum, quando hæreſi admiſceatur, an admittat parvitatem materiæ, duæ præcipue recenſentur deſperationis cauſæ, p. 130. n. 1. et ſeq.

Detractio quale peccatum, ejus gravitas unde deſumenda, p. 417. n. 1. et ſeq. Quænam neceſſitas a peccato excuſet revelantem occultum crimen alterius, p. 422. n. 1. et ſeq. Audiens detractionem qualiter peccet: modus ſe gerendi, ne eidem quis audiendo cooperetur, p. 424. n. 1. et ſeq.

Detractoris obligationes; modi quibus reſarcienda eſt fama proximi, p. 425. n. 1. et ſeq. Cauſæ excuſantes a debita, et ulteriori famæ reſtitutione, p. 426. n. 1. et ſeq.

Devotio quid, quænam ejus cauſæ, p. 180. n. 4.

Diffamatio per verba vel facta. Vide detractio.

Directio ſaltem virtualis a charitate procedens, neceſſaria ad merendum: qualiter interrumpatur hæc directio, p. 133. n. 1. et ſeq.

Diſcipulorum obligationes erga Magiſtros, p. 319. n. 3.

Diſcordia quid, et quando mortalis, p. 155. n. 1.

Diſpenſatio Legis quid, ad quos ſpectet diſpenſare; an inferior poſſit in lege ſuperioris p. 54. n. 1. et ſeq. Ad licite diſpenſandum requiritur cauſa, ſine qua diſpenſatio, quamvis valida, tamen peccaminoſa, nec ea ſubditus ſine peccato uti poteſt, et ſtutatur, pœnas humanas

non

non incurrit, p. 54. n. 5. & ſeq. Sine cauſa petens diſpenſationem peccat; petitio ſubreptitia, & obreptitia vitioſa. Quandonam ceſſante cauſa, ipſa quoque diſpenſatio ceſſet, ibid. n. 9. & ſeq.
Diſputare cum infidelibus quibus, & qualiter licitum, p. 116. n. 10.
Diſtributiones quibus debeantur. Vide Beneficiarius.
Divinatio quid, quotve modis committatur, p. 244. n. 1. & ſeq.
Dolus in contractu quid, & quomodo invalidet contractum, p. 435. n. 2. & ſeq.
Doctorum auctoritas unde deſumenda pro opinionum firmitate, p. 11. n. 4. Eorum numerus veritati opinionis modice confert, p. 16. n. 23.
Dominorum obligationes erga famulos, p. 318. n. 3. & ſeqq. Quomodo ipſis competat famulorum vota irritare, p. 195. num. 6.
Dominium quid, ejuſque variæ ſpecies, p. 340. n. 2. & ſeq. Quinam dominii ſint capaces, p. 341. n. 1. & ſeq. Dominii materia, p. 345. n. 1. & ſeq. Varii modi acquirendi dominium, p. 346. n. 1. & ſeq.
Domum locare meretrici an licitum, p. 176. n. 26.
Dona facta conferenti ſpiritualia quando ſimoniaca, p. 272. n. 18.
Donatio quid, & quotuplex, p. 441. n. 1. & ſeq. Requiſita ad valorem donationis mortis cauſa, p. 432. n. 5. & 6. Quis donare poſſit, & quinam dona acceptare, p. 443. n. 1. & ſeq. Quid circa donationes conjugum, quandonam irritæ cenſeantur, ibid. n. 4. & ſeq. Donationes inter ſponſos quando validæ, p. 444. n. 9. & 10. Donata filio a patre quando ſint filii, & quando computanda in portione hæreditatis, p. 445. n. 1. & ſeq. Quantum donari poſſit inter vivos, & an bonorum omnium donatio valida ſit, p. 446. n. 1. & ſeq. Cauſæ juſtæ revocandi donationem, p. 447. num. 1. & ſeq.
Dubitatio de bonitate proximi quid; levibus nixa motivis quando mortalis; levia motiva quænam cenſenda, p. 415. n. 4. & ſeq.
Dubium quid, multiplex ejus diviſio, p. 6. n. 1. Habens conſcientiam dubiam qualiter ſe gerere debeat. Vera explicatio axiomatis, melior eſt conditio poſſidentis, p. 8. n. 11. & ſeq.
Dubium de rebus fidei quotuplex, dubitans quando infidelis cenſendus; p. 121. n. 3. & ſeq.
Duces exercitus quibus in caſibus graviter peccent, p. 162. n. 26. Civitatem captam, vel capiendam militum deprædationi tradentes illicite agunt, niſi ex urgentiſſima cauſſa, p. 160. n. 15.
Duellum quid & quotuplex, omne duellum jure naturali vetitum, p. 164. n. 1. & ſeq. Modus evadendi notam timiditatis in viro militari; nonnulli caſus reſolvuntur, p. 165. n. 4. & ſeq. Propoſitiones quinque damnatæ a Benedicto XIV. p. 166 n. 5. Duellantium pœnæ ab Eccleſia inflictæ, ibid. n. 8. & ſeq. Nova pœna a laudato Sum. Pont. inflicta carendi ſepultura Eccleſiaſtica, etiamſi obtenta prius abſolutione a peccatis & cenſuris obierint, p. 167. n. 11. Pœnæ contra duellantes extenduntur ad quoſcunque complices, & etiam ſpectatores, ibid. n. 10. Quandonam vulnerans, vel occidens in duello teneatur ad damna, p. 430. n. 10.

E

Ebrii an teneantur legibus, pag. 47. num. 6.
Eccleſiæ violatio quot modis eveniat, p. 252. n. 5. & ſeq. Eccleſiæ Cathedrales & Collegiatæ tenentur quotidie horas in Choro perſolvere, p. 203. n. 3.
Electio ad beneficium quid, quot modis fiat, & quænam requirantur ad ejus valorem, p. 227. n. 4.
Eleemoſinæ notio. Extat præceptum divinum de eadem facienda, p. 148. n. 1. Varius neceſſitatis gradus conſiderandus tum quoad perſonas indigentes, tum quoad bona eroganda, ibid. n. 2. & ſeq. Ordo ſervandus tum in bonis elargiendis tum in perſonis ſublevandis, p. 150. n. 5. & ſeq. Quid dicendum de iis, qui magnum cenſum congregant, modicum, dum vivunt, indigentibus erogantes, ut in opera pia, vel pauperibus poſt mortem omnia relinquant, p. 153. n. 16. Quibus competat eleemoſinas facere, ibid. n. 17. & ſeq.
Emphyteuſis natura, conditiones, ac variæ Emphyteuræ obligationes, p. 516. n. 1. & ſeq.
Emptio quid, & quando perficiatur, ſaltem quoad ſubſtantiam, p. 490. n. 1. Res empta cui pereat, vel fructum afferat,

Digitized by Google

ſerat, ibid. n. 2. & p. 505. n. 1. & ſeq. Pacta emptioni adjecta quænam & quomodo licita, p. 506. n. 1. & ſeq.
Emptoris obligationes, p. 504. n. 1. & ſeq. Emens bona fide rem furtivam qualiter ſe gerere debeat, p. 378. n. 4. & 5. Qui redimit rem furtivam amici qualiter redintegrandus, p. 379. n. 6.
Epiſcopus an poſſit diſpenſare, vel commutare vota peregrinorum, & viatorum, p. 50. n. 11. in quibus legibus poſſit diſpenſare, p. 53. n. 2. & ſeq. Poteſt pro ſua Diœceſi feſta de præcepto inſtituere, p. 289. n. 3.
Epiſtolas alienas legere, quale peccatum, p. 423. n. 4.
Error quomodo invalidet contractum, p. 434. n. 3.
Evictio quid, ejuſdemque varia obligatio juxta varios contractus; p. 508. num. 9. & ſeq.
Executor teſtamenti quotuplex; obligationes tum quoad contenta in teſtamento, tum quoad celeritatem exequendi, p. 458. n. 1. & ſeq.

F

FAma quid, & quot modis læditur tum actibus exterioribus, tum interioribus, p. 413. n. 1. & ſeq. Ejus, qui famam recuperavit, præterita crimina oblivioni tradita commemorare an liceat, p. 421. n. 8. & ſeq. Obligatio, & modus reſtituendi famam, p. 425. n. 1. & ſeq. Cauſæ excuſantes præfatam reſtitutionem, p. 426. n. 1. & ſeq. Fama propria quomodo, & quando cadat ſub dominio, p. 345. n. 2. & ſeq.
Famulorum, & ancillarum obligationes erga dominos ſuos, p. 318. n. 1. & ſeq. Quid de eorundem diſceſſu intempeſtivo, p. 319. n. 6. Famuli qualiter teneantur cuſtodire res, ad quas ſpecialiter deputantur, p. 397. n. 5. Famuli & ancillæ an poſſint de bonis dominorum eleemoſinas facere, p. 154. n. 19. Famuli locantes operas ſuas concubinariis, aut concubinis quando peccent, p. 177. n. 27. & ſeq. Quid obſervandum circa Chriſtianos famulos infidelium, p. 119. n. 3. Famuli comitantes herum infidelem ad ſua ſacra quomodo ſeſe gerere debeant, p. 118. n. 4.
Feſta ſanctificandi quale tempus, eademque inſtituere quis poſſit, p. 289. n. 1. & ſeq. Qualiter, & quos obliget præceptum feſti ſervandi, p. 290. n. 1. & ſeq. Opera vetita diebus feſtis, p. 292. n. 1. & ſeq. Opera impoſita diebus feſtis. Vide Miſſa. Cauſæ excuſantes opera ſervilia, p. 297. n. 1. & ſeqq.
Feudum quid, quomodo amittatur; & quid poſſit Feudatarius, p. 517. num. 1. & ſeq.
Fides theologalis quid, eius objectum, p. 109. n. 1. Multiplex Fidei acceptio; & in quibus reperiatur, diſquiritur, p. 110. n. 2. & ſeq. Fides unius Dei Auctoris, & Remuneratoris ſupernaturalis; item Incarnationis, & Trinitatis, eſt de neceſſitate medii, p. 111. n. 1. & ſeq. Qui hæc miſteria ignorat incapax eſt abſolutionis, ac proinde confeſſiones cum hac ignorantia factæ ſunt repetendæ, p. 112. n. 5. & ſeq. extat divinum ſpeciale præceptum de Chriſtiana Fide habenda, p. 113. n. 1. Quænam credenda de neceſſitate præcepti, ac quibus temporibus per ſe, vel per accidens hocce præceptum obliget, ibid. n. 2. & ſeq. Quandonam fides ore confitenda, p. 115. n. 7. & ſeq. p. 117. n. 1. Quoſnam obliget profeſſio fidei ex præcepto Eccleſiæ, p. 115. n. 9. & ſeq. Diſputatio de rebus fidei viro laico an & quando licita, p. 116. n. 10. Negare exterius fidem nunquam licitum, ſimulare vero aliquando licet, p. 117. n. 1. & ſeq. Sacris & concionibus hæreticorum intereſſe non licet, ibid. n. 3. Quid de famulis comitantibus herum ſuum p. 118. n. 6.
Fidei commiſſum quid, & quotuplex, p. 453. n. 3.
Fidei juſſionis notio, et conditiones ſeptem ad ejus valorem, p. 527. n. 1. et ſeq.
Fictio juris quid, p. 49. n. 10.
Filiorum obligationes erga parentes: ad quid teneantur ex capite amoris, p. 310. n. 1. et ſeq. Ad quid titulo obedientiæ, p. 311. n. 4. Ad quid teneantur circa electionem ſtatus, ibid. n. 6. Ad quid ex reverentia, p. 312. n. 8. Eorundem obligationes erga conſanguineos majores, p. 317. §. 3. n. 1. Filiorum bona varii generis; eorum dominium circa hujuſmodi bona, p. 341. n. 1. et ſeq. Filiis ex quibus bonis liceat eleemoſinas facere, p. 153. n. 18. Quid poſſint circa ludos, p. 519. n. 5.
Finis præcepti quotuplex, p. 293. num. 4. Finis extrinſecus legis non cadit ſub

præ-

Digitized by Google

præcepto, niſi expreſſe jubeatur, p. 42. n. 6. Finis malus additus actioni juſtæ non impedit impletionem præcepti, p. 43. n. 7. Circumſtantia finis quomodo præ ceteris addat moralitatem actui humano, p. 105. n. 6.
Fœdus inire cum infidelibus, et hæreticis contra Principem Catholicum in praxi illicitum, p. 158. n. 10.
Fœneratoris obligationes, et pœnæ, p. 472. n. 1. et ſeq.
Fœtus animatio quando ſequatur: in Abortu culpabili ſemper præſumitur maſculus, p. 324. n. 5.
Fornicatio quid: eſt intrinſece mala, p. 84. n. 2. et 3.
Fructuum rerum frugiferarum tria a juriſtis recenſentur genera, p. 378. n. 2.
Fucos mulieribus vendere an illicitum, p. 491. n. 4.
Fuga in perſecutione fidei quando licita, p. 117. n. 4.
Furtum quid; quænam dici poſſit materia gravis, p. 369. n. 1. et ſeq. Qui modica uni vel pluribus furatur qualiter peccet, et reſtituere teneatur, p. 370. n. 3. et 4. Qualiter peccent, et reſtituere teneantur qui communi conſenſu, vel abſque conſpiratione alicui modica furantur, p. 372. n. 5. et 6. Res furto ablata, ſi pereat, ſecundum quem valorem reſtituenda, p. 381. n. 4.

G

Genitorum obligationes erga liberos tum quoad educationem corporalem, tum quoad ſpiritualem, p. 313. n. 1. et ſeq. Obligationes eorum quoad exemplum, et quoad correptionem p. 315. n. 7. et 8. Erga naturales et ſpurios ad quid teneantur, et qualiter peccent hoſpitali exponentes, p. 316. n. 9. et 10.
Gula quid, quando mortalis: modi, quibus committitur, ejuſque ſoboles, p. 92. n. 1. 2. et 3.

H

Habitus auget malitiam peccati, p. 61. n. 8. et ſeq.
Hæredum varia genera, et quo ordine ſibi ſuccedant, p. 455. n. 2. et ſeq. Renunciatio hæreditatis quando valida, p. 460. n. 1. et ſeq.
Hæreſis quid? quænam requirantur ad eam incurrendam, p. 120. n. 1. et ſeq. Dubium fidei quotuplex; dubitans quando nam cenſendus hæreticus, p. 12. n. 4. Quotuplex ſit hæreſis, ibid. n. 15. Pœnæ temporales, & ſpirituales hæreticorum ac præcipue de requiſitis ad incurrendam excommunicationem, p. 112. n. 6. & ſeq. Quis poſſit ab hæreſi, & cenſura abſolvere, p. 123. n. 10.
Herus, Vide Dominus.
Hiſtorici qualiter peccent aliorum occulta crimina evulgando, p. 421. n. 10.
Hypocriſis quid, p. 84. §. 3. n. 3.
Hypotheca quid, & quotuplex, p. 528. n. 1. & ſeq. Hypotecantis, & Hypothecarii obligationes, ibid. §. 3. num. 1. & ſeq.
Homicidii notio, & diviſio, p. 320. n. 1. & ſeq. Ex homicidio caſuali quando incurratur culpa, p. 334. n. 1. & ſeq. Vide Occiſio.
Homicida injuſtus quid debeat occiſo; ejus neceſſariis conjunctis, & creditoribus, p. 428. n. 1. & ſeq. Aliæ obligationes, & caſus expenduntur, p. 429. n. 5. & ſeq. Quænam cauſæ excuſent a reſtitutione propter homicidium, p. 431. n. 1. & ſeq.
Honor quid, p. 413. n. 1. Et qualiter læſus reſarciatur, p. 426. n. 7.
Horæ canonicæ quid; quique ad illas teneantur, p. 202. n. 1. & ſeq. Obligatio eaſdem in Choro perſolvendi quos, & qualiter afficiat, p. 203. n. 3. & 4. Numerus requiſitus ad ſatisfaciendum Choro, p. 204. n. 5. An ad horas canonicas teneantur Beneficiarii: an ante poſſeſſionem beneficii: an ante perceptionem fructuum: an etiam pro beneficio inſufficienti, p. 204. n. 1. & ſeq. Pro quibus miniſteriis ſubeatur onus horarum, p. 206. n. 8. & ſeq. An ſatisfaciat ſuæ obligationi privatæ qui ſubmiſſe dicit in Choro partem ſuam, p. 208. n. 2. Omiſſio horæ choralis in Eccleſiis Collegiatis eſt lethalis, p. 209. n. 3. Ad ſatisfaciendum obligationi chorali requiritur attentio interna; quid de eo, qui aliquid omittit, vel non percipit, an is ſupplere teneatur, ibid. n. 5. & 6. Tempus recitandi horas pro Cathedralibus, & Collegiatis, p. 210. n. 7. Quo Breviario uti teneatur quisquis in recitatione privata, p. 211. n. 1. Ad quod officium teneatur qui in uno loco habitat, & in alio beneficium habet; tum qui

Digitized by Google

qui duplex habet beneficium in diverſis Eccleſiis, ibid. n. 2. & 3. An liceat celebrare Miſſam ante perſolutas Matutinas, p. 212. n. 6. Mutare Officium, vel invertere ordinem horarum an liceat, ibid. n. 4. & ſeq. Omittens omnes horas unius diei quot peccata committat, p. 214. n. 11. Matutinum a Laudibus ſejungere licet in recitatione privata, in publica vero ſtandum conſuetudini: interruptio quando lethalis, p. 213. n. 7. & ſeq. Alterna recitatio quomodo facienda, & qua integritate, quantave omiſſio eandem lædat, ibid. n. 9. & ſeq. Quænam intentio requiratur, p. 216. n. 19. De perſolvente horas ſine animo ſatisfaciendi, ibid. n. 20. Quo tempore, quo loco, qua voce, qua attentione ſint perſolvendæ, ibid. n. 12. & ſeq. Quænam diſtractio cenſeatur notabilis, p. 215. n. 18. Cauſæ excuſantes a recitatione horarum, p. 217. n. 1. & ſeq.

I

JActantia quid, & quando gravis, pag. 83. n. 3.

Idololatria quid, & quotuplex, pœnæ contra idololatras, p. 243. n. 1. & ſeq.

Ignorantia quid & quotuplex, p. 102. n. 1. & ſeq. Quando augeat, minuat, vel tollat voluntarium. ibid. n. 4. & ſeq.

Impediens, ne quis conſequatur bonum, ad quod habet jus in re, vel ad rem qualiter peccet, & teneatur compenſare, p. 384. n. 1. & ſeq.

Implantatio quid, & quomodo dominium afferat, p. 355. n. 3.

Impudicitiæ ſpecies quot, earundem expoſitio, p. 89. n. 20. & ſeq.

Impuberes in jure quinam dicantur, p. 437. n. 3.

Inanis gloria ejuſque ſoboles, pag. 83. n. 2. & ſeq.

Inadvertentia quid, & quando ſe habeat ad voluntarium, p. 103. n. 10.

Inceſtus quid, & quot modis perpetretur, p. 85. n. 5. Inceſtus ſpiritualis, ibid. n. 6. Vide Sacrilegium venereum.

Inconſideratio quid & qualiter ſe habeat ad voluntarium, p. 103. n. 10.

Inædificatio legalis quid, & quomodo dominium afferat, p. 354. n. 1.

Infamatio per verba aut facta. Vide detractio.

Infamatus in uno genere, an in aliis quoque infamari poſſit, p. 419. n. 10. Infamatus juſte in uno loco, an poſſit ignorantibus ejuſdem, aut diverſi loci manifeſtari, p. 420. n. 3. & 4.

Infans in jure quis dicatur, p. 437. n. 3.

Infidelitas quid, & quotuplex, pag. 118. n. 1. & ſeq.

Infideles quando teneantur Legibus Eccleſiæ, p. 47. n. 7.

Ingreſſus Religionis an excuſet ab onere reſtituendi, p. 406. n. 3. Quid de ceſſione hæreditatis ob ingreſſum Religionis, p. 460. n. 3.

Inimicorum dilectio: extat præceptum affirmativum de dilectione inimicorum; quando obliget hujuſmodi præceptum, p. 139. n. 2. & ſeq. Vide Odium. Offenſa.

Injuria quid, & quotuplex, p. 140. n. 4. & p. 362. n. 1. An teneatur offenſus injuriam remittere, p. 140. n. 5. Qualiter volenti, & conſentienti non fiat injuria, p. 363. n. 3.

Inſidiæ in bello quomodo licitæ, p. 160. n. 17. & ſeq.

Interpretatio legis quid, & quotuplex, p. 52. n. 1. & ſeq.

Inventor rerum deperditarum ad quid teneatur, p. 352. n. 1. Si non inveniatur dominus, cui applicanda res inventa, ibid. n. 2. & 4. Inventor compenſandus pro expenſis, & labore. Quid de muneris promiſſione, ibid. n. 3. & 5.

Invidia quale peccatum: quando triſtari de bono, vel gaudere de malo proximi ſit peccatum. Invidiæ ſoboles, pag. 92. n. 1. & ſeq.

Ira quale peccatum, quando mortalis, ejuſque ſoboles, p. 92. n. 1. & ſeq.

Irritatio legis quid, p. 52. n. 3. Irritare vota ad quos ſpectet, p. 194. n. 3. & ſeq.

Iter agere diebus feſtis an vetitum, pag. 293. n. 11.

Judex qua ſcientia pollere, & qualiter ſe gerere debeat in omnibus officii ſui muneribus, p. 534. n. 1. & ſeq. Reſolvitur caſus de eo, qui ſcientia privata innocens cognoſcitur, juridice tamen probatur reus, p. 323. n. 2. & ſeq.

Judicium de bonitate proximi quid, pag. 415. n. 4. Temerarium quando lethale, p. 414. n. 1.

Juramenti notio, p. 181. n. 11. Conditiones, ac multiplex diviſio, p. 278. n. 1. & ſeq. Veritas in juramento aſſertorio indiſpen-

diſpenſabilis; Theſes quatuor reprobatæ ab Innocentio XI. p. 279. n. 4. & ſeq. Judicium requiſitum ad licite jurandum, quando nimia frequentia jurandi lethalis ſit, p. 281. n. 1. & ſeq. Juſtitia in juramento requiſita, ejuſdem defectus quando mortalis, p. 282. n. 1. & ſeq. Obligatio juramenti promiſſorii; qualis defectus circa rem promiſſam lethalis cenſendus, p. 283. n. 1. & ſeq. Juramentum additum contractui ſequitur naturam contractus, p. 284. n. 4. Ficte jurare quale peccatum, & quid de juramento injurioſe extorto, ibid. n. 1. & ſeq. Caſus, in quibus juramentum non obſtringit, p. 285. n. 1. & ſeq. Quandonam liceat ab alio juramentum petere, p. 287. n. 1. & ſeq Quot modis ſolvatur obligatio juramenti, p. 288. n. 1. & ſeq.

Juriſdictio quid, & quotuplex, pag. 340. num. 3.

Jus quid, ejus diviſio, & quæ ſpecies juris realis, ibid. n. 1. & ſeq. Jus gentium, & jus civile quid ſint, & unde deriventur, p. 32. n. 1. & 2.

Jus patronatus quid: in quantum affert poteſtatem præſentandi ad beneficium vendi non poteſt, p. 256. n. 6. Fundus, cui jus patronatus eſt adnexum qualiter vendi poſſit, p. 262. n. 5. Quanto tempore præſcribi poſſit, p. 362. n. 6. vide Præſentatio.

Juſtitia virtus Cardinalis definitur: ejus officium ac medium ſpeciale diſtinctum a medio aliarum virtutum exponitur, p. 336. n. 1. & ſeq. Juſtitiæ diviſio, p. 337. n. 4. Graviter violatur diſtributiva ſimul, & commutativa eligendo ad officia ſecularia notabiliter minus dignos, p. 338. n. 6. & ſeq. Obligatio reſtituendi ex violatione juſtitiæ diſtributivæ, p. 337. n. 5.

L

Legatum quid: quænam & quibus legari poſſint, p. 453. n. 3. & ſeq. Varius modus inſtituendi legata, & præcipue de conditione contrahendi, vel non contrahendi matrimonium, p. 454. n. 6. & ſeq. Quid de Legato incerto, & indeterminato circa perſonam, vel circa rem, p. 459. n. 2. & ſeq.

Legere turpia quale peccatum, p. 91. n. 23.

Legitima portio ex hereditate quid ſit, & quibus de cauſis Liberi legitima privari poſſint, p. 190. n. 5.

Lex generatim, quid, & quotuplex, p. 24. n. 1. & ſeq. Lex æterna, p. 26. n. 1. Lex divina naturalis prout eſt in Deo, ibid. n. 2. Lex naturalis in homine, p. 27. n. 1. Ejus diſtinctio a ſyndereſi, & conſcientia, ibid. n. 3. & ſeq. Quænam ad legem naturalem pertineant, & quomodo communis ſit apud omnes homines, p. 28. n. 7. & ſeq. Lex naturalis immutabilis, & neque a Deo proprie diſpenſari poteſt, p. 29. n. 10. & ſeq. Qualiter indelebilis ſit, & an invincibiliter ignorari poſſit, pag. 31. n. 13. & ſeq.

Lex humana quotuplex, ejuſque conditiones, p. 32. n. 3. & ſeq. An obliget in conſcientia, & qualiter, ibid. n. 1. & ſeq. Legum pœnalium diſtinctio, earumque obligatio, p. 33. n. 3. & ſeqq. Quot modis pœna a lege inſligatur, & qualiter luenda, p. 34. n. 8. & ſeq. Leges humanæ quando obligent cum gravi damno, & an lethale ſit eiſdem non obedire ex contemptu, p. 35. n. 10. & ſeq. Leges in præſumptione fundatæ qualiter obligent, p. 36. n. 13. & ſeq. Subditi tenentur legem a Principe latam acceptare; quid in dubio de juſtitia legis, p. 37. n. 17. & ſeq. Materia legis, ac modus debitus eandem adimplendi, pag. 38. n. 1. & ſeq. Qui poſuit actionem juſſam ignorando legem, non tenetur iterum ponere, p. 40. n. 3. Violavit legem qui advertenter impedimentum poſuit adimpletioni legis, p. 44. n. 13. & ſeq.

Subjectum legis humanæ, p. 45. n. 1. & ſeq. Quomodo & quando Princeps teneatur legibus a ſe latis, p. 46. n. 2. An pueri, amentes, & ebrii delirantes teneantur legibus, ibid. n. 4. 5. & 6. An infideles non baptizati ſubjiciantur legibus Eccleſiæ. An & quando peregrini, & viatores teneantur legibus locorum, p. 48. n. 8. Non licet exire territorio, in quo eſt lex ſolo fine ab ea ſe eximendi, p. 49. n. 9. Quando quis teneatur tempus prævenire, ut impleat legem, p. 50. n. 13. & ſeq.

Liber prohibitus, liber hæretici, liber hæreticus quid ſignificent. Clauſula Bullæ Cœnæ Domini de hæreticorum libris expenditur, p. 124. n. 1. & ſeq.

Locatio quid, ejus materia, p. 510. n. 1. & ſeq. Quibus rationibus diſſolvatur, aut

Digitized by Google

aut prorogetur locatio, p. 511. n. 1. & ſeq. Locator quando teneatur diminuere, aut remittere conductori ſtatutam penſionem, p. 513. n. 2. & ſeq. Quid circa augmentum penſionis pro re locata, p. 514. n. 7. Aliæ Locatoris obligationes recenſentur, ibid. n. 1. & ſeq.
Lucrum ob actionem peccaminoſam. Vide mercedes.
Lucrum pro actione ex debito præſtanda non poteſt retineri, p. 390. n. 1. & ſeq.
Lucrum ceſſans eſt juſtus titulus exigendi in mutuo aliquid ſupra ſortem, p. 463. n. 3. & 4. Conditiones requiſitæ ad juſtitiam hujus tituli, p. 464. n. 5.
Ludi notio, diviſio, moralitas, & materia, p. 518. n. 1. & ſeq. Tenentes domos ludo vetito dicatas, vel eidem ludo operam dantes, qualiter peccent, ibid. n. 1. & ſeq. Quid de exponentibus non ſua, & de Filio familias, p. 519. n. 4. & ſeq. Modi ludendi illiciti, & de æqualitate peritiæ in ludentibus, p. 520. n. 1. & ſeq. Ad quid teneatur qui fraudulenter, aut ludo vetito ludens lucravit, p. 522. n. 1. & ſeq.
Luxuria quid, quale peccatum, quænam ejus ſpecies, ejuſque ſoboles, p. 84. n. 1. & ſeq.

M

MAgia quid, & quotuplex, p. 246. n. 1. & ſeq.
Magiſtrorum obligationes erga diſcipulos, p. 319. n. 1. & ſeq. Quid de Magiſtris divertere conantibus juvenes ab aliorum ſcholis, p. 385. n. 6.
Magnates, & Nobiles quid obſervare teneantur circa ſilentium ſuorum creditorum, p. 400. n. 3.
Major in jure quiſnam dicatur, p. 437. num. 3.
Majores conjuncti erga Minoribus ad quid teneantur, p. 318. n. 2.
Maleficium quid, & quotuplex, quale peccatum, & quomodo licite tolli poſſit, p. 246. n. 3. & ſeq.
Malefactorum occiſio quibus competat, p. 210. n. 1.
Mancipiorum jura quænam: an vendens ſeipſum in mancipium fugere poſſit, p. 345. n. 4. An fugere poſſint mancipia bello capta, p. 346. n. 5.
Mandans damnificationem proximi ad quid teneatur, p. 393. n. 1. & 2. p. 398. n. 2.
Mandatum, Italice *Commiſſione*, quid, mandantis, & mandatarii obligationes, p. 533. n. 1. & 2.
Medicorum obligationes, ex qua culpa juridica reſtitutioni teneantur, pag. 367. num. 2.
Maritus qualiter poſſit irritare vota uxoris, p. 194. n. 5. Non licet eidem uxorem in adulterio deprehenſam occidere, p. 221. n. 3.
Merces ultroneæ qualiter, & quoadusque viloſcant, p. 496. n. 4. & 5. Mercis melioritas an pretium augere poſſit, & an licitum ſit merci optimæ alias viliores miſcere, p. 498. n. 11. & 12.
Mercedes exhibitæ ad patrandum peccatum quandonam reſtitui, vel retineri poſſint, p. 387. n. 1. & ſeq.
Metus quid, & quotuplex, p. 97. n. 1. & ſeq. Quomodo ſe habeat ad voluntarium in actibus bonis, malis, & civilibus, p. 98. n. 5. & ſeq. Lex naturalis, & poſitiva quando deſinant metuentem obligare: vota, contractus, & juramenta metu facta quomodo valida, p. 99. n. 9. & ſeq. & p. 426. num. 5. & ſeq.
Milites ad quid teneantur ante bellum, in bello, & in muneribus, ſuis, p. 161. n. 25. & ſeq. Varii caſus, in quibus milites graviter peccant, p. 162. n. 26.
Minor in jure quiſnam dicatur, p. 437. n. 3. An poſſit, inconſulto curatore eleemoſinas facere, p. 154. n. 21. & quid donare, p. 433. n. 2.
Miſſa audienda diebus feſtis, p. 299. n. 1. & ſeq. Quænam requiratur adſiſtentia, p. 302. n. 2. Cauſæ excuſantes ab auditione Miſſæ, p. 305. n. 1. & ſeq. Impeditus ab ea audienda an teneatur per alia opera pietatis ſupplere, p. 306. n. 4. Miſſam celebrare non perſolutis Matutinis lethale non eſt, p. 212. n. 6.
Mollities quale peccatum. Directe vel indirecte procurare illicitum, p. 88. n. 15. Mollities in ſomno quando peccatum, ibid. n. 16.
Monopolium, quid, & quot modis committatur, p. 499. n. 1. & ſeq. Publica conceſſione factum quas conditiones poſtulet, p. 501. n. 4. Monopolium monopolio retundere an liceat, ibid. n. 6.
Mons pietatis quid, conditiones ut licitus ſit, p. 470. n. 1. & ſeq.
Mora in reſtituendo quam obligationem pariat, p. 386. n. 1. & ſeq.
Moralitas actuum humanorum in quo conſiſtat,

ſiſtat, p. 103. n. 1. Quot ſint ſpecies moralitatis: non datur actus indifferens in individuo, p. 104. n. 2. & ſeq. Moralitas deſumitur etiam ex circumſtantiis. Unus, & idem actus duplicem oppoſitam moralitatem habere nequit, p. 105. n. 5. & ſeq. Actus exterior, & effectus ab ipſo procedentes an malitiam, vel bonitatem addant actui exteriori, p. 106. n. 8. & ſeq.
Mohatra contractus quid; an & qualiter licitus, p. 468. n. 1.
Motus ſenſualitatis quando, & quomodo reprimendi: indifferenter circa ipſos ſe habere non licet, p. 76. n. 2. & ſeq. Quando inculpate permitti poſſint, p. 77. n. 4. & ſeq.
Mulier quando peccet inverecunde ſe ornando, vel præter ſuam conditionem, p. 171. n. 15. & ſeq.
Mutilatio facta, ſive permiſſa in ſe ipſo quandonam peccaminoſa. p. 333. n. 5.
Mutilator injuſtus ad quid teneatur, p. 428. n. 1. & 2. Cauſæ excuſantes a reſtitutione, p. 431. n. 1. & ſeq.
Mutuum in damnificatione proximi ad quis, & ad quid teneatur, p. 396. n. 1. & ſeq.
Mutuum quid, nonnulla notanda circa res mutuo datas, p. 460. n. 1. & ſeq. Obligationes mutuatoris, & mutuatarii, p. 461. n. 5. & ſeq. Tituli exigendi in mutuo aliquid ſupra ſortem, p. 462. n. 1. & ſeq. Mutuum petere ab uſurario quando liceat, p. 470. n. 1. & 2. Pœna impoſita ei, qui in mora eſt reſtituendi mutuum licita eſt, certis poſitis conditionibus, p. 470. n. 4.

N

Nativitas legaliter ſumpta quid, & quomodo dominium afferat, p. 355. num. 4.
Neceſſitas quid & quotuplex, pag. 111. num. 1.
Neceſſitatis proximi gradus varii recenſentur, p. 148. n. 2. Qualiter pro diverſitate neceſſitatis proximo ſit ſubveniendum. Vide eleëmoſina. Quænam neceſſitas licitum reddat aliena ſurripere, p. 375. n. 1. & ſeq. Ad quid teneatur qui in extrema neceſſitate aliena ſurripuit, p. 151. n. 9. & pag. 375. num. 4. & ſeq.
Negotiatio quid, quomodo licita, & quibus vetita, p. 491. §. 3. n. 1. & ſeq.
Non obſtans, non manifeſtans in damnificatione proximi quinam ſint, & ad quid teneantur, p. 396. n. 1. & ſeq.
Nundinæ diebus feſtis an vetitæ, pag. 296. n. 15.

O

Oblatio quid p. 181. n. 8.
Oblivio quid, & qualiter ſe habeat ad voluntarium, pag. 103. n. 10.
Obreptitia diſpenſatio quid, & quando invalida, p. 55. n. 10.
Occiſio directa innocentis nunquam licita, quid de indirecta, p. 322. n. 1. In bello juſto licita eſt, p. 159. n. 13. Malefactorum, præſcriptorum, & Tyrannorum occiſio quando, & quibus liceat, p. 321. n. 2. & ſeq Innocens legaliter probatus reus an occidendus, p. 323. n. 2. & ſeq. Occiſio injuſte invadentium vitam, honorem, famam, pudicitiam an & qualiter liceat, p. 328 n. 1. & ſeq. Quid de invaſore bonorum temporalium, p. 330. n. 1. & ſeq. Quid ſignificet occidere cum moderamine, p. 327. n. 3. Occiſio ſui ipſius quale peccatum p. 332. n. 1. & ſeq. Occiſoris obligationes. Vide Homicida.
Occulta compenſatio. Vide compenſatio.
Occupatio legaliter ſumpta quando & quorum conferat dominium, p. 346. num. 1. & ſeq. Quid circa theſaurum ignotum, p. 349. n. 1. & ſeq.
Odium Dei quid, & quotuplex: & quale peccatum, p. 134. n. 1. & ſeq.
Odium proximi quid, & quotuplex; nunquam poteſt proximus odio haberi pag. 139. n. 1. & ſeq.
Offenſa quid: remittenda eſt ex corde ab offenſo; injuriæ tamen & damni petere poteſt redintegrationem, p. 140. n. 4. & ſeq. Modus reconciliationis ineundæ, p. 141. n. 1. & ſeq.
Offenſi, & offenſoris obligationes, ibidem n. 3. & ſeq.
Omiſſio quid: actus qui ſunt cauſa omiſſionis qualiter inficiantur malitia ejuſdem: modus eoſdem in confeſſione aperiendi, p. 74. n. 7. & ſeq.
Omiſſionis reatus quando incipiat, pag. 75. num. 4.
Opera ſervilia. Vide Feſta.
Operans ex conſcientia dictante malum in con-

Digitized by Google

confuſo qualiter peccet, p. 2. n. 8. Quid de operante ex conſcientia erronea ſive vincibili, ſive invincibili, p. 3. num. 1. & ſeq.
Opinio quid, p. 2. n. 4. Probabilior qualiter diſtinguatur a tutiori et rigoroſa, p. 10. n. 2. Abuſus in ſeligendis opinionibus, ibid. n. 3. An liceat ſequi opinionem probabilem in concurſu probabilioris cognitæ ut talis, p. 11. n. 7. & ſeq.
Opinio de bonitate proximi quid, p. 413. n. 4. Temeraria quando mortalis, p. 414. n. 2.
Orationis notio, actus, & neceſſitas, p. 180. n. 5.
Ordo in dilectione proximi ſervandus tum circa perſonas, tum circa bona p. 136. n. 1. & ſeq.
Ordines ſuſcipere intuitu proventuum beneficii ſimoniacum, p. 271. n. 16. Pœnæ in ſimoniacam collationem, & ſuſceptionem Ordinum, p. 276. n. 5.

P

PAlpo in damnificatione proximi, quis & qualiter reſtituere teneatur, p. 395. n. 6.
Parentibus qualiter conveniat irritare vota filiorum, p. 194. n. 4. Quid de donatione filio facta a Patre, p. 445. n. 1. & ſeq.
Parochi tenentur pro ſuis ovibus orare, & ſaltem omnibus feſtivis diebus ſacrificium pro iiſdem offerre, p. 233. n. 3. Aliæ eorundem obligationes recenſentur, p. 234. n. 4.
Participans in damnificationem proximi, quis, & qualiter reſtitutioni teneatur, p. 395. n. 9.
Paſſio vehemens. Vide concupiſcentia.
Patris obligationes. Vide Genitorum Ejuſdem poteſtas circa vota, & donationes. Vide Parentibus.
Patrinorum obligationes reſpectu filiorum ſpiritualium, p. 317. §. 2. n. 1. Pauperes ficti nequeunt retinere ſibi data, p. 441. n. 2.
Peccati natura, ejuſque multiplex diviſio, p. 69. n. 1. & ſeq. Unde deſumenda peccatorum ſpecifica diſtinctio, p. 64. n. 1. Eorundem numerus, p. 67. n. 1. & ſeq. Peccati mortalis, & venialis natura, p. 69. n. 1. & ſeq. Explicatur gravitas materiæ ad mortale requiſita, p. 70. n. 4. Quænam advertentia requiratur, ibid. n. 6. Quinam conſenſus voluntatis, p. 71. n. 7. Quomodo mortale evadere poſſit veniale, & e contra, p. 72. n. 10. Multitudo venialium æquilibrare nunquam poteſt mortale; maxime vero ad illud diſponere, p. 73. n. 11. & ſeq. Quid peccatum commiſſionis, & omiſſionis, p. 74. n. 1. & ſeq. Actus, qui malitia omiſſionis inficiuntur, quomodo, & quando confitendi, ibid. n. 3. Quando incipiat omiſſionis reatus, p. 75. n. 4. Peccata interna. Vide Delectatio. Deſiderium. Quid ſignificet, peccatum mortale eſſe ex toto, vel non ex toto genere ſuo, p. 70. n. 5. Peccatum feſtis diebus commiſſum an inter opera ſervilia præfatis diebus vetita recenſendum, p. 292. n. 2. & ſeq.
Penſio laicalis, & clericalis exponitur, p. 206. n. 9. Conditiones requiſitæ, ut quis valide, & licite penſionem clericalem accipiat, p. 230. n. 11. Quomopo amittantur penſiones, p. 242. n. 2. Qualiter vendi queant, p. 262. num. 3. Penſionarii an teneantur ad Horas, p. 206. n. 9.
Peregrini tenentur legibus loci, in quo verſantur, p. 48. n. 8. Peregrinorum vota an ab Epiſcopo loci, in quo verſantur, diſpenſari, vel commutari poſſint, p. 50. n. 11.
Periculum extrinſecum ſortis eſt juſtus titulus aliquid in mutuo exigendi ultra ſortem, certis poſitis conditionibus, p. 464. n. 7. & ſeq. Permutatio beneficii quid, qualiter facienda, pluraque ad ejus valorem requiſita, p. 228. n. 8. & p. 267. n. 2.
Permutare rem ſpiritualem cum alia ſpirituali an ſimoniacum, p. 264. n. 9.
Perplexitas quid, & quotuplex: habens conſcientiam perplexam qualiter ſe gerere debeat, p. 6. n. 1.
Pertinacia requiſita ad Hæreſim, p. 120. n. 1. & 2.
Philtrum amatorium quid, p. 246. n. 3.
Piſtio legaliter ſumpta quid, & quomodo per eam acquiratur dominium, pag. 355. n. 2.
Pignoris notio, ejuſque diſcrimen ab hypotheca, p. 528. n. 1. Oppignerantis, & Oppigneratarii obligationes, ibid. §. 3. n. 1. & ſeq.
Pingere acu, vel penicillo diebus feſtis an vetitum, p. 294. n. 10.
Piſcari diebus feſtis qualiter vetitum, p. 295. n. 13.

Pœna quot modis infligatur, & qualiter circa illam reus ſe gerere debeat, pag. 34. n. 8. & 9.
Pollicitatio quid, & qualiter obliget, p. 439. n. 4.
Pollutio carnalis. Vide Mollities.
Poſſeſſio quid, p. 340. n. 2. Quotuplex, p. 355. n. 2. Poſſeſſio reſpective ad tempus multiplex, p. 361. n. 2. Poſſeſſio requiſita ad præſcribendum, p. 359. n. 5. & ſeq.
Poſſeſſor bonæ fidei quid reſtituere teneatur tum quoad rem, tum quoad fructus rei, p. 377. n. 1. & ſeq. Emens bona fide rem furtivam qualiter ſe gerere debeat, & an furi eandem reſtituere poſſit, p. 378. n. 4. & ſeq. Poſſeſſor dubię fidei ad quid teneatur, p. 379. n. 1. & ſeq. Poſſeſſor malæ fidei quis dicatur, ejuſque obligationes expenduntur, p. 380. n. 1. & ſeq.
Poſtulatio ad beneficium quid, pag. 227. num. 5.
Poteſtas dominativa quibus conveniat in ordine ad vota ſive rata habenda, ſive irritanda, p. 193. n. 2. & ſeq.
Poteſtas juriſdictionis ordinaria, & delegata exponitur, ac modus utendi poteſtate delegata, pag. 197. num. 10. & ſeq.
Præbenda Beneficii quid, & qualiter invendibilis, p. 261. n. 1. & 2.
Precarium quid, p. 533. n. 6.
Præceptorum naturalium ordines, p. 27. n. 5. Modus ſatisfaciendi præcepto affirmativo, & negativo. Satisfit præcepto ponendo actionem cum intentione expreſſa contraria, p. 40. n. 1. & ſeq. Quandonam unico actu ſatisfiat pluribus præcepis, vel unico eodemque tempore per plures actus, p. 43. n. 8. & ſeq. Qui non poteſt totum opus præceptum implere, ad quid teneatur. Quid dum plura concurrunt præcepta, quæ ſimul ſervari nequeunt, p. 43. num. 11. & ſeq.
Prægnans infirma qualiter ſe gerere debeat circa remedia ſumenda, p. 325. n. 6. & ſeq.
Præſcriptio quid, p. 355. n. 1. An valorem habeat in foro conſcientiæ, p. 356. n. 1. & ſeq. Res a præſcriptione exemptæ. p. 357. n. 4. Titulus, qui ad præſcribendum requiritur, p. 358. n. 1. & ſeq. Bona fides neceſſaria eſt ad præſcribendum, p. 359. n. 1. & ſeq. Dubium ſuperveniens poſſeſſioni inchoatæ, & error vincibilis tam juris, quam facti præſcriptionem interrumpunt, vel impediunt, ibid. n. 3. & ſeq. Tempus requiſitum ad præſcribendum mobilia, & immobilia, plura hic prænotantur, pag. 361. n. 1. & ſeq. Remedia contra præſcriptionem, p. 362. n. 9.
Præſentatio ad beneficium quid, pluraque notanda circa jus præſentandi, & modum inſtituendi præſentatum, pag. 226. n. 3.
Præſidentes tenentur nedum corrigere ſubditorum peccata, verum etiam de iiſdem inquirere, p. 143. n. 3.
Præſtimonium quid, & an Præſtimoniati teneantur ad Horas, p. 206. num. 10. Præſtimonium vendi non poteſt abſque Simonia, p. 262. n. 4.
Præſumptio in lege humana quotuplex, & quam obligationem afferat, pag. 36. n. 13. & ſeq.
Præſumptio ut vitium ſpei oppoſitum quale peccatum: quando eidem admiſceatur hæreſis, & an admittat parvitatem materiæ, p. 130 n. 1. & ſeq.
Pretium rerum quid, & quotuplex, pag. 495. n. 1. Motiva licite alterandi rerum pretia, ibid. n. 3. & ſeq. Quid de pretio rerum carentium pretio, & rerum ſubhaſtatarum: fraudes uſitatiores in hoc vendendi modo recenſentur, pag. 496. n. 6. et ſeq. Dilatio ſolutionis an & quando ſufficiat ad augendum pretium: quid de pretio affectionis, & quando licitum: caſus nonnulli reſolvuntur, p. 497. n. 9. & ſeq. De pretio chyrographorum, p. 499. n. 16. & ſeq. De pretio taxato ex Monopolio. Vide Monopolium.
Princeps quando, & quomodo teneatur legibus a ſe latis, pag. 46. num. 2. & ſeq. Qualiter ſe gerere debeat bellum indicendo, p. 156. n. 2. & ſeq. A bello ſuſcepto deſiſtere tenetur, plena redintegratione oblata, p. 158. n. 8. & ſeq. Fœdus inire cum Infidelibus, aut Hæreticis contra Principem catholicum in praxi illicitum, ibid. n. 10. Caſus, in quibus graviter peccat bellando, p. 162. n. 27. An poſſit Princeps feſta de præcepto inſtituere, p. 200. n. 4.
Privilegium quid, & quotuplex: a quo concedi poſſit, ac modus eo utendi, p. 58. n. 1. & ſeq. Explicandorum privilegiorum regulæ, & modi, quibus amittantur privilegia, recenſentur, ibid. n. 4. & ſeq.

Pro-

Digitized by Google

Probabilitas quid, & quotuplex, pag. 11. n. 4. Probabiliſmi ortus, & Probabilioriſmi ætas longe antiquior, pag. 16. n. 24. Probabiliſmi fundamenta evelluntur, ac probabilioriſmi ſententia firmatur, p. 11. n. 7. & ſeq.
Profeſſio Fidei ex præcepto Eccleſiæ quoſnam obliget, p. 115. n. 9.
Promiſſionis notio, & conditiones requiſitæ, p. 439. n. 1. & ſeq. Promiſſio liberalis qualiter obliget, ibid. n. 5. & ſeq. Promiſſionis obligatio quando ceſſet, & quænam a jure irritæ cenſeantur, p. 441. n. 1. & ſeq.
Promulgatio requiſita ut lex obliget, p. 25. num. 4. Lex naturalis qualiter promulgata ſit, p. 26. n. 1.
Pubes in jure quiſnam dicatur. p. 437. num. 3.
Publicitas criminum quotuplex, p. 419. n. 1. Quando excuſet a detractione, p. 420. n. 3. & ſeq.
Pueri quando teneantur legibus, pag. 46. num. 4.
Pupillus in jure quiſnam dicatur, & quid poſſit circa contractus, p. 437. n. 3. & ſeq. An inconſulto tutore eleemoſinas erogare poſſit, p. 154. n. 21.
Pudicitia qualiter defendi poſſit contra injuſtum invaſorem, pag. 329. num. 3.

R

RApina quid, pag. 369. num. 1.
Raptus quid, quotuplex, & quale peccatum, p. 87. n. 11.
Receptor damnificationis quis, & quando reſtituere teneatur, p. 395. n. 7.
Regulares qualiter gaudeant poteſtate vota ſecularium commutandi, non tamen diſpenſandi, p. 198. n. 15. Quando teneantur legibus civilibus, p. 51. n. 16. Vide Religioſi.
Regulæ morum quot, & quænam, p. 1. n. 1.
Religio virtus moralis definitur: ejuſdem excellentia, & multiplex actus explicantur, p. 179. n. 1. & ſeq. Vitia eidem oppoſita quot, & quænam, pag. 243. n. 1. & ſeq.
Religioſi qualiter obligentur horas canonicas in Choro perſolvere, & quid de iis, qui frequenter abſunt abſque juſta cauſa, pag. 203. n. 4. Religioſus ſciens peccatum carnale alicujus alumni, aut crimen redundans in præjudicium famæ ſuæ Religionis quid agere teneatur, p. 146. n. 6. & ſeq. An ipſis liceat eleemoſinas facere, & quomodo, p. 154. num. 20.
Repræſaliæ quid: licitæ ſunt, ſi quinque conditionibus aſſocientur, p. 160. n. 22.
Reſignatio Beneficii quid, quot modis fiat, ac conditiones requiſitæ, ut facta in favorem tertii, vel ſub onere valida ſit, p. 227. n. 6. & ſeq. & p. 267. n. 2.
Reſtitutionis natura, & neceſſitas, p. 363. n. 1. & ſeq. Radices, ex quibus naſcitur reſtitutionis obligatio, p. 364. n. 1. & ſeq. Ex qua culpa oriatur obligatio reſtituendi. Vide Culpa. Mora in reſtituendo quam obligationem pariat, pag. 386. n. 1. & ſeq. Accepta ob actionem peccaminoſam an reſtituenda, pag. 387. n. 1. & ſeq. Cooperantes, vel non impedientes damnum proximi ad quid teneantur. Vide Concauſæ. Reſtitutio cui facienda, quo tempore, & quo loco, p. 399. n. 1. & ſeq. Quinam ordo ſervandus in reſtitutione bonorum temporalium, ac varia debitorum genera, p. 403. n. 1. & ſeq. Cauſæ excuſantes reſtitutionem bonorum temporalium, vel dilationem reſtitutionis, p. 405. n. 1. et ſeq. Obligatio, et modus reſtituendi famam, p. 425. n. 1. & ſeq. Cauſæ excuſantes præfatam reſtitutionem, pag. 426. n. 1. & ſeq. Obligatio reſtituendi ob damna vitæ, & corpori illata per occiſionem, mutilationem, vulnerationem &c. pag. 428. n. 1. & ſeq. Cauſæ excuſantes a præfata reſtitutione, pag. 431. n. 1. & ſeq. Quænam reſtitutio facienda ab eo, qui modis injuſtis aliquem ab ingreſſu Religionis, vel ab ea profitenda retraxit, p. 178. n. 32. Damna bello illata contra præſcriptum Principis ad quos ſpectet compenſare, pag. 159. n. 12. Obligatio reſtituendi ob Simoniæ delictum, p. 276. n. 1. & ſeq.
Reſtrictio pure mentalis ſemper illicita. Theſes reprobatæ ab Innoc. XI. p. 279. n. 5. Realis externa, & ab æquivocatione immunis qualiter licita, p. 280. n. 6.
Retractus gentilitius, Italice *Recupera*, quid, & qualiter licitus, p. 508. num. 7. & 8.
Retrovenditionis pactum an licitum, pag. 506. n. 1. & ſeq.
Reus in Judicio ad quid teneatur tum quoad crimen fatendum, tum quoad pœnam ſubeundam, p. 539. n. 1. & ſeq.
Rixa quid, & quando mortalis, p. 155. n. 2.

Digitized by Google

S

SAcerdotes Græci, & Latini quoad ſuos ritus non ſubduntur legibus locorum, p. 50. n. 12.
Sacrificium quid, p. 181. n. 7.
Sacrilegium quid, & quotuplex, quibuſque modis committatur, p. 250. n. 1. & ſeq. Sacrilegium venereum, & decreta contra ipſum, p. 85. num. 7. & ſeq.
Saltare diebus feſtis, an vetitum, p. 295. n. 12.
Scandalum quid, & quotuplex, p. 167. n. 1. & ſeq. Recta intentio non excuſat à ſcandalo, quando actio ſpeciem mali præfefert, p. 168. n. 5. Quænam opera bona occultari, differri, vel omitti debeant propter ſcandalum, ibid. n. 6. & ſeq. Nonnulla obſervatu digna circa œconomiam ponendæ vel dimittendæ actionis non malæ, pag. 170. n. 10. & ſeq. Circa ornatum muliebrem. Vide Mulier. Quoad cooperationem peccato alterius. Vide Cooperatio. Obligationes eorum, qui ſcandalum dederunt, p. 178. n. 29. & ſeq.
Schiſma quid, & quale peccatum. Schiſmaticorum pœnæ, pag. 155. num. 1. & ſeq.
Scrupuloſa conſcientia quid: quænam cauſæ, & quomodo dirigenda, p. 23. n. 1. Scrupulorum damna, & remedia, ibid. num. 2.
Secretum naturale qualiter obliget, pag. 422. n. 1. & ſeq.
Seditio quid, ejuſque gravitas, pag. 155. num. 1.
Sequeſtrum quid, p. 532. n. 7.
Servitus legaliter ſumpta quid, & quotuplex, p. 356. num. 6. & ſeq. Quanto tempore præſcribatur, p. 360. n. 5.
Servus emptitius. Vide Mancipium. Servus conductus. Vide Famulus.
Sigillum naturale. Vide Secretum.
Signorum communium, quæ offenſus inimico exhibere tenetur varia genera, & applicatio varia ad caſus particulares, p. 140. n. 6. & ſeq.
Signorum falſæ Religionis quot genera, qualiſque eorum uſus illicitus, p. 117. num. 1.
Simoniæ notio, ac multiplex diviſio, p. 253. num. 1. & ſeq. Modi committendi Simoniam confidentialem, p. 254. n. 4.
Simoniæ juris divini quæſtiones, & caſus nonnulli reſolvuntur, p. 255. n. 1. & ſeq. Simoniæ juris eccleſiaſtici, ac variæ reſolvuntur quæſtiones de eo, quod circa quædam ſacra eſt invendibile, p. 261. n. 1. & ſeq. Modi ſimoniaci juris Divini, & Eccleſiaſtici circa Beneficia, p. 226. n. 1. Actiones ſimoniacæ circa Permutationem, Reſignationem, Tranſactionem, & Compoſitionem, p. 267. n. 2. & ſeq. An dare ex mera gratitudine, vel ſub ſpe meræ gratitudinis ſit ſimoniacum, p. 270. num. 13. Quomodo Beneficia precibus obtenta ſint ſimoniaca, ibid. n. 14. Neque ob metum licet dare Beneficium, p. 271. n. 15. Quomodo redimere pretio vexationem ſit ſimonia, ibid num. 17. Quando dona ſint cenſenda ſimoniaca, pag. 272. n. 18. Data in ſtipendium ad miniſtrorum ſuſtentationem an poſſint deduci in pactum, pag. 273. n. 19. Simonia ficta peccatum grave eſt, non tamen ſimoniæ, p. 274. n. 20. Quale peccatum ſit ſimonia, ibid. n. 21. Pœnæ, quibus ſimoniaci ab Eccleſia puniuntur, p. 275. num. 1. & ſeq. Quænam reſtituenda ob crimen ſimoniæ, p. 276. & ſeq. Simonia pure mentalis non obligat ad reſtitutionem, p. 277. n. 5. Cui reſtituendi ſint fructus ſimoniace percepti, ibid. num. 6.
Synderesis quid, p. 27. n. 3.
Societatis contractus quid, conditiones requiſitæ, ut ſit licitus, p. 475. n. 1. & ſeq. Contractus triplex. Vide Contractus.
Sortilegium quid, quotuplex, & quando peccaminoſum, p. 245. n. 5.
Sodomiæ ſcelus quid, & quotuplex; quomodo in confeſſione aperiendum, pag. 87. n. 17.
Sortis nomine in contractibus quid veniat, p. 462. n. 1. Contractus Sortis notio, & diviſio: conditiones ut licitus ſit, p. 522. §. 5. n. 1. & ſeq.
Specificatio legaliter ſumpta quid, & quomodo pariat dominium, p. 354. n. 1.
Spectaculorum inſpectio quando peccaminoſa, p. 173. n. 18.
Spes Theologalis, quid, & in quibus inveniatur, p. 128. n. 1. & ſeq.
An & quando obliget ſpei præceptum, p. 129. n. 3. Vitia ſpei oppoſita, pag. 130. n. 1. & ſeq.
Sponſis de futuro non licet delectari de actibus in ſtatu licito habendis, p. 81. n. 13.

Spon-

Digitized by Google

Sponſio quid, & quotuplex: conditiones ut licita ſit, p. 524. n.11. & ſeq.
Spurius quis dicatur, & quid juſte exigere poſſit a genitoribus, pag. 316. n. 9. & ſeq.
Stipendium pro ſpiritualis miniſtri ſuſtentatione quid, & an deduci poſſit in pactum, p. 273. n. 19.
Stuprum quid, & quænam ad illud requirantur. Quæcunque vis illata perſonæ ad peccandum eſt in confeſſione aperienda. Mas non tenetur confiteri amiſſionem ſuæ virginitatis, p. 86. n. 10. Obligationes ſtupratoris. Vide deflorator.
Subhaſtatio vendibilium: fraudes uſitatiores recenſentur, p. 496. n. 7. & 8.
Subreptitium quid ſignificet, p. 55. n. 10.
Superbiæ notio, gravitas, & ſoboles, p. 83. n. 1. & ſeq.
Superiores Regularium habent poteſtatem directam irritandi vota ſuorum ſubditorum, p. 194. n. 3. Superiores præcipue Mendicantium an gaudeant poteſtate ordinaria diſpenſandi in votis ſuorum ſubditorum. p. 197. n. 12. Tenentur ſaltem diebus feſtivis Miſſam appilcare pro ſuis ſubditis, quemadmodum Parochi pro ſuis ovibus, p. 242. n. 17.
Suſpicio de bonitate proximi, quid, pag. 413. n. 4. Temeraria quando mortalis, p. 415. n. 3.

T

TActus impudici quando, & quomodo ſint mortales, pag. 90. n. 21.
Tempus requiſitum ad præſcribendum tam mobilia, quam immobilia, p. 361. n. 1. & ſeq.
Tentatio Dei quale peccatum, & quot modis committatur, p. 249. n. 1. & ſeq.
Theatra quomodo vitanda, p. 173. n. 18.
Theſaurus quid, quomodo acquiratur, et qualiter dividendus, p. 349. n. 1. et ſeq.
Teſtamenti natura, et multiplex diviſio, p. 449. num. 1. et ſeq. Eiuſdem obligatio, p. 450. n. 1. Quid de Teſtamento ad pias cauſas, et de aliis Teſtamentis privilegiatis, p. 452. n. 2. et ſeq. Ad quid teneatur Conſiliarius Teſtamenti, p. 458. n. 1. et ſeq. Ad quid executor. Vide Executor Commiſſarius.
Teſtis in judicio obligationes tum quoad debitum teſtificandi, tum quoad debitum reſtituendi, ſi falſum teſtificetur, p. 542. n. 1. & ſeq. Quinam a teſtimonio ferendo in judicio repellantur. p. 546. n. 12. & ſeq.
Tyrannum occidere num liceat, pag. 321. num. 4.
Titulus ad præſcribendum requiſitus, p. 358. n. 1. & ſeq. Quinam juſti tituli exigendi in mutuo aliquid ſupra ſortem, p. 462. n. 1. & ſeq.
Traditionis nomine quid veniat, p. 32. num. 5.
Tranſactiones in Beneficiis qualiter ſimoniacæ, p. 267. n. 3. 5. & ſeq.
Tranſcribere feſtis diebus an vetitum, p. 294. n. 9. & ſeq.
Triſtari de bono proximi quando peccatum, p. 53. n. 2. Triſtari deliberate de bono opere, p. 84. num. 1. & pag. 82. num. 16.
Turpia canere, loqui, legere, audire quando mortale, p. 91. n. 23.

V

VAna obſervantia quid, quotuplex, & quibus modis committatur, pag. 246. n. 1. & ſeq.
Venari, aut piſcari diebus feſtis an vetitum, p. 295. n. 13. In locis vel modis vetitis nunquam licet, p. 347. n. 7.
Venditio quid, & quomodo perficiatur, p. 490. n. 1. Res eadem, duobus ſucceſſive vendita, cui e duobus pertineat, ibid. n. 3. Materia venditionis quænam, p. 491. n. 1. & ſeq. Perſonæ ad vendendum habiles. Vide Contractus. Negotiatio. Pretium rerum vendibilium; Vide Pretium. Vendentis obligationes, p. 502. n. 1. & ſeq. Vitia rerum vendibilium quando aperienda, ibid. n. 4. & ſeq. Qui occulte ſcit, pretium mercis brevi minuendum, an poſſit eandem illico vendere pretio currenti, p. 504. n. 9. et 10. Fructus, & periculum rei venditæ ad quem ſpectent, p. 505. n. 1. & ſeq. Pacta venditioni adjecta quænam & quomodo licita, p. 506. num. 1. & ſeq. Obligationes Commiſſarii venditoris, vel emptoris, p. 509. num. 1. & ſeq.
Venæ metallicæ, et minerales ad quem ſpectent, p. 352. n. 7.
Veritas in juramento aſſertorio, et promiſſo-

miſſorio quomodo neceſſaria, p. 297. n. 4. et ſeq. et p. 283. n. 1. et ſeq.
Vexationem redimere in concurſu ad beneficium, ſimoniacum eſt, p. 271. n. 17.
Viatores quibus teneantur legibus, p. 48. n. 8. Eorundem vota ab Epiſcopo loci, ubi commorantur diſpenſari, vel commutari poſſunt, p. 50. n. 11. Ad quid teneantur circa feſta loci unde exeunt, vel ad quem accedunt, p. 290. num. 1. et ſeq.
Viduis non licet delectari de actibus in ſtatu licito habitis, p. 81. n. 13. Quomodo diſponere teneantur de dono acceptis a marito defuncto, ſi ad ſecundas nuptias tranſire velint, p. 445. n. 12.
Violentia quid: quomodo minuat, aut tollat voluntarium, p. 97. n. 1. & ſeq.
Vis directiva & coactiva quid, & quotuplex, p. 45. n. 1.
Vitia contra naturam quot & quænam: ſpecie inter ſe diſtinguuntur, pag. 87. n. 12. & ſeq.
Voluntarium quid, & quotuplex: ratio voluntarii verificari poteſt de actu neceſſario. Differentia voluntarium inter, ac liberum, p. 96. n. 1. & ſeq. Cauſæ augentes, minuentes, vel tollentes voluntarium, p. 97. & ſeq. Voluntarii gradus recenſentur, p. 100. n. 1.
Voluntas quot modis ſe gerere contingat circa motus deordinatos: mere negative ſe habere ſemper illicitum, p. 76. n. 2. & ſeq. Quid & quotuplex ſit aſſenſus voluntatis. Vide aſſenſus.
Voti notio, pag. 183. n. 1. Requiſita ad ejus valorem: quid de dubitante an voverit, p. 184. n. 4. & ſeq. Votum ex ignorantia, & metu quandonam irritum, p. 185. num. 8. & ſeq. Voti materia, multiplex diviſio, & obligatio ejuſdem, p. 189. n. 1. & ſeq. Circa votum Religionis quomodo ſe gerere debeat vovens, pag. 190. n. 8. Quo tempore obſervandum ſit votum, p. 191. num. 9. Quot modis tollatur Voti obligatio, p. 192. n. 1. & ſeq. Quibus competat irritare vota, p. 194. n. 3. & ſeq. Quid & quotuplex ſit poteſtas diſpenſandi in votis, & quibus competat, p. 197. n. 10. & ſeq. Commutatio Voti quid: a quibus, & qualiter facienda, pag. 199. n. 19. & ſeq. Vota Papæ reſervata; & conditiones requiſitæ ut talia cenſeantur, pag. 197. num. 10. & ſeq.
Uſucapio. Vide Præſcriptio.
Uſura quid, ejuſdem diviſio, nonnulla obſervanda circa uſuram mentalem, pag. 465. n. 1. & ſeq. Omni jure prohibita, p. 467. n. 6. Caſus uſuræ realis manifeſtæ, ibid. n. 1. & ſeq. Caſus uſuræ palliatæ ſeu virtualis, p. 468. n. 1. & ſeq Cooperantes uſurario quinam dicantur, p. 471. n. 3. & 4. Uſurarum reſtitutio facienda, & a quibus, ibid. n. 1. & ſeq. Uſurariorum pœnæ, p. 472. n. 1. & ſeq. Monitum pro Confeſſariis, ibid. n. 3.
Uſus prout juris ſpecies quid, pag. 355. num. 3.
Uſusfructus quid: varii caſus ex legibus reſolvuntur: quotuplex ſit: & quot modis ceſſet, p. 355. n. 3. & ſeq.
Uxorum bona varii generis: quorum bonorum dominium habeant, p. 343. n. 1. & ſeq. Quid poſſit Uxor circa bona mariti, ibid. n. 3. & ſeq. Quid poſſit erga conſanguineos, p. 344. n. 5. An diſſolvere poſſit locationem a viro factam bonorum dotalium, p. 512. n. 5. Quid poſſit circa eleemoſinas, p. 153. n. 17. Uxori qualiter conveniat irritare vota mariti, pag. 194. num. 5.

Finis Indicis rerum & verborum Primæ Partis.

Digitized by Google

Errata præcipua, quæ in Tomo I. irrepſerunt.

			ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 4	c. 2.	l. 32.	aut	ut
P. 12	c. 1.	l. 27.	appropriare	appropiare
P. 28	c. 1.	l. 14.	donantis	d natis
P. 45	c. 2.	l. 10.	Impediendam ſolvendo	Impediendum a ſolvendo
P. 77	c. 1.	l. 27.	*mortum*	*motum*
P. 79	c. 1.	l. 23.	*cogilato*	*cogitato*
P. 84	c. 2.	l. 40.	*venialis*	*venalis*
P. 114	c. 2.	l. 15.	*eligere*	*elicere*
P. 116	c. 1.	l. 53.	*laca*	*laica*
P. 143	c. 2.	l. 18.	eſt	ex
P. 164	c. 2.	l. 9.	tundæ	tuendæ
P. 167	c. 2.	l. 33.	ortet	optet
		l. 56.	optet defuncti	pro defunctis
P. 168	c. 2.	l. 10.	ſcienter	ſcieute
P. 173	c. 2.	l. 42.	remore	remote
P. 177	c. 2.	l. 54.	differende	differende
P. 199	c. 1.	l. 11.	adeo	audeo
	c. 2.	l. 1.	in ire	in re
P. 209	c. 1.	l. 38.	ad	id
P. 210	c. 1.	l. 43.	qui	quia
P. 213	c. 2.	l. 11.	ſi publica	ſi publica
P. 225	c. 2.	l. 1.	gatione	evagatione
P. 253	c. 2.	l. 14.	mortaliter	moraliter
P. 266	c. 2.	l. 34.	audeat	adeat
P. 277	c. 2.	l. 46.	dominium	dominum
P. 327	c. 2.	l. 9.	ad abſternendum	ad abſterrendum
P. 328	c. 2.	l. 1.	liis	aliis
P. 331	c. 2.	l. 16.	Ballerinius	Ballerinii
P. 351	c. 2.	l. 8.	contra Pontifice	coram Pontifice
		l. 25.	moris	maris
P. 353	c. 2.	l. 52.	dominio	domino
P. 358	c. 1.	l. 28.	qua	quia
P. 385	c. 2.	l. 1.	& ve	& vel
P. 386	c. 2.	l. 53.	dubitor	debitor
P. 393	c. 1.	l. 8.	quodammodo	& quodammodo
P. 408	c. 2.	l. 48.	potentes	parentes
P. 410	c. 2.	l. 27.	ſeductor, quia	Seductor, qui
P. 418	c. 1.	l. 39.	ſecuo	ſecus
P. 421	c. 1.	l. 49.	non vocabit.	non vacabit
P. 443	c. 2.	l. 17.	perpetus	perpetes
P. 446	c. 1.	l. 2.	Præter	Pater
P. 447	c. 2.	l. 17.	quoſi ſi	quod ſi
P. 454	c. 1.	l. 41.	hæres	hæredes
P. 463	c. 1.	l. 1.	rentegret	redintegret
P. 464	c. 2.	l. 48.	*imminenti*	*imminentis*
P. 465	c. 1.	l. 51.	lexi	levi
P. 478	c. 2.	l. 8.	daberet	deberet
P. 514	c. 2.	l. 51.	tedebitur	tenebitur
P. 515	c. 1.	l. 30.	villa	vitia
P. 520	c. 2.	l. 8.	*non poterit*	*quo poterit*
P. 525	c. 1.	l. 46.	cum unius ſolus	cum unus ſolus
		l. 52.	qui	quia
P. 530	c. 2.	l. 28.	obervandis	obſervatis
P. 532	c. 1.	l. 39.	quia in tali Eccleſia	quia in tali caſu Eccleſia
. 534	c. 2.	l. 31.	*inſtitui*	*inſtituit*
		l. 38.	us	jus

MAC 4811

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google